



GVIDVS PANCIROLVS
REGINVS
IVRIS CONSVLTOR CLARISS.

3

PERILLUSTRI

ATQUE

EXCELLENTISSIMO DOMINO

DOMINO

LUDOV. ALEXANDRO

DE SEEBACH,

DYNASTÆ GIERSTADII ET UTRIUSQUE FAHNERII,

POTENTISSIMI

POLONIARUM REGIS

ET

ELECTORIS SAXONIÆ

MINISTRO STATUS

ATQUE

CONSILIARIO INTIMO

DOMINO MEO GRATIOSISSIMO

PERENNEM FELICITATEM

D. CHRIST. GODOFR. HOFFMANN.



PERILLUSTRIS DOMINE
DOMINE GRATIOSISSIME.



Um *Excellentisſimi* Nominis TUI ſplendorem, meritorum, quæ indies creſcunt magnitudinem & eximias cum rara ac inſigni humanitate conjunctas virtutes eminus tacito pectore hactenus veneratus fui, avide efflagitans occaſionem, qua TUAM gratiam, ad quam non difficilem fore acceſſum, ab aliis audiveram, conciliare mihi poſſem;

ſem; tandem omnem me abjicere juſſit timiditatem fauſta illa dies, qua ſilentium meum rumpere & ad protectionem Tuam confugere adigebar, in eam omnem ſpem tuto me collocaturum eſſe ab iis edoctus, qui *Perilluſtris* TUÆ EXCELLENTIÆ favorem, quo omnes bonarum litterarum ſtudiis ſincera mente deditos benigne excipere ſoles, cognitum habebant. Hinc me neque dignitatum, in quo TE conſtitutum eſſe videbam conſideratio, neque meæ tenuitatis, cum nihil haberem, quod me TUA gratia dignum efficere poſſet, conſcientia, neque illuſtrium atque graviſſimorum negotiorum, quæ indefeſſum TUUM animum exercent contemplatio, ulterius detinere poterant, quo minus *Perilluſtri Tuæ Excellentiæ* innoteſcere & inter TUOS devotiſſimos Clientes recipi tentarem. Dicere non poſſum, quanta TUA gratia meam ſuperaverit expectationem, & in quam admirationem a TUA humanitate raptus fuerim, cum in TE tot egregias virtutes ſingulari doctrina ac ſcientia corruſcantes maxima cum humanitate omnium amorem & reverentiam provocante confluxiſſe viderem. Ab eo tempore cogitare incepi, an non publicum pii mei cultus ſpecimen edere, & pietatem, quam hucusque intra mentem continueram, teſtimonio publico profiteri liceret. Tenuit me diu ſuſpenſum modeſtia, quam in tanto meritorum cumulo & inter tot virtutes eminere, illasque eo pretioſiores, quo magis a vanitate alienæ, reddi cernebam, prætereaque non ignorabam, quam vile & tenue eſſet, quod a me præſtaretur. Dubius hæreo; dum in

men-

mentem mihi venit, nihil homine ingenuo dignius esse, quam Benefactoribus ac Promotoribus gratum testari animum, imo hoc casu animi pietatem virium excusare imbecillitatem. Hæc *Perillustris Domine*, me eo temeritatis deduxerunt, ut collectionem scriptorum *de Interpretibus Juris*, me curante editam, in publicum prodire noluerim, nisi devotissimæ erga *excellentissimam Tuam Personam* mentis signum secum ferret. Idque majori cum confidentia sum executus, cum perillustre Tuum Nomen scriptis præfigerem, quæ jam nonnullam in litterato Orbe acquisiverant famam. Mihi gratulor, quod hac ratione aliquodammodo officio meo defungi queam: lætor, quod pro perenni TUA salute & diuturna incolumitate pia vota in publicum effundere possim, certus, non defore, qui voventis & precantis Socii esse velint. Ita enim, ut divina providentia TE, REGI CLEMENTISSIMO ET PATRIÆ, utilissima officia exhibentem in omni felicitatum affluentia & non interrupto vigore, conservare velit, bonorum commune votum est. Me TUÆ gratiæ totum consecro atque committo, humiliter rogans, ut de infucata mea reverentia & constanti obstrictissimum animum declarandi conatu, persuasus esse velis. Scrib. Lipsiæ, d. XX. Sept. MDCCXX.

PRÆ-

GUIDI PANZIROLI,
REGIENSIS, JCti ET IN GYMNASIO PATAVINO JURIS INTERPRETIS,

DE

CLARIS LEGUM INTERPRETIBUS

LIBRI QUATUOR.

ACCESSERE:

JOANNIS FICHARDI, FRANCOFURT. VITÆ RECENTIORUM JCTORUM.

MARCI MANTUÆ, PATAVINI, EPITOME VIRORUM ILLUSTR.

JOAN. BAPTISTÆ DE GAZALUPIS HISTORIA INTERPRETUM ET GLOSSATORUM JURIS.

CATELLANI COTTÆ RECENSIO BREVIS INSIGNIUM JURIS INTERPRETUM ET DOCTORUM.

MATTH. GRIBALDI MOPHÆ CATALOGUS INTERPRETUM JURIS CIVILIS.

ALBERICI GENTILIS DE JURIS INTERPRETIBUS DIALOGI SEX.

QUIBUS

TUM VITÆ JCTORUM CLARISSIMORUM EXPONUNTUR, TUM ET FATA RESTITUTI JURIS ROM. AC JURISPRUDENTIÆ NOVISSIMÆ ORIGO, VARIA ITEM ACADEMIARUM HISTORIAM ILLUSTRANTIA RECENSENTUR.

CURA

D. CHRISTIANI GODOFR. HOFFMANNI.

LIPSIÆ,
APUD JO. FRID. GLEDITSCHII B. FILIUM,
M. DCC. XXI.

PRÆFATIO
AD LECTOREM.



UIDI PANCIROLI clariſſimi Viri elegantiſſimos de *claris legum Interpretibus* libros & cum illis *ſex* alios non *incelebres Scriptores* produco, qui eadem fere ſorte cum Pancirolo hactenus uſi, in bibliothecis delituerant, & rariſſime in librorum tabernis comparentes, emtoribus avidis & curioſis non cedere poterant. Forte multis rem gratam feci; aliis de præſentis collectionis utilitate iniquius judicium ferentibus. Sunt enim qui parum ad ſe pertinere credunt, ſi dicere poſſint, vixiſſe aliquando Ottonem quendam Papienſem, claruiſſe Bulgarum, Hugolinum a Porta Ravennate, & qui fuerunt reviviſcentis romanæ jurisprudentiæ in occidentalibus regnis reſtauratores; ſi aliquot centurias barbarorum & incognitorum nominum memoria teneant, quæ optimo jure ab hominibus ſeculi noſtri politioris, uti hoc appellare ſolent, ignorari poſſe, ſibi perſuadent. Et omnino haberent, cur illam de Viris, quos viventium commercio mors jamjam ante aliquot ſecula exemit, notitiam tanquam otioſam vituperent ſcientiam, ſi ea in nominum nuda recenſione, aut facti cujusdam ſimplici obſervatione acquieſceret. Quod cum ita non ſit comparatum, ſed ſingularis quædam utilitas hanc illuſtrium JCtorum, inprimis eorum, qui poſt revocatum jus romanum vixerunt, cognitionem comitetur: pretium ſane habebimus eorum induſtriæ, qui tot clara in jure nomina oblivione ſepulta reſuſcitare & noſtro ævo conſervare voluerunt: neque ingratus erit meus labor, qui celebriores quosdam circa hanc materiam ſcriptores, & qui omnes poſt ſe reliquit *Patavini Jureconſulti* libros *de claris legum interpretibus* conquiſivi & nunc novo ſub habitu in publicum prodire juſſi. Sed ut inſignem, quam jacto utilitatem ex his ſcriptis hauriendam, non ſolum aſſeram, ſed etiam probem, uſum hujus notitiæ pluribus jam docebo.

Jus, quod civium in republica actiones dirigit, partim in *ipſa lege*, partim in *opinione* de lege quærendum eſt. Opinio juris vim habere multis non videbitur: nam ut jus legem requirit, ita ab opinione jus ali-

quod venire non poterit, cum lex & opinio toto a se differant cœlo. Nihilominus experientia docet magnam in jurisprudentia opinionum vim & auctoritatem esse. Lex enim a legislatore lata manus privatorum incidit: sunt judices, sunt interpretes & doctores, quorum est in legis sensum inquirere & genuinum, id est, menti legislatoris conformem defendere. Hinc multorum arbitrio & examini relicta lex sortem illam habet, quam circa interpretationem mentis alienæ quotidie deprehendimus. Id dico, sensus legis plerumque subjectus est opinionibus Judicis, Doctorum imo aliquando multitudinis, quæ opinio, cum pro lege habeatur, constituit aliquam juris partem. Inde evenit, ut tanta opinionis sit autoritas, quæ non raro in imperium desinit, & ut Doctores, quorum proprie est leges interpretari, juris fiant autores & jurisprudentiæ speciem forment. Id ipsis Romanis accidit, qui in summa legum cura & invidiosa legum ferendarum potestatis custodia sensim prudentum & Interpretum juris subibant jugum, immemores, quæ invalescentis & autoritatis & usus quotidiani præjudicio munitæ opinionis sint obligandi artes. Refert POMPONIUS *libro singulari enchiridii*, disputationem prudentium ex interpretatione legum latarum ortam, jus aliquod confecisse, illudque communi nomine JUS CIVILE appellatum fuisse *l. 2. §. 5. D. de origine juris.* Idque est illud Jus quod a JUSTINIANO in *§. 3. J. de legit. agnat. success.* MEDIA JURISPRUDENTIA dicitur, in quo sensu hanc appellationem Institutionum Paraphrastes THEOPHILUS accepit, ut omnino gravissimum illi erraverint errorem, qui per mediam jurisprudentiam jus intelligunt, quod a Justiniano ex *Papiniani, Juliani, Ulpiani* ac similium libris descriptum & in libros Digestorum est translatum. In qua persuasione antiquiores in Italia juris Interpretes fuerunt, quos notavit ALEXANDER GALVANUS in suis commentariis ad *l. Gallus* 29. *D. de lib. & post.* Res igitur nova non est, quod Doctorum opiniones ad juris autoritatem assurgant: illustre est adductum ex romana jurisprudentia exemplum. Quid clarius Romanorum testimonio, qui ex prudentum interpretatione legum eorumque Responsis surrexisse jus aliquod, eminenti titulo JUS CIVILE dictum, fatentur.

Hi erant *juris civilis* fontes, quos distinguit acutus & doctus Jureconsultus M. AUREL. GALVANUS *de usufructu dissertat. var. cap.* VI. *n.* VIII. *p.* 50. an recte, dubitamus. Separat interpretationem prudentum a jureconsultorum responsis: illam jus esse romanorum civile, dicit, hæc autem ad species juris scripti refert, cujus meminit Imperator in

§ 8. J.

§. 8. J. de jur. nat. gent. & civ. Sed diversæ Responsorum Juridicorum attendendæ sunt ætates, quas confudisse hic videtur GALVANUS. Alia enim erat Responsorum conditio, tempore jurisprudentiæ mediæ, *id est* illius, quæ apud Romanos post latas XII. tabulas florebat: alia eorum, quæ temporibus Imperatorum priorum ab iis dabantur, qui jus respondendi a Cæsare impetraverant. Hanc differentiam ipse *Pomponius* in *§. 47. D. de Orig. juris* observandam docet, quando sequentibus verbis diversam hanc responsorum naturam recenset: *Et ut obiter sciamus*, inquit, *ante tempora Augusti publice respondendi jus non a principibus dabatur, sed qui fiduciam studiorum suorum habebant, consulentibus respondebant: Neque responsa utique signata dabant, sed plerunque judicibus ipsi scribebant, aut testabantur, qui illos consulebant. Primus divus Augustus, ut major juris autoritas haberetur constituit, ut ex autoritate ejus responderent &c.* Non igitur video, quid vetet, quo minus Responsa Veterum & Imperatorum ævo anteriorum prudentium ad juris civilis & mediæ jurisprudentiæ constitutionem multum contulisse asseram.

Nec aliter se res habuit cum jurisprudentia nostra, quæ paucis abhinc seculis in Italia florere cœpit seque in finitima regna diffudit, ut pleræque Europeæ gentes ab ipsis Romanis leges accepisse viderentur. Interpretes enim juris erant, qui incognitas has leges in lucem protrahebant, commendabant & cum successu temporis tantam iis conciliabant autoritatem, ut omnibus pene patriis & indigenis legibus suppressis sola jurisprudentia romana in ecclesiis, aula & foro regnaret.

Tantum autem abest, ut credas Jureconsultos illos genuina juris romano-justinianei principia nobis reclusisse, & veram illam jurisprudentiam scriptis Justiniani contentam, manifestasse, quin potius deprehendas eos opinionum farraginem nobis obstrusisse & jurisprudentiam aliquam formasse, quam ad exemplum Justiniani, NOVISSIMAM JURISPRUDENTIAM appellare non dubito. Est vero illa *jurisprudentia*, disciplina quæ originem suam debet primis romanarum legum interpretibus, qui jus justinianeum hactenus absconditum reduxerunt, illique opiniones suas ex legum interpretatione natas, intulerunt.

Ea autem harum opinionum contra ipsa legum verba fuit autoritas, ut sensim, neglecto textu, ex opinionibus magis Jureconsultorum quam legibus lites fuerint decisæ. Hinc factum ut turmæ Responsorum & Consiliorum prodierint, & sententiarum veritas ex multitudine autorum æstimaretur, qui morbus jurisprudentiam romanam jam olim vexaverat, ut conqueritur JUSTINIANUS *in præfatione prima Digesto-*

 rum

rum de conceptione Digestorum ad Tribonianum, in qua *l. 1. Cod. Theodos. de respons. prudent.* derogavit; & hodie quoque aucto indies opinionum numero & perdito sensu legum genuino, misere afflixit. Crescente enim responsorum & opinionum autoritate legum decrescebat vis, & jurisprudentia illa novissima surgebat, quæ romanas leges ad mores & jura patria detorquens, ab ingenio plerumque Doctorum dependebat. De FRANCISCO ACOLTO, refert noster PANCIROLUS proverbium in foro increbuisse: *Causa eum casurum esse, qui Aretini responsum contra se habuerit.* Et quorsum referenda sunt vastissima illa opinionum volumina, quæ superiora secula in lucem miserunt. Habemus syntagmata, Thesauros, Specula, Summas, Pericula, Sylvas Opinionum: Noti sunt HIPPOLITUS BONACOSSA, MACCAGNINUS GREGORIUS AZZOGUIDO, HIERONYMUS DE CAVALLOS, ANTONIUS GABRIEL, MATTHÆUS GUERRA DE LATRAS, MATTHÆUS GRIBALDI, BERNARDUS HENRICUS JANUENSIS, JOAN. BAPTISTA a VILLALOBOS, multique alii Opinionum compilatores.

Hæc eum in finem adduco, ut exinde utilitas pateat, quam notitia recentiorum juris interpretum novissimæ jurisprudentiæ studiosis afferre queat. Quod si verum est ab illis juris interpretibus descendere tot opiniones in foro receptas easque sæpius contra legum verba valere, verum autem esse, quotidiana testatur experientia: operæ pretium erit, ut illustrium earum opinionum origines indagemus, in quo ipse JUSTINIANUS eminenti exemplo nobis præivit, quando ex Pomponii Enchiridio antiquissimorum romanæ reipublicæ jureconsultorum memoriam commendavit.

Hæcque non exigua & ultima est utilitas, quam ex præsenti collectione Scriptorum, qui vitas Interpretum juris paucis abhinc seculis florentium consignarunt, nobis polliceri possumus. Jucundum sane est & utile illos e vestigio sequi: videmus parva autoritatis magnæ qua hodie pollet, jus romano-justinianeum initia, non obscuræ manent delitiæ peregrini hujus juris, quod & in scholis & in aulis magno cum applausu excipiebatur, cernimus, ex omni pene Europa juvenes confluere, qui n[illegible]i hujus juris scientia tincti, domum revertentes recentia illa juris principia invehebant: quæ omnia singularis oblectamenti & utilitatis esse possunt.

Si ulterius progrediamur, originem perniciosæ illius confusionis, qua jura Imperatorum Romano-Germanorum ex legibus romanis illustrata, & controversiæ publicæ ex his privatarum constitutionum volumini-

mini-

minibus decisæ fuerunt. Quemadmodum enim omni tempore grata Cæsaribus fuit romanorum Imperatorum recordatio, ita non potuit non acceptum esse jus illud, quod ab eorum autoritate profluxerat & eminentioris cujusdam potestatis vestigia continebat. Singularia quoque deprehendimus, quæ ad *historiam Academiarum* spectant. Ea meretur, ut majori cum studio, ac quidem hactenus factum excolatur, cum ex accuratiori rerum academicarum cognitione ortum & progressum quam plurimorum præjudiciorum, quæ ipsas doctrinas infecerunt, cognoscere *possimus*. Porro lites & æmulatio inter Doctores juris civilis & pontificii, harumque arcanæ rationes intelligi poterunt. Non vulgare est judicium, quod CINUS SIGISBALDUS Pistoriensis, de juris Canonici doctrina tulit, quod memoratum a PANCIROLO *de claris legum interpretibus Lib. 2. c. 58.* recensente CINUM *jus pontificium velut a legum expertibus, vel ambitiosis hominibus, qui secularem jurisdictionem usurpare affectabant, conditum esse, neglexisse.*

Tacebo innumera pene alia commoda, quæ in Lectorem horum librorum redundare possent, ex illis enim originem dissensionum jurisprudentiam dilacerantium, diversitatem methodi in tradendis juris principiis observatæ, & quæ præ reliquis observandæ sunt natales infelicis RABULISMI & irrationalis LEGULEJISMI, docemur.

Hæc omnino tanta fuerunt, ut desiderium edendi hos scriptores, qui memoriam celebriorum Juris Interpretum ad nostram ætatem transmiserunt, accendere potuerint.

Sed cum animadverterem, diversam horum scriptorum esse conditionem: illos non inepte in aliquot classes dividi. Sunt enim, qui Vitas JCtorum non ex professo tradiderunt, sed dum historiam litteratorum gentis alicujus, civitatis, academiæ, aut collegii scripserunt, mentionem quoque jurisperitorum fecerunt: alii ex instituto Virorum vitas delinearunt, qui in legum scientia famam aliquam fuerunt consecuti: alii unius Jureconsulti vitam speciali tractatione recensuerunt, quorum ingens est copia, ita ut operæ pretium is omnino sit facturus, qui particulares has vitarum recensiones in corpus aliquod colligere voluerit. Mihi hic in præsenti opere animus fuit, secundæ Classis scriptores in uno volumine exhibere, cujus voti jam compos factus SEPTEM SCRIPTORES de Claris legum Interpretibus Tibi *Lector Benevole* offero.

Primo de edendis PANCIROLLI libris quatuor de claris legum interpretibus cogitavi, cum illos a viris doctis commendatos sæpius le-

gerem, mihique inprimis ſalivam moverent, quæ Jureconſultus magni nominis, CHRISTIANUS THOMASIUS *in delineatione Hiſtoriæ Juris* §. 153. 154. 155. 156. ſeqq. ex Pancirolo adduxiſſet. Cum autem iſte liber rarius in noſtris oris haberetur, iique qui poſſiderent, inter cimelia & arcana referrent, dignus autem eſſet, qui plurium manibus volveretur: de ipſius operis editione ſollicitus a Viro & in ſolidiori jurisprudentia & in omni litteratura verſatiſſimo DN. NICOLAO HIERONYMO GUNDLINGIO impetravi, ut mihi, pro ea, qua in me, eſt benevolentia, exemplaris ſui, in copioſiſſima ejus & ſelectiſſima bibliotheca aſſervati copiam faceret, ut ex eo utiliſſimum opus deſcribi poſſet, quibus petitis absque difficultate annuit. Poſthæc ad ipſam libri editionem deventum.

Conſtitueram ab initio novis acceſſionibus Pancirolli textum illuſtrare, in egregio enim hiſtoriæ litterariæ apparatu, quo ævum noſtrum pene abundat, minime & occaſio & materia quædam addendi deeſſe poterat. Inprimis hoc opus novas additiones non tam ferre, quam requirere iisque indigere videbatur. Opus eſt poſthumum, quod OCTAVIUS, GUIDI PANZIROLI Patruus ex hujus ſchedis collectum in lucem protraxit. Prima editio Venetiis 1637. altera ad quam præſens confecta fuit Venetiis anno MDCLV. ſumptibus *Sebaſtiani Combi & Joannis la Noù* prodiit: utraque plurimis mendis typographicis ſcatet, quas ex hac noviſſima eliminare laboravi. Ultimam manum huic operi minime impoſuiſſe videtur Panzirolus: nam aliquando in ejus enarrationibus deſiderabis connexionem: inæqualitas ac ſtyli aſperitas admodum probabile reddit, ab ipſo Autore, quæ ex veterum monumentis collegerat, nondum plene digeſta fuiſſe: quemadmodum etiam diſſenſus, quem diverſis in locis circa eandem rem obſervare licet, monet, opus plena diligentia & cura nondum elaboratum aut abſolutum fuiſſe. Hæc tamen me detinere non potuerunt, quo minus utiliſſimi ſcripti editionem urgerem. Nam quamvis optaſſem ut & his defectibus aliqua medela adhiberi potuiſſet: cum tamen vererer, ne ſuſcipiendo hunc laborem, incumbentibus aliis mihi negotiis nimis protraherem tempus, & ita forte quod ſæpius accidere ſolet, conſilium novæ editionis parandæ evaneſceret, moram rupi, & quantum in meis poſitum fuit viribus laboravi, ut deſideratiſſimus libellus in publico emendatius & ſplendidius comparere poſſit: certus, me multis gratam rem feciſſe, qui operis Panziroliani, ſi vel maxime imperfecti, utilitatem æſtimare noverunt.

Abſolvitur illud quatuor libris. Primus in antiquiſſima romana tem-

tempora divagatur & quædam de veteribus Jureconsultis recenset, imo ad juniora Imperatorum tempora progreditur, & antiquam jura tractandi, docendi & discendi methodum refert: inprimis, quænam Doctorum, Interpretum, Antecessorum sub Græcis Imperatoribus fuerit conditio, explicat. Sed licet in hoc libro elegantia multa & non ubivis obvia inveneris: cum tamen primarius Autoris scopus non fuerit antiquorum Prudentum vitas excutere, intra breviorem illarum narrationem substitit, & majorem omnino lucem ex BERNARDINI RUTILII, JOANNIS BERTRANDI ET GUILIELMI GROTII *Vitis Jurisconsultorum veterum*, quas in Germania paucos ante annos recudi fecit *Vir doctissimus & consultissimus* JO. CHRISTOPH. FRANCK. J. U. D. nobis promittere possumus. Magis se commendat *Liber secundus*, qui proprior ad nostra tempora accedit, & antiquitates academicas, originem creandorum doctorum, varios leges interpretandi modos, multaque notatu digna quæ apud alios frustra quæsiveris & ipsi CONRINGIO doctum antiquitatum academicarum opus condenti, incognita fuere. Posthæc Autor in enarrandis civilis Juris consultorum vitis occupatur & ab IRNERIO usque ad DOMINICUM PINELLUM Cardinalem anno M D C. mortuum successionem Prudentum exhibet. In enarrandis horum vitis ita versatur, ut plerumque natales, præceptores, officia, scripta, mortem, epitaphium, aliquando judicia aliorum referat. Plurima hausit ex horum JCtorum scriptis, quæ stupenda quadam patientia perlegisse videtur: nonnulla ex archivis habuit, ad quæ aliquando provocat, inprimis *Carthophylacio Regiensi*, cujus sæpius injecit mentionem, usus fuit: ut ita optimo Viro fidem cur & quatenus habere debeamus, constet. Fateor non pauca occurrere, quæ Lectorem ingenuum offendere & suspensum tenere poterunt. Erant plurimi Veterum Interpretum homines ad invidiam & livorem proni, nihil ipsis frequentius, quam ex æmulatione aliorum famam sugillare & gravissimis calumniis proscindere: hinc vix evitare potuit Pancirolus historiam Interpretum ex his fontibus scripturus, quin harum traditionum se non quandoque vel invitus, reddiderit participem. Cæterum in hoc libro secundo varia invenimus, quæ multarum in jurisprudentia novissima corruptelarum causam & origenes produnt, quæ merentur attentionem, cum horum malorum contagio se ad nostram usque ætatem propagaverit. Ita legimus *Lib. II. Cap. XXXIV.* PETRUM A BELLA PERTICA primum fuisse, qui a majoribus simpliciter tradita ad dialecticum arguendi modum deduxit; & argumentorum multitudine quæstiones tractavit; quem docendi juraque

tractan-

tractandi modum ALBERICUS ROSATA irridere consueverat, referente Pancirolo *Cap. XIV. Lib. II.* Ita irrationalem quorundam methodum discentium memoriam inani legum recitatione torquentium, non novam, & quibusdam recentioribus Doctoribus communem, sed antiquissimam esse exemplo BALDI docemur, qui a *Galeacio* interrogatus, *ubi lex inveniretur, quæ de vespis & muscis loqueretur*, illam ostendit. Egregia scientia, quæ Orbi litterato obtrudit Jureconsultos, de quibus judicium ferri potest, quod olim de CORTESIO *Mutinensi* in certaminibus plurimas leges citante, *earum verba sed non sensum tenere*, dicebatur. Quanta veterum juris interpretum fuerit æmulatio, testantur injuriæ quibus se invicem oppugnare & prostituere solebant. De CHRISTOPHORO CASTELLIONEO & BALDO meminit PANCIROLUS, confluentibus ad utrumque auditoribus, cum eruditione pares haberentur, infamibus precibus, atque adeo pretio discipulos impudenter ambire cœpisse. Non prætermittendus est in PANCIROLO nostro notabilis locus *Capitis octogesimi octavi* libro secundo, ubi originem in quibusdam Italicis Academiis olim recepti *Nostratus Doctoralis*, ut in barbara re, barbara voce uti liceat, narrat: *Condiderant*, inquit, *paulo ante statutum Bononienses, quo exclusis peregrinis Professoribus solos cives docere volebant. Cum vero studiosi viros fama celebriores in alias Academias sequerentur, illud gymnasium minus frequentabatur. Quare damnoso Decreto revocato, aliquem in signem Doctorem acciri placuit.*

DE PETRO FRANCISCO RAVENNATE noster Jureconsultus memorat, eum variis artificiis memoriæ succurrere voluisse, & ita jurisprudentiam, cujus maxima vis in judicio posita esse debet, ad memoriam solummodo retulisse. Plures hujus tenoris observationes ex Panciroli scripto colligere, facilis labor foret, sed relinquimus eas judicio Lectoris, quem non latere poterit, Historiæ scopum non esse peregrinis nominibus memoriam onerare, sed ex illa desumere exempla, quæ imitari debeamus, aut quæ nos a deviis dehortari queant.

Tertius sequitur *liber*, in quo Jureconsultus Patavinus Juris Pontificii Interpretes sistit. Primus est FULGENTIUS AFER, ultimus ANASTASIUS GERMONIUS *Taurinensis* Septimæ collectionis decretalium Autor. Eadem *Pancirollus*, qua priori libro, usus est methodo, eandem igitur ex hoc libro polliceor utilitatem: inprimis hic liber inservire iis poterit, qui originem librorum juris pontificii nosse volunt, de quibus singularia in præsenti scripto occurrunt, cum hujus juris Collectores Pancirollus in medium proferat, & in enarranda eorum vita magna cum dili-

diligentia sit occupatus. Ultimus liber de *Academiis* agit, qui tamen ad umbilicum minime deductus videtur, cum præter nomina Academiarum, pauca, licet non vulgaria, contineat. De Professorum conditione apud Romanos differens celebriores & antiquas & recentiores academias nominat. Quo tamen aliorum sitim magis accendit, quam levavit.

PANCIROLLUM excipit JOANNES FICHARDUS *Francofurti* ad Mœnum natus, celeberrimi *Zasii*, cujus etiam elogium amplissimum præsenti operi intexuit, discipulus, qui cum Patavii & Bononiæ juris scientiam profiteretur occasionem nactus est hanc periochen vitarum recentiorum Jurisconsultorum concinnandi, quam Patavii apud *Jacobum Jordanum ad signum Aquilæ a. 1565.* editam hic recusam exhibemus. Pauciores sed celebriores FICHARDUS Jureconsultos nominat, eorumque Vitas in hoc libello descripsit, quo etiam *Pancirollus* usus fuisse videtur, qui tamen de eo non satis æquum tulit judicium, quando *Libro I. Cap. I.* ita de Fichardo sentit: JOANNES FICHARDUS *Francofurtensis aliquorum vitas latius descripsit. Sed quia homo Germanus res italorum non facile scire poterat, nec fortasse autores, unde plura eruere licebat, ad manum habebat, nonnullos solum obliqua imagine delineavit atqua non paucos omnino prætermisit.*

Tertius scriptor, quem præsenti collectioni inclusimus itidem est Jurisconsultus Patavinus MARCUS MANTUA BENAVIDIUS. Patavini de illustribus patriæ suæ imo totius Italiæ Jureconsultis bene meriti sunt. BERNARDINUS SCARDEONIUS, Patavinus Canonicus in tractatu *de urbis Patavii antiquitate, & claris civibus Patavinis* Basileæ *apud Nicolaum Episcopium* juniorem Anno MDLX. impresso *Lib. II. Class. VIII.* de claris Jureconsultis Patavinis prolixissime agit, & quosdam nominat, qui Pancirollo prætervisi sunt.

Parem laudem meretur *Episcopus Æmoniensis* JACOBUS PHILIPPUS THOMASINUS, qui in *elogiis illustrium Virorum* iconibus exornatis mentionem quoque fecit clarissimorum jurisperitorum, & in *Gymnasio Patavino* Utini MDCLIV. edito Professorum atque Doctorum Juris qui in Patavina Schola inclaruerant, Catalogum exhibet, libro primo varia ad Antiquitates Academicas spectantia, enarrans. His exemplo suo prævivit MARCUS MANTUA cujus *Epitomen* Virorum Illustrium ordine Alphabethico conscriptam huic collectioni inserere consultum duxi. Legerat *Mantua* antiquos Glossatores & perquisiverat grandia illa veterum Juris Interpretum volumina ex quibus excerpsit, quæ in hunc libellum transtulit.

Rudi & inæquali ſtylo opus hoc conditum, & plerumque enarratione judiciorum & cenſurarum de JCtis latarum, quibus tamen raro fidendum, abſolvitur.

Ordo me defert ad JOANNEM BAPTISTAM de GAZALUPIS ſive ut alii ſcribunt CACCIALUPUM primum in Curia Romana Advocatum Conſiſtorialem, ut refert PANCIROLUS Lib. II. Cap. cxv. Edidit inter alia ſcripta breviſſimum tractatum *de ſtudendi modo*, quem cum SEBASTIANI BRANTII expoſitionibus titulorum omnium juris tam civilis, quam canonici SEBASTIANUS GRYPHIUS Lugduni 1543. ad vetuſtorum exemplarium fidem typis exſcripſit. Quamvis hic libellus ſtyli elegantia ſe haud commendet, non tamen contemnendus eſt, cum piam ſimplicitatem ſpiret & non pauca ſingularia de veteribus Jureconſultis & antiqua jura diſcendi methodo contineat. Proponit CACCIALUPUS decem, ut loquitur, *documenta* circa modum in utroque jure ſtudendi. In *Primo Documento* ſtudioſos legum adhortatur, ut animam purgent & conſcientiam, a venere, ludo, ebrietate aliisque vitiis abhorreant, & diligenter ad Deum preces fundant, ſeque quotidie in religionis Chriſtianæ principiis firmiores reddant. In *Documento Secundo* ſuadet, ut diſcens bonos Doctores eligat. Non male illos ex epiſtola MARTINI DE FANO deſcribit: *bonum Doctorem eſſe, ſi qualia doceri oportet doceat, ſi diligenter ad interrogata reſpondeat, ſi reſpondendo dubitationes de pectore evellat;* ſi patiatur rationabiliter ſibi contradici, ſi cauſam rationabilem *ſuis dictis adjungat, ſi videatur quod aſſerit de fonte vel ſcripturæ, vel æquitatis ubi juſtitia deficit provenire: videndum quoque an ſit ſatis ſufficiens, an vim habeat impreſſivam, ut exemplis intelligibilibus inſtruat, quod oſtendit: nec ſit in ſua lectione pompoſus ſed potius utilis & fidelis, & plus veritati, quam truffis & ornamento verborum inhærens.* Bene depingit CACCIALUPUS imo optime delineavit Doctorem: ſed an ejus ævo magna horum Doctorum fuerit copia, an major hodie illorum numerus neſcio. Sub Documento *tertio* ſtudioſos ut Præceptoribus honorem impendant, hortatur; diligentiam conſtantem & indefeſſam documento *quarto* commendat, *quinto* autem de librorum lectione agit, qua occaſione illuſtriores juriſconſultos recenſet, quam recenſionem, cum varia ad hiſtoriam Jurisprudentium pertinentia complectatur, præſenti Operi annectere non dubitavi. Sub numero *ſexto* & *ſeptimo* ſtudioſos juris diligentes Doctorum jubet eſſe auditores, & qua ratione legum ſtudium abſolvendum ſit *octavo, nono* & *decimo* documento explicat, inſpergens multa curioſa antiquam jura diſcendi rationem

tionem explicantia, tandem historiam compilati juris civilis exponit, in qua inprimis ea, quæ *de Novellarum Authenticarum* compositione & collectione recenset, legi merentur.

CATELLIANI COTTÆ JCti Mediolanensis *recensio brevis insignium juris Interpretum & Doctorum* sub quinto numero præsentis collectionis comparet. Excerpta est ex præstantissimi Jureconsulti Memoraliis, quæ *Lugduni* apud *Antonium de Harsy* Anno MDLXXIII. post varias editiones prodierunt. Opus non inelegans, in quod ex immenso Doctorum utriusque juris pelago, omnia, quæcunque memoratu præcipue digna arbitratus est, in certa quædam capita ac locos digessit. Inserta est huic operi CATELLIANI *brevis tractatio de Jurisperitis tam antiquis Romanorum, quam recentioribus.* Quam ob materiæ affinitatem huc accersere nobis operæ pretium visum fuit. Neque erat COTTA inferioris subsellii JCtus: ex Alciati schola prodierat, a quo insigni elogio est mactatus, quod in fronte Memoraliorum conspicitur:

Echo aliquid mihi loquere, si placet. Placet.
Ego quis id operis fecerit, nescio. Scio.
Dic ergo, num Catelliani opus est. Opus est.
Humanitatis studia igitur sapit? sapit.
Jurisperitus nonne etiam est bonus? Bonus.
Id esse, dicas, quomodo potest? Potest.
Num neminem scire hæc duo referunt. Ferunt.
Papinianus alter an hic est? Hic est.
Hæc vera cum sint, credo nunc. Vale. Vale.

Cæterum Cottarum familia inter celebriores Mediolanensium numeratur & referente nostro COTTA sub voce *Imperator pag.* 404. duo ex familia *Cottarum*, quoties Imperator Mediolani coronandus esset, *cottas* albas induti a latere Imperatorem juvare & in coronationis actu intervenire olim solebant.

De MATTHÆO GRIBALDO MOPHA *JCto Cheriano* & Professore Juris Ticinensi pauca dicenda sunt. Edidit libellum *de methodo ac ratione studendi* commotus precibus studiosorum, qui eum in gymnasio Tholosano jura civilia interpretantem audiverant. Enarrat morem docendi Italicum, qui jamjam hoc ævo multum a nugis veterum Glossatorum recesserat. Videre id est ex Capite XV. lib. I. in quo leges Jurisconsultorum ex variis fragmentis compilatas, annaliumque imperitia interpretes mire hallucinatos esse refert, Capite XVI. autem monet, *leges librariorum incuria depravatas, eruditorum judicio castigandas & ab*

Accursii reliquorumque interpretum nugis ac ridiculis expositionibus maxime discedendum esse, quæ monita in Accursiana schola non audita erant.

Idem GRIBALDUS Catalogum aliquot Interpretum Juris Civilis distichis quibusdam inclusum, dedit, qui cum acuta de veteribus Jurisconsultis judicia contineat præsenti collectioni adjectus est.

Finem imponunt ALBERICI GENTILIS *de Juris Interpretibus Dialogi*, Londini anno 1582 typis descripti. Clarissimum inter Jureconsultos *Alberici* est nomen & variis ingenii atque doctrinæ monumentis gloriæ perennitatem assecutum. Patriam habuit *Anconam*, nobilissimam Italiæ civitatem; jurisprudentiæ principia in academia *Perusina* hausit, institutus a celeberrimis sui temporis Doctoribus RAINALDO, NONIO, ODDONE EUGENIO LANCELOTTO, CANTUCCIO, GALIFFO, SEVERO, quorum non sine elogio in Oratione *de Laudibus Academiæ Perusinæ* meminit. In civitate *Ascoli* judicis munere functus, Patrem religionis & conscientiæ causa Italiam relinquentem in Germaniam secutus, ab eo autem in Angliam missus singulari sua doctrina atque scientia magnos sibi conciliavit Patronos tandem in Academia Oxoniensi ad Professionem Juris evocatus; huic muneri per XXVI. annos præfuit. In omni litterarum genere fuit versatissimus, ingenii autem aliquanto invidiosi & contradicendi studio laborantis. Ex illo quoque præsentes Dialogi profluxerunt, in quibus perpetuam comparationem inter Veteres JCtos, quos communi Glossatorum titulo designare solemus, & recentiores illos instituit, qui ex ALCIATI, HOTTOMANNI, CUJACII aliorumque præstantissimorum Jureconsultorum Schola prodierunt, & prioribus prærogativam concedit illos maximopere commendans. Ita *primo* Dialogo adstruere vult: legum studiosum majorem sibi polliceri posse utilitatem ex lectione Glossarum quam recentiorum scriptorum qui ALCIATI principia tenent; *Secundo* docet, bonum Jureconsultum latinæ linguæ exquisitiori cognitione carere posse, *Tertio* ostendit, græcæ literaturæ peritiam in Interprete consultore juris non requiri, *Quarto*, dialectices usum in jurisprudentia magnum non esse, *Quinto*, Historiam *JCto* neque necessariam, neque utilem esse, *Sexto* generaliorem quandam supra memoratorum JCtorum facit collationem, & inprimis de arte critica in legum interpretatione adhibenda, agit. Gerit se ita ALBERICUS hostem & adversarium humanioris illius jurisprudentiæ, quam alii a JCtis Italiæ & Galliæ inprimis reductam, lætabantur. Vehementius mentem suam exprimit in dedicatione *libri IV. Lectionum & Epistolarum*, quæ ad jus civile pertinent: *Placet autem*,

tem, inquit, propterea mihi ratio hæc ſcribendi maxime, quod ipſa una fere admittit, ut noſtra plura, aliena pauciora inducamus, & id probandum magis exiſtimo, vel ſi illa eſſent modici æris, quam ineptos ridiculosque verſicoloresque iſtos videre pſittacos, qui nihil omnino adſerunt in commune de ſuo, ſi ſuum AVE *excipiunt, ſuas grammaticationes, grecationes, criticationes & id generis alia, tam me hercule ab Juriſconſulti profeſſione longe poſita, quam ab homine pſittacus poſitus eſt homo pictus.* An hæc vera ALBERICI ſententia fuerit, ambigo. Major ſane mea de hoc Viro eſt opinio, quam ut credere poſſim, eum hæc omnia ſerio ſcripſiſſe. Ipſe enim in ſuis operibus & hiſtoricam & criticam notitiam non levem prodit: quare illam Jureconſulto indignam habere voluiſſet, niſi de nimio quorundam in legibus Hiſtoriæ & Critices ſtudio intelligi, aut ſpecimina odii contra CUJACIUM, HOTTOMANNUM aliosque Jureconſultos celebriores concepti edere voluerit. Quodſi ita ſe res habet, humani aliquid eum fuiſſe paſſum fateamur. Cæterum non eſt negandum nos cum Alberico in eo convenire, parum conducere reipublicæ, ſi circa leges Hiſtoricos modo aut Criticos agere velimus, cum jurisprudentia practica ſit diſciplina, & in nuda contemplatione ſyllabarum aut recenſione factorum non acquieſcat. Omnem autem hiſtoricam de legibus Romanis ſcientiam, & criticæ artis principia removere, nihil aliud foret, quam antiquam barbariem & cum illa craſſam reducere ignorantiam.

Et hi ſunt Scriptores, quos in præſentem collectionem coegimus. Reliqui ad nos pertinere non videbantur, cum vel nudi indices & Catalogi nomina Prudentum exhibentes eſſent, vel paucorum imo recentiſſimorum plerunque jureconſultorum vitas recenſerent, vel aliis operibus ita innexi eſſent, ut ab illis ſeparari non poſſent. BALDUM UBALDUM de *illuſtribus Doctoribus* librum compoſuiſſe refert PANCIROLUS, addens illum forte caſu extinctum nusquam apparere.

Quid dicendum de THOMÆ DIPLOVATACII *Patricii Conſtantinopolitani* libris XII. *de præſtantia Doctorum & clariſſimis Jureconſultis*, in quibus autores, interpretesque a PHORONEO usque ad ſua tempora deduxiſſe dicitur, opus utiliſſimum & ad notitiam Juriſconſultorum Græcorum acquirendam ſine dubio egregie facturum, ſi illud extaret, aut haberi poſſet.

Sed credendum omnino, cum MICHAELE NEANDRO *in Præfatione ad erotemata græcæ linguæ*, librum periiſſe, aut ne in manus multorum veniret, ſupprimi. Interim ſub hujus Jureconſulti nomine, præter *Commentaria ad Alexandri Tartagni lecturas in Digeſtum, Codicem &c. Lugd.* 1553.

1553. *& Additiones ad varios Autores de testibus & testimoniorum materia Col. Agrip.* 1596. impressas, Vitam ANGELI GAMBELLONÆ *Venetiis* 1598. & INNOCENTII IV. *Venetiis* 1578. PAULI CASTRENSIS & JASONIS MAYNI, imo BARTOLI de SAXOFERRATO *Coloniæ* 1596. comparere observamus: ipsius tandem DIPLOVATARII vitam consignasse JO. BAPT. EGNATIUM ex ZILETI *Veneti Indice* fol. 52. discimus.

Inter illos, qui nobis nudos Jurisconsultorum indices dederunt, primo loco memorandus est JOANNES BAPTISTA a S. BLASIO Patavinus, qui ex judicio PANCIROLI Catalogum potius, quam vitas Jurisconsultorum recensuit. BERNHARDUS GASNERUS Nomenclaturam Doctorum in utroque jure passim citatorum *August. Vindel.* 1543. confecit. Pleniorem scriptorum juris indies numero crescentium indicem JOAN. BAPTISTA ZILETTUS Venetus congessit, quem Venetiis JORDANUS ZILETTUS a. 1566. adjecto JACOBI LABITTI Indice legum cum variis accessionibus recudi fecit. Utilissimum egit laborem, duplici ratione suum Catalogum disponens: *Primo* arbitraria divisione usus libros juridicos sub certos redegit titulos: *Secundo*, indicem omnium Tractatuum aliorumque opusculorum ordine Alphabetico digestum communicat. His præmissus est Index nominum omnium scriptorum, quorum opera in indice continentur, eo modo dispositus, ut quivis facile possit invenire, omnia, quæ Doctores scripserunt prelisque hucusque excussa extant. Tentaverant idem ante ZILETTUM, JOANNES NEVIZANUS, LUDOVICUS GOMESIUS & post illum JOANNES FICHARDUS. Tandem JOH. WOLFGANG FREYMONIUS IN OBERNHAUSEN J. U. D. horum consultissimorum Virorum collectiones in unum corpus redegit & anno MDLXXIX. Francofurti ad Mœnum sub titulo: *Elenchus omnium Autorum sive scriptorum, qui in jure tam civili quam canonico vel commentando, vel quibuscunque modis explicando & illustrando ad nostram ætatem usque claruerunt, nomina & monumenta partim in lucem antehac prolata, partim in Bibliothecis passim adhuc abdita, complectens* publici juris fecit; elegans libellus, qui nova & auctiore editione dignus esset. Idem FREYMONIUS in utilissimo opere, quod *Symphoniam juris utriusque chronologicam* nominat, in calce nomenclaturam jureconsultorum recentiorum, qui intra quadringentos annos proximos a restauratis per IRNERIUM legibus romanis ad sua usque tempora docendo scribendove celebrem nominis famam consecuti sunt, adjecit, quæ cum seriem annorum observet & initium faciat ab anno 1150, quo IRNERIUS vixisse creditur, & cum ÆYMARO RIVALLIO circa annum 1550. desinat, addito Elencho eorum, qui

proxi-

proximis annis inclaruerant, quorum plerosque etiam in vivis esse credebat FREYMONIUS, multum hæ tabulæ ad notitiam jureconsultorum recentiorum in primis temporis, quo vixerunt, conducere poterunt.

In hunc censum illi quoque veniunt, qui Jureconsultorum vitas Ordine Alphabetico recensuerunt, quæ methodus MANTUÆ placuit, & commodissima evolventibus esse videtur. Ex recentioribus DIONYSIUS SIMON Gallus, eam servavit in scripto, quod in gallica lingua prodiit & titulum habet: *Nouvelle Bibliotheque historique & Chronologique, des principaux Auteurs & Interpretes du Droit Civil, Canonique & Particulier des plusieurs Etats & Provinces depuis* IRNERIUS *avec des caracteres de leurs esprits, & des jugemens sur les ouvrages.* Magnum jureconsultorum numerum hi libelli continent: autor enim in enarratione vitæ brevissimus est, Patriam, ætatem, officia & scripta nominans; in recensione scriptorum multos sæpe prætermisit. Sed cum hactenus pene solus fuerit, qui hac concinna & grata methodo Jureconsultorum vitas tradiderit, gratiam Lectorum & evolventium facile sibi comparare potuit. Interea in Gallia, Belgio, Anglia, Germania Lexica Historica lucem aspexerunt, quæ Virorum litteratorum & ita quoque Jureconsultorum Vitas repræsentant. Jamque sub prelo sudat *Universale illud Dictionarium Historicum,* quod indefessæ industriæ de re litteraria egregie meriti & indies adhuc merentis THOMÆ FRITSCHII debemus, in quo turmas jureconsultorum veterum & recentiorum productas videbimus. Consuluit quoque penuriæ, qua olim in hoc litterarum genere laboravimus *Vir ad promovendam rem litterariam natus,* Celeberrimus JO. BURCHARDUS MENCKENIUS, cujus consilio & directione a. 1715. prodiit Lexicon Historicum continens vitas 20000. litteratorum & inter illos quoque de omni jure meritorum Virorum.

Porro ad me in præsenti collectione occupatum illi scriptores non pertinere videbantur, qui vel paucorum vel recentissimorum Jureconsultorum vitas exposuerant. Intelligo hic illos, quæ unius civitatis, academiæ, collegii, judicii &c. Præsides justitiæ, Jureconsultos & Advocatos eorumque vitas & scripta exponentes, depinxerant. Habemus in Germania MELCH. ADAMI Germanorum JCtorum Vitas quas a JOANNE SEMECA, cujus vitam an. 1715. doctissime descriptam Orbi litterato communicavit *summe reverendus Abbas Mariævallensis* JO. ANDR. SCHMIDIUS, deducit, agmen claudente JACOBO BORDINGO an. 1616. mortuo. Successit HENNINGIUS WITTENIUS qui Memorias Jurisconsultorum nostri seculi clarissimorum in quatuor decadibus colle-

collegit, adjecto catalogo scriptorum, a quovis Jureconsulto editorum. Sed cum opus ex Orationibus & programmatibus in funere Virorum doctorum habitis & impressis constet, lectionis tædere facile potest eos, qui non tam Oratorum flosculos, quam vitæ narrationem quærunt. Quos Scriptores Galliæ JCti invenerint recenset *clarissimus* JACOBUS LE LONG in opere amplissimo *Bibliotheque Historique de la France* Lib. IV. Art. II. §. III. p. 874. Inter Italicos de Jureconsultis Scriptores eminent ALIDOSII Vitæ Doctorum Bononiensium, Bonon. 1720. impresse.

ANGELI GAGGII Tractatus, in quo Collegii Bononiensis Doctorum & Cæsarei Juris Originem & dotes describit & Bononiæ 1710. impressus fuit, nihil nisi privilegia, statuta, & nudum Indicem Professorum, Doctorum Advocatorum & similium personarum repræsentat. JULIUS A PUDEO Judicum & Advocatorum Collegii VERONENSIS Elogia conscripsit ac Veronæ 1653 publici juris fecit. Prolixum nimis foret in amplissimum horum scriptorum campum excurrere; & Biographorum Catalogum hic dare, cum ii, quorum hæc scire interest apud Autores, qui de historia litteraria egerunt, inprimis Celeberrimum BURCARDUM GOTTHELF STRUVIUM *in Notitia ejus rei litterariæ* instrui queant. In hanc Classem tandem ii quoque sunt ponendi, qui unius alteriusve JCti vitam posteritati scriptis tradiderunt, quorum non pauci merentur, ut in aliquod corpus coeant, ne sensim manibus eruditorum excidant, & pereant aut in bibliothecis relegati jaceant. Protraxit quosdam e pulvere FRID. JAC. LEICKHERUS & decadem præstantissimorum JCtorum, *Nicolai Boerii*, *Antonii Augustini*, *Francisci Hottomanni*, *B. Brissonii*, *B. Pithœi*, *Guil. Budæi*, *A. Goveani*, *J. Cujacii*, *J. Bertrandi & G. Pancirolli* elegantissimis elogiis ornatorum uno volumine, optimo instituto compilavit. Facilis labor esset plura volumina congerere. Forte si Deus vitam & vires fuerit largitus, si ulterius academicis studiis inhærere licuerit, selectissimos nonnullos horum scriptorum ab interitu & contemptu vindicabo, cum se mihi circa editionem præsentis collectionis occupato non pauci obtulerint errantes & vagi libelli memoriis consultissimorum Virorum dicati. Nihil intermittam, quod hoc erga Viros bene meritos pietatis monumentum promovere poterit.

Ad illos tandem devenio Scriptores, qui Vitas horum Jureconsultorum, de quibus hic agimus, non singularibus tractatibus absolverunt, sed aliis operibus ingesserunt. Si Autores qui *historiam juris* tradiderunt evolvamus, quosdam de Jureconsultis, quorum omnino in recensen-

censendis Jurisprudentiæ fatis ratio est habenda, egisse, observamus. VALENTINUS FORSTERUS *Historiæ juris civilis romanæ Lib. III. cap. VI. p. m.* 607. producit juris prudentiæ romanæ in Italia restauratores, & reliquos, qui in juris civilis Romani interpretatione celebres & insignes fuere. JANUS VINC. GRAVINA in tractatu *de ortu & progressu juris civilis* n. CXL. clarissimorum jureconsultorum nomina & facta nitido stylo recenset, ipsas vero relationes quoad maximam partem ex *Pancirolo* desumpsisse videtur, licet, more suo, fontem ex quo hausit, tacuerit. JOANNES DOUJAT libro Quinto *Prænotionum Canonicarum* Juris Canonici Doctores celebriores sistit, quamvis, quod posterius ævum concernit, Gallos modo nominet, præteritis extraneis, in quo forte excusandus, cum Galli hactenus solidiorem hujus jurisprudentiæ tractationem quasi propriam sibi fecerint. Ita quoque apud alios Scriptores, qui se in omnem Historiæ litterariæ campum immiserunt, magnam Jureconsultorum frequentiam animadvertes. ANTONIUS POSSEVINUS *in Bibliotheca selecta de studior. ratione*, lib. XIII. de Jurisprudentia tractat, & insignem Jureconsultorum Catalogum exhibet. Non sterilis est in Jureconsultorum inprimis Canonistarum vitis JOH. TRITHEMII *Abbatis Spanheimensis, de Scriptoribus ecclesiasticis* liber quem novissime edidit Vir supra laudem nostram positus JO. ALBERTUS FABRICIUS *Theologus Hamburgensis*. Neque nos pigebit aliquando CONRADI GESNERI & JOSIÆ SIMLERI Bibliothecam consulere, qua vetustissimorum scriptorum indicem conditum videmus.

Plures in præsenti non succurrunt, quorum nomina huc apponenda esse, censerem; cum ad specialiora descendere non sit animus. Ea enim collectio, quam hic exhibeo, suos terminos atque fines habet. Quamvis enim certissime mihi persuadeam, Historiam Vitæ Viri cujusdam præstantis & mentis clari magna pollere utilitate, & fervidis ingeniis ad imitationis periculum faciendum, calcar addere: mihi tamen in hoc labore ea fuit mens, ut illorum modo Scriptorum copiam facerem, qui primorum jurisperitorum post renovatum jus justinianeum viventium mores, ætatem & scripta consignarunt. Cur id a me factum, superius dictum fuit. Est quoque ille Jureconsultorum periodus tam notatu dignissima, quam multis difficultatibus obnoxia: indeque maxime in pretio habendi sunt Scriptores, qui victis multo labore tot impedimentis in tanta rerum obscuritate, de Viris locuti sunt, quorum nomina adeo horrida & peregrina alias audiebant, ut remotissimarum gentium esse viderentur. Non exiguus labor fuit, ex prægrandibus Glossatorum voluminibus & dispersis testimoniis, Jureconsulti alicujus antiqui vitam eruere & in formam historiæ componere. Lege citata apud *Pancirolum*, ferream ejus miraberis patientiam. Adservat incomparabilis bibliotheca *Viri fama & scriptis longe celebratissimi* JOANNIS PETRI LUDWIGII Codicem manuscriptum in quo Elogia Jureconsultorum barbaræ & recentioris ætatis reperiuntur. Consistunt illa in excerptis, quæ multo cum labore ex vastissimis juris voluminibus compilata sunt. Communicavit mihi quædam specimina ex memorato scripto *Vir honoratissimus*, quibus brevem historiam Codicis præmisit, quam hic, prout, ab ejus manibus accepi, inserere non dubito:

Ære meo redemi bibliothecam KUHNII *Argentoratensis, professoris & interpretis Græce linguæ celeberrimi, quam Argentorato in Fridericianam transtulerant vidua ejus & heredes. In hac litteraria suppellectili, post omnes fere*

Græcos

Græcos auctores, quorum plurimi manu humanissimi FRESNEI *aliorumque præsertim Gallorum ditati, etiam alia reperi, a literis Kuhnianis paulo aliena. In hic numero elogia hæc BARBARÆ ET RECENTIORIS ÆTATIS JURECONSULTORUM, descripta in papyro communi ante ducentos circiter annos, forma, quæ librariis est media. Possessorem libri loquitur prima pagina* BIGGIUM, *Jureconsultum celebrem. Sed haud dubie scriptoris ætas est antiquior. Qua fortuna ad Kuhnium devenerit ille, non constat. Nisi, quod tamen scribo fide & narratione venditoris, suspicio sit, magni nominis prætorem regium Ulricum Obrechtum, mortuo Kuhnio, ex illius bibliotheca commodato accepisse MANUSCRIPTA MULTA facientia ad res Graciæ & Latii, quæ illius scribæ post cum ejusmodi aliis pretii longe vilioris commutaverint, deceperintque viduam, rerum ignaram. Ita fert historia. Neque nunc vindiciis locus, postquam multi pretii suppellex Obrechtiana custodiam habet principalem, aduersus quam nihil jura hominum privatorum. Ceterum librum hunc sigillatim edere, minus quidem esset consultum. Non enim ultimam auctoris manum habuit. Deinde non tam vitæ jureconsultorum in eo descriptæ, quam collecta ex innumeris consiliis, omnis fere orbis eorundem elogia. Et ubi aliquid in aliquo vel laudandum vel vocandum sub censuram. Ubi ab uno alterove commissum plagium. Quem habuerit institutorem. Quæ ei in praxi & usu forensi auctoritas. Quibuscum contraxerit amicitiam. In quibus eductus academiis & quæ alia ejusmodi, nullo ordine, fide aliorum auctorum congesta.*

Non patiuntur præfationis termini, ut huc quædam specimina transcribam cum verear, ne fines præfaminis jam jam sim egressus. Accipe igitur *Lector Benevole* hanc collectionem Scriptorum, qui hunc laborem suscipientes relicta tibi addendi, demendi, emendandi & corrigendi libertate, otium Tibi fecerunt. Lege & evolve hos libellos; jucundum & utile erit natales & progressum novissimæ jurisprudentiæ intueri, ac mores & ingenia Veterum Jureconsultorum cum junioris imo nostri ævi Prudentum vivendi atque docendi ratione conferre. Vale. Dab. Lipsiæ d. XII. Sept. MDCCXX.

GUIDI PANCIROLLI Vita
A
JACOB. PHIL. THOMASINO
ELABORATA.

GUIDUS PANCIROLUS *Regiensis*, quem ex illustri familia *Pancirola* Patre ALBERTO Jurisconsulto natum & ingenio singulari præditum, paterna gloria veluti immortalitatis radius ad ingenuas artes capescendas mirum in modum inflammavit. Cum igitur ex primis Rhetorices ac Dialecticæ rudimentis vivida vis ingenii in puero elucere cœpisset, de parentum consilio *Ferrariam* missus est, ut Jurisprudentiæ operam daret, ibique Clarissimos Jurisconsf. *Pascettum & Hyppolitum Riminaldum* audivit, quorum auspiciis, cum plurimum in literaria palestra profecisset, *Ticinum* adiit, ut ad instar *Platonis*, quem in Græciam penetrasse ferunt, ut *Pythagoræorum* præceptis & disciplina imbueretur, ipse etiam *Andream Alciatum* Virum in omni eruditionis genere eximium audiret. Verum enim vero, eo aliquandiu degustato, majori discendi ardore succen-

successus, ad auscultandum *Marianum Socinum*, Bononiæ docentem, deductus est, ac demum permotus illustri fama *Marci Mantuæ & Julii Oradini*, quos tunc temporis inter præclaros legum interpretes eminere constabat, Patavinum Gymnasium nostrum cæteris præferendum ratus, eo se recepit, ut inibi studiorum suorum metam attingeret & insignia Doctoratus ex tantorum Jurisperitorum manibus obtineret. Quamobrem adeo insignes in Jurisprudentia progressus eo in Gymnasio fecit, ut antequam in Doctorum numerum cooptaretur, dignissimus habitus fuerit, qui, posthabitis aliis multis a Serenissimo Senatu Veneto Imperatorias *Institutiones* in eodem secundo loco publice explanaret. Quo quidem in munere, eo usque per septennium, acclamantibus studentibus omnibus progressus est, Collega Hieronymi Campi S. Petri ut in eo ætatis immaturitas ipsa doctrinæ gravitate & maturitate magis ac magis excellere videretur. Renunciatur interim a Jurisperitorum Collegio Jurisprudentiæ Doctor, & decedente *Matthæo Gribaldo* alteram vespertini Juris cathedram obtinente in ejus locum adscisscitur, quem suavi sermonis nitore & ornatu sexdecim annorum spatio decoravit. Varias lucubrationes edidit tum ex Jurisprudentiæ penu tum ex Eloquentiæ officina depromptas, quibus & Literatorum omnium animos pertraheret in admirationem sui, & Serenissimæ Reipublicæ Venetæ favorem non sine insigni honorarii & boni publici incremento consequeretur. Diem tum extremum obierat Augustæ Taurinorum egregius J. C. *Simon Craveta*, cum Serenissimus Allobrogum Dux *Emmanuel Philibertus*, Pancirolum nostrum, veluti præstantissimum Europæ Jurisconsultorum Sydus, ad Taurinense nobilitandum Gymnasium amplissimo honorario proposito, accersivit. Annuit ille voluntati Principis & anno salutis CIↃ IↃ. LXXI. relicto Patavino Lyceo, Taurinum concessit, ut in prima cathedra, collega *Bernardi Trotti* J. C. clarissimi Jus Cæsareum interpretaretur. Quam humaniter tum a serenissimo duce exceptus fuerit, explicare difficulter possim. Illud satis constat *Emanuelem* Philiberti filium patris vestigiis insistentem, eundem simul ac patri successit, omni amoris & officii genere prosecutum esse; quin & mille aureis annui stipendiis, quos a Philiberto acceperat, centum honoris & dilectionis gratia protinus adjunxisse. Cœperat jam illi Taurinensis aëris intemperies sic obesse, ut oculorum altero pene destitutus esset; altero vero gravissime laboraret, cum inde sibi discedendum statuit, & *Patavium*, quo ad principem Jurisprudentiæ sedem a Serenissimo Senatu Veneto accersebatur, concedendum statuit, abjecta cunctatione omni. Quanto cum Allobrogum Principis mœrore discessit, tanta Civium & Studentium voluptate Patavii receptus est, anno CIↃ. IↃ. LXXII. & Lyceum publicum tribus tunc temporis Juris luminibus *Jo. Cephalo*, *Liberio Deciano*, & *Marco Mantua*, orbatum, suo adventu mirifice recreavit. Summi Romani Pontifices duo GREGORIUS XIV. & CLEMENS VIII. miro illum amore complexi sunt, & ad aulæ Romanæ limina, consultationis ergo, perhonorifice vocavere. At ille quietis amans, & bonæ valetudini suæ studens Lucubrationibus etiam eruditissimis evulgandis intentus, fastus hujuscemodi & honores omnes nihili ducens, Civitatem & Academiam nostram Romæ præferendam censuit, nec alio procul a Gymnasio sui delicio commigrandum. Quamobrem apud nos relictis literarum monumentis innumeris, vitæ cursum peregit anno ætatis LXXV. ad Ecclesiam D. Antonii celebri pompa ab utraque Universitate delatus,

inibi publicis encomiis exornatus est, orante ejus in laudem doctissimo & eloquentissimo J.C. Francisco Vidua Patavino anno salutis CIↃ IↃ XCI. XVI. Kal. Junii. Jacet in Ecclesia D. Justinæ in sepulchro Monachorum ut ipse vivens concupiverat. Scripsit:

Rerum Memorabilium Libb. II. quorum prior Deperditarum, posterior noviter inventarum est.
Commentarium in notitiam Dignitatum utriusque Imperii.
De Magistratibus, Municipalibus & Corporibus artificum libellum.
De quatuordecim utriusque tam Veteris, quam Novæ urbis earundemque ædificiis tam publicis quam privatis libellum.
Thesaurum variarum lectionum in III. libros digestum, ab Hercule ex fratre Nepote in lucem editum.
Responsorum & Allegationum in Jure volumen unum.
De Origine & Auctoritate Jurisconsult. & de Viris illustribus maxime in Jure volumen I. nondum editum.
De Origine & Auctoritate Equitum.
De Juris Antiquitate.
De Numismatis antiquis.
Commentarium in universa Tertulliani opera.
Volumen in quo plurimæ novæ legum explicationes continentur.

JOHANNIS FICHARDI Vita
ex Adami Vitis JCtorum.

JOHANNES FICHARDUS Francofurti ad Mœnum urbe imperii libera natus est anno Christi *millesimo quingentesimo undecimo*, parentibus honestis. Hic ubi prima in ludo, ut vocant, triviali linguarum & dicendi artium jecit fundamenta, tum ad Philosophiam ac humaniores disciplinas, tum vero inprimis ad juris scientiam animum adjecit, eoque nomine *Friburgum Brisgoiæ* ad Gymnasium, ejus doctrinæ laude tunc celebre, se contulit.

Ibi inter alios eruditione insignos viros, *Zasium*, Germanorum JCtorum facile Principem, ei audire contigit, jam prope septuagenarium, quo tempore, quanquam ob senium multa fuere in illo remissiora, etiam vox ipsa, quod tum edulentus esset, blæsior; ita tamen adhuc docendo scribit viguisse, ita, quæ dicebat, vixisse omnia, ut juratus confirmet, neminem se ex Germaniæ & Italiæ Doctoribus audivisse, qui Zasium vivida illa docendi ratione superarit. Contulit ibi tum Zasius in Fichardum discipulum suum tantum benevolentiæ, operæ ac studii, quantum vix in alium quenquam. Itaque eodem Zasio instigante summum Docturæ honorem petiit; atque una cum *Johanne Sichardo* summum eum honorem, promovente Zasio ibidem est consecutus. Deinde Spiræ Nemetum in supremo imperii Germanici tribunali aliquandiu feliciter se exercuit. Demum *Patavii & Bononiæ*, ubi eandem scientiam est professus, cæterisque Italiæ Academiis juris studium plurimum confirmavit; ac tandem reipubl. in patria Syndicus annis quadraginta quatuor clarissimus fuit.

Nominis sui celebrationem longe lateque protulit plurimis non modo veterum Jurisconsultorum commentariis; sed & ingenii sui monumentis pulcherrimis, & utilissimis collectaneis in publicum editis, decus & ornamentum eorum, quibus cum vixit, & patriæ, imo Germaniæ totius, & seculi sui.

Tan-

Tandem functus vita decessit *Francofurti* in patria *anno millesimo, quingentesimo octogesimo primo*, annum agens septuagesimum.

Scripsit periochen *vitarum recentiorum Jurisconsultorum*, ab Irnerio usque ad ipsum Zasium, eo saltem facto meritus; ut qui tot clarorum virorum memoriam in occulto latere passus non est, ipse quoque oblivioni minime tradendus. Præterea *indices duos* omnium scriptorum in jure tam Pontificio, quam civili, a veteribus ac recentioribus jurisconsultis, ad hæc nostra usque tempora editorum. Joannes Oporinus impressit Basileæ una cum veterum jurisconsultorum vitis, per *Bernardinum Rutilium* descriptis, & ejusdem Decuria. Ex Galeni libris Græcis latinitate donavit, de libris propriis, de ordine librorum suorum: de præsagiis ex insomniis, quomodo morborum simulantes sint deprehendendi: de exercitatione parvæ pilæ, consilium in morbo comitiali. Ejusdemque *tractatus cautelarum* omnium JCtorum qui hactenus cautelarum materiam ex professo tractarent, opus jurisconsultis, potissimum autem Advocatis pragmaticis, causidicis, atque omnibus in fore versantibus non minus necessarium, quam utile & frugiferum, cum præfatione de recto & vero usu cautelarum.

Encomium ejus decantavit Lauterbachius hisce versibus:

Quanta sit ingenii, FICHARDE *diserte facultas,*
Quanta sit innocuo vita pudore nitens;
Quæ virtus cœlum donans, pulcherrima rerum
Hinc Themidis quantum justitiæque decus
Tot præclara tui referunt monumenta laboris:
Insignes morum tot super orbe notæ.
Facta tot, humano quæ commendantur ab ore;
Arbitrii leges consiliique tui.
Ut nullos fama pereas Fichardе per annos:
Ingenium, virtus, vita, Themisque facit.

Ex libr. 3. Prosopograph. Henr. Pantaleonis: Thuani histor. August. lib. 74. aliis.

Vita MARCI MANTUÆ BENAVIDI
ex BERNARDINI SCARDEONII.
Libr. II. de antiquitate urbis Patavii.

Dicturus de his qui clari sunt, MARCUM BENAVIDIUM cognomento MANTUAM prætermittere jure non possum, cum jam me etiam tacente, ubique terrarum longe lateque immortale nomen eius assiduo concentu præcinentis famæ reboet in auribus cunctorum. Quod enim Gymnasium ubique terrarum non hunc ipsum sibi vehementer exoptat? Quisnam Juris Studiosus hujus præclaris monumentis jam publicatis allectus, ad eum audiendum vel ab ultimo Europæ angulo non trahatur? Quisnam e suggestu leges enarrat elegantius? aut ex tempore in corona hominum promtius disceptat & efficacius concludit & solvit? Edidit hactenus ingentia Volumina & ingentiora adhuc in ejus scriniis continentur. Impressa habentur ejus *Collectanea*, *Apophtegmata*, *Consilia*; *Problemata*, *Topica*, *Isagogicæ rationes ad tollendos argumentorum nodos. Encomium Sacerdotii. Suasoria legis Oppiæ ad compescendum muliebrem cultum. Scholia ad L. Precibus, C. de Impuberum & aliis substitutionibus. Centuriam praxis Judiciariæ, contra tyrannum, contra blasphemiam. Dialogum de Concilio. Observationum legalium libros decem. Polymathiæ libros XII. Enchiri-*

dium rerum singularium. Juris prælectiones in ordinarias lecturas matutinas & denique tractatus multos de rebus variis. Item plus, quam ducentos dialogos de variis sensibus divinarum humanarumque literarum scitu dignissimos. Locorum quoque communium libros tres. De illustribus Jureconsultis egregium Volumen. Insuper Collectanea & alia opera quamplurima, quæ ad nominis immortalitatem multo sane magis ei conferre possunt, quam vel magnificæ ædes, quas magnis impensis sibi & fratri suo hactenus ædificari voluit: vel etiam quam marmoreus ille Colossus intra ædes erectus, & speciosissimum Mausoleum & pretiosa numismata, toreumata, & veterum imagines, signa, tabulæ, & alia antiqui operis supra privati fortunas animosissime comparata. Quorum singula, nedum simul omnia tanta tamque insignia monumenta & nunc eum illustrem reddere & in futurum ab omni nominis oblivione vendicare perpetuo possint. Excedunt hæc quidem omnia supra modum privatum splendorem: & habent præter sapientiæ studium, quandam etiam animi magnitudinem, quæ non modo hominis liberalis verum etiam magnifici dici debeat. Atqui etiam eo sane præstantiora hæc ipsa habenda sunt, quo studiis adjuncta literarum maximos quosque honores ei arrogare merito valeant & perpetuis monumentis subsistere. Sed reliqua pari honore digna pertranseo, veritus tanti viri laudes (*ut Horatiano versiculo utar*) culpa deterere ingenii. Tanti viri & tantæ virtutis fama allectus CAROLUS V. Imperator maximus hunc omnibus quibus potuit amplissimis honoribus & magnificis titulis decoravit: & eisdem quibus olim ab hujus prædecessore *Carolo Quarto* Bartholus Saxoferratensis ornatus, in tractatu de insignibus & armis jactabundus exultat. Conspicitur hujus Mausoleum insigne eximia mole in medio Basilicæ Eremitarum in pariete, pulcherrimis exultum imaginibus, ubi hoc Epitaphium:

M. Mantua Ben: Patavinus Juris consultus Jo. Petri F.
ex præsentibus futura prospiciens, præter cætera monumentum hoc S. V. P. C. Mense Majo M. D. XLVI.

Posset hic delicatior quispiam lector curiosius indagare, uter in ea re laudandus magis sit, an Marcus Blancus qui neglecta cura sepulchri, tam exili elogio seorsum in porticibus Divi Antonii confessoris sepeliri voluit: an *Marcus Mantua*, qui contra tanta impensa cum tot speciosis simulachris tam sublime Mausoleum vivens sibi erigendum curavit. Ab utroque sane licet diverso instituto pari tamen gloriæ cupidine factum putandum est, quod minime improbandum censeo, in viris præsertim excellenti doctrina præditis, qui quidem inter præcipua huius mundi bona, id potissimum collocandum existimant, quod in virtute positum est, cujus comes ac pedissequa semper est immortalitatis gloria. Fecerunt ii quidem, sicuti Plinius junior, Ruffum & Frontonem viros sapientissimos pari gloriæ cupiditate succensos sua ætate fecisse commemorat. Nam Ruffus ut hic speciosum sibi monumentum extrui curavit: Fronto autem contra, ut ille neglexit. Ambo, inquit Plinius permagnum aliquid memorandumque fecerunt, & propterea illos non modo venia, verum etiam laude dignissimos esse judico, si immortalitatem quam meruere sectantes victuri nominis famam supremis etiam titulis propagare nitantur. Et in calce epistolæ ita concludit: *Meo quidem judicio* (inquit) *neuter culpandus est, quorum uterque ad gloriam pari cupiditate diverso licet itinere contendit. alter dum expetit debitos titulos: alter dum mavult videri habuisse contemptui:* Hæc Plinius: Quare & nos quidem pariter de Mantua & Blanco dicere merito possumus, & curioso cuilibet iisdem rationibus satisfacere.

I.

GUIDI PANZIROLI,

REGIENSIS, J.U.C. PRÆSTANTISSIMI

DE

CLARIS LEGUM INTERPRETIBUS

LIBRI QUATUOR.

OCTAVII PANZIROLI

AUTORIS EX FRATRE NEPOTIS

OPERA AC DILIGENTIA

IN LUCEM EDITI.

ILLUSTRISSIMO, ET REVERENDISSIMO

DOMINO
D. JOANNI JACOBO PANZIROLO

AUDITORI ROM. ROTÆ DIGNISSIMO.

OCTAVIUS PANZIROLUS FÆLICITATEM.


UTiles semper, sapientum omnium judicio, illorum laborum fructus fuisse, reperio, qui laborem, atque industriam in eo collocarunt suam, ut tempora, atque ætates iamdiu ante actas, &, ut ita dicam, ex hominum memoria penitus deletas, ab oblivione vindicarent, hominesque extinctos a suis laboribus, scriptisque ad vitam revocarent, dum id assequuti sunt, ut de illis nulla unquam posteritas conticesceret, eorumque nomina, atque egregia facinora immortalitati consecrarent; Idque eo magis, quo ex illustrium virorum rebus gestis, ad omnem vitæ rationem, maximum emolumentum percipimus; Excitant enim ipsi, quamvis demortui, languentium animos, illosque etiam, ignaviæ somno sopitos, ad studium veræ, solidæque gloriæ impellunt. Hinc factum est, ut ego quoque his quasi vocibus excitatus, cum ad meas pervenissent manus dispersa nonnullorum, in Jure dicundo, Clarissimorum virorum præclara facinora, non sine multo labore a Guido Patruo meo, ante ejus obitum, collecta, non antea prodire in lucem voluerim, quam in præclarissimi nominis tui, veluti Clientelam, adoptarentur. Tibi igitur, quidquid hoc est, dono, dicoque qui eximia humanitate tua semper omnes bonarum artium studiosos complexus es, & nos etiam tui amantissimos complecteris; Ratus, hoc qualecumque munus, tibi certe debitum, duo patrocinio fultum, fotum, ut improbam obloquentium dicacitatem non pertimescat. Benigno itaque, hilarique vultu (quod etiam in minimis donis maximos viros fecisse teneo) hoc quantuluncunque est, accipe; parvum, & exiguum munusculum, fateor, sed adjectissimi animi erga te mei argumentum perspectissimum, sitque hoc idem apud te testis tuæ erga familiam nostram benevolentiæ non vulgaris, & obses tum Guidi Patrui mei, tum nostræ erga tuum nomen observantiæ sempiternæ.

GUIDI

GUIDI PANZIROLI
J. U. C. CELEBERRIMI.
DE
CLARIS LEGUM INTERPRETIBUS.
LIBER PRIMUS.

CAP. I.

Desiderium immortalis nominis: Jureconsultorum scripta æterna, eorum famam pene mortuam resuscitare vult Autor. Scriptores de vitis JCtorum. Fontes hujus operis: ratio instituti.



Ariis artibus nominis saltem vitam, quatenus licebat, post mortem producere veteres tentaverunt, atque inter alia monumentorum genera, iis, qui aliquam nominis æternitatem mereri videbantur, effigies expressere, aut statuas, aliave monumenta, ad eorum memoriam servandam, celeberrimis in locis posuere. Cum diu enim vivere nobis non detur, ea ratione mortalium nomen in orbe servari, & alioquin periturum quasi in vita diu retineri placuit. Ob id Gorgiam Leontinum auream, solidamque statuam sibi primum Delphis in templo dicasse, & Romæ, alibique fortissimis viris, atque adeo clarissimis fœminis, ad gloriam prorogandam, efficta Simulachra, erectas Columnas, Arcus, & multa hujusmodi cum speciosis titulis fabricata fuisse, legimus. Verum cum etiam saxa, marmoraque intereant, nulla re magis, quam litterarum monumentis, quæ sæpius descripta quotidie renovantur, insignium hominum fama est propagata; Et his, qui seipsos sua eruditione notos fecere, nullo Polycleto, aut Phidia, nullove scriptore indigentes, dum suas lucubrationes ad posteros transmittunt, immortales sibi statuas erexerunt. Itaque C. Plinius M. Tullium Ciceronem exiguum in Villa Academica monumentum sibi statuisse opinatur,

natur,[1] cum disertissimis scriptis aliud longe firmius, ac luculentius in toto terrarum orbe comparasset.

Inter alios autem Legum Interpretes, dum reconditos jurium sensus eruunt, atque abditas veterum Prudentum sententias explicant, magnam nominis claritatem sunt assecuti, & qui erudita commentaria, aliaque opera reliquerunt, per multa secula loquentes vixere. Sed plures doctrina nemini secundi nihil scriptis mandare curaverunt, aut quæ mandavere, ita neglexerunt, ut ad nos pervenire non potuerint. Nec pauca, etsi diligenter per aliquod tempus custodita, variis casibus periere. Inde factum est, quod Homerus, & Plato dicebant, ut secundam mortem obierint; & vel omnino ignorentur, vel si ab aliquo forte citantur, nudum eorum nomen tantum audiatur.

Cum clarissimos itaque Pontificii Civilisque juris Professores diu ignotos latuisse videam, eorum plurimos e tenebris in hominum notitiam reducere, & sepultos quasi in vitam revocare constitui, ne præclara insignium virorum ingenia amplius delitescant. Scio quidem, me vivas eorum facies non repræsentaturum, & quod idoneo penicillo, nobilibusque pigmentis caream, vultus haud satis perite expressurum, dabo tamen operam, ut nativis coloribus, pro viribus, veros referam.

Id autem facere prius quidem alii tentaverunt, inter quos fuit BALDUS UBALDUS legum Interpres celeberrimus, qui M. Varronis, Tranquilli, D. Hieronymi & aliorum exemplo, de Illustribus Doctoribus librum composuit; Sed nescio, quo casu extinctus, nusquam quod sciam, apparet. Post eum Joannes BAPTISTA A S. BLASIO Patavinus, illorum Catalogum potius quam vitas recensuit. Hunc secutus est JOANNES FICHARDUS Francofurtensis, qui aliquorum quidem vitas latius descripsit; Sed quia homo Germanus res Italorum non facile scire poterat, nec fortasse auctores, unde plura eruere licebat, ad manum habebat, nonnullos solum obliqua imagine delineavit, atque non paucos omnino prætermisit. Novissime vero M. MANTUA BONAVIDIUS vir multæ lectionis plurimos libello comprehendit; sed eorum nomina, & ingenia declarasse contentus, in moribus, aut gestis explicandis non est immoratus, & velut ex facie tantum notos facere voluisse videtur.

Ex multorum itaque juris commentariorum, & annalium lectione, doctissimorumque virorum fide, quæ cujusque possem ingenia,

[1] *Lib.* 31. c. 2.

mores,

mores, & vitæ instituta enarrare constitui, ac velut undique conquisitis coloribus singulas partes recta pictura omni conatu exprimere. Opus sane difficile, ac desperatum, quod innumeri mihi auctores evolvendi fuere, ut quorum vix nomina retinemus, aliquas actiones eruerem. Neque tamen longo, diligentique studio efficere potui, ut omnium notitiam haberem, plurium enim nulla extat memoria, & aliorum ne integra quidem nomina leguntur. Geographos itaque imitabor, qui notas regiones exactius demonstrant, remota vero, & ignota loca describentes, solos fere montes, & sylvas delineant. Sic ego ipse quoque *juniores*, quos plenius nosse licuit, *integriores ostendam;* priscos autem, quorum vix aliqua notitia ad nos pervenit, adumbrasse sufficiet; & alios obscuriores sat erit nominasse.

Non omnium autem juris Interpretum, sed illustrium tantum vitæ instituta exponere decrevi, eorumque patriam, genus, opera, ingenium, tempora, & loca, in quibus professi sunt, aut defuncti, modo hæc constare potuerint, explicare sum conatus, additis etiam, quæ extant, vel scire licuit, epitaphiis. Multis alia vitæ acta adjeci, quæ aliquem lectori vel utilitatem, vel oblectationem allatura esse putavi. Ne tædio tamen legentes afficerem, aut longa narratione inutiliter remorarer, singula mihi breviter præstringenda esse duxi. Ac ne quid ex me comminisci alicui viderer, & sine certo auctore loqui, unde quidque sumpserim, in margine annotavi. Quæ autem nulla aliorum fide subnixa apparebunt, ea vel a manuscriptis annalibus, vel a viris spectatæ probitatis accepi.

Cæterum, cum jus Pontificium in non paucis a Cæsareo differat, utriusque Professores separandos esse censui, præsertim cum distincta lectio dilucidior sit futura. Cum vero jus Civile vetustius sit Pontificio (quanquam minus dignum) ejus Professores veluti priores præponendos esse duxi. Qua ratione, in ipsis collocandis, ne ætatum ordinem confunderem, itidem observavi, ut, prout quisque est antiquior, junioribus semper præponatur.

Nolim autem mihi succenseat aliquis, quod aliquos paucos minus nobiles recitaverim, in hoc enim M. Tullium Ciceronem sum imitatus, qui de optimo orandi genere dicturus, singulos quosque Oratores, qui ante eum dixerant, aut scripserant, & Græcos, & Latinos, ordine recensuit, & cum iis obscuros aliquot immiscuisset, quos etiam in aliquo laudavit, Atticum dicentem inducit, Tu nunc quidem de fæce hauris, At ille, se omnes conquirere, qui in multitu-

 dine

dine dicere ausi sunt, ne quid omitteret, quod usui alicui esse posset. Sic ipse, ne quos prætermitterem, qui publice usui esse potuerunt, plurimos, qui in Academiis dicere ausi sunt, non omnino tamen ineptos, recensere volui. Fateor tamen me non paucos omisisse etiam ingenio claros, quod de ipsis scriptum, aut dictum nihil inueni.

CAP. II.

Origo Jurisperitorum veterum. Sapientes appellantur: initium juris civilis, quod ex responsis JCtorum ortum est. Modus respondendi usitatus. JCti fiunt Pontifices. Quinam Assessores, Quæstores, Candidati, Præfecti prætorio, Magistri scriniorum, Scriniarii, Antiquarii Memoriales, dicti. De scriniis Principum. De Magistro Libellorum, Libellensibus. Principum quidam ad privatorum libellos rescribere nolunt. Principes in consilio Jureconsultos habebant. De reliquis Jureconsultorum officiis. De Judicibus Pedaneis.

DE Jurisperitis, ac eorum auctoritate dicturus a veteribus exordiar, deinde ad nostri temporis Doctores descendam, quos eorum loco successisse, non est ambigendum. Illi hanc originem habuerunt, cum ex lege XII. Tabularum, aliisque Juribus omnia negotia definiri non possent, litigantesque varie illorum sensum in suas quisque partes traheret, *desiderata est Prudentum interpretatio*, inquit *Pomponius*, [1] quorum auctoritate disputatio fori sopiretur. Qui ergo eam scientiam habebant, domi conveniebantur, ut eorum responsis dubiæ quæstiones deciderentur, [2] a quibus nemo recedere audebat. Tantamque apud omnes prudentiæ, atque integritatis opinionem excitarunt, ut SEMPRONIUS a populo græce σοφὸς id est *Sapiens* vocaretur, quo nomine nullus ante eum, nec post, est cognominatus. [3] Sed latine *Sapientes* multi sunt appellati, quorum primus P. ATTILIUS ita est dictus; Ita etiam hodie plura jura municipalia Doctores nominant, quæ consilio Sapientum causas definiri præcipiunt. Alii ex Jurisconsultis *Optimi* sunt dicti, ut P. SCIPIO NASICA, [4] qui ita a Senatu vocatus est, cui etiam publice domus in Sacra via est data, ut facilius consuli posset. [5]

Hæc responsa, quia a populo observabantur, ex consuetudine vim Legis obtinuerunt, JUSQUE CIVILE est appellatum. Pomponius [6] *Hoc jus*, inquit, *quod sine scripto venit compositum a Prudenti-*

[1] *In l. 2. §. his legibus latis. ff. de orig. jur.* [2] *D. l. 2. §. cit.* [3] *D. l. 2. §. fuit post eos.* [4] *D. L. 2. §. fuit post eos.* [5] *D. l. 2. §. fuit post eos.* [6] *In l. 2. §. his legibus. ff. de orig. jur.*

bus

bus propria parte aliqua non appellatur, ſed communi nomine Jus civile, & infra, [1] *Ita in Civitate noſtra aut jure, id eſt lege conſtituitur, aut eſt proprium Jus civile, quod ſine ſcripto in ſola prudentum interpretatione conſiſlit*, & hoc eſt jus, quod moribus, ſine ſcripto, & uſu populi Romani receptum eſſe dicitur, [2] Ut pupillaris ſubſtitutio, [3] Donationis inter virum & uxorem prohibitio, [4] Ut dies a media nocte incipiat, [5] Magiſtratus ſoli iuris dicendi facultatem delegent, [6] Ne pupilli ſine tutore obligentur, [7] & alia hujusmodi, quæ moribus Rom. Civitatis introducta eſſe dicuntur, ex his Juriſconſultorum interpretationibus, vel reſponſis ore prolatis. Sed nulla de hac lege ſcripta emanaſſe, Pomponius ſcribit. [8] Id poſtea in ſcripta redactum Jus civile eſt appellatum. [9] Mediam juris Prudentiam Juſtinianus vocat, [10] quia medium inter Legem XII. Tabularum, & Imperatores locum tenet, quandoque vetuſtatem, aut antiquam ſubtilitatem appellat. [11]

Tantam denique auctoritatem id Jus obtinuit, ut interdum Legi XII. Tabularum derogaverit, velut illi capiti, quo ad defuncti ſucceſſionem, tam maſculi, quam fœminæ, in quocunque gradu cum mortuo reperirentur, vocabantur, Juriſconſulti, ſolis ſororibus ad fratrum ſucceſſionem admiſſis, cœteras ulteriore gradu fœminas repulerunt. [12] Aliis item verbis filios, aliis filias, & nepotes exhæredari induxerunt, [13] quod poſtea Juſtinianus emendavit. [14] Eorumdem auctoritate traducti ſunt Codicilli antea incogniti, [15] Aquilianæ ſtipulationes, [16] doli actio, [17] & alia hujusmodi plura. Itaque non tantum in privatis, ſed etiam publicis negotiis pluribus cavebant. Domi vero plerunque ſicut & hodie eſt in uſu, conſuli conſueverant, in foro etiam ſæpe ambulabant, ut inter eundum de jure reſponderent, quemadmodum auctor eſt Cicero, qui ſub Craſſi perſona ita loquitur. [18] *Meminerant illi Sextum Ælium, Marcum vero Manlium nos et-*

[1] *In §. noviſſime. eod.* [2] *L. 2. §. his legib. & §. noviſſime. ff. de orig. jur.* [3] *L. 2. ff. de vulg & pup. ſubſtit.* [4] *L. 1. ff. de donat. inter vir. & uxor.* [5] *L. 8. ff. de feriis.* [6] *L. 5. ff. de Juriſd. omn. Judic.* [7] *L. 8. ff. de acq. hær.* [8] *D. §. his legib. & d. §. noviſſime.* [9] *D. l. 2. §. 5. His legibus latis, cœpit, ut naturaliter evenire ſolet, ut interpretatio deſideraret prudentium autoritate neceſſariam eſſe diſputationem fori.* [10] *§. 3. verb. media, I. de legit. agnat. ſucceſ.* [11] *§. 5. I. de exhæred. lib. l. ult. C. de lib. præt. in princ. §. ult. I. de hæred. quæ ab inteſt. l. 19. C. de jur. delib. l. 28. C. de teſtam. & alibi.* [12] *D. §. 3. verb. media.* [13] *§. 1. I. de exhær. lib. l. ult. C. de lib. præt.* [14] *In l. lege XII. tab. C. de legit. hær.* [15] *§. 1. I. de Codicill.* [16] *§. 2. I. quib. mod. toll. oblig.* [17] *Cic. l. 3. de offic. Inter eundum Antiqui de jure reſpondebant.* [18] *Lib. 3. de Orat.*

iam vidimus, transverso foro ambulantem; quod erat insigne, eum, qui id faceret, facere civibus omnibus consilii sui copiam; Ad quos olim & ita ambulantes, & in solio sedentes domi ita adibatur, ut non solum de Jure civili ad eos, sed etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique negotio, aut officio referretur. Hæc fuit P. Crassi illius veteris, hæc T. Coruncani, hæc Scipionis prudentissimi hominis sapientia, ut ad eosdem de omnibus divinis, atque humanis rebus referretur. Iis denique & in Senatu, & apud populum, & in caussis amicorum consilium suum præstarent. Hæc ille.

Quibus verbis non antiquus modo mos Jurisperitos consulendi, sed summa etiam in omnibus negotiis eorum auctoritas ostenditur. Horum placita, *responsa Prudentum* nuncupabantur, sub quibus non tantum, quæ consulentibus respondebant, sed & quæcunque interpretationes continebantur, ut *Pomponius* sentire videtur, qui has Prudentum interpretationes fori disputationem appellat, easque Jus civile vocari affirmat. [1] Unde aliqui *Disputationum libros* composuerunt, ut ULPIANUS, qui de his libros XII. CLAUDIANUS TRIPHONINUS XX. ediderunt, quibus fori negocia includebantur. Id apud Pontifices custodiebatur, apud quos etiam *actiones* erant. Itaque eos Jurisperitos esse oportebat, ex quibus unus singulis annis eligebatur, qui eas litigantibus ederet. [2] Quare *Q. Mutius Scævola* dicere consueuerat, [3] neminem bonum fore Pontificem, qui idem quoque optimus non esset Jurisconsultus. Hi quatuor ab initio auctore *Numa Pompilio*, ex Patribus tantum sunt creati, quibus Pontifex Maximus vocatus præerat. [4] Cum vero Tribunitiis rogationibus ad honores admitti plebs cœpisset, ad Sacerdotia quoque aditum habuit. Quare M. Valerio, & Q. Apuleio Coss. quatuor alii ex plebe Pontifices sunt creati, ut Livius, [5] & alii tradunt.

Sed ut ad responsa revertamur, hæc primo Jurisconsulti, *ait Pomponius*, [6] non signata reddebant, sed plerunque suam ipsi judicibus opinionem scribebant, aut quæ ore protulissent, consultores, vocatis testibus, excipiebant, aut notari faciebant, ut de responso judici fides posset fieri. Et hæc usque ad Augustum observata fuere. Ipse vero, ut ex sua auctoritate omne jus penderet, statuit, nequis, cui hoc non concessisset, de jure posset respondere. [7] Unde postmodum id

[1] *D. §. his legib. & d. §. noviss.* [2] *d. §. his legib. latis.* [3] *Cicero lib. 3. de legib.* [4] *Plutar. in Numa.* [5] *Lib. 10. Decad. 1.* [6] *In d. l. 2. §. 47. verb. & ut obiter. ff. de orig. jur.* [7] *D. l. 2. §. 47. verb. & ut obiter.*

pro

pro beneficio a Principe peti cœpit, cum ante qui ſcientiæ ſuæ fiduciam habebant, ipſi de jure reſponderent. Itaque Tiberius Maſſurio Sabino, & ſequentes Principes aliis facultatem reſpondendi de jure tribuerunt. [1] Hinc emanavit, ut nec hodie ullus juris Doctor eſſe poſſit, qui a Principe, aut eo, cui Princeps hoc munus delegaverit, creatus non fuerit. Obtenta igitur a Principibus facultate de jure reſpondendi, a ſe edita reſponſa Iuriſconſulti *ſignata* edere cœperunt, quod & in noſtrorum Doctorum reſponſis obſervatur; Sed ne quæ plura emiſiſſent reſponſa, interirent, in unum collecta volumina redegerunt, quorum non pauca in Pandectis hodie leguntur. PAPINIANUS enim XIX. Reſponſorum libros conſcripſit, totidem MODESTINUS, NERATIUS PRISCUS III. SERBIDIUS SCÆVOLA VI. JULIUS PAULUS XXIII. ULPIANUS II. & alii alios, qui in Juriſconſultorum Catalogo numerantur.

Erant & qui per *epiſtolas* de jure reſpondebant, ut JABOLENUS, qui Epiſtolarum libros XIV. PROCULUS VIII. POMPONIUS XX. reliquit, quarum plures in Pandectis viſuntur, ut PAULI ad *Neſſennium Apollinarem*, [2] CELSI ad *Domitium Labeonem*, [3] & aliorum, [4] quæ ut fidem facerent, ſignare tenebantur. [5] Non diu tamen hic uſus permanſit, nam ſub poſterioribus Principibus jus de jure reſpondendi in uſu eſſe deſiit. Ipſi enim Juriſperitos apud ſe habuerunt, quorum conſilio non modo jura ſunt interpretati, ſed etiam nova condiderunt, eoſque ASSESSORES habuerunt, ac demum QUÆSTORES vocaverunt. Hi primo Quæſtores CANDIDATI dicti, [6] poſtea *Palatii* ſunt nuncupati. [7] Auguſtus enim primus eos acta Senatus cuſtodire juſſit, quæ prius Tribunis plebis, & Ædilibus committebantur. [8] Poſtmodum epiſtolas, & decreta Principis in Curia recitarunt, [9] quos Alexander Imperator poſt aliquod tempus Prætores, & Præſides creare conſueverat. Lampridius *Quæſtores Candidatos, inquit,* [10] *ex ſua pecunia juſſit munera populo dare, ſed ut poſt Quæſturam Præturas acciperent, & inde provincias regerent.* Demum tantum eorum crevit auctoritas, ut omnia ipſorum nutu Princeps ageret, & illius cogitationum, & curarum participes fierent, & ejus linguæ vox dicerentur. [11] Itaque ſemper Juriſperiti aſſumebantur, qui jura pru-

[1] *D l. 2. §. ult.* [2] *L. 34 ff. de negot. geſt. l. 41 ff. de re judica. l. 32. ff. de excuſ tutor. l. 22 ff. ad l. falcid.* [3] *L. 27 ff. de teſtam.* [4] *l. 26. & 27. ff. ad leg. falcid.* [5] *L. 2. §. 47. verb. & ut obiter. ff. de orig. jur.* [6] *l. 1. ff de off. quæſt.* [7] *§ 3. in proem. Inſtit.* [8] *Dion lib. 54 ſub finem.* [9] *d. l. 1. ff. de off. quæſt.* [10] *In Alexandr. Severo.* [11] *Caſſiodorus de formula Quæſtor. lib. 6.*

denter dictare, & publicis negotiis pares esse possent. Procopius [1] *Tribunianus, inquit, Pamphilius Imperatoris erat paredrus, id est, Assessor, quem Magistratum Romani Quæstorem, Latini Jurisconsultum vocant.* Hæc ille, qui alios viros Quæstorios ad idem munus electos juris prudentissimos fuisse significat.

PRÆFECTI etiam PRÆTORIO plurimum Juris prudentes creabantur, cum causas Præsidum, & Spectabilium appellatione suspensas deciderent. [2] Hi primo Prætorianis militibus præfecti non adeo magnam auctoritatem habuerunt, [3] postea tantum excreverunt, ut omnia Imperii negotia tam civilia, quam militaria ad se traxerint, Provinciarum Præsides in officio delinquentes removebant, aut ad Principem puniendos mittebant, [4] edicta in provinciis sibi commissis promulgabant, quæ perpetuo observabantur, donec a Principe revocata fuissent. [5] Nec ab eorum sententia poterat provocari, [6] quare, ut prudentius judicarent, plerunque creabantur Præfecti, qui legum peritiam haberent, ut PAPINIANUS Severi, Antoninique Caracallæ Præfectus Prætorio; [7] eundem locum tenuit, & OPILIUS MACRINUS, qui post eum imperauit, & Fisci advocati officio functus fuerat. DOMITIUS ULPIANUS, [8] & JULIUS PAULUS [9] Alexandri Imperatoris Prætorianam præfecturam administrarunt, & alii Jurium scientia insignes hoc officio functi sunt. Quatuor præterea *Scriniis* Jurisperiti præfici consueverant, Scriniorum magistri dicti, scilicet Memoriæ, Libellorum, Epistolarum, & Dispositionum. Lampridius *Negotia, inquit,* [10] *& causas primus a scriniorum Principibus, & doctissimis Jurisperitis, & sibi fidelibus, quorum primus tunc Ulpianus fuit, tractari, ordinarique atque ita referri ad se præcepit.* Hæc ille. In memoriæ scrinio erat *Laterculum minus*, in quo minores dignitates continebantur, id est, eorum, qui limites imperii Romani tuebantur, ut Præfectura, Tribunatus, Castrorum præpositura, quemadmodum Theodosius significat, [11] huic enim Scrinio præfectus Magister in Laterculo minore descriptos habebat Milites, Legiones, Cohortes, alas Equitum, qui in Limitibus Imperii excubabant, eorumque Præfectos,

[1] *Lib. 1. De bello Persico.* [2] *L. 32. C. de appell. Novel. 23. cap. 4.* [3] *Tacit. l. 14. Anal.* [4] *L. 3. cum seq. C. de off. præf. præt. orien. l. 1. C. Theod. de offic. rector. prov.* [5] *L. 2. C. de offic. præf. præt. Orient. & Illyr.* [6] *L. 1. C. de sent. præf. præt. l. 17. ff de minor.* [7] *L. 40. ff. de reb. cred. Spartian. in Antonino, & Dion. & in eod.* [8] *Dion. in Alex. in princ.* [9] *Spartianus in Pescennio Nigro.* [10] *In Alex. Sever.* [11] *In l. 1. C. de Offic. Quæst.*

&

& Tribunos, notabatque qui crearentur, deficerent, subſtituerentur, & eorum numerum ſcribebat. Idem annotationes omnes a Principe faciendas dictabat, & emittebat, inquit *Notitia dignitatum utriusque Imperii*, id eſt. ſubſcriptiones, & ex ejus ore prodeuntia reſponſa. [1] Precibus etiam, ſeu Libellis ſupplicibus Principi porrectis pro illo quandoque reſpondebat, ſeu reſcripta excipiebat, & emittebat, quod *ex Zenonis reſcripto* deprehenditur, [2] qui Memoriales reſcripta Principis ſine illa clauſula, ſi preces veritate nituntur, ſcribentes cingulo, & dignitate privat; Unde hunc Magiſtrum jurisperitum eſſe oportebat. Sub nomine *annotationum* veniunt quæcunque a Principe ſtatuebantur, ſive illæ leges eſſent, ſiue reſcripta, vel quodcunque aliud reſponſum. Ea a Magiſtro ſcribebantur, & in Memoriæ ſcrinio conſervabantur, de quibus late in commentariis ad præfatam Notitiam diſſerui.

Cum tot rebus ſcribendis pluribus opus eſſet, LXII. SCRINIARII Memoriæ ſcrinium tractabant, [3] quorum quatuor primates ANTIQUARII dicti veterum librorum, qui carie conſumpti erant, deſcribendorum curam habebant, ut probat Valentiniani reſcriptum in *Codice Theodoſiano* ad Clearchum P. V. [4] *Antiquarios, inquit, ad bibliothecæ codices componendos, vel pro vetuſtate reparandos, quatuor græcos, & tres latinos ſcribendi peritos legi jubemus.* In eodem ſenſu Antiquarios accepit D. Gregorius. [5] Hos Græci ARCHEOTAS appellant. [6] Omnes generaliter MEMORIALES a minore laterculo, quod tractabant, ſunt nuncupati. [7]

Erat & *laterculum majus*, in quo omnes majores Imperii dignitates conſervabantur. [8] & cujusque provinciæ Præſides, & Palatii magiſtratus in eo notabantur. Item qui novum inibant magiſtratum, & qui deceſſiſſent, eorumque loco ſuffectos ſcribebant, illique PRIMICERIUS NOTARIORUM præerat, ut latius in commentariis ad præfatam Notitiam eſt explicatum.

Aliud erat *ſcrinium Libellorum*, cujus proprius præfectus erat MAGISTER, qui Libellos ſupplices Principi legendos accipiebat, & quid fieri placuiſſet, notabat. Præclarum hujus rei exemplum eſt apud Lampridium. *Poſt meridianis, inquit,* [9] *horis ſubſcriptioni, & lectioni*

1 *L. ult. C. de petit. bonor. ſubl. l. ult. C. de diverſ. reſcript.* 2 *D. l. ult. C. de diverſ. reſcript.* 3 *L. 10. C. de proxim. ſacror. ſcrinior.* 4 *In l. 2. C. Theod. de ſtudiis liberal. Urb. Rom.* 5 *Dialog. lib. 1. c. 4.* 6 *In l. ult. §. 10. ff. de muner. & bonor.* 7 *In l. ult. C. de inoff. teſt. l. ult. C. de diver. reſcr. l. 2. C. de privil. eor. qui in ſacr. pal. milit.*
8 *L. 1. §. 7. l. 2. §. ult. C. de offic. præf. præt. Afr. Auth. ut judic. ſine quoquo ſuffragio fiant. ſeu Nov. 8. cap. 1. Nov. 25. c. 1. Auth. de mandat. Princip. ſeu Nov. 17.* 9 *In Alex. Sever.*

epistolarum semper dedit operam, ita ut ab epistolis, & Libellis, & a memoria semper assisterent; nonnunquam etiam si stare per valetudinem non possent, sederent, relegentibus cuncta librariis, & his, qui Scrinium gerebant, ita ut Alexander sua manu adderet, si quid esset addendum, sed ex ejus sententia quæ disertior habebatur. Hactenus Lampridius. Hos *Antigrapharios* Justinianus appellat, [1] quasi Libellis rescribentes. Si vero disceptationis negotium fuisset, in consilio, quid respondendum esset, disputabatur, & hæc Cognitio vocabatur, quam idcirco ad Libellos Justinianus refert, [2] quod illis sit annexa, & Cognitores sunt appellati, qui postulationum, seu ambiguas Libellorum causas perpendebant, aut delegatas cognoscebant, [3] & ideo hic Libellorum, Cognitionumque magister vocatur. [4]

Cum ergo in hoc præcipue Magistri Libellorum partes versarentur, eum Jurisperitum esse oportebat. Unde Papinianus magister Libellorum, Severo imperante, plura negotia diremit. Triphoninus [5] *rescriptum est, ait, ab Imperatore, libellos agente Papiniano, creditorem a debitore pignus emere posse, quia in dominio manet debitoris:* nec aliam ob causam Triphoninus tum Papinianum Libellos egisse scribit, nisi quia ejus auctoritate ita responsum fuit. Is propter eminentem scientiam mox Præfectus Prætorio est declaratus, e magistris enim Libellorum ad hunc gradum solebant assumi, ut Paulo, & Ulpiano evenit, qui ex magistris ad hunc honorem ascenderunt. Spartianus. *Jussit, inquit* [6] *Assessores, in quibus provinciis assedissent, in iis administrarent, quod postea Severus, & deinceps multi tenuerunt, ut probant Pauli, & Ulpiani Præfecturæ, qui Papiniano in consilio fuerunt, ac postea cum unus ad Memoriam, alter ad Libellos paruisset, statim Præfecti facti sunt.* Significat Spartianus, ipsos Papiniano præfecto assedisse, mox Magistros, deinde Præfectos creatos, quod sub Alexandro evenit. Aurelius quoque Arcadius Charisius magister Libellorum fuit, ut ipse se appellat. [7] Id autem sub Caro, Carino, & Numeriano esse potuit, quorum ad Arcadium extat rescriptum anno salutis CCLXXXIII. [8] aut Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, quorum ad illum plura extant rescripta, eorum unum est scriptum anno CCLXXXXIV. [9] ubi pro Aurelio Charisio mendose legitur Aurelio Chresimo. Aliud eorundem

[1] *In l. 2. §. 9. C. de veter. jur. enucle.* [2] *L. ult. C. de proxim. sacr. scrinior.* [3] *L. ult. C. ubi Senator. vel Clarif.* [4] *In d. l. 2. §. 9. C. de vet. jur. enucle.* [5] *In l. 12. in princ. ff. de distr. pignor.* [6] *In Pescennio Nigro.* [7] *In l. 1. ff. de offic. præf. præt.* [8] *L. 4. C. de calumn.* [9] *In l. 27. C. de pact.*

dem Principum ſcriptum ad Chariſſimium Præſidem Syriæ anno ſalutis CCLXXXX. opinor eſſe eundem, & pro Chariſſimio legendum Chariſio.

Triginta quatuor viri in ſcrinio Libellorum ſub hoc magiſtro militabant a Libellis, ſeu LIBELLENSES vocati [1] judicemque magiſtrum Officiorum, quemadmodum & alii Scriniarii, habebant. [2] Hic eſt obſervandum usque ad Conſtantinum Magnum omnes Principes ad cujuscunque privati, modo ſervus non eſſet, [3] præces indifferenter reſcripſiſſe, prout totus Juſtiniani Codex indicat. Primus Conſtantinus privatorum Libellis reſpondere, occulta cauſa, noluit, aut dignatus non eſt, tantum enim ad Magiſtratus, [4] Senatum, [5] aut quandoque ad populos ſcribit, quod & alii, poſt eum, Imperatores ſunt ſecuti. [6] Certum tamen eſt, ipſum, & alios ſupplicum preces ſuſcepiſſe, & Magiſtros ſcriniorum habuiſſe, qui ſingulorum Libellis ex mente Principis reſcribebant, ſed illis data reſponſa non apparet, quæ enim poſt Conſtantinum pro lege promulgata apparent generaliter emiſſa, nullius ſingularis perſonæ negotium recipere videntur. Aliud tamen benignius Honorius, & Theodoſius minor ſtatuerunt, ſe etiam ſervorum Libellos ſupplices admiſſuros quod, ut dixi, antea non licebat. Unde ſemper Libellorum uſus, ut neceſſarius, permanſit.

Tertium fuit *Scrinium Epiſtolarum*, cui ſuus magiſter, & ipſe legum peritus, præfuit, qui Epiſtolas Civitatibus, aut Regibus a Principe mittendas dictabat; Legationes enim Civitatum, inquit præfata Notitia, conſultationes, & preces tractat; Legationibus enim earum intereſt, auditurus, quid poſtulent; & cum per Epiſtolam eſt reſpondendum, ſcribendi onus ad ipſum pertinet. Privatarum vero perſonarum preces ad magiſtrum Libellorum pertinent; conſultationes ſunt cauſæ appellationum, quæ in Principis conſiſtorio ventilantur. [7] Item ſi Præſes, vel Præfectus conſulebat Principem de aliquo difficili, vel ambiguo negotio, de quo inter proceres Palatii diſceptabatur, hæc quoque erat conſultatio, quia Princeps conſulitur. [8] Item ſi juris difficultatem civitatum legatio, aut preces patiantur, his cognitionibus hic magiſter intereſt, & diſputando eas tractat, & quæ placuerunt, per Epiſtolam explicat. Triginta qutuor huic Magiſtro parebant, quot etiam erant in

[1] *D. l. 32. §. 4. verb. noſtri C. de appellat. l. ult. C. ubi ſenat.* [2] *L. 2. C. de proxim. ſacror. ſcrinior.* [3] *L. 1. C. de precib. Imp. offer.* [4] *L. 2. C. de precib. Imp. offer.* [5] *L. 1. C. de Senatuſconſ.* [6] *L. 3. C. de precib. Imp. offer. l. 4. C. de diver. reſcr.* [7] *Novell. 124. cap. 1. ſeu Auth. Principales C. de jurej. propt. Calum. l. 6. §. 3. ff. de offic. proconſ.* [8] *L. 19. §. 1. ff. de annu. legat. l. 32. C. de appellation. & conſultat.*

Scrinio Libellorum, ab Epiſtolis, vel Epiſtolares vocati [1] qui Epiſtolas, vel decreta græca, vel latina lingua annotata ſcribebant, & in Scriniis conſervabant, de quibus late in memorato commentario ad Notitiam diſſerui.

Alios etiam Juriſperitos, præter ſupra dictos Magiſtratus, in conſilio Principes habebant, ex quorum ſententia Leges ſanciebant, & publica negotia adminiſtrabant. Lampridius [2] *Leges, inquit, de jure populi, & fiſci moderatas, & infinitas ſanxit, neque ullam conſtitutionem ſacravit ſine viginti Juriſperitis, & doctisſimis, ac ſapientibus viris, iis denique diſertisſimis non minus quinquaginta, ut non minus in conſilio eſſent ſententiæ, quam Senatusconſultum conficeret, & id quidem ita. ut iretur per ſententias ſingulorum, ac ſcriberetur, quid quisque dixiſſet. dato tamen ſpatio ad diſquirendum, cogitandumque prius, quam dicerent, ne incogitati dicere cogerentur de rebus ingentibus Fuit præterea illi conſuetudo, ut ſi de jure, aut de negotiis tractaret, ſolos doctos, & diſertos adhiberet.* Hæc Lampridius, qui in fine vitæ Alexandri XVII. inſignes recenſet Juriſperitos, qui in ejus conſilio fuerunt, & eorum etiam ſcripta in Pandectis leguntur. Hadrianus, & ipſe Juriſperitos in conſilio habuit; *Cum judicaret,* ait Spartianus, [3] *in conſilio habuit non amicos ſuos, aut Comites ſolum, ſed Jurisconſultos, & præcipue Julium Celſum, Salvium Julianum, Neratium Priſcum, aliosque quos tamen ſenatus omnes probaſſet.* Hæc ille. Hadrianus per Salvium Julianum edictum perpetuum in unum volumen collectum, Senatus auctoritate, vim legis habere voluit. [4] Idem egiſſe Antoninum Pium, Capitolinus ſcribit. *Multa, inquit,* [5] *de jure ſanxit, uſusque eſt Juriſperitis Vindio Vero, Salvio Valente, Voluſio Metiano, Ulpio Marcello, & Jabuleno.* L. Voluſium Metianum jura ſibi explicantem M. Antoninus Philoſophus audivit, ut idem Capitolinus tradit. *Sed & ipſe, ait,* [6] *habuit ſecum Præfectos, quorum & auctoritate, & periculo ſemper jura dictavit. Uſus autem eſt Scævola præcipue Juriſperito.* Hæc Capitolinus. Id & alii Principes fecerunt. Hi erant Jurisconſulti, qui Principibus in cauſis publicis conſulebant.

Reliqui legum periti aut *judicabant*, aut *patrocinabantur*, aut *docebant.* Salvius enim Julianus Prætor, & Conſul liberales cauſas, & alias terminavit. [7] Sed & alii plures a Pomponio iisdem Magiſtratibus functi eſſe referuntur. [8] Sub Antonino Pio Ælius Martianus Bæticæ

[1] *L. 32. C. de appellation.* [2] *In Alexandro Severo.* [3] *In Ælio Adriano.* [4] *L. pen. C. de Condict. indeb. & L. 2. §. 18. C. de veter. jur. enucl.* [5] *In Antonino Pio.* [6] *In M. Antonino Philoſopho.* [7] *L. 5. ff. de manu vind.* [8] *In l. 2. §. 38. & ſeqq. ff. de orig. jur.*

Proconſul

Proconſul jus dixit. [1] Sub Severo, & Antonino Papirius Valens, [2] Claudius Tryphoninus Syriæ & aliis provinciis præfuere, [3] & Papirius Iuſtus, [4] ac Ruffinus, Liciniusque ſub eodem Antonino, [5] Alexandro, [6] & Gordiano, [7] Præſidum officio ſunt functi: ut & Venuleius Saturninus, [8] Caſſius Sabinus, [9] quoſdam & ipſi populos rexere.

Alexandro imperante, Herennius Modeſtinus Dalmatiæ Præſes fuit. [10] Taruntenus Paternus, [11] Æmilius Macer, [12] & Proculus [13] alias provincias adminiſtrarunt, & aliqui ſub Gordiano Magiſtratus continuarunt, ſub quo & Marcellus jus dixiſſe invenitur. [14] Idem ſub Caro, Carino, & Numeriano Aurelius Arcadius Cariſius egit, [15] qui etiam, imperantibus Diocletiano, & Maximiano, Syriam rexit, [16] & alii in diverſis locis jus dixerunt, quorum memoria periit, aut facile inveniri nequeunt.

Nonnulli Præfectis, aut Præſidibus aſſidentes juri reddendo operam dederunt, ut Jabolenus, quem ſuum præceptorem Africæ Proconſuli, & Syriæ Præſidi aſſediſſe, Salvius Julianus narrat; [17] Julium Paulum, & Domitium Ulpianum, Papiniano præfecto prætorio Severi aſſediſſe, Spartianus refert; [18] & ipſe Ulpianus ſe Prætoris in cauſa Campanorum judicantis aſſeſſorem fuiſſe ſcribit. [19] Aſſeſſoris autem officio proprie juris ſtudioſi funguntur, *inquit*, Paulus, [20] quod in Cognitionibus, Poſtulationibus, Libellis, Edictis, Decretis, & Epiſtolis conſtat; ii & conſiliarii appellantur. [21] In quocunque enim negotio præſto erant judicibus, ne quid contra jura committerent, [22] quomodo in cauſis eſſet judicandum, aut edicendum, vel interponendum, alienante minore, decretum, ſive libello ſupplici, vel conſultantibus reſpondendum, ipſi demonſtrabant.

Idem munus erat Legatorum erga Proconſulem, qui nullam nec ipſi niſi ſibi delegatam jurisdictionem habebant. [23] Illis ſalarium a Rectoribus provinciarum præſtitum fuiſſe, aperte Papinianus affirmat. [24]

[1] *L. 2. ff. de his, qui ſui, vel alien. ſunt jur.* [2] *L. 3. C. de edend.* [3] *L. 1. C. de Judæis l. 75. §. pen. ff. de Jur. doti. l. 4. & 5. C. de neg. geſt.* [4] *L. 6. C. ex quib. cauſ. infam. irrog.* [5] *l. 3. C. de fideicom.* [6] *L. 1. C. etiam per procur.* [7] *l. 8. C. de transact.*
[8] *L. 1. C. de excuſat. veteranor. l. 1. C. quibus non objic. long. temp. præſcr.* [9] *L. 1. §. pen. ff. de calumn.* [10] *L. 52. §. 20. ff. de furt. l. 11. C. ex quibus cauſ. Infam. irrog. l. ult. C. ſi ex falſ. inſtr.* [11] *L. 2. C. de magiſtrat. conven.* [12] *l. 3. C. de Calum.* [13] *L. 9. C. de adult. l. 7. C. de accuſat.* [14] *L. 5. C. de Judic.* [15] *L. 4. C. de calumn.* [16] *L. 9. C. de quæſtion. l. 27. C. de pact.* [17] *In l. 5. ff. de manu vind.* [18] *In Peſcenn. Nigro.*
[19] *In l. 9. §. 3. ff. quod met. cauſ.* [20] *In l. 1. ff. de off. Aſſeſſor.* [21] *L. 13. C. de Adſeſſor.* [22] *Nov. 82. c. 9.* [23] *L. 6. in princ. & l. 13. ff. de offic. proconſ.* [24] *In l. 4. ff. de offic. Aſſeſſor.*

Salarium, inquit, a legatis Cæsaris Præsidibus præstitutum illis defunctis, pro residuo temporis Assessoribus debetur. Idem & Diocletianus comprobat, [1] qui in administrationibus positos præcipit spe præmiorum provocare consiliarios, non minis eos vocare; ex publico tamen aliquam etiam pensionem accipiebant, cum idem Papinianus scribat, [2] civem posse Curatori ejusdem Reipublicæ assidere, quia hic publico salario non fruitur, nam alii etiam in sua provincia assidere prohibebantur, quia ex publico salarium percipiebant. [3] Præterea auctor est Spartianus, [4] Pescennium Nigrum addidisse salaria consiliariis, ne eos gravarent, quibus assidebant, cum diceret, Judicem nec dare debere, nec accipere. In pluribus etiam Justiniani Novellis apparet, eum Assessoribus, etsi tenue, plurimum tamen aureorum 72. id est libræ auri honorarium constituisse. [5]

Judicabant, & PEDANEI JUDICES jurisperiti. [6] Hi erant, quibus Præfecti, aut Præsides causas cognoscendas delegabant. Diocletianus *Placet, inquit,* [7] *nobis, Præsides de his causis, in quibus, quod ipsi non possent cognoscere, ante hac Pedaneos judices dabant, notionis suæ examen, adhibere.* Et ex dicta Novella 82. Justiniani id clare deprehenditur. Pedaneos vero dictos putant, quia de plano humiliores causas definiunt. [8] Julianus [9] *Pedaneos, inquit, judices (hoc est, qui humiliora negotia disceptant,) constituendi damus Præsidibus potestatem.* Sed hoc cum Pedanei nomine nihil habet commune. Pedaneos itaque malo appellari, quia non curru, ut majores judices, vehuntur, sed pedibus incedunt. Quadam constitutione, quæ non extat, certos Constantinopoli Pedaneos judices statuerat Zeno, quibus auri libras LX. quotannis honorarii nomine præstituerat, quemadmodum recitat Justinianus; [10] Eam constitutionem intermissam idem Justinianus renovavit, XII. sibi Juris prudentes Pedaneos judices constituens, quos civiles causas sibi demandandas audire voluit, nec aliis, quam ipsis a Præfectis, aut aliis Magistratibus causas posse delegari; iisdemque binas auri libras annuas ex publico constituit, quatuorque aureos a litigantibus in causis centum aureos excedentibus accipere jussit; [11] in provinciis vero Præsides in quaque civitate aliquot Jurisperitos causas definituros eligebant, quibus dirimendas lites delegabant, qui & ipsi Pedanei Judices vocabantur.

[1] *In l 1. C. de Adsessor.* [2] *In l. ult. eod.* [3] *l. 3. ff. eod. Spartianus in Nigro.* [4] *In eod.* [5] *In Nov. 24. & trib. seqq. §. ult.* [6] *In Auth. de judicib. C. de judiciis, seu Nov. 82.* [7] *In l. 2. C. de pedan. Judicib.* [8] *Petr. Crin. de honest. discipli. lib. 15. c. 7.* [9] *In l. ult. C. de Pedan. Jud.* [10] *In l. 6. C. de Advocat. diversor. Judicum.* [11] *Nov. 82. c. 9.*

CAP.

CAP. III.

Rhetores causas in foro agunt. Origo Advocatorum: differentia eorum ab Oratoribus. De Togatis. Descriptio Togæ. Matricula Advocatorum. Conditiones eorum, qui in numerum Advocatorum erant recipiendi.

Cum vero omnes judicare possent, erant ex jurisperitis, qui Clientibus patrocinabantur. Hoc officio diu *Rhetores* sunt functi. Sed cum plurimum de legum sensu in judicio disceptaretur, illarum studiosi sibi apud posteriores Principes hoc munus arripuerunt: ADVOCATI autem sunt illi, *ait Ulpianus*, [1] qui causis agendis studio operantur, qui si fuerint Jurisconsulti, negat eos pro mercede aliquid posse in judicio petere, etsi a litigantibus honorarium ipsis erat ultro offerendum, [2] *Est enim, inquit, sanctissima res juris civilis scientia pretio numario non dehonestanda, quædam enim tametsi honeste accipiantur, inhoneste tamen petuntur.* Dicti vero sunt Advocati, quia a Clientibus advocantur, ut suæ causæ adsint eam defensuri, Plautus [3]

Sicut ego feci stultus, contrivi diem,
Dum asto advocatus cuidam cognato meo:
Quem hercle ego litem adeo perdidisse gaudeo,
Ne me nequicquam sibi hodie advocaverit.

Hanc ob causam & testes acciti Advocati dicebantur, ut apud eundem Plautum; [4] Cum enim Milphio herum monuisset, ut testes contra lenonem quæreret, ille postea se Advocatos duxisse dicit; Sic vero illos alloquitur,

At si ad prandium me in ædem vos dixissem ducere,
Vinceretis cervum cursu, vel grallatorem gradu,
Nunc vos quia mihi advocatos dixi & testes ducere,
Podagrosi estis, ac vicistis cochleam tarditudine.

Advocati vero in hoc ab Oratoribus differunt, quia hi causas agebant, & proprie Patroni vocabantur, Advocati jus suggerebant. Asconius in Divinat. *Qui defendit, inquit,* [5] *alterum in judicio, aut Patronus dicitur, si Orator est, aut Advocatus, si jus suggerit.* Sed postea recepti in numerum Advocatorum Patroni litium sunt appellati. [6] Idem sentit Cicero, eum vocans Jurisconsultum. *Qui legum, inquit* [7] *& consuetudinis ejus, qua privati in Civitate utuntur, & ad respondendum, & agendum, cavendumque peritus est:* ideoque ejus domum civitatis Ora-

[1] *In l. 1. §. 11. ff. de var & extraord. cognit.* [2] *d. l. 1. §. 5.* [3] *in Casina scena Stultitia magna.* [4] *in Pœnulo, Scena. Ita me Di ament.* [5] *in Divinat. in C. Verrem.* [6] *l. 7. §. 2. C. de advocat divers. judicum.* [7] *lib. 1. de Orat.*

culum

culum appellat. Qui vero viva voce patrocinium præstant, Advocati dicuntur, etsi in foro inutiles esse causidicos Quintilianus asserit. [1] Valla aliam affert [2] inter Patronum, & Advocatum differentiam, quæ a Jurisconsultis non observatur.

Togati etiam vocabantur Advocati, quod alio habitu, quam Togæ causas dicere non possent; ita Arcadius, [3] & Theodosius minor, [4] & alii appellant; Ob antiquam enim Romanam Majestatem conservandam non palliati, nec penulis induti, sed Toga tantum tecti orare, aut dicere poterant. Nec Augustus passus est, [5] populum Romanum penulatum spectaculis interesse, cum enim eo habitu spectantes vidisset, exclamavit; *En Romanos rerum dominos gentemque togatam;* & edicto monuit, ne nisi cum Toga spectarent. Erat autem Toga pannus, qui totam partem corporis sinistram tegens in humero dextro fibula, aut clavo nectebatur, & ante pectus laxo sinu descendebat, dimidia crura pertingens, ut *Quintilianus* describit, [6] & in marmoribus vetustis, numismatisque visitur. Dicitur autem Toga a tegendo, [7] Græci τήβεννον appellant a Timenno quodam Arcade, qui prius in Jonio sinu eo habitu est usus; postea corrupto vocabulo Tibennus est dicta; Ita Artemidorus memorat. [8] Hac veste in pace domi utebantur Romani, Foris in bello Clamyde; Unde pro pace Toga accipitur, a Theodosio vero pro ordine Advocatorum, [9] *Iisdem, inquit, privilegiis potiatur Toga per Illyricum præfecturæ, quibus fruitur Toga per Orientem prætorianæ sedis.* Nec vero omnes in causis patrocinari poterant, sed certus erat Togatorum in quoque Tribunali numerus constitutus. Nam in foro præfecti Augustalis 50. [10] in Comitis Orientis 40. [11] Præsidis secundæ Syriæ, & aliorum 30. & quandoque plures, prout erat provinciæ amplitudo. In Præfectorum prætorio auditorio 150. patrocinabantur Advocati, [12] quos ipsi eligebant, & omnium nomina albo inscribi jubebant, quod Matriculam vocabant. [13] Auctor est Cedrenus, Matricem a Romanis appellari latum, & crassum lignum, in quo aliquorum nomina scribebantur. *Antiqui enim, inquit,* [14] *in ligneo folio, & ex philyris confectis tabulis scribebant, inde Matricula derivatur.* Justinianus postea numerum prætorianorum Advocatorum ad

[1] *Budæ. in l. 9. ff. de pœnis.* [2] *lib. 4. c. 12.* [3] *in l. 3. C. de advoca. diverſ. judicior.* [4] *in l. 5. C. eod. tit.* [5] *Tranquill. in Augusto c. 40.* [6] *lib 8.* [7] *l. 180. in fin ff. de verb. sign.* [8] *lib. 2. De somniorum interpretat.* [9] *in l 7. C. de advoc. diverſ. judicior.* [10] *l. 13. C. de advoc. diverſ judiciorum.* [11] *l. 3. C. de advoc. diversor. judicum.* [12] *l. 11. C. de advoc. diversor judiciorum.* [13] *d. l. 13. C. de advoc. diverſ. judiciorum. & l. ult. C. de advoc. diverſ. judicum.* [14] *in Histor. Compend.*

80. rede-

80. redegit, [1] quorum 30. aut 20. primi, & ſeniores auctoritate cæteris præſtabant, iisdemque privilegiis, quibus fiſci Patroni gaudebant, id eſt, a cohortalium nexu liberabantur, ſi illi obnoxii fuiſſent, [2] & Clariſſimi vocabantur, nec milites, aut alios ex comitatu hoſpicio in ædibus recipere cogebantur. [3] Idem & xv. primis Togatorum urbanæ Præfecturæ indulgebatur. [4] Alii extra numerum definitum tribunalibus Præfectorum, aut Præſidum apud inferiores judices poterant patrocinari. [5] Antequam vero quis in ſtatutum numerum Togatorum reciperetur, præſentibus cohortalibus, id eſt Apparitoribus Rectoris ſuæ provinciæ probare tenebatur, cohortali conditione ſe obnoxium non eſſe, ſeu a cohortali patre non deſcendere, nam tunc, & ipſe cohortalis fuiſſet, [6] hæ probationes actis erant inſerendæ; præterea præceptorem, qui eum in jure erudierat, in iisdem actis teſtificari inter Togatos oportebat, illum peritia juris eſſe præditum, & quinquennio legum ſtudiis operam navaſſe, quo facto in albo Togatorum ſcribebatur, [7] in eorumque cœtum recipiebatur. Hinc apud noſtros legum Doctores uſus inolevit, ut non prius Laurea cingantur, quam juraverint præceptores, eos jurium ſcientia præditos eſſe, & examinatos legum peritos inventos. Plura etiam jura municipalia, aut collegiorum exigunt, ut ſaltem quinquennio ſtuduerint, ſicut infra ſuo loco latius dicetur. Poſteriorum Principum temporibus Advocati in civilibus cauſis ordinabantur, & Imperatoris frumentarias teſſeras, hoc eſt, a ſecularibus Magiſtratibus quendam æreum characterem accipiebant, quo agnito promiſſa tritici menſura dabatur, ſub Primiceriisque erant, ut auctor eſt Balſom. [8]

CAP. IV.

Unde electi Advocati Fiſci. Eorum ſalaria & officium.

EX corpore Togatorum alicubi duo [9] Primates, ſeu ex diſertioribus a Præfecto, vel Præſide, alibi unus quotannis eligebatur, qui pro Fiſco patrocinaretur; [10] Poſtea ſancitum fuit, ut in biennium crearentur, qui Kalendis Aprilis Fiſco patrocinari incipiebant, & pro honorario ſexcentos aureos Kal. Octobris, id eſt, cum ad medium ad-

[1] *l. 7. C. de advoc. diverſor. judicum.* [2] *l. 8. C. de advoc. diverſ. judiciorum. l. 2. C de advoc. diverſ. judicum.* [3] *l. 5. §. 7. de advoc. diverſ. judicum.* [4] *l. 16. C. de advoc. diverſ. judiciorum.* [5] *d. l. 13. §. 1.* [6] *l. 11. §. 1. C. de advoc. diverſor. judiciorum.* [7] *l. 3. §. 3. C. de advoc. diverſ. judicum. quæ eſt repetita in l. 5. C. eod.* [8] *in 8. tit. Phoſii. c. 13.* [9] *l. 10. C. de advoc. diverſ. judicior.* [10] *l. 3. C. de advoc. diverſ. judicum.*

vocationis tempus perveniſſent, ex arca Prætoriana accipiebant; [1] ea ſumma hodiernis temporibus 860. aureos efficit; ita ſtatuit Juſtinianus, qui licet de Patronis Fiſcalibus Prætorianis loquatur, idem de aliis factum fuiſſe credendum eſt. Cæterum Conſtantinopoli duos Fiſci Advocatos Zeno Pedaneos Judices, & fidejuſſorum approbatores factos creavit, quibus pro honorario LX. auri libras præſtituit; [2] efficit ea ſumma noſtrorum aureorum tria millia ſexcentos quadraginta. Ejus conſtitutionis meminit Juſtinianus in novella 82. [3] & illam Byzantii tantum obſervatam fuiſſe indicat, ubi etiam Kal. Januarii Strenam inter Comites conſiſtorianos conſequebantur. [4]

Horum Advocatorum officium erat, cauſas Fiſcales tueri, quæ omnes ipſis præſentibus tractabantur. [5] Inſigniore etiam habitu, & forte prætexta a cæteris Advocatis diſtincti fuiſſe videntur; Nam Theodoſius minor duos fiſci Advocatos pro uno, qui prius erat, inſtituens, eos iisdem dignitatis inſignibus ambiri jubet, quibus prior ornabatur; [6] elapſo officii biennio, Fiſci Patronus nulli amplius patrocinari poterat, præter quam filiis, parentibus, uxori, ſocero, ſocrui, genero, nurui, & conjunctis ex latere usque ad quartum gradum perſonis, & colonis, ſervisque ſuis. [7] Ipſi aut ad alicujus provinciæ adminiſtrationem promovebantur, aut in ocio, & tranquillitate reliquum vitæ tempus tranſigebant. [8] Quicquid vero acquirebant filiifamilias cauſarum patroni velut Caſtrenſis erat peculii, de quo teſtari, & pro arbitrio diſponere poterant, neque pater in eo uſum fructum, aut aliquod jus habere poterat. [9]

CAP. V.

Advocati Fiſci Clariſſimi vocabantur; a Metatorum muneribus immunes. De Sportulis, de dignitate illuſtris.

MUlta Advocatis Fiſci dabantur privilegia, in primis, qui cohortali, ſeu apparitorum conditioni erant obnoxii, hunc gradum in foro Prætoriano adepti, ab ea ipſi, & deſcendentes liberabantur, [10] & ſi nullus apparitorum ſubjectus fortunæ in præmortuorum Advocatorum cœtum poſſet cooptari. [11] Natus enim cohortalis nec ipſe,

[1] *d. l. 7. §. 4. C. de advoc. diverſ. judicum.* [2] *l. 6. C. de advoc diverſ. judicum.* [3] *Auth. de judicib. in princ. ſeu Nov. 82.* [4] *l. 4. §. 1. C. de advoc. diverſ. judicum.* [5] *l. ult. C. de advoc. fiſci.* [6] *in l. 10. C. de advoc. diverſ. judicior.* [7] *l. 13. §. 1. C. de advoc diverſ. judicior. l. 3. & 5. §. 1. C. de advoc. diverſor. judicum.* [8] *d. l. 13. in fin.* [9] *l. 8. in fin. C. de advoc. diverſor. Judicior.* [10] *l. 8. C. de advoc. diverſ. judicior. l. 2. C. de advoc. diverſ. judicum.* [11] *l. 11. §. 1. C. de advoc. diverſor. judicior.*

nec

nec ejus liberi ab eo nexu poterant liberari. [1] Exacto biennio, & patrocinandi munere expleto, Fisci Advocatus CLARISSIMI honore decorabatur, provinciæ enim consularis dignitate honestabatur, [2] consularesque provinciarum Clarissimi vocabantur, [3] sed & in officio ad huc existentes Fisci Advocati ab Anastasio Clarissimi appellantur. [4] Quare indecorum erat, eum amplius patrocinari, cum indignum sit, Clarissimum coram alio Clarissimo, id est Præside, causam orantem eo in loco stare, ubi ejusdem dignitatis alter sedet; [5] Illud quoque hujus Patroni præcipuum erat, ut si intra annum decessisset, totius anni integrum salarium ad quoscunque hæredes transmitteret. [6] Nec munera personalia subire, aut angariis poterat onerari. [7]

Unam quoque ex pluribus domibus propriis a Metatorum munere immunem habebat [8] hoc est, nec milites, nec Principis aulicos in æde hospitio recipere tenebatur, quo onere alii adstringebantur. Metator autem dicebatur, qui hospitia dividebat, & Metata domus hospitibus assignata. [9] Accursii autem rejicienda est opinio, existimantis, [10] Metatos esse milites, qui castra vallo circumdabant. Epidemeticos vero esse præfectos hospitia militibus dimetientes. Metatores enim sunt, qui hospitia militibus assignant, [11] & Metata sunt loca, quæ hospitibus assignantur, [12] & in hoc sensu intelligitur onus Metatorum apud Anastasium. [13] Si hos Advocatos, aut eorum colonos servosve litigare contingebat, minores executoribus, aut acta excipientibus sportulas solvebant. [14] Eorum vel vita functorum, vel ex officio descendentium filii cæteris ad idem officium accedentibus præferebantur, si tamen & ipsi solito tempore legum doctrinam meruissent, & doctrina idonei fuissent inventi, [15] pro ingressu quoque officii hi nihil solvebant, ut alii, qui in Collegium, Curiamve, aut corpus aliquod recepti aliis hominibus Collegii Decurionibus, aut sociis aliquid elargiri cogebantur, quæ pecuniæ Sportulæ appellabantur. *Marcellus* [16] *lib. 7. Digestorum quærit, si mulier acceptam a marito pecuniam in Sportulas pro cognato suo ordini erogaverit, an valeat donatio, & ait valere.* Item Scævola. [17] *Testator ita præcepit, Sempronio alumno*

[1] *l. 5. & 7. C. de cohortalib.* [2] *d. l. 13. §. 1. C. de advoc. divers. judicior.* [3] *l. 2. C. de domestic. & protector.* [4] *in l. 4. §. 1. C. de advoc. divers. judicum.* [5] *l. antep. in fin. C. de postul. l. 3. C. ubi Senator. vel claris.* [6] *l. 15. in fin. C. de advoc. divers. judicior. l. 5. in fin. tit. seq.* [7] *l. 3. in fine §. 5. C. de advoc. divers. judicum.* [8] *l. 3. §. 2. & l. 5. §. 2. C. eod. tit.* [9] *l. 9. C. de metat.* [10] *in rubr. C. eod. tit.* [11] *d. l. 1. C. de metat.* [12] *d. l. 9. C. eod. tit.* [13] *in d. l. 3. & 5. §. 2. C. de advoc. divers. judicum.* [14] *d. l. 3. & 5. §. 3.* [15] *d. l. 3. & 5. §. 4.* [16] *in l. 5. §. 17. ff. de donat. inter vir. & uxor.* [17] *in l. pen. §. pen. & ult. ff. de legat. 3.*

meo, cum per ætatem licebit, militiam illam cum introitu comparari volo, Quæsitum est, si Sempronius eam militiam sibi comparaverit, an precium ejus, sed & quod pro introitu erogari solet, ab hæredibus consequi possit, respondi posse. Idem testator liberto militiam illam legavit, quam & ipse habuit, quæsitum est, an onera omnia, & introitus militiæ ab hærede sint danda, respondit, esse. Item Papinianus, [1] *Minores* XXV. *annorum Decuriones facti Sportulas Decurionum accipiunt, sed interim suffragium inter cæteros ferre non possunt.* Plinius ad Trajanum. [2] *Qui virilem togam sumunt, vel nuptias faciunt, vel ineunt Magistratum, vel opus publicum dedicant, solent totam bulen, (seu Curiam,) atque etiam ex plebe non exiguum numerum vocare binosque denarios, vel singulos dare.* Filii vero patronorum Fisci nihil Collegio solvebant, quod & hodie in Italia observatur. Præterea ex Patronis, qui erant Constantinopoli, uni codicillis *illustris* dabatur dignitas, quæ eo concedente alteri proderat, vel cui amico in provinciis eos dedisset, scilicet, ut non posset in judicio, nisi ritu, & forma Illustrium conveniri, [3] utque aliis eorum privilegiis potiretur, veluti ne munera sordida subirent. Iidem facultatem habebant binos homines singulis annis Principi offerendi, quorum alter in domesticorum equitum, alter peditum schola locum præmortui ingrederetur, pro quibus tamen bina aureorum millia singulo comiti solvebant, [4] efficit hæc summa 2960. nostrorum aureorum. De Advocatis hactenus. Nunc de Jurisconsultis legum interpretibus est dicendum.

CAP. VI.

Tiberius Coruncanus primus Doctor Juris. Locus in quo JCti jus docuerunt. Occupationes veterum JCtorum.

TErtium Jurisperitorum genus fuit eorum, qui alios *docebant*, quorum primus fuit TIBERIUS CORUNCANUS, *Ex omnibus, inquit Pomponius,* [5] *qui scientiam nacti sunt, ante Tiberium Coruncanum publice professum neminem fuisse traditur, cæteri autem ad hunc, vel in latenti jus civile retinere cogitabant, solumque consultatoribus vacare potius, quam discere volentibus se præstabant.* Hæc ille. Qui vero docebant, in privatis suis ædibus docuisse videntur. Postea in stationibus publice & docuerunt, & de jure responderunt, *Cum ex angulis, inquit Gellius,* [6] *secretisque librorum, ac magistrorum in medium jam hominum, & in lucem fori prodiissem, quæsitum esse memini in plerisque Romæ stationibus jus*

[1] *In l. 6. §. 1. ff. de decurion.* [2] *epistol.* 82. [3] *l. ult. C. ubi Senator. vel Clariss.* [4] *l. 6. C. de advoc. diverf. judicum.* [5] *in l. 2. §. 35. ff. de orig. jur.* [6] *lib.* 13. *c.* 13.

publice

publice docentium, aut respondentium, an Quæstor populi Romani ad Prætorem in jus vocari posset. Hæc Gellius. Interpretabantur autem Legem XII. Tabularum, & alias, in quas plures Commentarios scripserunt, ut Mauritianus, Terentius, Clemens, Ulpius, Marcellus, & alii. Explicabant & edicta Jurisconsultorum, in quæ plures libros ediderunt. Horum interpretationes plurimi explicarunt, vel commendando ampliarunt, & quandoque reprehenderunt, ut Julianus, qui ad Minutium, Urseium Ferocem, Jabolenus, Pomponius, Paulus, qui ad Plautium, Q. Mutium; Alii ad Massurium Sabinum, ad Vitellium, Horatium, & alios scripserunt. Nonnulli tractatus composuerunt, ut dotium, fideicommissorum, de adulteriis, de pœnis, usuris, & similibus, sed hic, qui docuisse creduntur, ordine repræsentandi sunt Jurisconsulti.

CAP. VII.

I. CORUNCANI Natales. Munera, Autoritas, Discipuli. De gente Ælia.

I. T. CORUNCANUS Tusculano municipio oriundus, ut Cicero tradit, [1] primus ex plebe Pontifex Maximus est creatus. [2] Vixit tempore primi belli Punici circa annum ab Urbe condita. D. cum P. Valerio Cos. anno ab Urbe condita CCCCLXXIV. ut auctor est Cassiodorus. [3] De Vulsiniensibus triumphavit, Censor cum C. Claudio anno ab Urb. cond. CCCCLXXXV. & Dictator Comitiis habendis circa annum DVII; Hunc, & Crassum, Scipionemque Nasicam tantæ prudentiæ fuisse *Cicero* scribit, [4] ut ad eos de omnibus divinis, & humanis referretur. In Senatu & apud Populum, & in causis amicorum, & domi, & militiæ, consilium suum, fidemque præstabant.

Coruncani tamen, ait Pomponius [5] *nullum scriptum, sed responsa complura, & memorabilia ejus fuerunt.* Ex ejus schola P. & Sext. Ælii Peti fratres prodiisse videntur, utrique Coss. alter anno ab Urb. cond. DLIII. quo Scipio Annibale victo secundo bello Punico finem imposuit. P. Ælius Galliam Cisalpinam sortitus contra hostes infæliciter pugnavit, ut auctor est Livius, [6] qui eum post triennium, & x. virum sacrorum anno ab Urb. cond. DLXXIX. obiisse tradit. [7] Sex. vero Ælius Petus Catus cos. an. ab Urb. cond. DLV. nec ipse quicquam memorabile in Italia egit. Hujus Cicero meminit. [8] Æliorum gen-

[1] *In Orat. pro Gn. Planco.* [2] *Livius lib. 18. & Cicero pro domo, & de legib. lib. 2.* [3] *in Chronicis.* [4] *lib. 3. de Orat.* [5] *In d. l. 2. §. 38. ff. de orig. Jur.* [6] *lib. 1. Decad. 4.* [7] *lib. 1. Decad. 5. Sex. Ælius Petus.* [8] *lib. 1. Tusculanar. Quæst. & l. 1. De Oratore.*

tem, ut pauperem, Valerius ponit, quorum sexdecim familias unam domum incoluisse scribit.[1]

CAP. VIII.

II. M. CATO CENSORINUS: Ortus & Romam adventus. *Cato* ab experientia, a Censura gesta *Censorinus* & in summa senectute *Sapiens* dictus. Ejus Epitaphium.

III. M. CATO filius. Prætor, ejusque Posteri.

II. HIs duo M. CATONES successere, CENSORINUS pater, & FILIUS, ille fuit princeps Portiæ familiæ, in municipio enim Tusculano natus[2] hortatu Lucii Valerii Flacci Romam venit, qui *Priscus* primo, deinde *Cato* auctore *Plutarcho*, est cognominatus, quia multarum rerum usum habebat, quod nomen posteri retinuerunt; XVII. ætatis anno militare cœpit, in foroque & jure civili versatus de eo libros composuit. Cum præfato Valerio Censor plures nobiles notavit, unde multis conflatis inimicitiis, quater, & quadragies capitis accusatus, semper est absolutus; ob Censuræ gravitatem *Censorinus* est appellatus.

Senex, Ennio præceptore, litteras græcas didicit; ejus vitam late Plutarchus explicat; quia vero multa ejus in Senatu, multa in foro, vel provisa prudenter, vel acta constanter, vel responsa acute ferebantur, in summa senectute *Sapientis* cognomen est adeptus.[3] Ejus præclarum in Hispania extare monumentum sequenti inscriptione *Augustinus Nerrucius* refert, & *Antonius Augustinus* recitat.[4]

PALLADIS VICTRICIS SACRUM HIC HOSTIUM RELIQUIAS PROFLIGAVIT CATO, UBI SACELLUM MIRO ARTIFICIO CONDITUM, ET ÆREAM PALLADIS EFFIGIEM RELIQUIT. PAREANT ERGO, ET NOSCANT OMNES, SENATUS, ET POPULI ROMANI IMPERIUM DEORUM NUMINE ET MILITUM FORTITUDINE ET TUERI, ET REGI.

III. Hujus filius alter M. CATO fuit, & ipse Jurisconsultus, qui Prætor designatus, patre vivo, mortuus est, & egregios *de disciplina juris* libros reliquit. *Festus* ejus Commentarios juris civilis citat,[5] & is forte est Cato, cujus *Paulus* meminit.[6] Ex hoc natus est M. CA-

[1] *lib. 4. c. 4. & Plut. in vita Pauli Æmilii.* [2] *Gellii l. 13. c. 22. Plut. in Censor. Cic. in 2. de legibus.* [3] *d. Cic. lib. 3. de offic. & in Lælio sive de Amicit.* [4] *De familiis Romanor, c. Portia gent.* [5] *in ver. mundus.* [6] *in l. 4. §. 1. de verb. oblig.*

TO

TO *nepos* cognominatus, vehemens Orator, & cum Q. Martio Rege Cos. in eo Consulatu in Africam profectus ibi decessit. Hujus filius M. CATO *Ædilis, & Prætor in Gallia Narbonensi* vita functus est. Primi M. Catonis Censorini alter M. CATO *Salonianus* cognominatus filius fuit, ex quo nati sunt L. & M. *Trib. Pleb.* Catones. M. Præturam petens obiit, qui M. CATONEM *Prætorium*, & *Uticensem* genuit, [1] Horum stemmata, ut clarius notescant, hic ita distinxi.

M. CATO Censorinus.

M. CATO. I.C. Prætor vivo Patre mortuus. — M. CATO Salonianus.

M. CATO Nepos Orator Cos. in Africa decessit. — L. CATO. — M. CATO Tribun. Plebis Præturam petens obiit.

M. CATO Ædilis Prætor in Africa decessit. — M. CATO Uticensis vir Prætorius.

CAP. IX.

IV. M. JUNIUS BRUTUS & P. MUTIUS SCÆVOLA jus docent. Eorum discipuli.

V. P. MUTIUS Prætor, Consul. De Tiberio Gracccho. P. LICINIUS CRASSUS. Q. MUTIUS SCÆVOLA.

VI. MANLIUS, ejus judicium de filio.

IV. POst hos M. JUNIUS BRUTUS anno ab Urb. Cond. DLXXVI. Prætor [2] qui VII. libellos *de Jure* conscripsit, [3] & P. MUTIUS SCÆVOLA anno ab Urb. Cond. DCXX. Cos. & Pontifex Maximus jura docuisse videntur, nam eos cum Manlio jus fundasse, *Pomponius* affirmat [4] & eos citat; [5] & ab his *P. Rutilium Rufum* Cos. & Asiæ Proconsulem, *Paulum Virginium*, & *Q. Tuberonem* institutos fuisse, *& P. Licinium Crassum.* Mutianum cognominatum *P. Mutii* fratrem, quem Jurisconsultorum disertissimum *Cicero* appellat. [6]

V. P. MUTIUS P. F. anno ab Urb. Cond. DCXII. Trib. Pleb. adversus *L. Tubulum*, qui Prætor de Sicariis quæstionem anno proximo exercuerat, & pecuniam accepisse dicebatur, rogationem tulit, qua Gn. Cæpioni Cos. ea quæstio deferebatur, quare Tubulus in exilium profectus est. P. Mutius Prætor fuit quinquennio post, & Cos. anno

[1] *Gellius lib. 13. c. 18.* [2] *Livius lib. 5. Decad. 4.* [3] *l. 2. §. 38. ff. de orig. jur.* [4] *in d. l. 2. §. 38.* [5] *in l. 17. ff. de legation.* [6] *lib. 1. Officiorum. & l. 1. de Orator.*

ab

ab Urbe. Cond. DCXX. cum L. Calpurnio Pisone frugi tempore, quo *Tiberius Gracchus*, profusis largitionibus, favore populi capto, Rempublicam oppressam tenebat, palamque dictitabat, interempto Senatu, omnia per plebem agi debere. Itaque in Ædem Fidei publice convocati Patres conscripti a Cos. Mutio Scævola quid nam in tali tempestate faciendum esset, deliberabant, cunctisque censentibus, ut Cos. armis Rempublicam tueretur, Scævola negavit, se quicquam vi esse acturum. Tum *Scipio Nasica*. Quoniam, *inquit*, Cos. dum juris ordinem sequitur, id agit, ut cum omnibus legibus Romanum imperium corruat, egomet privatus voluntati vestræ me offero ducem, ac deinde lævam manum apertæ Toga circumdedit, sublataque dextra, proclamavit: Qui vult salvam esse Rempublicam, me sequatur, & Gracchum occidit. [1]

P. vero Mutio in Asia defuncto, P. LICINIUS CRASSUS *Mutianus* frater Jurisconsultus in Pontificatu Maximo est subrogatus, moriens Q. MUTIUM SCÆVOLAM filium summum Jurisconsultum reliquit.

VI. MANLIUS autem, quem jus fundasse *Pomponius* scribit, creditur fuisse T. Manlius A. F. T. N. quem *Valerius* juris civilis, & sacrorum Pontificalium peritissimum appellat; [2] Cos. fuit cum Gn. Octavio anno Urbis DXXCIIX. Filium Decium Syllanum habuit, qui cum Macedoniam obtinuisset, apud Senatum accusatus est, quod pecunias a sociis accepisset. Pater obtinuit, ne quid de ea re ante statueretur, quam ipse causam inspexisset; Quare cum legatorum Macedonum etiam consensu, cognitione suscepta, domi consedit, solusque per biduum utrique parti vacavit, ac tertio die plenissime, diligentissimeque auditis testibus, ita pronuntiavit: *Cum Syllanum filium meum pecunias a sociis accepisse mihi probatum sit, & Rep. & domo mea indignum judico, protinusque e conspectu meo abire jubeo;* Eam notam filius tam acerbe tulit, ut eadem nocte se ipsum laqueo interemerit. Pater funeri noluit interesse, sed consultoribus eodem tempore vacavit. *Manlius* vero pro *Manilio* est dictus.

CAP. X.

VII. P. RUTILIUS RUFUS, egregius miles, Siciliam liberat. Præclare gesta. Exilium, studium justitiæ.

VII. P. RUTILIUS RUFUS Cos. creatus armorum tractandorum meditationem militibus tradidit. Nullius enim ante se Imperatoris

[1] *Valer. lib. 3. c. 2.* [2] *Valer. lib. 5. c. 8.*

peratoris exemplum ſequutus, ex ludo C. Aurelii Scauri Doctoribus gladiatorum accerſitis, vitandi, atque inferendi ictus ſubtiliorem rationem legibus ingeneravit, virtutemque arti, & artem rurſus virtuti immiſcuit, ut illa impetu hujus fortior fieret, ut ait *Valerius*. [1] Is itaque in bello, quod in Sicilia cum fugitivis geſſit, *Q. Fabium* ſuum generum, qui negligentia Taurominitanam arcem amiſerat, provincia juſſit decedere, eamque & Ætnam firmiſſima fugitivorum præſidia recepit, ubi amplius quam viginti millia ſervorum trucidavit, ut *Paulus Oroſius* ſcribit; [2] ab eo Conſule leges univerſi Siculi acceperunt, acerbiſſimoque prædonum, ac fugitivorum bello ſunt liberati. [3]

Cum vero legatus eſſet C. Marii Aſiæ Proconſulis, eam provinciam vir ſummæ innocentiæ a publicanorum injuriis defendit. Quare inviſus equeſtri ordini, penes quem judicia erant, apud eum per calumniam repetundarum eſt accuſatus. Cum vero ſciret magis ordinum diſſenſione, quam culpa ſua ſe reum factum, non obſoletam veſtem induit, non inſignia Senatoris depoſuit, nec ſupplices ad genua judicum manus tetendit, nec dixit quicquam ſplendore præteritorum annorum humilius, effecitque ut periculum huic non impedimentum gravitatis ejus eſſet, ſed experimentum. [4] Demum cum opinione bonorum omnium abſolvendus putaretur, per invidiam condemnatus, & in exilium actus Smyrnam commigravit. Verum illi Aſiam petenti omnes illius provinciæ civitates legatos ejus ſeceſſum operientes obviam miſerunt. [5] Cum vero ei reditum victoria Syllana præſtaret, in exilio, ne quid contra leges faceret, remanſit, [6] atque ibi litterarum ſtudiis intentus conſenuit. [7] Cum amici cujuſdam injuſtæ rogationi reſiſteret, atque is per ſummam indignationem dixiſſet, *Quid ergo mihi opus eſt amicitia tua, ſi quod rogo, non facis?* Reſpondit, *Imo quid mihi tua, ſi propter te aliquid inhoneſte facturus ſum?* Eum exulem quidam conſolabatur, dicens, inſtare arma civilia, & brevi futurum, ut omnes exules reverterentur. *Quid tibi*, inquit, *maleſeci, ut mihi pejorem reditum, quam exitum optares? malo, ut patria in exilio meo erubeſcat, quam reditum mœreat.* [8]

Rutilius Prætor quoddam pro *Libertis edictum* propoſuit, [9] ſed an is ſit Rutilius Rufus, vel Maximus, ſubſiſto. *Panetii* auditor, vir

[1] *lib. 2. c. 1.* [2] *lib. 5. c. 9.* [3] *Valer. lib. 6. c. 4.* [4] *Cic. l. 2. de Orat. & in Bruto, ſeu de claris Orat. Valer. lib. 6. c. 4.* [5] *Livius lib. 70. & Valer. lib. 2. c. 5.* [6] *Valer. lib. 6. c. 4.* [7] *Paulus Oroſ. l. 5. c. 17. in fin.* [8] *Seneca lib. 6. de beneficiis. c. 38.* [9] *in l. 1. §. 1. ff. de bon. libertor.*

doctus, & in græcis litteris eruditus, secta stoicus fuit, [1] orationes jejunas habuit, ejus meminit *Ulpianus*, [2] & *Cicero*. [3]

CAP. XI.

VIII. Q. MUTIUS primus jus civile ordinavit. Ejus liber ὅρων, modestia in respondendo. Autor legis Liciniæ & Mutiæ, ejus edicta, Pontificatus, obitus. De Manio Glabrione. De QUINTO MUTIO SCÆVOLA.

VIII. POst hos Q. MUTIUS *Publii* Jurisconsulti *Filius* Pontifex Maximus jus civile docens primus constituit, seu ordinavit, & in libros XVIII. redegit, [4] ex his unus singularis ὅρων, id est *Definitionum*, seu *Regularum* inscriptus, cujus particulæ in Pandectis recitantur, [5] ejus libri juris civilis sæpe citantur; [6] In eum *Pomponius* scripsit; [7] Is clarissimus legum vates, & certissimus, quotiescunque de jure prædiatorio, id est prædiorum, ut *Budæus* interpretatur, [8] consulebatur, ad Furium, & A. Cassellium, qui huic scientiæ dediti erant, consultores rejiciebat, quo quidem facto, moderationem suam magis commendabat, quam auctoritatem minuebat, ab his negotium aptius explicari posse confitendo, qui quotidiano ejus usu callebant. [9]

Cum L. Licinio Crasso factus est Cos. an. ab Urb. Cond. DCLVIII. in eo magistratu *Legem Liciniam*, *&* *Mutiam* tulerunt, de civibus regendis, ut in suæ quisque civitatis jus redigeretur, neque jus Civitatis Romanæ usurparet, quam *Cicero* [10] perniciosam Reipublicæ fuisse dixit, ex ea enim alienati sunt animi Italicorum, & belli socialis occasio triennio post exorta fuit. Mutius Asiam tam sancte, & fortiter rexit, ut Senatus deinceps in eam provinciam ituris Magistratibus exemplum, atque formam officii Scævolam decreto suo proponeret. [11] Ejus edicta Asiatica in alias provincias sunt translata, & festos dies deinceps fecit Asia, quæ Mutia sunt dicta, ut tanti viri memoriam quotannis renovarent.

Pontifex Maximus fuit an. ab Urb. Cond. DCLXIV. Semel testis in judicium productus cum id respondisset, quod salutem periclitantis magnopere læsurum videbatur, discedens Q. Mutius adjecit, *Ita*

[1] *Cic. de Claris Orator. & in 3. officio* [2] *in l. 3. ff. in fin de pen. legat.* [3] *in Orat. pro Gn. Plancio.* [4] *d. l. 2. §. 38. ff. de Orig. Jur.* [5] *in l. 64. ff. de acquir. rer. dom. l. 8. ff. de aqua quotid. & æst. l. 241. ff. de ver. sign. l. 73. ff. de reg. jur.* [6] *in l. 3. ff. de pen. legat. l. 27. ff. de aur. & arg. leg. & alibi. confer. Chronol. leg. roman. editioni corporis juris civilis de an. 1720. præmissa. pag. 13. Gell. lib. 7. c. 15.* [7] *l. 17. ff. de legationib.* [8] *in l. 63. ff de evict.* [9] *Valer. l. 8. c. 13.* [10] *pro Cornelio seu Asconius Pedianus in Orat. pro Cornel. idem Cic. lib. 3. de officiis.* [11] *Valer. l. 8. c. 16. Cic. in Bruto. seu de claris Orator.*

sibi

sibi credi oportere, si & alii idem asseverassent, quoniam unius testimonio aliquem credere pessimi esset exempli. Religioni igitur suæ debitam fidem, & communi utilitati salubre consilium reddidit. [1] Hunc civilis sapientiæ disertissimum *Cicero* appellat, [2] & *L. Crassus* ejus januam, & vestibulum oraculum civitatis, Triennio, postquam Pontifex Maximus fuit, Q. Mutius in funere C. Marii septies Consulis jussu, C. Fimbriæ perditissimi Civis vulnus accepit, mox ab eodem est accusatus, verum quadriennio post ante Vestæ templum auctoritate L. Licinii Damasippi Prætoris, qui Marianarum erat partium, occisus est. [3] *Appianus* [4] in Senatu cum Domitio trucidatum scribit, & amborum cadavera, edicto Marii, flumine immersa. Hunc Cicero se fuisse sectatum narrat. [5] Hujus soror Mutia Manio Acilio Glabrioni nupsit, ex quo *Manium Glabrionem* peperit, qui Cos. fuit anno ab Urb. Cond. DCXXCVI. apud quem Prætorem Verres est accusatus.

Alter fuit Q. MUTIUS SCÆVOLA Augur, & ipse juris peritissimus, & C. Lælii gener, a cujus latere se nunquam discessisse, *Cicero* scribit. [6] Is etsi minante Sylla, nunquam C. Marium hostem Reipublicæ judicare voluit, [7] Alterius Mutii auditores fuerunt GALLUS AQUILIUS, LUCILIUS BALBUS, SEXTUS PAPIRIUS, & CAJUS JUVENTIUS.

CAP. XII.

IX. GALLUS AQUILIUS; Servitii Sulpitii doctor. De Insula Cercinna. Tribunus plebis Autor legis aquiliæ, aliarum sanctionum.

GALLUS AQUILIUS Q. Mutii Auditor plures in jure instituit, inter quos SERVIUM SULPITIUM *Cercinna* quæ Insula, & Civitas est Africæ adiacens ad Syrtes, [8] alias Cerauna dicta. Hæc olim continenti ponte conjuncta, postea vi undarum in altum translata in duas divisa est Insulas, altera *Chercara*, altera GAMELERA est dicta, octo, aut decem milliariis a continente distant. Cum C. Attejo Capitone Jurisconsulto Gallus Tribunus plebis creatus est, eo anno, quo Gn. Pompejus Magnus cum M. Licinio Crasso Cos. fuit, quibus pro arbitrio cuncta agentibus ob immensum plebis favorem frustra contradixerunt. [9] In eo magistratu *Legem Aquiliam* tulit. [10] Alienos

[1] *Valer. l. 4. c. 1.* [2] *in lib. 1. de Orat.* [3] *Cic. l. 3. de Orat. ad princ. pro Sex. Roscio. Flor. l. 86.* [4] *lib. 1. de bell. civilib. Romanor.* [5] *lib. de amicitia. seu in Lælio.* [6] *ubi supra.* [7] *Valer. lib. 3. cap. ult.* [8] *Strabo lib. 4. Geograph. c. 3. tab. 2. Africæ.* [9] *Dion. lib. 39.* [10] *l. 1. in fin. ff. ad l. Aquil. §. pen. l. eod.*

posthumos suos futuros hæredes posse institui induxit, de dolo actionem, [1] & Aquilianam stipulationem invenit. [2]

Judex decidendis causis privatorum a Prætoribus sæpe dabatur, [3] magnamque in jure civili constituendo auctoritatem habuit. [4] *Sextus Rufus* in VI. Urbis regione in Colle Viminali domum Galli Aquilii, ut insignem, ponit, de qua ita Plinius, [5] *Multum vero consensu omnium pulcherrima ætate ea in Colle Viminali domus Caji Aquilii Equitis Romani ob ea clarioris etiam tum, quam juris civilis scientia*, ubi Cajum pro Gallo scribit, ut & Valerius, qui aliquot ejus graves sententias, & æquas recitat. [6] P. Quintium Scapulam, cum apud Gallum Aquilium cœnaret, repente extinctum Plinius memorat. [7] Nulla hujus scripta extare, Pomponius refert, nisi prout ab aliis, & a Servio Sulpitio recitantur. *

* *Leges, in quibus Aquilius Gallus citatur, videantur in Chronologia legum romanarum p.14.*

CAP. XIII.

X. BALBUS LUCILIUS.

X. BALBUS LUCILIUS inter alios, & ipse Ser. Sulpitium jus docuit, eum Cicero doctum, & eruditum appellat, [8] sed tardum. Nec ulla hujus scripta extant, nisi quæ a *Servio Sulpitio* recitantur. [9]

CAP. XIV.

XI. SERVIUS SULPITIUS, occasio discendi jus: ejus discipuli, scripta, quæstura, Consulatus, elogia, obitus. Libri de testamentis.

XI. SERVIUS SULPITIUS *Q. F. Lemonia Rufus.* [10] Hic primum, aut certe post Ciceronem, locum in foro obtinebat. Forte evenit, ut de re amici Q. Mutium consulens eum de jure respondentem, & bis eadem replicantem parum intellexerit. Quare ab illo est objurgatus, quod *turpe esset patritio, & nobili viro, jus, in quo versaretur, ignorare.* Qua velut contumelia motus Servius juri sub Lucilio Balbo, & Gallo Aquilio præsertim Cercinnæ operam dedit, ubi plures libros composuit, [11] & ipse plures erudivit, qui juris peritissimi evaserunt, inter quos *Alfenus Varus Cos. & Aulus Offilius* vir Equestris ordinis, qui Cæsaris familiarissimus fuit. Hi sunt, qui a Pomponio [12] Servii auditores

[1] *Cic. lib. 3. offic.* [2] *§. 1. Inst. quib. mod. toll. oblig. l. 18. §. 1. ff. de Acceptilat.* [3] *Valer. lib. 8. c. 2.* [4] *l. 74. ff. de hæred. instit.* [5] *lib. 17. c. 1.* [6] *d. lib. 8. c. 2.* [7] *lib. 7. c. 53.* [8] *in Bruto, seu de Clar. Oratorib.* [9] *d. l. 2. §. 38. ff. de Orig. Jur.* [10] *Cic. in M. Antonium Philippicarum l. 9. ad fin.* [11] *d. l. 2. §. 38. ff. de Orig. Jur.* [12] *in d. l. 2. in princ.*

dictores appellantur. Ipse centum octuaginta libros reliquit, ex quibus duos ad Brutum scripsit quam brevissimos edictum interpretantes. [1]

Quæstor creatus Hostiensem provinciam sortitus est, mox Prætor, postremo Cos. cum M. Claudio Marcello fuit, etsi alter apud alios auctores legitur. Nam Servio Sulpitio cum C. Volumnio Cos. Romæ inter initia, motusque bellorum civilium Bos mugitum sermonem humanum emisisse fertur, & carnis in modum Nimbi dissipatæ partes ceciderunt, quarum majorem numerum præpetes diripuere aves, reliquum humi per aliquot dies neque odore tetro, neque deformi aspectu mutatum jacuit, ut *Valerius*, [2] & *Plinius* [3] tradunt. *Cicero* non facile alium inveniri scribit, [4] qui plus studii, quam Servius Sulpitius ad dicendum, & ad bonarum artium disciplinas adhibuerit. Ipse ab ineunte ætate paribus cum ipso doctrinis est exercitatus, & veritus, ne forte secundas in eloquentia partes haberet, effecit, ut in jure primus esset. Cum vero M. Antonius D. Brutum Mutinæ gravi obsidione premeret, ex Senatus sententia P. Servius Sulpitius tempore hyemis cum L. Philippo, & L. Pisone, ipse natu grandior, sed infirmus, ad M. Antonium legatus est missus, ut suaderet eam civitatem liberare, & ad pacem hortaretur, sed cum eo pervenisset, obiit. Unde id etiam suadente C. Pansa Cos. Cicero [5] illi pro rostris statuam poni petiit, & obtinuit, quæ his decerni solebat, qui pro Rep Legati ferro essent occisi, eamque æneam, & pedestrem non inauratam sumptu publico fieri suasit, & sepulchrum in campo Exquilino pedum xxx. quaqua versus designari, quod ipsius, liberorumque esset. Latinæ linguæ studiosus quandoque de vocabulorum significatione M. Varronem consuluit. [6] Inter alia aliquot *de testamentis libros* reliquit. [7]

Admirabilem quandam, & incredibilem, ac prope divinam Servii in legibus interpretandis, & æquitate explicandis scientiam fuisse, *Cicero* scribit. [8] *Omnes*, inquit, *qui in hac civitate intelligentiam juris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum Servio Sulpitio non sunt comparandi. Neque enim magis ille Jurisconsultus, quam justitiæ fuit.* Hæc ille, qui filium illi præclaræ indolis fuisse narrat; Libros prope centum octuaginta post se reliquit, inter quos duos ad edictum brevissimos scripsit, ut dixi, [9] ex his unus erat de dotibus, in quo anti-

[1] *d. l. 2. §. 43. & §. 44.* [2] *lib. 1. cap. 6.* [3] *lib. 2. c. 58.* [4] *in Bruto, seu de Clar. Oratorib.* [5] *lib. 9 Philipp. in M. Antonium.* [6] *Gell. lib. 2. c. 10.* [7] *Gell. lib. 6. c. 12.* [8] *Ubi supra.* [9] *d. l. 2. §. 43.*

quum sponsalium ritum explicat. [1] Ex *Tribu Lemonia* fuit, *Rufus* cognominatus, ut auctor est *Cicero*, [2] qui inscriptionem ejus statuæ pro rostris locandam recitat. Lemonia vero Tribus in pago Lemonio erat extra portam Capenam in via Latina. *

* *Multis in legibus ad hunc Jureconsultum provocatur, eas enarratas vide in nostra Chronologia legum. pag. 14.*

CAP. XV.

XII. CORNELIUS MAXIMUS & RUTILIUS MAXIMUS.

XII. CORNELIUS MAXIMUS huic successit, qui Trebatium erudiit. De illo aliud non legitur. Ejus responsa Servius Sulpitius citat, ut auctor est *Alfenus*. [3] Alius fuit RUTILIUS MAXIMUS, qui librum singularem ad Legem Falcidiam reliquit. [4]

CAP. XVI.

XIII. L. VOLUSIUS. Ejus Quæstura, Ætas, scripta, Auditores. VOLUSIUS METIANUS.

XIII. L. VOLUSIUS Q. Mutii Scævolæ præceptor, & ipse viva voce jus civile explicavit; [5] Nullum magistratum præter Quæsturam gessit, nam Consulatum ab Augusto oblatum recusavit. Diu vixit, nonagesimum enim tertium agens annum, salutis LVII. sub Nerone decessit. *L. Volusius*, inquit Tacitus, [6] *egregia fama decessit, cui tres, & nonaginta anni spatium vivendi, præcipuæque opes bonis artibus inoffensa tot Imperatorum malitia fuit.* Is forte est L. Volusius Saturninus, quem *Plinius* [7] longævum fuisse scribit. Reliquit *Fideicommissorum lib.* 16. Publicorum 14. Moriens P. Mutium Q. Mutii sui auditoris Nepotem hæredem reliquit, ita Pomponium interpretor hoc recitantem. [8]

Hunc Plinius mendose *Volcatium* nominat, quem a cane defensum scribit, ne a grassatore occideretur. *Apud nos*, *inquit*, [9] *Volcatium nobilem, qui Cascellium jus civile docuit, Asturcone e suburbano redeuntem, cum advesperavisset, canis a grassatore defendit.* Ex verbis Plinii non tantum *Q. Mutium*, sed & *Aulum Cascellium* Volusii auditorem fuisse apparet.

Alius fuit VOLUSIUS METIANUS, quem Marcus Antoninus

[1] *Gelli. lib. 4. c. 4.* [2] *Ubi supra.* [3] *in l. 16. ff. de instr. vel instrum. leg.* [4] *in l. 125. ff. de leg. 3.* [5] *d. l. 2. §. 45. ff. de Orig. Jur.* [6] *lib. 13. Annal.* [7] *lib. 7. c. 48.* [8] *in d. l. 2. §. 45.* [9] *l. 8. c. 40.*

Philo-

Philosophus cum fratre Antonino vero amicum suum, & juris civilis, præter veterem, & bene fundatam peritiam, anxie diligentem appellant. [1] ejus plura in Pandectis extant jura. * [2]

* De hoc Volusio Metiano videatur Chronologia legum romanarum p. 28.

CAP. XVII.

XIV. AULUS OFFILIUS. Ejus discipuli, scripta & dissertationes de legibus vicesimæ hæreditatis: ejus scripta; CLODIA uxor.

XIV. Aulus Offilius, & ipse jura docuit inter alios *Attejum Capitonem*, & *Q. Ælium Tuberonem* instituit, [3] contra quem *Cicero* pro *Q. Ligario* oravit. Offilius Augusti familiarissimus in Equestri ordine permansit. Plurimos de Jure civili libros composuit, & primus *de legibus vicesimæ hæreditatum* ab Augusto introductæ disseruit, ut hæredes eorum, qui non fuissent pauperes, aut arcta necessitudine conjuncti, vicesimam hæreditatis Fisco solverent, ut *Dio* memorat, [4] qui id vectigal antea introductum, sed intermissum fuisse, & a C. Cæsare excogitatum scribit. Adeo vero amplum fuit, ut Procuratores, non modo Romæ, sed & in provinciis, vicissimæ hæreditatum crearentur, id postea arctatum, demum est extinctum.

De *Jurisdictione* etiam Offilius tractatum fecit, & primus *edictum* Prætoris diligenter composuit. [5] *Juris* etiam *partiti* libros fecit, qui ab Ulpiano citantur, [6] & alii *actionum* ab eo sunt editi. [7] Idem ad *Atticum* de jure scripsit. [8] Hic est ille POMPONIUS ATTICUS, ad quem Cicero epistolas misit, qui Athenis diu versatus ita Attice loquebatur, ut Atheniensis videretur, unde Atticus est cognominatus, ejus vitam *Cornelius nepos* latius descripsit. Offilii consilio testatores, & aliis * utebantur, ut auctor est *Jabolenus*. [9] CLODIA, quæ CXV. annis vixit, & quindecies enixa est, hujus Offilii uxor fuisse a plerisque creditur. [10]

* *De legibus hujus JCti evolve Chronologiam legum romanarum. p. 14.*

CAP. XVIII.

XV. C. TREBATIUS TESTA, familiaritas cum Cicerone, Cæsare, Augusto. Ejus scripta.

1 *in l. 17. ff. de jure patronat.* 2 *l. 9. 13. & 15. ff. de legat. 3. l. pen. & ult. ff. si cui plus quam per Leg. falc. l. 30. 32. ff. ad Leg. falc.* 3 *d. l. 2. §. 45.* 4 *lib. 55.* 5 *d. l. 2. §. 44.* 6 *in l. 55. § 1. ff. de leg. 3.* 7 *l. 3. ff. de penu legata.* 8 *l. 234. in fin. ff. de verb. sign.* 9 *l. 39. ff. de vulg. & pupill. subst. nempe Labeonis, Cascellii Trebatii aliorumque.* 10 *Plin. l. 7. cap. 48.*

XV. C. TRE-

XV. C. TREBATIUS Testa eques Romanus, & ipse jura explicans *Antistium Labeonem* erudiit. [1] Ciceronis valde familiaris, ad quem librum Topicorum, & plures epistolas scribit. [2] Cæsarem in Gallias secutus illi semper familiaris fuit, ejusque consilio Augustus est usus; [3] Auctor est *Tranquillus*, [4] cum ille in æde Veneris genitricis venientes Senatores sedens exciperet, admonentem *C. Trebatium*, ut assurgeret, minus familiari vultu respexisse.

Trebatius plures libros reliquit, sed non frequentabantur, forte quod non admodum eleganter essent conscripti. Fuit enim *Aulo Cascellio* doctior, sed ille Trebatio eloquentior, Offilius utroque eruditior. *

* *In legibus citatur sæpius, quas citationes videre poteris in nostra* Chronologia legum romanarum. pag. 14.

CAP. XIX.

XVI. Q. ÆLIUS TUBERO, partibus Pompeji addictus. Præceptor Labeonis: ejus scripta, matrimonium & elogia apud Autores.

XVI. Q. ÆLIUS TUBERO Lucii Filius Patritius, & Orator partes Gn. Pompeji contra C. Cæsarem est secutus, nam ardente bello civili, cum Cosidius Proconsul Africæ inde decederet, Q. Ligarium legatum ob virtutem illi provinciæ præfecit, Senatus vero eo Q. Tuberonem misit, qui infirmus a Ligario repulsus in Thessaliam ad Gn. Pompejum se contulit. Verum postea Cæsari rerum potito conciliatus, coram eo *Ligarium* accusavit, quem fere damnatum Cicero defendit, & ab exilio ei decreto liberavit, Tubero deinceps ab agendis causis ad jus civile transiit, & Offilium audivit.

Doctissimus habitus plures libros de jure publico, & privato scripsit, sed quia verba antiqua affectavit, minus grati sunt habiti. Hic inter alios Antistium Labeonem instituit. [5] *Sulpitiam filiam* Ser. Sulpitii uxorem duxit, ex cujus filia natus est Cassius Longinus Jurisconf. De hoc ita Gellius [6] *M. Cicero in libro, qui inscriptus est de jure civili in artem redigendo hæc verba posuit. Nec vero scientia juris majoribus suis Q. Ælius Tubero defuit, doctrina etiam superfuit. In quo loco superfuit, significare videtur supra fuit, & præstitit, superavitque majores suos doctrina sua superfluenti tum, & nimis abundanti. Disciplinas enim Tubero Stoicas, & Dialecticas percalluerat.* Historias etiam scripsit forte Punici belli, ut ex Gellio constat. * [7]

* *Leges, in quibus Tuberonis nomen legitur exhibet* Chronologia legum, p. 14.

[1] *d. l. 2. §. 47.* [2] *lib. 7. epist. fam.* [3] *§. 1. Inst. de Codicill.* [4] *cap. 77. in C. Cæsare.* [5] *d. l. 2. §. 45. ff. de Orig. Jur.* [6] *d. l. 2. §. 46. & seq.* [7] *lib. 1. cap. 22.* [8] *lib. 6. c. 3. & lib. 10. cap. 28.*

CAP.

CAP. XX.

XVII. P. ALFENUS VARUS Consul, Digestorum libros scripsit; mors & sepultura.

XVII. P. ALFENUS VARUS Cremonensis a Sutrina, quam primo in patria exercuerat, ad Consulatum Romæ ascendit anno humanæ salutis III. cum P. Vinutio nepote. [1] Servii Sulpitii auditor magnam in jure civili auctoritatem habuit. Pomponius [2] loquens de Servio Sulpitio, *Ab hoc, inquit, plurimi profecerunt, fere tamen hi libros conscripserunt, Alfenus Varus, Cajus*, & paulo post. *Ex his auditoribus plurimum auctoritatis habuit Alfenus Varus.* De hoc ita Gellius. [3] *Alfenus Varus Jurisconsultus Ser. Sulpitii discipulus, rerumque antiquarum non incuriosus in lib. Digestorum* XXX. *&* IV. *Collectaneorum autem secundo, In fœdere, inquit, quod inter populum Romanum, & Carthaginenses factum, & scriptum invenitur, ut Carthaginenses quotannis darent Populo Romano certum pondus argenti puri puti, Quæsitum est, quid esset argentum purum putum.* Hæc ille.

Alfeni Vari meminit & *Horatius.* [4] Libros Digestorum XXXIV. fecit, ex quibus plura Pandectis inserta extant. [5] Hæc Digesta *Julius Paulus* in Epitomen redegit, quæ & ipsa in iisdem Pandectis recitantur. [6] A Jaboleno, [7] & aliis citatur, & ipse Servium præceptorem citat. [8] Ad Alfenum Servius scribit. [9] Mortuus, quod paucis contigit, ex publico sepulturæ honorem meruit. * [10]

* *Conferatur Chronologia legum. pag.* 13.

CAP. XXI.

XVIII. PUBLICIUS, forte autor Publicianæ actionis.

XVIII. PUBLICIUS Jurisconsultus, & ipse Servii discipulus, ut auctor est Pomponius, [11] forte *Publicianam* actionem invenit. Nescio an is sit, qui *Ædilis* a Senatu & populo monumenti locum obtinuit, ut sequens indicat inscriptio. C. PUBLICIO L. F. BIBULO ÆDIL. PL. HONORIS, VIRTUTISQUE CAUSA SENATUSCONSULTO, POPULIQUE JUSSU LOCUS MONUMENTO, QUO IPSE, POSTERIQUE EJUS INFERRENTUR, PUBLICE DATUS EST.

1 *d. l.* 2. *§.* 44. *verb. ex his auditoribus.* 2 *in d. l.* 2. *§.* 44. 3 *lib.* 6. *c.* 1. 4 *lib.* 1. *sermonum.* 5 *ut l.* 17. *ff. si servit. vindic. l.* 5. *ff. si quadrup. paup. & alia.* 6 *l.* 34. *ff. de usucap. l.* 3. *ff. de interd. & releg.* 7 *in l.* 25. *ff. qui testam. facere possunt.* 8 *d. l.* 25. *ff. qui test. fac. poss.* 9 *l.* 77. *in fin. ff. de verb. signif.* 10 *Baptist. Fregotius l.* 3. *c.* 4. *qui eum pro Sutrina Tonstrina exercuisse scribit.* 11 *d. l.* 2. *§.* 44.

CAP. XXII.

XIX. ATTEJUS CAPITO, gesta in republica, adulatio cum Tiberio, consulatus, ejus decreta, scripta, autor sectæ, Obitus.

XIX. C. ATTEJUS CAPITO, Avo Centurione, inquit, Tacitus, [1] & patre Syliano Prætorio natus, principem in civitate locum studiis civilibus est assecutus. Tribunus pleb. cum Gallo Aquilio, Gn. Pompejo, & M. Crasso ab interrege Coss. declaratis contradixit, sed frustra, aliis contra illos conspirantibus, ut auctor est Dion. [2] *Postea Capitonis Consulatum adceleraverat Augustus, ut Labeonem Antistium iisdem studiis præcellentem dignatione ejus Magistratus anteiret, namque illa ætas duo pacis decora simul tulit. Sed Labeo, incorrupta libertate, & ob id fama celebratior, Capitonis obsequium dominantibus magis probabatur; Illi, quod Praturam intra stetit, commendatio ex injuria, huic, quod Consulatum adeptus est, odium ex invidia oriebatur.* Hæc Tacitus narrans, [3] quæ sub Augusto acta fuerant. Imperante vero Tiberio, continuis imbribus non sine hominum, & ædificiorum strage aucto Tiberi, coercendi fluminis cura Attejo Capitoni, & L. Arruntio est demandata, qui cum vellent flumina, & Lacus, per quos augetur Tiberis, auertere, Florentinis, aliisque populis reclamantibus, nihil egerunt. [4] Deinde cum L. Ennius eques Romanus Majestatis accusaretur, quod Principis effigiem promiscuum ad usum argenti vertisset, neque eum Tiberius inter reos recepisset, palam adversabatur Capito quasi per libertatem, quod patribus jus statuendi non esset eripiendum. *Ob id,* ait [5] Tacitus, *Capito insignitior infamia fuit, quod divini, humanique juris sciens egregium publicum, & bonas domi artes dehonestavisset.* Hæc ille. In his tamen videtur superstitiosus fuisse, qui juris Pontificii inter primos peritus, ait *Macrobius*, [6] nefas esse fanciebat, Deorum formas insculpi annulis, & longam de annulis ejus orationem recitat. In aliis etiam Tiberio blanditus est, cum enim in quodam edicto verbo parum Latino usus esset, idque postea noctu animadvertisset, omnes, qui erant in hujusmodi verbis versati, accersivit ad se, studebat enim latine, & eleganter loqui. Cumque Attejus Capito dixisset, *Quanquam hoc verbo nemo usus est antehac, id tua tamen causa recipiemus in posterum, & inter vetera referemus.* [illegible] Procilius, vel, ut alii volunt, Pomponius, ad hæc verba ita respondit. *Hominibus quidem dare Cæsar potes civitatem Romanam, Latinis verbis non potes.* Hunc Tiberius,

[1] *lib. 3. Annal. in fin.* [2] *lib. 39.* [3] *Tacit. lib. 3. Annal.* [4] *Tacitus lib. 1. Annal. ad fin.* [5] *lib. 3. Annal. cap. 70.* [6] *lib. 7. cap. 13.*

quan-

quanquam nimia licentia loquendi usus fuerat, nullo damno affecit. Hæc Dion. [1] Consul ab Augusto Capito cum Germanico Cæsare est creatus, in quo Magistratu *decrevit, ne invitam libertam patronus uxorem duceret.* [2] Plures libros reliquit, aliquot de *jure Pontificio*, [3] unum de *officio Senatorio*, [4] alios de *publicis judiciis*, ex quorum octavo *Gellius* [5] hanc recitat historiam. *Aulus Hostilius Mancinus Ædilis curulis fuit. Is Manuliæ meretrici diem ad populum dixit, quod de ambulacro ejus noctu lapide ictus esset, vulnusque ex eo lapide ostentabat. Manulia ad Tribunos plebis provocavit. Apud eos dixit comessatorem Mancinum ad ædes suas venisse, eum recipere noluisse in æde sua, sed cum vi irrumperet, lapidibus repulsum. Tribuni decreverunt, Ædilem ex eo loco jure dejectum, quo eum venire cum coronario non decuisset, propterea, ne cum populo Ædilis ageret, intercesserunt.* Hæc Gellius ex Capitone. Vellejus Paterculus Capitonem Virum patritium patruum suum appellat; [6] Sed an is sit Jurisconsultus, subsisto. Capito, & Antistius Labeo primi diversas sectas fecerunt; Ille enim in his, quæ a majoribus tradita sunt, permansit, hic discessit. Capitoni MASSURIUS SABINUS successit, [7] ex quo SABINIANI ejus sectatores sunt dicti; Unde ipsum jus docuisse conjicio. Obiit Capito anno salutis XXIII. Tiberio imperante, C. Sulpitio, & D. Haterio Coss. [8] Inter alia plures *Conjectaneorum libros* reliquit, in quibus Senatus aut Tribunorum decreta, edictaque Augusti, aut Tiberii recitat, ut auctor est Gellius. [9] De publicis etiam *judiciis* Commentarium scripsit, [10] *& alios Pontificalium.* * [11]

* *Citatur in legibus quas vide in* Chronologia juris *p.16.*

CAP. XXIII.

XX. ANTISTIUS LABEO filius Antistii Labeonis, contentio cum Capitone; philosophiæ stoicæ deditus, ejus scripta, autoritas, de introductione Codicillorum.

XX. Q. ANTISTIUS LABEO filius *Antistii Labeonis* Jurisconsulti, & Senatoris fuit, qui cum C. Cæsare in Galliis militaverat. Postmodum eo relicto, ad Pompejum in Thessaliam transiit, ut *Plutarchus* tradit; [12] Sed & occiso Cæsare, Bruto, & Cassio, qui eum interfecerant, adhæsit, quibus prælio fusis, & extinctis, a servo se iussit occidi, quemadmodum *Appianus* [13] narrat. *Labeo*, inquit, *sapientiæ nomine*

[1] *lib. 57.* [2] *l. 29 ff. de ritu nupt.* [3] *Gelli. lib. 4. c. 6.* [4] *Gell. l. 4. c 10.* [5] *d. lib. 4 cap. 14.* [6] *Posterio. volum. ad M. Vicinium Cos.* [7] *d. l. 2. § 47. ff. de Orig. Jur.* [8] *Tacitus lib. 3. Annal. ad fin.* [9] *l. 2. c. 24. l. 4. c. 14.* [10] *Gelli. l. 10. c. 6.* [11] *Festus in verb. mundus.* [12] *in C. Cæsare.* [13] *lib. 4. de bello civili ad fin.*

illustris Labeonis illius parens, cujus ob Legum experientiam celebre nomen est, locum in tabernaculo ad corporis sui modulum effodit, & quæ conjugi, filiusque indicaret, servis suis ex ordine disseruit; epistolas etiam familiaribus afferendas dedit. Unum præterea ex his fideliorem dextra apprehensum ad se circum egit, ut Romanis in liberandis servis mos fuit, moxque gladium ei tradidit, jugulandumque se ultro obtulit, sic illi tabernaculum sepulchrum præstitit. Hæc ex *Appiano* libentius retuli, quod & is Jurisconsultus fuerit, ut Pomponius refert, [1] & ob id eum Sapientiæ nomine illustrem Appianus vocat, & magnæ Labeonis filii doctrinæ testimonium exhibet. Is igitur Offilii, Trebatiique & aliorum discipulus fiducia ingenii, & doctrina, qua magna præditus erat, fretus a majorum traditionibus discedens, plura innovavit, quemadmodum in Capitone est dictum, unde novam sectam instituit, cui Nerva auditor, mox Proculus succedentes dissensionem adauxere. Cum vero Capitoni Massurius Sabinus successisset, dicti sunt Proculiani, & Sabiniani in duas sectas abeuntes. [2] Attejus Capito in quadam epistola Labeonem Antistium Legum, atque morum populi Roma. jurisque doctum apprime fuisse scribit. *Sed agitabat*, inquit, *hominem libertas quædam nimia, atque vecors, usque adeo, ut D. Augusto jam Principe, & Remp. obtinente, ratum tamen pensumque nihil haberet, nisi quod justum, sanctumque in Romanis Legibus legisset. Citatus etiam a Trib plebis noluit ire, dicens, illum jus prehendendi, non vocandi habere*, ut Gellius [3] recitat Cum Triumvir legendo Senatui creandus esset, Labeo M. Lepidum olim Augusti hostem, & tunc exulantem legit, interrogatusque ab Augusto, an alii essent digniores, suum quemque judicium habere respondit, ut Tranquillus [4] refert, qui subiit, *nec ideo ejus libertas, aut contumacia fraudi cuiquam fuit.*

Propter hanc morum licentiam Horatius scripsit, [5] *Labeone insanior.* D. Augustinus [6] scribit, Labeonem numina bona a numinibus malis hac cultus diversitate distinxisse; Malos enim Deos propitiari cædibus, & tristibus supplicationibus, bonos autem obsequiis lætis, atque jucundis, qualia sunt ludi, convivia, lectisternia, quod ex Platonica, & Stoica disciplina sumpsit, cui operam dederat. Cum illi Consulatus ab Augusto offerretur, quo suffectus fieret, recusavit, sed plurimum studiis incubuit, totumque annum ita diviserat, ut sex mensibus Romæ esset, sex mensibus secederet, & conscribendis libris operam

[1] *d. l. 2. §. 47. ff. de Orig. Jur.* [2] *d. l. 2. §. 25. & fin. Inst. de rer. divis.* [3] *lib. 13 c. 12.* [4] *in Augusto c. 54.* [5] *Satyrarum lib. 1. Satyr. 3.* [6] *lib. 2. de civita. Dei, c. 7. & lib. 8. c. 13.*

daret, quorum XL. volumina reliquit, [1] inter illa erant ad *XII. Tab. Commentaria*, quorum particulam Gellius recitat. [2] Nuper inventis Codicillis, dubitabatur, an essent recipiendi; Cum vero inter hanc ambiguitatem Labeo Codicillos fecisset, nemini dubium fuit, quin essent recipiendi. [3] Gellius vero [4] ejus doctrinam, & opera his verbis exponit. *Labeo Antistius juris quidem civilis disciplinam principali studio exercuit, & consulentibus de jure publice responsitavit, ceterarumque bonarum artium non expers fuit, & in Grammaticam sese, atque Dialecticam, litterasque antiquiores, altioresque penetraverat, Latinarumque vocum origines, rationesque percalluerat. Eaque præcipue scientia ad enodandos plerosque juris laqueos utebatur. Sunt libri post mortem ejus editi, qui posteriores inscribuntur, quorum librorum tres continui, trigesimus octavus, trigesimus nonus, & quadragesimus pleni sunt id genus rerum, ad enarrandam, & illustrandam linguam Latinam conducentium. Præterea in libris, quos ad Prætoris edictum scripsit, multa posuit partim lepide, atque argute reperta, sicuti hoc est, quod in quarto ad edictum libro scriptum legimus, Soror, inquit, appellata est, quod quasi seorsum nascitur, separaturque ab ea domo, in qua nata est, & in aliam familiam transgreditur.* Hæc Gellius, qui Labeonis *libros posteriorum* non X. ut in Pandectarum indice notatur, fuisse scribit, sed minimum XL. Idem scriptor libros ejusdem *ad edictum Prætoris* omisit. Cur vero ipsius *posteriores libri* sint inscripti, ex prædictis apparet. Plura ex his Jabolenus recitat, [5] eos enim in *Epitomen* redegerat: [6] πιθανῶν libros VIII. reliquit, quos Julius Paulus in Epitomen redegit, [7] sed & hi libri sæpe in Pandectis recitantur, [8] qui forte sunt, qui a Jaboleno referuntur, ab eo in Epitomen redacti, [9] πιθανῶν autem vocantur, id est *probabilium*. A labiis immodicis Labeones dictos Plinius, [10] & Donatus [11] autumant, Priscianus a labe deducit. *

* *De Antistii Labeonis legibus videatur Chronologia legum romanarum pag. 16.*

CAP. XXIV.

XXI. MASSURIUS SABINUS, ejus paupertas, primus jus respondendi obtinet; ejus scripta, differentia a Sabino Consulari.

XXI. MASSURIUS SABINUS cum tenues haberet facultates, ab auditoribus, quos erudiebat, est sustentatus, [12] & jam quin-

[1] *d. l. 2. §. 47. ff. de Orig. Jur.* [2] *l. 1. c. 12. in fin. & lib. 7. c. 15. & lib. 70. c. 1.* [3] *§. 1. Inst. de Codicill.* [4] *lib. 13. c. 10.* [5] *ut in l. 10. cum seq. ff. de supell. lega. in l. 39. de aur. & arg. legat. in l. 25. ff. de fund. instr. vel instrum. leg. l. 41. & sequ. ff. de usu & usufr. & habit.* [6] *l. 6. ff. de dote præleg. l. 29. & seq. ff. de leg. 3.* [7] *ut in l. 12. ff. de supell. legat. l. 5. ff. de fund. instr. vel instru. leg.* [8] *ut in l. ult. ff. eod. tit.* [9] *ut in d. l. 6. ff. de dote prælegat.* [10] *l. 11. c. 36.* [11] *in Eunucho Terentii actu 2. scena 3.* [12] *d. l. 2. §. ult.*

quagenarius in ordinem Equestrem receptus. Attejo Capitoni successit, & primus ab Augusto, mox a Tiberio jus respondendi de jure obtinuit. Hujus meminit Persius loquens de manu misso vindicta hoc carmine.

Vindicta postquam meus a Prætore recessi
Cur mihi non liceat, jussit quodcunque voluntas,
Excepto, si quid Massuri rubrica notavit.

In catalogo Jurisconsultorum Pandectis præfixo scribitur, tres libros juris civilis reliquisse, quorum nullum certum extat vestigium; sed ejus secundum librum Responsorum Callistratus, [1] & quintum ad edictum Prætoris Urbani, [2] & librum memorialium Paulus, [3] & libros ad Vitellium Ulpianus citant. [4] Ad Massurium Sabinum, [5] & non Sabinum consularem, ut *Lampridius* falso putavit, [6] Ulpianus lib. 51. Paulus [7] 6. scripserunt. Ab hoc ejus sectæ Jurisconsulti *Sabiniani*, ut supra est dictum, sunt appellati. *

* *Leges ex hujus JCti scriptis excerptæ memorantur in* Chronologia leg. roman. *pag.* 16.

CAP. XXV.

XXII. COCCEJUS NERVA, ejus consulatus & fata.

XXII. COCCEJUS NERVA pater Antistio Labeoni successit. Illius M. Coccei Nervæ filius esse creditur, qui Triumviratus tempore cum L. Gellio Publicola cos. fuit. [8] Eum etiam Tacitus [9] Consulatu functum fuisse scribit, & Tiberium ad Capreas in Campaniam secedentem secutum: *Profectio*, inquit, *arcto comitatu fuit; Unus senator Consulatu functus Coccejus Nerva, cui legum peritia*, qui post annos septem quam eo pervenit, inedia vitam finivit. Idem Tacitus, *Haut multo post*, *inquit*, [10] *Coccejus Nerva continuus comes Principis, omnis divini, humanique juris sciens, integro statu, corpore illæso, moriendi consilium cepit. Quod ut Tiberio cognitum, adsidere, causas requirere, addere preces, fateri postremo, grave conscientiæ, grave famæ suæ, si proximus amicorum, nullis moriendi rationibus, vitam fugeret. Aversatus sermonem Nerva abstinentiam cibi conjunxit, donec vitam efflaret. Ferebant gnari cogitationum ejus, quanto propius mala Reip. viseret, ira, & metu, dum integer, dum intentatus honestum finem voluisse.* Hæc ille: Fuit hic annus humanæ salutis XXXIV. sæpe ab Ulpiano, & aliis citatur. [11] *

* *Mentio hujus JCti fit in multis legibus v. chronolog. jur. p.* 17.

[1] *l.* 4. *in prin. ff. ad leg. Rhod. de jactu.* [2] *l.* 18. *ff. de oper. libert.* [3] *l.* 144. *ff. de ver. signif.* [4] *l.* 45. *ff. de legat.* 3. *l.* 8. *&* 12. *ff. de fund. instr. vel instrum. leg.* [5] *l. ult. C. de hæred. instit.* [6] *in Heliogabalo.* [7] *princ. verb. quod non. l. de hæred. instit.* [8] *Dion. lib.* 49. *in princ.* [9] *lib.* 4. *Annal.* [10] *lib.* 5. *Annal.* [11] *l.* 5. *ff. de rei vind. l.* 3 *ff. de usufr. ear. rer. quæ usu consum. & alibi.*

CAP.

CAP. XXVI.

XXIII. COCCEJUS NERVA filius, ejus ingenii felicitas, honor ipsi a Nerone exhibitus, ejus libri, nimia ejus argutia.

XXIII. COCCEJUS NERVA hujus filius ea ingenii felicitate fuit, ut anno ætatis XVII. publice de jure responderit. [1] Huic Prætori designato Nero anno humanæ salutis LXVI. ornamenta Triumphalia dedit, & Statuas erexit. Tacitus, [2] *Triumphale, ait, decus Petronio Turpiliano Consulari, Coccejo Nervæ Prætori designato, Tigillino Præfecto prætorii tribuit, Tigillinum, & Nervam ita extollens, ut super triumphales in foro imagines apud Palatium effigies eorum quoque sisteret.* Hactenus ille. Hic Nervæ Imperatoris pater fuisse existimatur. Libros de *Usucapionibus* composuit a Papiniano citatos, [3] & alios *Responsorum* ab Ulpiano nominatos. [4] Ob nimiam argutiam Nervam derisum esse *Paulus* scribit, [5] qui servum domi ob pensionem a conductore non solutam inclusum per fenestram ostensum extra ædes videri volebat.

* *Leges, in quibus Nervæ mentio fit. v. in chronologia juris. pag. 17.*

CAP. XXVII.

XXIV. PROCULUS, differt a Licinio Proculo, scripta, Proculiani.

XXIV. PROCULUS Nervæ successit. Multi hunc esse *Licinium Proculum* arbitrantur, quem Præfectum Prætorio Othonis fuisse Tacitus [6] narrat, & non *levem juris auctorem* Marcus Antoninus cum fratre appellat. [7] *Epistolarum* libros octo reliquit, quarum fragmenta in jure reperiuntur, [8] ab hujus secta *Proculiani* sunt vocati. Quandoque tamen alter eorum in alterius sectæ opinionem transiit. [9] Hunc Atilicinus & ipse Jurisconf. consulit, [10] quem Paulus citat, [11] quandoque tamen a Celso est derisus, [12] Cajo Cassio Longino sæpe contradixit, unde Proculianorum secta emanavit. [13] *

* *Conferatur chronologia legum pag. 18.*

CAP. XXVIII.

XXV. CAJUS CASSIUS LONGINUS ejus origo, historia ejus apud Tacitum, Puteolanorum seditionem comprimere debet, ejus deportatio.

1 *l. 1. § 2. ff. de postulando.* 2 *lib. 15. Annal.* 3 *in l. 47. ff. de acq. poss.* 4 *l. 2. ff. de his, qui not. infa. l. 13. ff. de usufr. & alibi.* 5 *in l. pen. ff. in quib. causis pign. vel hypoth. tacite contrah.* 6 *lib. 17. Annal. seu l. 1. Histor.* 7 *in l. 17. ff. de jur. patro.* 8 *in l. 16. quemad. servit. amitt. l. 31. ff. de dolo, l. 12. ff. de offic. præsid. l. 36. ff. de pact. l. 68. 69. ff. de contr. emption. l. 53. ff. de cond. indeb. l. 44. ff. de adopt.* 9 *l. 1. ff. rer. amotar.* 10 *l. 17. ff. de pact. dotal.* 11 *in l. 35. de servit. rust. præd.* 12 *l. 10. § 1. ff. de neg. gest.* 13 *d. l. 2. § ult. ff. de orig. jur.*

XXV.

XXV. Cajus vero CASSIUS LONGINUS secutus est Sabinum ex filia Q. Tuberonis, quæ Ser Sulpitii neptis fuit, genitus. Cum M. Vinutio Quartino sub Tiberio Cos. fuit, ejusque neptem uxorem duxisse videtur, nam a Tacito [1] Tiberii progener vocatur; Pene a Caligula occisus est, cum sortes Antiatinæ monuissent, ut a Cassio caveret, Sed intelligebant Chæream Cassium, qui eum percussit. [2] Postea anno salutis XLII. Syriæ Præfectus jussus est a Claudio tunc imperante Meherdatem, qui obses Romæ in regem a Parthis petebatur, ad ripam Euphratis deducere, ut autor est Tacitus, [3] qui subdit, *Ea tempestate Cassius cæteros præeminebat peritia legum, nam militares artes per ocium ignotæ, industriosque ac ignavos pax in æquo tenet. Attamen quantum sine bello dabatur revocare priscum morem, exercere legiones, cura, provisu agere, perinde ac si hostis ingrueret, ita dignum majoribus suis, & familia Cassia ratus per illas quoque gentes celebrata.* Hæc Tacitus, qui & alia prosequitur, quæ longum esset referre. Inde Cassius Romam reversus Senatum frequentavit, & cum ad Puteolanorum seditionem comprimendam electus nimia severitate uteretur, illud negocium aliis est demandatum. [4] Forte autem Pedanio secundo Præfecto Urbi a servo occiso, gravem in Senatu orationem habuit, & obtinuit, ut de tota 400. hominum familia, quæ existens sub eodem tecto auxilium domino non tulerat, supplicium sumeretur. [5] Demum Nero objecit Cassio, quod inter majorum imagines etiam Caii Cassii effigiem coluisset ita inscriptam, *Partium Duci.* Itaque in Sardiniam Insulam Cassius est deportatus, [6] sed postea a Fl. Vespasiano ab exilio revocatus diem suum obiit. Tranquillus scribit, [7] Cassium luminibus orbatum fuisse. Paulus Sabinum Caji magistrum vocat, [8] ipse Aristonem docuit. Justinianus [9] *nostrum Cajum* appellat, forte quia ab eo Institutiones extraxit, aut ad aliorum differentiam, qui Caji appellati extra jura opera composuerunt. Nam & Pomponius nostrum Gajum vocat; [10] de quo latius Antonius Augustinus. [11]

Plures de origine vocabulorum libros, & alios annalium, ut auctor est Gellius, [12] composuit, cum in plerisque a Proculo dissentiret, sectam *Cassianorum* instituit, quæ a Proculianis differebat. [13] In

1 *lib. 5. Annal.* 2 *Tranquill. in Caligula. c. 17.* 3 *lib. 12. Annal.* 4 *Tacitus lib. 13. Annal.* 5 *Tacit. lib. 14. Annal.* 6 *Tacit. lib. 16. Annal.* 7 *In Nerone. cap. 37.* 8 *in l. 19. §. 1. ff. de recept. arbitr.* 9 *§. 6. proœm. J.* 10 *in l. pen. ff. de stip. servo.* 11 *lib. 1. emendat. c. 5.* 12 *lib. 11. cap. 17. lib. 17. cap. ult.* 13 *l. 7. §. 7. ff. de acq. re. dom.*

domo

domo propria, & alibi Cassius docebat. Eum Plinius Scholæ Cassianæ Principem, & parentem appellat. [1]

Alius etiam *Cajus Longinus* fuit ex ordine Equestri, qui Prætor factus est, sed non fuit tantæ auctoritatis, ut Proculus, [2] Hic est, cujus scripta in Pandectis leguntur, vixitque sub Marco Antonino, quem citat. [3] *Sacratissimi, inquit, Principis nostri oratione cavetur, ut matris intestatæ successio ad liberos, etiamsi in aliena potestate extent, pertineat.* Sine dubio Marcum philosophum intelligit, cujus tempore factum fuit Senatusconsult. Orficianum, quod ipse libro singulari [4] interpretatus, ut ex Institutionibus *eod. tit.* apparet. Ipse non multo post Hadriani tempora se vixisse indicat. [5] Hic est Cajus, cujus nomen celebratur in Pandectis, & Institutiones juris libris IV. composuit, unde suas Justinianus extraxit. *Ad senatusconf. Orficianum*, librum singularem edidit, [6] cujus in catalogo Jurisconsultorum, & eorum operum nulla fit mentio, *ad edictum Provinciale libros 32.*, *ad Urbicum* IX. qui reperiuntur, & alios, qui in fronte Pandectarum sunt descripti. Hic est Cajus Cassius, qui ab Ulpiano [7] citatur.

CAP. XXIX. VI.

XXVI. COELIUS SABINUS, scripsit de pileatis servis. Autoritas Vespasiani temporibus.

XXVI. COELIUM SABINUM Aulus Gellius [8] scriptum reliquisse memorat, quod pro servis, qui pileati vendebantur, nihil emptori evictionis nomine venditor præstaret. *Cujus rei causam esse ait, quod emptores errare, & capi non possent, sed oculis jam perciperent, quodnam esset mancipiorum genus, namque impositus pileus demonstrabat ejusmodi servos venundari, quorum nomine emptori venditor nihil præstaret.* Ipsum etiam defunctorum voluntates solitum fuisse religiosissime custodire, *Plinius* eidem scribit. [9] Auctor est *Tacitus*, [10] Othonem, Cœlium, & Flavium Sabinos in mensem Julii, & Augusti consules designasse; citatur frequenter ab *Ulpiano* [11] Cœlius Sabinus, quem Vespasiani temporibus plurimum potuisse, Pomponius refert. * [12]

* *Videatur Chronologia legum romanarum. pag.* 18.

[1] *lib. 7. epist.* 24. [2] *d. l.* 2. §. *ult. ff. de Orig. Jur.* [3] *in l.* 9. *ff. ad SCtum Tertull.* [4] *l.* 8. 9. *ff. ad SCtum Tertul.* [5] *l.* 7. *ff. de reb. dubiis.* [6] *l.* 8. 9. *ff. ad SCtum Orfic.* [7] *in l.* 4. *ff. de in jus vocando.* [8] *lib.* 7. *cap.* 4. [9] *lib.* 4. *epist.* 11. [10] *lib.* 18. *Annal. seu lib.* 2. *Histor.* [11] *in l.* 14. 17. 20. 38. 65. *ff. de Ædilit. edict. & redhib.* [12] *d. l.* 2. §. *ult. ff. de orig. jur.*

F CAP.

CAP. XXX.

XXVII. PEGASUS, Autor Senatusconsulti Pegasiani, origine ignobilis.

XXVII. PEGASUS Proculo successit, & imperante *Vespasiano*, Urbi præfuit, 1 & autor *Senatusconsulti Pegasiani* extitit, cum esset Cos. cum Pusione, 2 eum Juvenalis 3 a vitæ integritate commendat, quem tamen ignobilem fuisse indicat opinor hoc carmine.

rapta properabat ab olla
Pegasus, attonitæ positus modo villicus urbi.
An ne aliud tum Præfecti, quorum optimus, atque
Interpres legum sanctissimus, omnia quamquam
Temporibus diris tractanda putabat inermi
Justitia. *

* *Conferatur Chronologia legum romanarum. pag.* 18.

CAP. XXXI.

XXVIII. M. MINUTIUS NATALIS, ejus dignitates & idololatria.

XXVIII. M. MINUCIUS NATALIS, ad quem Trajanus scribit, 4 Proconsul Africæ, & Mysiæ inferioris Præses fuit, ut ex græco marmore apud Smetium constat, quod alibi recitavi; ejus commentaria *Salvius Julianus* quandoque refert. 5 Ad eum enim sex libros scripsit. Fuit Idololatra, nam reperitur Æsculapio, ut Deo, aram consecrasse, & Augur fuisse.

CAP. XXXII.

XXIX. PRISCUS JABOLENUS, erudiit Salvum Julianum, varia ejus scripta.

XXIX. PRISCUS JABOLENUS Cœlium Sabinum secutus sub Antonino Pio floruit, quo consultore est usus; Capitolinus, *Multa*, inquit, 6 *de jure sanxit, ususque est juris peritis Vindio Vero, Salvio Valente, Volusio Metiano, Ulpio Marcello, & Jaboleno.* Is inter alios erudiit Salvium Julianum, dum Romæ esset, sed & illi Proconsuli Asiæ, & Præsidi Syriæ assidens in consilio servos suos manumittebat. 7

Rem ridiculam ei accidisse *Plinius* memorat, 8 cum enim Passenius Paulus eques Romanus plures, ut tum moris erat, invitasset, qui

1 *d. l.* 2. *§. ult.* 2 *§.* 7. *Inst. de fideicomiss. hæred.* 3 *Satyr.* 4. 4 *in l.* 9 *ff. de feriis.* 5 *in l. cos. de leg.* 1. 6 *in Antonino Pio.* 7 *in l.* 5. *ff. de manumiss. vindict.* 8 *lib.* 6. *epistol.* 15.

se

se elegos recitantem audirent, ita cœpit. *Prisce jubes, tum Jabolenus, qui aderat, Ego vero, inquit, non jubeo, Cogita, ait Plinius, qui risus hominum, qui joci, & subdit, Est omnino Priscus dubiæ sanitatis, interest tamen officiis, adhibetur consiliis, atque etiam jus civile publice respondet, quo magis, quod tunc fecit, & ridiculum, & notabile fuit. Interim Paulo aliena deliratio aliquantum frigoris attulit.* Itaque Plinius eum levem mente fuisse arguit, Libros XV. ex Cassio reliquit. Epistolarum XIV. Ad Plautium V. *

* *Leges, ex ejus scriptis excerptæ & in jure civili occurrentes enarrantur in* Historia Juris Chronolog. *p.* 19.

CAP. XXXIII.

XXX. JUBENTIUS CELSUS, Pater, sententia ejus de auditu: conspiratio contra Domitianum. Ejus Prætura: de consilio Romano. Celsi obitus.

XXX. JUBENTIUS CELSUS pater locum Pegasi subiit. Hic asserebat, nullum, qui semel audivit, ita surdum effici, qui non exaudiat, si quis supra cerebrum illius loquatur. [1] Videns improbos mores Domitiani adversus eum conjuravit, & forte quadam pœnam evasit. Dion. *Jubentius Celsus*, inquit, [2] *qui cum quibusdam primariis viris contra Domitianum conjuraverat, fueratque ob eam causam delatus, salvus, nec opinato servatus est. Nam cum ab illis, qui eum capturi erant, impetrasset, ut sibi liceret cum Domitiano secreto colloqui, ac deinde illi adularetur, dominumque ac Deum, quibus nominibus ab aliis quoque appellabatur, crebro nominaret, Ego quidem inquit, nihil tale commisi, Sed si differre tibi placuerit, omnia curiose investigabo: Deinde multos ad te deferam, multosque conjuratos indicabo: Ita ob hanc causam dimissus neminem postea indicavit: Sed allatis aliis, atque aliis causis, rem in id tempus distulit, quo Domitianus mortuus est.* Hæc ille. Trajanus postea eum charum habuit, cui etiam statuam poni jussit, ac Prætorem creavit, ut ex *Plinio* liquet, [3] a quo in Senatu Licinium nepotem vehementer increpitum fuisse scribit, qui reis ambitus, & repetundarum accusatis concedi volebat, ut testes Romam evocare possent, quemadmodum accusatores faciebant, & ad jurgia devenerunt. De Celso Prætore ita *Juvenalis*. [4]

Nec dubitant Celsi Prætoris vendere ludis.

idem alibi. [5]

Celso dictare paratæ.

[1] *l. 10. C. qui testam. facer. poss.* [2] *in Domitiano.* [3] *lib. 6. epist. 5.* [4] *Satyr. 8.* [5] *Satyr. 6.*

Romæ in consilio Ducennii Veri Consulis fuit; [1] Erat autem consilium Romæ consessus quinque Senatorum, & totidem Equitum, quibus Consul, aut Prætor præerat, in quo causæ servorum a minoribus 20. anni manumittendorum cognoscebantur, ut *Theophilus* docet. [2] Auctor est *Dion.* [3] Hadriano ad imperium provecto, statim Celsum occisum fuisse, tanquam illi in venatione insidias parasset, Hadrianus tamen in Senatu juravit, eum suo injussu interfectum. Sunt, qui hunc non Jubentium Jurisconsf. sed *L. Publium Celsum*, qui fuit cos. sub Trajano, fuisse affirment, quibus assentio.

CAP. XXXIV.

XXXI. JUBENTIUS CELSUS *Filius*, Consul, Promagister scrinii libellorum. Ejus scripta.

XXXI JUBENTIUS CELSUS filius patri successit, adolescens cognominatus, [4] forte quod in ea ætate de jure responderit, bis Cos. fuit, [5] primo suffectus, secundo ordinarius cum Neratio Marcello [6] sub Hadriano, qui eum in consilio habuit. Spartianus, *Cum judicaret, inquit,* [7] *in consilio habuit non amicos suos, aut comites solum, sed juris peritos, & præcipue Jubentium Celsum, (ita enim legendum pro Julio) Salvium Julianum, Neratium Priscum, aliosque quos tamen Senatus probasset.* Vixit usque ad Antoninum Pium, cujus Scrinii Libellorum promagister, seu proximus extitit, ut indicat marmor Romæ apud Alberinos inventum, in quo apparet, Jubentium Celsum Libello Arii Alfii liberti Arriæ Fadillæ matris Antonini Pii subscripsse. M. Rufino Sabiniano, & C. Julio Severo Coss. qui fuit annus salutis CLVI. Series rei gestæ a Rutilio recitatur. [8] Flavio Respecto Prætori se consulenti Celsus respondisse in Pandectis legitur. [9] Libros *Digestorum* XXXIX. & alios de *Usucapionibus* [10] reliquit, quorum particulæ in Digestis inveniuntur. [11] Celsi patris nullum extat opus, sed eum filius in Pandectis citat. *

* *De scriptis hujus JCti consule* Chronol. leg. Roman. *p.* 22.

CAP. XXXV.

XXXII. PRISCUS NERATIUS, Consulatus ejus, scripta.

1 *l.* 29. *ff. de leg.* 2. 2 *in* §. 4. *Inst. quib. ex caus. manum. non licet.* 3 *in Hadriano.* 4 *in l.* 91. §. 3. *ff. de verb. oblig.* 5 *d. l.* 2. *in fin. ff. de orig. jur.* 6 *l. ult. C. de ser. reip. manu.* 7 *In Ælio Adriano.* 8 *In vitis Jurisconsultorum in Jubentio Celso patre, & filio.* 9 *in l.* 3. §. 1. *ff. de minor.* 25. *ann.* 10 *l.* 47. *ff. de acq. poss.* 11 *l.* 29. *ff. de leg.* 2.

XXXII.

XXXII. PRISCUS NERATIUS, & ipse Celso patri successit. Hic fratrem *Neratium Marcellum* habuit, qui cum Jubentio Celso Consulatum gessit. [1] Ulpianus enim Neratium Priscum Marcello fratri de quadam specie consulenti *lib. 4. epistolarum* respondisse narrat. [2] Neratius Priscus in Trajani consilio cum Aristone fuit, [3] eundemque Hadrianus cum Jubentio Celso, Salvioque Juliano consultorem habuit, prout Spartianus narrat, [4] qui addit, *frequens opinio fuit, Trajano id animi fuisse, ut Neratium Priscum, non Hadrianum successorem relinqueret, multis amicis in hoc consentientibus, usque eo, ut Prisco aliquando dixerit, commendo tibi provincias, si quid mihi fatale contigerit.* Hæc ille.

M. vero Aurelio imperante, cum Annio Vero Neratius iterum Cos. fuit. Quibus auctoribus factum est Senatusconsultum, ut qui servum castrandum dedisset, dimidia bonorum parte mulctaretur. [5] *Regularum libros* XV. *Membranarum* VII. *Responsorum* III. reliquit. Hi notantur in fronte Pandectarum. Sed præter hos citatur in *libris Responsorum*, [6] & 4. *epistolarum*, [7] unde alia ipsum volumina præter supradicta scripsisse apparet. Ejus forte soror fuit Neratia Labeoni nupta, cui vir moriens vestem, mundum muliebrem, ornamenta, lanam, linum, purpuram, omniaque versicoloria legavit. [8]

CAP. XXXVI.

XXXIII. ABURNIUS VALENS. Ejus scripta.

XXXIII. ABURNIUS VALENS Jabeloni Prisci locum subiit; [9] *Fideicommissorum* libros septem reliquit. Ex ejus libro quinto fideicommissorum excerpta est *l. 19 ff. de leg. 3.* Paulus ejus operum particulas quandoque recitat, [10] & sæpe eum citat. [11] Sunt qui hunc Salvium Valentem esse velint, quo Antoninum Pium consiliario usum Capitolinus narrat. [12] Ad hunc Severus cum Antonino filio scribit. [13] Aliqua ex ejus scriptis Pandectis sunt inserta. [14]

CAP. XXXVII.

XXXIV. TITUS AULIUS FEROX, Curator riparum Tiberis.

[1] *d. l. ult. C. de serv. Reip. manu.* [2] *in l. 12. §. 43. ff. de fund. instruct. vel instrum. leg.* [3] *l. ult. ff. si quis a parem. fuer. manum.* [4] *in Ælio Adriano.* [5] *l. 6. ff. ad Leg. Cornel. de siccar.* [6] *l. 19 ff. de in rem verso.* [7] *l. 12. §. 18. ff. de fund. instruct. vel instrum. leg.* [8] *l. 32. §. 6. ff. de aur. & arg. lega.* [9] *d. l. 2. in fin. ff. de origin. jur.* [10] *in l. 78. §. ult. ff. de leg. 3.* [11] *in l. 72. ff. de leg. 2. d. l. 78. §. ult. ff. de leg. 3.* [12] *in Antonino Pio.* [13] *in l. 3. C. de edend.* [14] *in l. 94. ff. de leg. 3. l. 15. ff. de annu. legat.*

XXXIV. TITUS AULIUS FEROX Jurisconsultus, ad quem Proculus scripsit, [1] Trajano imperante, Curator riparum Tiberis, Cloacarumque fuit, ut indicat sequens epigramma inventum Romæ in fundamentis Pontis Sixti.

Ex auctoritate Imperatoris Cæsaris Divi Nervæ fil. Nervæ Trajani Aug. Germanic. Pontif. Max. Trib. Potest. V. Cos. IV. P. P. Titus Julius Ferox Curator Alvei, & Riparum Tiberis, & Cloacar. Urbis terminavit Ripam R. R. ad proxim. Cipp. pedes XXIV. *S.*

CAP. XXXVIII.

XXXV. M. SALVIUS JULIANUS Mediolanensis, ejus Magistratus & scripta nec non sententiæ.

XXXV. M. SALVIUS JULIANUS patria Mediolanensis, & ipse Jaboleno successit, ab eoque eruditus est. Pronepotem habuit *Didium Julianum*, qui postea imperavit. Prætor, & bis Cos. primum cum Torquato sub Antonino Pio, iterum cum Pisone sub Marco Philosopho, in quibus Magistratibus servos suos vindicta manumittens cives Romanos faciebat. Itaque auctoritatem se in facto suo præstitisse narrat. [2] *Ego, inquit, cum meminissem Jabolenum præceptorem meum in Asia, & Syria servos suos manumisisse, cum consilium præbuerat, exemplum ejus secutus, & in Prætura, & in Consulatu meo quosdam ex servis meis vindicta liberavi, & quibusdam Prætoribus consulentibus me idem suasi.* Forte autem a Jaboleno, dum ei Proconsuli in Asia, & Syria assidebat, Salvius Julianus jus civile est edoctus.

Primo Aquitaniam, Belgicam, Dalmatiam, Germaniam, mox Bœticam rexit. Dum Aquitaniæ præesset, ei Hadrianus Imp. rescripsit. [3] Demum Urbi præfuit, ut auctor est *Spartianus*. [4] Hadrianus eum jussit, edicta quotannis a Prætoribus edita brevi libello complecti, quæ postea, oratione habita in Senatu, confirmavit. [5] Unde Julianus edictum perpetuum ordinasse dicitur, [6] cui quædam addidit. [7] Salviani etiam Interdicti, dum esset Prætor, auctor fuisse creditur. Marco Antonino, ejusque fratri valde amicus in eorum consilium sæpe est adhibitus. [8] Vivente, & defuncto Marco, exercitibus cum Paterno Tarruntino Jurisconf. P.P. præfuit, alii Tarruntenum scribunt, qui

[1] *l. 11. §. 2. ff. de aqua & aquæ pluv. arcend.* [2] *in l. 5. ff. de manum. vindict.* [3] *in l. 12. §. pen. ff. de custod. reor.* [4] *in Didio Juliano.* [5] *l. 3. græca. §. 18. & eadem latina, §. si vero postea C. de veter. jur. enucleando.* [6] *l. pen. C. de condict. indeb.* [7] *l. 3 ff. de conjung. cum emancip. liber.* [8] *l. 17. ff de jure patronat.*

quatuor

quatuor de re militari libros composuit. Salvii Juliani filium ad impudicitiam Commodus frustra tentavit. Quare iratus ex inde ipsi Juliano insidias tetendit, ac primo togatum, præsente officio suo in piscinam detrusit; mox nudum, & cymbala quatientem ante concubinas suas saltare jussit, ut *Lampridius* refert, [1] nisi de alio Juliano intellexit.

Accidit autem, ut Lucilla Commodi Soror, cujus filia nupta erat Claudio Pompejano, fratri Principi per generum insidias pararet, quarum conscius est dictus fuisse Julianus, & Paternus. Ferebaturque Paternum, filiam Juliani filio uxorem despondisse, ut imperium in Julianum transferretur. Pompejanus vero Commodum ingredientem Amphitheatrum in quodam angusto loco cum posset occidere, id non fecit, sed districto gladio, ait, Hunc pugionem tibi mittit Senatus. Itaque fatuus nec ipse facinus implevit, & sibi, multisque aliis exitium attulit; Ipse enim & Paternus, & Salvius Julianus, quem Dion. mendose Servium Julianum vocat, [2] aliique occisi sunt. Idem & *Lampridius* affirmat. [3] Sepultus est via Labicana quinto ab Urbe milliario, ubi etiam Didius Julianus ejus pronepos Imperator conditus est.

Reliquit libros *Digestorum* IX. de *Ambiguitatibus* unum; *Ad Minutium* VI. Ad *Ursium Ferocem* quatuor. Ejus celebratur illa memorabilis sententia, quam annum agens LXXXVIII. protulisse fertur; *Si alterum pedem in sepulchro haberem*, adhuc discere vellem, quam *Pomponius* recitat. [4] Verum illa non Juliani, sed alterius, qui Pomponium consuluit, sunt verba; Ejusdem aliud præclarum circumfertur dictum, *nullam legem, nullum Senatus consultum unquam editum fuisse, quod initio ad omnia sufficeret, sed multa postea opus est emendatione aut interpretatione.* Quam sententiam recitat *Justinianus*, [5] Julianum Salvius Aristo, [6] & Sextus Cæcilius Africanus [7] quandoque consuluere. *

* *Leges bujus JCti recensentur in Chronol. leg. Roman. p. 20.*

CAP. XXXIX.

XXXVI. TUSCIUS TUSCIANUS, an idem cum Tuscio Fusciano.

XXXVI. TUSCIUS TUSCIANUS & ipse Jaboleno Prisco successit. Hunc alii *Tuscium Fuscianum* esse credunt, qui Numidiæ

[1] *In Commodo Antonino.* [2] *In eodem.* [3] *Ubi supra.* [4] *in l. 20. ff. de fideicom. libertat.* [5] *in Nov. 74. tit. quib. mod. natural. filii effic. legit. in princip.* [6] *in l. 6. ff. de legat. præstand.* [7] *in l. 3. ff. de agnosc. & alend. lib.*

legatus

legatus ſub Antonino Pio fuit. [1] Ad eundem Fuſcianum alicujus provinciæ Præſidem Severus, & Antoninus ſcribunt. [2] Sub Commodo Urbi præfuit, cui in ma iſtratu Pertinax, qui poſtea imperavit, ſucceſſit. *Capitolinus* de Pertinace loquens, *Poſt hæc*, *inquit*, [3] *Præfectus Urbi factus*, *in qua Præfectura poſt Fuſcianum hominem ſeverum Pertinax mitiſſimus*, *& humaniſſimus fuit*, *& ipſi Commodo plurimum placuit*, ſub quo cum Dullio Sillano Coſ. fuit. Fuſciana forte hujus filia extitit, ad quam Alexander reſcribit. [4]

CAP. XL.

XXXVII. PATERNUS TARRUNTENUS.

XXXVII. PATERNUS TARRUNTENUS P. P. Commodi inſimulatus eſt, quod contra ipſum conjuraverit, & filiam ſuam Salvii Juliani filio deſponderit, ut in Julianum transferret imperium, eſt occiſus, Lampridius, [5] & Dion. [6] Quatuor *Militarium* libros reliquit, quorum paucæ in Pandectis extant particulæ. [7] Alius fuit *Paternus*, ad quem Alexander Imp. ſcribit. [8]

CAP. XLI.

XXXVIII. SEX. CÆCILIUS AFRICANUS, ejus origo, non confundendus cum Julio Africano: ejus ſcripta.

XXXVIII. SEX. CÆCILIUS AFRICANUS ex eo Africano deſcendere creditur, qui, Nerone imperante, cenſum per Gallias egit cum Q. Voluſio, & Trebellio Maximo, nobilisque fuit, quemadmodum *Tacitus* memorat. [9] Hunc diſciplina juris, atque legibus populi Romani noſcendis, interpretandisque ſcientia, uſu, auctoritateque illuſtrem fuiſſe *Gellius* ſcribit, [10] & ſe cum eo conveniſſe ad ſalutandum Cæſarem, ſcilicet Hadrianum, aut certe Antoninum Pium, ſub quibus uterque vixit.

Fuit autem ſuppar Salvii Juliani, quem quandoque conſuluiſſe Ulpianus refert. [11] Unde ſuſpectum habeo Lampridium, qui Africanum in Alexandri conſilio ponit, [12] quemadmodum etiam alibi errat, cum aſſerit, [13] Ulpianum ad Sabinum conſularem ſcripſiſſe, qui fuit

[1] *l. 7. ff. de legat præſtan.* [2] *in l. 1. C. de hær. tutor.* [3] *in Pertinace.* [4] *in l. 5. C. qui pet. tutor.* [5] *In Commodo Antonino.* [6] *In eodem.* [7] *in l. 7. ff. de re militar. in l. ult. ff. de jur. immun.* [8] *in l. 1. C. de magiſtrat. conveniend.* [9] *lib. 14. Annal.* [10] *lib. 20. cap. 1.* [11] *in l. 3. §. 3. ff. de agn. & al. lib. l. 39. ff. de legat. 1.* [12] *in Alexandro Severo. in fin.* [13] *in Heliogabalo.*

Maſſurius

Maſſurius Sabinus, non Conſularis, ut ſupra probavi [1] Forte Lampridius intelligit *Julium Africanum*, qui ſub Maximo Coſ. fuit, & ad eum Gordianus ſcribit. [2] *Sex. Africanus* Saluji Juliani diſcipulus libros XIX. Quæſtionum reliquit, ex quibus leges CXXX. in Pandectis ſparſæ reperiuntur a Cujacio erudite explicatæ. * [3]

* *Harum legum indicem invenies in* Chronologia *legum p.* 28.

CAP. XLII.

XXXIX. SALVIUS VALENS, in conſilio Antonini Pii fuit.

XXXIX. SALVIUS VALENS Juriſconſultus, & ipſe iiſdem temporibus floruit, & in Conſilio Antonini Pii fuit, ut auctor eſt *Capitolinus* in Antonino Pio. *Multa, inquit,* [4] *Pius de jure ſanxit, uſusque eſt juriſperitis Vindio Vero, Salvio Valente, Voluſio Metiano, Ulpio Marcello, & Jaboleno,* & ad eum magiſtratu fungentem idem Antoninus Pius reſcripſit. [5]

CAP. XLIII.

XL. SEXTUS POMPONIUS, autor Enchiridii; an in Alexandri conſilio fuerit Lampridii errores.

XL. SEX. POMPONIUS in altero Enchiridii libro Juriſconſultorum, qui ante ſe fuerunt, catalogum, & rerum Romanarum compendium brevitate admirandum compoſuit. Eum in Alexandri conſilio *Lampridius* ponit, [6] quod falſum puto, cum ante Papinianum, Hadriano imperante, vixerit, aut ſaltem ejus ſuppar fuerit, cujus nullam mentionem facit, nec tantum virum, ſi ante ſe fuiſſet, unquam omiſiſſet. Multos alios Alexandri conſiliarios *Lampridius* ſtatuit, qui, eo imperante, ſuperſtites eſſe non poterant, ut Africanum, Alfenum, Triphoninum, Metianum, Celſum, & Proculum, puos longe ante vixiſſe conſtat. Quare ſi ab errore Lampridium tueri volumus, cogimur duos Africanos, totidem Alfenos, Triphoninos, Celſos, & Proculos comminiſci; Sed & in aliis eum falſi ſupra redarguimus, ut non mirum ſit, ſi & in his Juriſconſultis erraverit. Præter *duos Enchiridii libros*, alios 39. *ad Q. Mutium*, *Ad Sabinum* 35. *Ad Plautium* VII. & plures alios Pomponius reliquit, qui in Catalogo Juriſconſultorum ante Pandectas præfixo inveniuntur. Hic, an docuerit, non apparet. *

* *De ejus ſcriptis & legibus in corpus juris relatis vide* Chronolog. leg. roman. p. 26.

[1] *In Maſſurio Sabino.* [2] *in l. antep. C. de oper. libertor.* [3] *lib. tractat. ad Africanum.* [4] *in Antonino Pio.* [5] *in l. 7. §. 1. ff. de accuſat.* [6] *in Alexandro Severo, in fin.*

CAP. XLIV.

XLI. JUNIUS MAURICIANUS: quando vixerit? ejus ſcripta.

XLI. JUNIUS MAURICIANUS eodem tempore, ideſt Antonino Pio imperante, vixit, ut ipſe teſtatur *lib. 2. ad legem Juliam. & Papiam*, [1] ſed an ſcholam rexerit, non conſtat. Ad leges, VI. tantum libros reliquiſſe in præfato Catalogo Juriſconſultorum dicitur; ſed ex ejus libro ſecundo de pœnis aliquid in jure recitatur. [2] Quandoque ab Ulpiano reprehendens Salvium Julianum citatur. * [3]

* *Conferatur* Chronologia noſtra legum romanarum p. 28.

CAP. XLV.

XLII. AELIUS MARCIANUS, Proconſul Bæticæ; ejus ſcripta.

XLII. AELIUS MARCIANUS ſub Antonino Pio Bæticæ Proconſul fuit, ut Pii reſcriptum ad eum miſſum indicat, [4] & ipſe in auditorio publico ſe judicaſſe ſcribit: [5] *Inſtitutionum libros* XVI. *Regularum* quinque & alios reliquit, qui in Pandectarum fronte recenſentur. Falſumque arbitror, quod *Lampridius* ſcripſit, [6] eum in Alexandro conſilio fuiſſe, cum a Pii imperio ad Alexandrum ferme anni LXXX. interceſſerint, ut in aliis mendacii arguitur. Ex Marciani Inſtitutionibus multa ſuis Juſtinianus inſeruit. * [7]

* *Vide quænam ex hujus JCti ſcriptis in jus juſtinianeum translata in* Chronolog. leg. roman. p. 35.

CAP. XLVI.

XLIII. ULPIUS MARCELLUS, ejus ſcripta.

XLIII. ULPIUS MARCELLUS & ipſe in conſilio Antonini Pii fuit, ut auctor eſt *Capitolinus;* [8] ſub Marco philoſopho etiam vixit, nam ejus recentem ſententiam citat. [9] Digeſtorum libros 31. ad leges VI. Reſponſorum unum reliquit. Notas etiam in Salvium Julianum, & Pomponium ſcripſit, [10] item ad librum Regularum Pomponii. De Ulpio Marcello Romæ in hortis Carpenſibus apud Lipſium extat hæc inſcriptio. M. AUR. AUGUSTINIANO 7. COH. VIG. VIX. AN. XXXIII. PRIVATUS AN. XVII. EXCEPTOR. PRÆSIDIS PROVINCIÆ

[1] *in l. 57. ff. de leg. 2.* [2] *in l. 3. ff. de edendo.* [3] *l. 7. §. 1. ff. de pact. l. 25. ff. de uſufr.* [4] *in l. 2. ff. de bis qui ſui, vel alieni ſunt jur.* [5] *in l. 1. in fin. ff. ne de ſtat. defunctor.* [6] *in Alexandro Severo. in fin.* [7] *l. 5. ff. de ſtatu homin.* [8] *in Antonino Pio.* [9] *in l. 3. ff. de bis, quæ in teſtam. delent.* [10] *l. 14. ff. de in rem verſo. l. 15. ff. de uſucap. l. 16. ff. de teſtam. l. 9. ff. de verb. ſign. l. 11. §. 3. ff. de minor. l. 14. §. 1. ad L. Corn. de falſis. l. 3. ff. ad SCt. Trebell.*

M. S.

M. S. [1] ANN. IV. LECTUS IN PRÆTORIA EQUES SIVE TABULARIUS ANN. V. FACTUS 7. IN SYRIA VIX. AN. VIII. CLAUDIA PACATA CONJUX PIISSIMO ULPIUS MARCELLUS NEPOS B. M. FECERUNT.*

* *De legibus in Corpus juris congestis v.* Chronol. cit. p. 24.

CAP. XLVII.

XLIV. VOLUSIUS METIANUS, ejus munera & ſcripta: de SCto Voluſiano.

XLIV. VOLUSIUS METIANUS in ejusdem Antonini Pii conſilio fuit, ut tradit *Capitolinus*, [2] & in Marci Antonini, qui de ipſo cum fratre ita ſcribit, [3] *Voluſius Metianus amicus noſter, & juris civilis, præter veterem, & bene fundatam peritiam, anxie diligens, religione reſcripti noſtri ductus, ſicut coram nobis affirmavit, non arbitratum ſe aliter reſpondere debere:* ſcilicet, ut nepos non petat bonorum poſſeſſionem contra tabulas liberti, quem ejus avus capitis accuſaverat.

Hunc eſſe puto, qui de aſſe, & ejus partibus ſcripſit, & *Voluſiani Senatusconſ.* auctor fuit, quo in tertia parte bonorum puniuntur, qui in alienam litem coeuntes, quicquid ex condemnatiooe redactum fuerit, inter ſe dividunt [4] Fideicommiſſorum libros XVI. & Publicorum XIV. reliquit, quemadmodum in Catalogo Jurisconſultorum ante Pandectas præfixo notatur. Sed & ad *legem Rhodiam* ſcripſiſſe invenitur, ex cujus libris particula Pandectis græce inſerta reperitur.* [5]

* *Conferatur Chronologia legum romanarum. p.* 28.

CAP. XLVIII.

XLV. CERBIDIUS SCÆVOLA, ejus ſcripta, ſententiæ & auctoritas.

XLV. CERBIDIUM SCÆVOLAM, & ipſum Juliani diſcipulum fuiſſe puto, quo, ut ait *Capitolinus*, [6] jurisperito Marcus Antoninus philoſophus eſt uſus. Severi Imperatoris, & Papiniani præceptor fuiſſe fertur, cui etiam in advocatione fiſci ſucceſſiſſe Papinianus ipſe dicitur. [7] Legum Coryphæus cum Julio Paulo, & Ulpiano ab Herennio Modeſtino appellatur. [8] Hujus eſt vulgata illa ſententia, Jus civile vigilantibus ſcriptum eſt. [9] *Digeſtorum* libros 40. *Quæſtionum* 20. *Reſponſorum* VI. & alios reliquit. Scævola quum de

[1] *Id eſt Mœſiæ ſuperioris.* [2] *in Antonino Pio.* [3] *in l.* 17. *ff. de jur. patron.* [4] *l. antep. ff. ad L. Jul. de vi privat.* [5] *in l.* 9. *ff. ad L. Rhod. de jact.* [6] *in M. Antonino Philoſopho.* [8] *Alex. ab Alex. l.* 6. *Gen. dier.* 1. *cap.* 19. [9] *in l.* 13. §. 2. *ff. de excuſ. tut.* [10] *in l.* 24. *ff. quæ in fraud. creditor. facta ſint.*

 jure

jure respondet, solet secundum ea, quæ proponuntur, respondere. Paulus *nostrum Scævolam* appellat, [1] quia ejus discipulus cum aliis fuerat. *

* *De hujus JCti legibus conferas* Chronolog. leg. rom. p. 25.

CAP. XLIX.

XLVI. CLAUDIUS SATURNINUS, Prætor. Quinam Saturnini vocentur? Confunditur cum *Venulejo Saturnino*. Defectus Indicis JCtorum.

XLVI. CLAUDIUS SATURNINUS sub Antonino Pio vixit [2] & Romæ Præturam gessit, [3] vir singularis quandoque opinionis; [4] Unde nostri Legum Interpretes eos, qui soli sunt in aliqua sententia, *Saturninos* vocant. [5] Librum de coronis elegantem scripsit, ut Tertullianus est auctor. [6] *Plura quærentibus, inquit, omnia exhibebit præstantissimus in hac quoque materia commentator Claudius Saturninus. Nam est illius de Coronis liber, & origines, & caussas, & species, & solemnitates earum ita edisserens, ut nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum cæspitem, aut palmitem non alicui capiti invenias consecratum.* Hæc ille.

De *pœnis* etiam *paganorum* librum unum reliquit, ex quo lex una Pandectis inserta reperitur, [7] ita ut mirer, in indice Jurisconsultorum ante ipsas præfixo non contemnendo errore *Venulejo Saturnino* librum illum adscriptum esse. Deceptus est, puto, illius indicis auctor in Saturnini cognomine, ex quo duos, qui ætate annis amplius quinquaginta distant, unum esse censuit. Hic enim sub Pio, ut retuli, Venulejus sub Antonino Caracalla, & Alexandro floruit, [8] ut horum ad ipsum rescripta indicant. Hi etiam Jurisconsulti pro diversis in Pandectis recitantur. [9] Trigintaque novem erunt Jurisconsulti, non triginta octo, ex quorum scriptis sarcinatæ sunt Pandectæ, ut indicis auctor credidit.

CAP. L.

XLVII. QUINTUS SEPTIMIUS FLORENS, Carthaginensis, scientia, scripta, Christianam religionem amplectitur, fit presbyter, delabitur ad Montani dogma.

[1] *In l. 56. §. 3 de jur. dotium.* [2] *l. 4. ff. de legation. l. 1. §. 2. ff. quæ res pignor. oblig. non poss.* [3] *l. 6. §. 7. ff. mandat.* [4] *l. 1. ff. de Senator.* [5] *in d. l. 1. Bal. in l. 1. sub n. 3. C. de sacros. eccles. Jas. in l. 14. sub. n. 7. ff. de reb. cred. si cert. petat.* [6] *lib. De Corona Militis.* [7] *l. 16. ff de pœn.* [8] *l. 1. C. de excus. veter. l. 1. C. quibus non objicit. long. temp. præsc.* [9] *l. 15. & seq. ff. de pœnis.*

XLVII. QUINTUS SEPTIMIUS FLORENS TERTULLIANUS ex civitate Carthaginis provinciæ Africæ patrem centurionem virum proconsularem habuit, quem sub Ælio Hadriano natum esse conjicio. Cum acris, & vehementis ingenii esset, in omnibus disciplinis, quibus accurate incubuit, maxime profecit; In Latinis enim, & græcis literis ita enituit, ut multa utroque idiomate scripserit. In philosophorum quoque sectis, & historiis versatus, potissimum juri civili operam dedit, in quo *de castrensi peculio* librum unum, & *Quæstionum octo* reliquit, ex quibus etiam in Pandectis plura extant jura. [1]

Ethnicus, & idolatra diu fuit, ut ipse in principio libri de *pœnitentia*, & in *Apologetico* fatetur, donec cum Christianis versatus veram fidem amplexus est; Et quia novum nomen Baptismo acquisivit, inde factum esse existimo, ut Polynomius fuerit, & Q. Septimius Florens Tertullianus dictus sit, ut Sergio, Paulo, Eusebio, Pamphilio, & aliis evenit, qui illorum, a quibus baptizati sunt, sibi nomen addiderunt.

Romanæ Ecclesiæ presbyter factus plebem docuit, ad quam etiam absens tres epistolas misit, unam *de vera Circumcisione*, aliam, *quid sit Sabbathum*, tertiam *de cibis Judaicis*, quæ sola ex his adhuc extat. Cum vero in eo statu usque ad mediam ætatem, ut D. Hieronymus scribit, [2] id est circiter annum ætatis quadragesimum permansisset, invidia, & contumeliis clericorum Romanæ Ecclesiæ ad Montani dogma delapsus est, qui cum Maximilla, & Priscilla impiis fœminis novum spiritum se habere jactitabat, ac multa postea adversus catholicos, quos psychicos, id est animales per contumeliam vocat, impie scripsit, ut de *Monogamia*, in qua secundas nuptias non permittit, de *Persecutione in fuga*, de *Jejuniis*, quæ plura, & ardua imponenda esse censet; Adversus eosdem de Estasi libros sex, & septimum nominatim ad Apollonium composuit. [3]

CAP. LI.

XLVIII. PAPIRIUS JUSTUS.

XLVIII. PAPIRIUS JUSTUS in Papiniani schola edoctus sub Severo, & Antonino vixit, [4] *Libros* xx. Constitutionum composuit, in quibus diversorum Principum constitutiones aggregavit. [5] Nec in iis constitutionum verba, sed sensum tantum recitat. *

* *Conferatur Chronologia legum p. 24.*

[1] *Ut l. 23. ff. de testam. militat. l. 3. ff. de castr. pecul. & aliæ.* [2] *De Script. Ecclesiast. in Tertulliano.* [3] *idem in supplemento chronicorum.* [4] *l. 6. C. ex quibus causs. infam. irrogat.* [5] *l. 17. ff. de servit. urb. præd. l. 35. ff. de re judicat. l. 37. 60. ff. de Pact. l. 71. ff. de contrab. empt. l. 21. appell. ff. de appell. & relat.*

CAP. LII.

XLIX. MESSIUS RUSTICUS.

XLIX. MESSIUS Jurisconsultus citatur a Paulo. [1] Hunc puto esse L. Messium Rusticum, qui, Hadriano imperante, alvei Tiberis, & cloacarum Romæ curator fuit, ut ex marmore apud *Smetium* constat.

EX AUCTORITATE IMP. HADRIANI TRIB. POTEST. V. IMP. IV. COS. IV. L. MESSIUS RUSTICUS CURATOR ALVEI, ET RIPARUM TIBERIS, ET CLOACARUM URBIS RR. RESTITUIT SECUNDUM PRÆSENTEM TERMINATIONEM PROXIM. CIPP. PED. CX.

CAP. LIII.

L. CALLISTRATUS.

L. CALLISTRATUS sub Divis fratribus, [2] & Severo scripsit, [3] pluraque opera reliquit, quæ in Pandectarum fronte notantur. Alius CALLISTRATUS Romæ Senator Constantinum Byzantium est secutus, ad quem forte scripta est *L. 19. C. de rei vindicat.*

CAP. LIV.

LI. CLAUDIUS TRYPHONINUS.

LI. CLAUDIUS TRYPHONINUS ex Salvii Juliani auditoribus fuisse creditur. Sub Antonino Caracalla Syriæ præfuit, ut ejus rescriptum indicat; [4] & ipse Tryphoninus se in auditorio judicasse scribit. [5] *Disputationum libros* XXI. edidit, & notas in *Cerbidium Scævolam.* [6] Unde illo posterior esse probatur; una cum Papiniano, & Paulo coram Severo causas cognoscebat. * [7]

* *Leges, ex hujus JCti scriptis excerptas v. in Chronol. leg. p. 33.*

CAP. LV.

LII. ÆMILIUS PAPINIANUS, ejus officia vel munera, mors, crudelitas Caracallæ; elogia ipsi tributa: scripta.

LII. ÆMILIUS PAPINIANUS Hostilium Papinianum, & Eugeniam Gracilem parentes habuit. Sub Cerbidio Scævola eruditus aliis legum peritia excelluit. Primo Assessor Præfectorum

[1] *l. ult. ff. de jur. fisci.* [2] *l. 37. in fin. ff. ad municip. & de incol. l. 11. ff. de decur.* [3] *l. 14. §. 3. ff. de mun. & hon.* [4] *in l. 1. C. de judæis.* [5] *in l. 78. §. penult. ff. de jur. dot.* [6] *l. 58. ff. de admin. tutor. l. 59. ff. de manumiss. testam. l. 17. ff. de fideicom. libert.* [7] *l. ult. ff. de jur fisci.*

præto-

prætorio, [1] mox Magiſter Libellorum Severi Principis fuit. [2] Eum in fiſci advocatione, Cerbidio Scævolæ ſucceſſiſſe *Alexander ab Alexandro* ſcribit, [3] demum Præfectus prætorio fuit, ut teſtatur *Paulus*, [4] qui cum Ulpiano illi aſſedit, & auctor eſt *Spartianus*. [5] Eodemque officio functus eſt apud Antoninum Caracallam, a quo occidi eſt juſſus, quod noluiſſet parricidium ab illo in fratrem Getam commiſſum excuſare; De hoc enim ab Antonino interpellatus Papinianus reſpondit, *facilius eſſe perpetrare parricidium*, *quam excuſare.* Itaque ipſo jubente, Papinianus ſecuri eſt percuſſus.

Cum ad Palatium occidendus traheretur, dixiſſe fertur, ſtultiſſimum fore, qui ſibi ſuccederet, præfectum, niſi violatam præfecturam vindicaret, quod & evenit; Nam Opilius Macrinus Papiniani ſucceſſor, occiſo Caracalla, imperium invaſit. Cum bipenni mactatum Papinianum Antoninus reſciſſet, erga carnificem eſt conquæſitus, quod eum non gladio, ut juſſerat, ſed ſecuri percuſſiſſet, ut Dion, [6] & Spartianus [7] memorant, qui Papinianum juris aſylum, & doctrinæ legalis theſaurum appellat, & addit, Caracallam, pluribus aliis trucidatis, etiam filium Papinianum occidiſſe, qui ante triduum Quæſtor opulentum munus ediderat.

Papinianus vir excelſi ingenii, & acutiſſimi, & prudentiſſimus vocatur. [8] Tantæ vero fuit auctoritatis, ut ubi pares erant Juriſconſultorum contrariæ ſententiæ, ea prævaleret, in qua Papinianus fuiſſet. [9] Notæ quoque in eum ab Ulpiano, Paulo, & Martiano factæ in viri ſplendidiſſimi honorem nullam vim antea habebant. [10] Refert *Bartholomeus Socinus*; [11] Marianum patrem ſibi narraſſe, ſe vivente, Romæ inventam fuiſſe urnam argenteam, in qua Papiniani oſſa erant recondita, cum hac inſcriptione.

ÆMILII PAPINIANI JURISCONSULTI, ET PRÆFECTI PRÆTORIO REQUIESCUNT HIC OSSA, CUI INFELIX PATER, ET MATER SACRUM FECERUNT MORTUO ANNO SUÆ ÆTATIS XXXVI.

Ruſticus, ablata urna argentea, reliquias in Tiberim projecit. Aliud ejus epitaphium marmore inciſum hujuſmodi fuit.

ÆMILIO PAULO PAPINIANO PRÆFECT. PRÆT. JURISCONSUL-

[1] *l. 3. §. 3. ff. de uſur.* [2] *l. 12. ff. de diſtract. pignor.* [3] *lib. Gen. dier. p. c. 19.* [4] *in l. 40. ff. de reb. cred. ſi cert. petat.* [5] *in Peſcennio Nigro.* [6] *in Antonino Caracalla.* [7] *in eodem, & in Severo.* [8] *in l. 16. & l. 30. C. de fideicom.* [9] *l. 1. C. Theod. de reſponſ. prudent.* [10] *l. 1. §. 6. C. d. Vet. Jure enucl. ſeu ff. de concept. Digeſt.* [11] *l. 102. ff. de condit. & demonſtr.*

TO,

TO, QUI VIXIT ANNIS XXXVI. M. IV. DIEBUS X. PAPINIANUS HOSTILIUS, EUGENIA GRACILIS TURBATO ORDINE IN SENIO HEU PARENTES FECERUNT FILIO OPT.

Quæstionum libros XXXVII. *Responsorum* XIX. *Definitionum* II. *de Adulteriis* totidem; Unum Astynomiorum græce conscriptum,[1] ideft, ad *edictum ædilium* reliquit. *

* *Legum, quæ ex Papiniani scriptis in corpus juris translatæ catalogum recenset* Chronol.leg. romanar. *p.*31.

CAP. LVI.

LIII. ARRIUS MENANDER.

LIII. ARRIUS MENANDER consilio Severi Imper. adscriptus, cum in causis, & circa personam Principis, ejusque negociis valde occupatus esset, a tutela, & cura excusari meruit, ut Ulpianus narrat. [2] *Susceptum inquit, tutelam alii non solent deponere, quum qui trans mare Reip. causa absunt, vel hi, qui circa Principem sunt occupati, ut in consiliarii Arrii Menandri persona est indultum:* Id autem statuit Severus. [3] Reliquit Menander tantum *Militarium* libros quatuor. *

* *Conferatur Chronologia legum. p.* 33.

CAP. LVII.

LIV. DOMITIUS ULPIANUS, fata & munera, Christianis inimicus, scripta, Titulus *optimi.*

LIV. DOMITIUS ULPIANUS Tyro, quæ in Syria Phœniciæ colonia fuit, oriundus, [4] Papiniani discipulus Romæ Prætoribus assedit, [5] quibus etiam in villa versantibus consilium præbuit. [6] Mox & Papiniano Præfecto prætorio una cum Julio Paulo assedit. [7] Interea sub Heliogabalo ab officio, quod bonus esset, est remotus, sed eo extincto, Alexander Ulpianum restituit; Ac primum Mammea matre repugnante, mox gratias agente, pro tutore habuit, qui cum multa ab Heliogabalo corrupta emendasset, Flavianum, & Chrestum, ut ipsis succederet, interfecit.

Itaque eorum loco Præfectus Prætorio creatus [8] magnam cum Prætorianis contentionem exercuit, & aliquando ab Alexandro toga

[1] *l.* 1. *ff. de via public. & si quid in ea factum sit.* [2] *in l.* 11. §. 2. *ff. de minor.* 25. *annor.* [3] *in l.* 30. *ff. de excus. tutor.* [4] *l.* 1. *ff. de censibus.* [5] *l.* 9. §. 3. *ff. quod met. caus.* [6] *l.* 8. *ff. de manum. vindict.* [7] *Spartianus in Pescennio Nigro. Lampridius in Alexandro Severo.* [8] *l.* 4. *C. locati. l.* 4. *C. de contr. & committ. stip. Dionys. & Lampridius in eodem.*

prote-

protectus eſt, ne occideretur. In eo Magiſtratu nominis Chriſtiani inimicus multos, inſcio Alexandro, martyrio affecit, &, ut ait *Lactantius*, [1] ſeptem libros de *officio Proconſulis* compoſuit, in quibus Conſtitutiones impiorum Principum collegit de Chriſtianis ſupplicio dandis, quos etiam Impoſtores vocat, [2] ut vulgo ab Ethnicis nominabantur, etſi plures ab ipſis morbo liberatos non negat. Demum a Prætorianis & ipſe divino judicio eſt trucidatus. [3]

Plurima reliquit opera, quæ recenſentur in Catalogo Juriſconſultorum ante Pandectas præfixo. Herennium Modeſtinum inſtituit, quem ſui ſtudioſum vocat, [4] ille Ulpianum κράτιςον ideſt, optimum appellat. [5] Vetus interpres vertit nobilem, ſeu nobiliſſimum, ſed erat epithetum, quo honeſtabantur Præſides, ut in actis Apoſtolorum legitur, [6] *Claudius Lyſius Optimo Præſidi Felici ſalutem.* Alexander Imp. Ulpianum amicum, [7] & parentem ſuum [8] appellat, Diocletianus prudentiſſimum; [9] a Juſtiniano diſertiſſimus, [10] & vir ſummi ingenii [11] nuncupatur. *

* *Vide Chronologiam legum romanarum. p. 56.*

CAP. LVIII.

LV. JULIUS PAULUS Patavinus, munera & ſcripta, de decretis Imperatorum.

LV. JULIUS PAULUS Patavinus, & ipſe Papiniani auditor, primo Romæ advocati officio apud Prætorem, & alios functus quandoque ſe ſuccubuiſſe fatetur, [12] mox Præfecti prætorio Aſſeſſor, [13] deinde Scrinii Memoriæ Magiſter, [14] demum Alexandri Præfectus prætorio fuit. Prius vero cum in Severi conſilio una cum CLAUDIO TRYPHONINO, & PAPINIANO ſuper cauſis a Principe decidendis diſputaſſet [15] quæ recepta erant decreta, in unum tribus libris diſtincta collegit. Sunt autem decreta, ut idem *Paulus* interpretatur, Imperatoris ſententiæ in cognitionibus prolatæ. [16] Plurima, quot nullus alius Juriſconſultus, opera reliquit, ferme ad LXX. volu-

[1] *lib. 5. De juſtitia c. 11. in fin.* [2] *l. 3. ff. de var. & extraord. cognit.* [3] *Dion. in Alexandro.* [4] *in l. 52. §. 20. ff. de furt.* [5] *in l. 2. in fin. in l. 4 in fin. ff. de excuſ. tut.* [6] *Act. 23.* [7] *in d. l. 4. C. locati.* [8] *in d. l. 4. C. de contrah. & committ. ſtipul.* [9] *in l. 11. C. de quæſtion.* [10] *in l. ult. C. de inſtit. & ſubſtit.* [11] *in l. 1. §. 9. C. de caduc. toll.* [12] *in l. 78. §. 6. de leg. 3.* [13] *d. l. 40. ff. de reb cred. ſi cert. petat.* [14] *Spartian. in Peſcennio Nigro.* [15] *l. 38. ff. de minor. l. ult. ff. de jur. fiſci.* [16] *l. ult. ff. de jur. patr. l. 10. ff. d. manum. l. ult. ff. de cond. & dem. l. 240. ff. de verb. ſign. l. ult. ff. de hær. inſt. l ult. ff. ad SCtum Trebell.*

mina, ex quibus ſolum extant libri quinque *Sententiarum*, quos ad filium ſcripſit. *

* *Conferatur Hiſtoria juris chronologica. p. 4.*

CAP. LIX.

LVI. HERENNIUS MODESTINUS, Tempus quo vixit; ejus ſcripta.

LVI. HERENNIUS MODESTINUS Ulpianum, ut ſupra dictum eſt, audivit, [1] qui illi de Dalmatia, ubi Modeſtinus Proconſul fuiſſe dicitur, ſe conſulenti reſcripſit. In Alexandri conſilio fuit, vixitque usque ad Gordianum, ideſt annum 240. ut ipſius reſponſum ad *Sabinianum* militem comprobat, [2] ubi eum non contemnendæ auctoritatis Juriſconſultum appellat. Multa in jure ſcripſit, quæ in fronte Pandectarum enumerantur. Inter alia duos de *excuſationibus tutorum* græca lingua libros ad Ignatium Dextrum. Maximinum filium erudiiſſe fertur. Carmine delectatus, Periocham in libros Virgilii fecit, quæ falſo Ovidio adſcribebatur. Ad Herennium aliquo magiſtratu fungentem Alexander, [3] & Gordianus [4] Imperatores ſcripſiſſe leguntur. *

* *Conferatur Chronologia legum. p. 45.*

CAP. LX.

LVII. ÆMILIUS MACER.

LVII. ÆMILIUS MACER poſt Ulpianum, [5] & Arrium Menandrum [6] & Paulum, [7] quorum ſæpe meminit junior, imperante Alexandro, [8] ſcripſit, ut etiam ex reſcripto ad eum miſſo apparet. [9] *De militaribus*, *Publicis*, *officio Præſidis*, *viceſima hæreditatum*, & *appellationibus* binos libros compoſuit. *

* *Conferatur Chronologia legum. p. 35.*

CAP. LXI.

LVIII. VENULEJUS SATURNINUS.

LVIII. VENULEIUS SATURNINUS ejuſdem Alexandri conſiliarius fuit, ad quem etiam aliquo magiſtratu fungentem ſcribit. [10] Plura opera reliquit, quæ ante Pandectas recenſentur, &

[1] *l. 52. §. 20. ff. de furtis.* [1] *l. 5. C. ad exhib.* [3] *in l. 11. C. ex quib. cauſ. infam. irrog.* [4] *in l. ult. C. ſi ex falſ. inſtr.* [5] *l. 68. ff. ad L. falcid. l. 5. ff. de vacat. mun.* [6] *l. 14. ff. de pœnis.* [7] *l. pen. ff. quando appelland. ſit.* [8] *l. 1. ff. ſi pend. appell.* [9] *l. 3. C. de calumn.* [10] *in l. 1. C. quib. non objicit. long. temp. præſcr.*

in

in illis ſparſa ſpectantur. [1] Sub Antonino Caracalla, [2] & Alexandro vixit. * [3]

* *Videatur Chronologia legum. p. 36.*

CAP. LXII.

LIX. LICINIUS RUFINUS.

LIX. LICINIUS RUFINUS, Antonino Caracalla, [4] Alexandro, [5] Gordiano, [6] & Decio [7] imperantibus claruit; ad quem magiſtratu aliquo fungentem hi Principes ſcribunt. *Regularum* libros XII. ſcripſit, quorum particulæ in Pandectis conſpiciuntur. [8] Julium Paulum, cujus forte auditor fuit, quandoque conſulit. * [9]

* *Conferatur Chronologia legum romanarum. p. 45.*

CAP. LXIII.

LX. FLORENTIUS.

LX. FLORENTIUS ſub hoc tempus floruit. Ad eum enim in aliquo magiſtratu conſtitutum Alexander Imperator reſponſa dirigit, [10] in cujus etiam conſilio fuit, ut tradit Lampridius. [11] *Inſtitutionum* libros XII. compoſuit, quorum particulæ in Pandectis extant. [12] Inde etiam partem ſuarum Inſtitutionum Juſtinianus extraxit.

CAP. LXIV.

LXI. AURELIUS ARCADIUS CHARISIUS.

LXI. AURELIUS ARCADIUS CHARISIUS Herennio Modeſtino, (cum eum citet,) [13] *junior*, Magiſter Libellorum Cari, ut puto, & Carini fuit. [14] Ad eum etiam aliquo magiſtratu fungentem ſcribunt. [15] Ad ipſum Syriæ Præſidem Diocletianus, & Maximianus reſcriptum dirigere [16] creduntur, apud quos pro Chariſio mendoſe legitur Chariſſimo. Alia ad ipſum eorundem Principum reſcripta extant, [17] in quibus per errorem legitur *Aurelio Chreſimo* pro Chariſio, etſi nomen Chreſimi in antiquis marmoribus invenitur.

[1] *l. 8. 11. & ult. ff. quæ in fraud. cred. l. 13. ff. ad SCtum Sillan.* [2] *l. 1. C. de excuſ. vet.* [3] *l. 1. C. quib. non objic. long. temp. præſcript. Lamprid. in Alexand. Severo.* [4] *l. 3. C. de fideicom.* [5] *l. 1. C. etiam per procur. cauſ. in integr. reſtit. agi poſſe.* [6] *l. 8. C. de transact.* [7] *l. 3. C. de acq. poſſ.* [8] *l. 155. ff. de verb. ſign. l. pen. ff. de reg. jur.* [9] *l. 4. ff. quib. ad libert. proclam. non licet.* [10] *l. 8. C. de inoff. teſt.* [11] *in Alexandro Severo.* [12] *l. 4. ff. de ſtat. hominum.* [13] *in l. ult. §. 26. ff. de mun. & hon.* [14] *l. 1. ff. de off. præf. prætor.* [15] *l. 4. C. de calumn.* [16] *in l. 9. C. de quæſtionib.* [17] *l. 27. C. de pact. l. 1. C. ne ruſtic. ad ull. obſequi.*

De testibus, *de officio Præfecti prætorio*, & *muneribus civilibus* singulares libros fecit, quorum particulæ in Pandectis sunt sparsæ. [1]

CAP. LXV.

LXII. EUGENIUS HERMOGENIANUS an differat ab Hermogene? an Codicis Hermogeniani autor? Compilatores Codicum.

LXII. HERMOGENIANUM plerique [2] HERMOGENEM scribendum putant, quoniam apud LAMPRIDIUM [3] in consilio fuisse legerunt. Hermogeniani enim nomen nunquam audierunt. Sed ego hunc Eugenium Hermogenianum esse puto, qui Diocletiano, & Maximiano imperantibus Præfectus prætorio fuit, & in Senatu de persecutione in Christianos decernenda retulit, cum in Circo clamatum esset, ut tollerentur, & decretum obtinuit, ut acta *D. Sabini Episcopi Spoletini à* Cardinali *Baronio* recitata referunt. [4] Hunc credendum est auctorem fuisse *Codicis Hermogeniani*, in quo leges a Claudio usque ad Diocletianum latas collegit, id est usque ad tempus, quo ipse vixit. Alias Principum Constitutiones a Claudio usque ad Valentinianum *Gregorius* ejus P.P. in unum redegit, alias a Constantino usque ad sua tempora *Theodosius* junior. Hi ante Constantinum Romæ docebant, ubi artes liberales tradebantur. [5]

CAP. LXVI.

LXIII. GREGORIUS, varii hujus nominis JCti fuerunt; an compilator Codicis Gregoriani? de Codice Theodosiano.

LXIII. GREGORIUS quoque non est prætereundus, qui fuit P.P. sub Constantino anno salutis 337. [6] ejus Justinianus meminit, [7] sed hunc non constat jura fuisse professum. Ad Gregorium est Diocletiani rescriptum, [8] qui hic esse potuit, & tum aliquem gesisse magistratum.

Alius fuit GREGORIUS sub Valente, & Gratiano V. C. Præfectus annonæ. [9] Huic *D. Gregorius Nazianzenus* Nicobuli filios commendat. [10] Idem Africæ proconsul; [11] Is *Codicis Gregoriani* compilator fuisse creditur, in quo Principum Romanorum jura ab *Hadriano*

[1] *d. l. 1. ff. de off. præf. prætor. d. l. ult. ff. de mun. & hon. & alibi.* [2] *Cujac. l. 2. observ. cap. 27.* [3] *in Alexandro Severo.* [4] *Ann. Domini. 301. in Annal.* [5] *l. 8. §. 1. ff. de judiciis.* [6] *l. 3 C. Theod. de anno & tribut. l. 1. C. de naturalibus liber.* [7] *§. ult. auth. quibus mod. natur. effici sui, seu Novell. 89.* [8] *l. 1. C. si contra jus, vel util. publ.* [9] *l. 15. C. Theod. de pistor.* [10] *Epist. 38. seu 44.* [11] *Pratum Spirituale. c. 196.*

usque

usque ad Valentinianum collegit, quod alter longe anterior Gregorius facere non potuit; Unde hunc inter Jurisconsultos, & forte juris professores referendum puto.

Tertium Codicem Theodosianum junior Theodosius componi jussit, eique leges a Constantino usque ad sua tempora a Principibus Romanis condita inseri voluit. Ejus operis auctores fuerunt *Antiochus, Maximinus, Martyrius, Sperantius, Apollodorus, Theodorus, Epigenius, & Procopius Viri Illustres,* quemadmodum ipse Theodosius memorat *in Novella, de Theodosiani Codicis auctoritate,* de quibus aliqua dicemus.

CAP. LXVII.

LXIV. ANTIOCHUS.

LXIV. ANTIOCHUS Præfectus Prætorio Theodosii junioris, [1] in cunctis sublimis ab eo vocatur. [2] Porticus Constantinopolis exustas restituit. [3] Demum præpositus sacri cubiculi potentissimus fuit, donec exauctoratus, & tonsus decessit, ut auctor est Zonaras. [4]

CAP. LXVIII.

LXV. MAXIMINUS.

LXV. MAXIMINUS eminens in omni litterarum genere [5] Quæstor palatii Theodosii extitit, quæ indicant, illum etiam in jure excelluisse. Comes etiam sacrarum largitionum fuit. [6]

CAP. LXIX.

LXVI. MARTYRIUS.

LXVI. MARTYRIUS comes, & Quæstor Theodosii fidus interpres vocatur, [7] unde jus docuisse videtur.

CAP. LXX.

LXVII. APOLLODORUS.

LXVII. APOLLODORUS sub Arcadio Proconsul Africæ [8] domum Romæ vi occupavit, quam coactus est restituere. [9]

1 *l. ult. C. Theod. de collat. donat.* 2 *d. Novell. 89. de Cod. Theod. auctor.* 3 *Marcellin. in Chronicis.* 4 *Annal. tom. 3. in Theodosio juniore.* 5 *in d. Novella 89.* 6 *l. 11. C. de murilegul.* 7 *in d. Novella 89.* 8 *l. 4. C. de paganis. l. 2. C. Theod. de superexact.* 9 *Novell. Theod. tit. 18. & seq.*

Vir illustris vocatur, erat enim ex consistorio Theodosii, & comes rerum privatarum sub Arcadio. [1]

CAP. LXXI.

LXVIII. THEODORUS.

LXVIII. THEODORUS sub Honorio fuit Præfectus prætorio circa annum salutis 410. [2] & forte idem, qui imperantibus Valente, & Gratiano magistratu militum functus erat. [3]

CAP. LXXII.

LXIX. EPIGENIUS.

LXIX. EPIGENIUS Comes, & magister memoriæ. [4]

CAP. LXXIII.

LXX. PROCOPIUS.

LXX. PROCOPIUS magister militum fuit per Orientem, [5] si is non est alius, qui enim Codicem Theodosianum compilavit, magister memoriæ fuit.

CAP. LXXIV.

LXXI. SPERANTIUS.

LXXI. SPERANTIUS comes consistorii Principis Theodosii fuisse legitur. [6]

CAP. LXXV.

LXXII. TERENTIUS CLEMENS.

LXXII. TERENTIUS CLEMENS libros XX. ad leges edidit. Quo tempore vixerit, non constat. Ad Terentium Correctorem Tusciæ sunt Valentiniani, & Valentis rescripta. [7]

CAP. LXXVI.

LXXIII. PATRICIUS Quæstor Pater, LXXIV. PATRICIUS filius.

LXXIII. PATRICIUS Quæstor, & legum interpres fuit, quem Justinianus antecessorem appellat. [8] Hunc puto fuisse,

[1] *l. pen. C. Theod. de jur. fisci.* [2] *l. ult. C. Theod. de off. rector. pub. l pen. C. Theod. de jurisd. l. 10. C. de episc. & cleric.* [3] *l. 1. C. quæ res export. non deb.* [4] *d. Novella 89.* [5] *l. 36. C. Theod. de erogat. milita. anno.* [6] *d. Novella 89.* [7] *l. 4. C. Theod. de jurisd. l. 61. Cod. Theod. de Decurionib.* [8] *in l. 2. §. 9. C. de veter. jur. enucl.*

qui

qui ſub Valentiniano II. & Theodoſio circa annum ſalutis 394. magiſter officiorum extitit; [1] idem etiam comitis privatarum rerum officio functus eſt. [2]

PATRITIUS alius Leontii filius, & ipſe in jure cum patre peritus, [3] circa annum 495. ſub Leone, & Anthemio magiſtrum officiorum egit, [4] mox Pannoniæ præfuit.

CAP. LXXVII.

LXXV. EUDOXIUS.

LXXV. EUDOXIUS avus Anatolii compilatoris Pandectarum, & pater Leontii juris peritorum, & ipſe Juriſconſultus ſub Theodoſio minore circa annum ſalutis 429. Præfectus prætorio fuit. [5]

CAP. LXXVIII.

LXXVI. LEONTIUS; diverſi hujus nominis.

LXXVI. LEONTII plures fuere; *unus Annicius* dictus: Præfectus prætorio, & Urbi, & Quæſtura, ac Conſulatu ſub Conſtantio functus. *Alter* Urbi Conſtantinopolis biennio, Theodoſio, & Valentiniano III. imperantibus, *præfectus*, [6] legum peritus jus civile Conſtantinopoli docuit, & comes primi ordinis fieri meruit [7] anno ſalutis 427. Uxorem *Jucundam* nomine habuit, ex qua cum prolem ſuſcipere non poſſet, jus liberorum a Theodoſio, & Valentiniano minoribus impetravit, & ut ipſi conjuges, qui in eadem charta ſe invicem hæredes fecerant, ſibi ſuccederent. [8] *Tertius* filius Eudoxii fuit, & pater Anatolii, qui Pandectas conſarcinavit, [9] idem etiam Præfectus prætorio Illyricum rexit; [10] & Comitiva primi ordinis dignitate a Theodoſio minore eſt honeſtatus. [11] Conſulatu quoque functus a Juſtiniano Præfectorius, & Conſularis vocatur. [12] De hoc ita Sidonius. [13]

[1] *l. 2. C. de offic. magiſtr. offic.* [2] *l. ult. C. Theod. de jur. fiſc. l. 20. C. de Epiſc. & cler. l. 9. C. de jur. fiſci.* [3] *d. l. 2. §. 9. C. de V. Jur. Enucl.* [4] *l. 9. C. de proxim. ſacror. ſcrinio.* [5] *l. 1. C. nemini licere ſign. ſalvat. l. ult. C. de Cupreſſ. ex luco Daph.* [6] *l. 1. C. Theod. de profeſſ. qui in urb. Conſt. l. 2. C. de frum. Urb. Conſt. l. 6. C. de hæret.* [7] *l. 1. C. Theod. de profeſſ. qui in Urb. Conſtant.* [8] *l. 1. C. Theod. de teſtam. in novell. Theodoſ.* [9] *d. l. 2. §. 9. C. de V. J. E.* [10] *l. 32. C. Theod. de erog. milit. anno. l. 177. C. Theod. de decur.* [11] *l. 1. C. Theod. de profeſſ. qui in Urb. Conſtant.* [12] *in d. l. 2. §. 9. C. d. V. J. E.* [13] *Ad Conſentinum clariſſimum civem Narbonenſem. Carmin. 23.*

Sive

Sive ad doctiloqui leonis ædes,
Quo bis sex tabulas docente juris
Vitro Claudius Apius taceret
Claro obscurior in decemviratu.

CAP. LXXIX.

LXXVII. ANATOLIUS ejus origo, munera.

LXXVII. ANATOLIUS Leontii filius, & Eudoxii nepos Jurisperitorum jus civile Beryti docuit, [1] & ob id in procemio Pandectarum antecessor vocatur. Prius advocatus, Præfecti prætorio, postea Fisci, ac Pedaneus judex fuit. [2] Demum Cos. ac rerum privatarum Justiniani Comes, orto Constantinopoli terræ motu, parte marmoris ex muro abstracta oppressus periit, ut auctor est *Agathias* ejus temporis historiographus. [3] Vulgus vero juste ipsum ea morte affectum dicebat, quod multos spoliasset, quod tamen non est affirmandum, cum multi eo nequiores illæsi permanserint, & ipse solus occubuerit. Hic cum aliis Pandectas consarcinavit. [4]

CAP. LXXX.

LXXVIII. THEOPHILUS, compilator Institutionum.

LXXVIII. THEOPHILUS vir illustris, magister, jurisque peritus Constantinopoli jura docuit. Is cum Tribuniano, & Dorotheo Institutiones Justiniani ex veterum Jurisconsultorum Institutionibus, & commentariis extractas composuit, [5] Pandectasque ex veterum Jurisconsultorum scriptis cum aliis ad hoc electis consarcinavit, huncque esse puto qui easdem Institutiones in Græcum sermonem, paraphrasi quadam addita, vertit, & Codicem Justiniani cum aliis sociis composuit, [6] quem ille virum Clarissimum, & comitem sacri consistorii appellat.

CAP. LXXXI.

LXXIX. DOROTHEUS.

LXXIX. DOROTHEUS vir illustris Quæstor palatii in splendidissima Berytiensium civitate jura discipulis tradidit. [7]

1 *d. l. 2. §. 9. C. de Vet. Jur. Enucl.* 2 §. Verus igitur *Auth.* de judicibus *seu Novella* 82. 3 *Histor. lib. 5.* 4 *d. l. 2. §. 9. C. de vet. jur enucl.* 5 §. 3. *in proœm. Instit.* 6 § 1. *in p. constit. codic.* 7 *d. l. 2 § 9. C. de veter. jur. enucl.*

CAP.

CAP. LXXXII.

LXXX. CRATINUS.

LXXX. CRATINUS & ipse unus ex consarcinatoribus Pandectarum vir illustris comes sacrarum largitionum Constantinopoli, & ipse jura docuit, [1] eumque optimum antecessorem Justinianus appellat.

CAP. LXXXIII.

LXXXI. THEODORUS.

LXXXI. THEODORUS quoque Justiniano imperante, jura studiosis explicabat, sed an Beryti, vel Constantinopoli, non apparet. In Pandectarum procemii inscriptione antecessor vocatur, quod idem est, quod juris interpres. Hic forte est Theodorus, qui Joanni in Præfectura Orientis successit, [2] a Corippo Africano Theodolus vocatur hoc carmine.

Hinc Theodolus adest patria gravitate magister.

Præfectus etiam prætorio fuit, [3] & Urbi Constantinopolis. [4]

CAP. LXXXIV.

LXXXII. ISIDORUS.

LXXXII. ISIDORUS, eodem Justiniano imperante, jus docebat sive Beryti, sive Constantinopoli. Nam in inscriptione procemii Pandectarum cum aliis quibusdam solum antecessor appellatur.

CAP. LXXXV.

LXXXIII. THALELÆUS.

LXXXIII. THALLELÆUS & ipse eodem tempore jura docebat, de quo aliud non habetur. Inter Basilicon interpretes Isidorus, Thalleleus, & Theophilus nominantur. Sed hos vix esse puto, qui, imperante Justiniano, jura discentibus explicabant.

CAP. LXXXVI.

LXXXIV. SALAMINIUS. Juris interpretes quibus in locis & quo ordine docebant: methodus studendi jura a Justiniano præscripta: de scholis Constantinopolitana & Berytinis, juridicis. Numerus jus docentium: Variæ appellationes jus docentibus attributæ. De antiquitate scholæ Bery-

[1] *d. l. 2. §. 9.* [2] *Novell. 112. & seq.* [3] *l. antep. C. de advoc. diverſ. judic.* [4] *l. 13. C. de non num. pecun. l. 9. C. de. repud.*

tensis; de Romana schola. An docentes salarium habuerint. De annona docentibus constituta. Studiosorum officia. Modus interpretandi veterum JCtorum.

LXXXIV. SALAMINIUS ultimus inter sui temporis antecessores a Justiniano recensetur. [1] Octo tantum, ipso imperante, jura docebant, quatuor, credo, Constantinopoli, totidem Beryti. Ex duobus millibus librorum juris, & ex tricies centenis millibus versuum vix sex libros, & sexaginta millia versuum explicabant. Primo quidem anno *Caji* Institutiones interpretabantur, & alios *de re uxoria*, *tutelis*, & *testamentis*, *ac legatis*. Aliis tribus annis alias partes legum per saltum non ordine exponebant, & quatuor annis discentes studia explebant. [2] Justinianus libris quinquaginta universum juris corpus complexus, *primo* anno Institutiones, & quatuor Pandectarum libros, usque ad librum quintum, idest, titulum de Judiciis, explicari mandat. [3] Unde octo hos libros unius anni spacio interpretari voluit, cujus auditores *novos Justinianos* præcipit appellari, prius enim *dupondii* quasi bilibres, & leviores existentes vocabantur. [4] *Altero* vero anno vel secundam Pandectarum partem, idest, septem libros de Judiciis, vel tertiam, idest, octo libros de rebus, jubet declarari, alternisque annis alteram ex his partibus exponi, & his addi unum librum *de dotibus*, idest, vel XXIII. vel XXIV. vel XXV. Digestorum, & unum *de tutelis*, unum *de testamentis*, de *legatis* item unum, quem docens voluerit. *Tertio* anno sive de *Judiciis*, sive *rebus* partes, secundum vicissitudinem, prout sors tulerat, essent interpretatæ, tres alios addi præcepit libros scilicet XX. *de pignoribus*. XXI. de *ædil. edicto*, & XXIII. *de usuris*, & hujus anni discipulos *Papinianistas* appellavit, quia liber XX. & XXII. a Papiniani lectione incipiunt, lætumque & festum eum diem agebant, quo illius lectionem auspicabantur. *Quarto* anno mandat exponi decem libros a XXIII. de *sponsalibus* usque ad sextam partem, idest, librum XXXVII. *de bonorum possessionibus*, qui sunt libri XIV. Sed exceptis illis quatuor, qui sunt jussi declarari in fine tertii anni, supersunt libri decem, qui eo anno sunt interpretandi, cujus auditores λύται, id est, solvendis quæstionibus idonei vocabantur. [5] *Sextam* vero, & septimam partem Pandectarum, quæ libris XIV. continentur, mandavit a studiosis sine interprete legi, sed il-

[1] *In Inscriptione procem. Pandect.* [2] §. 1. *in procem. ff.* [3] §. 2. *in procem. ff.*
[4] *Adrian. Turneb. Adversarior. l. 8 c. 19.* [5] §. 5. *in procem. ff.*

lis

lis tantum XXXVI. libros Digeſtorum declarari. *Quinto* vero anno vult, ut Codici Juſtiniani incumbant, quo *προλύται* nuncupabantur, [1] ideſt, ut *Heſychius* interpretatur, a præfinita ſtudiorum lege ſoluti. [2]

Itaque quatuor tantum erant Conſtantinopoli interpretes, & totidem Berythi, qui quot annis univerſum jus modo præfato explicabant, *unus* Inſtitutiones & *πρωτα*, ideſt primam Pandectarum partem usque ad librum de judiciis. *Secundus* alternis annis vel ſecundam partem, vel tertiam, ideſt, aut a libro de Judiciis, vel de rebus creditis, usque ad finem ejus partis, & his addebat quatuor libros ſupra memoratos. *Tertius* decem libros quartæ, & quintæ partis usque ad librum de bonorum poſſeſſionibus. *Quartus* codicem explicabat. Quare ſingulis annis totas quinque Digeſtorum partes exponebant, excepta ſecunda, & tertia, quæ alternis annis, ut dixi, declarabatur, [3] & quatuor his interpretandis Doctores ſufficiebant. Jurium vero ſtudioſi per quinquennium a quatuor illis profeſſoribus præfatas quinque Pandectarum partes, & Codicem, ſingulos præceptores ſuo anno audiendo, accipiebant.

Jurium interpretes quaſi docendo præeuntes, *Anteceſſores* vocabantur, [4] aliquando *Doctores*, [5] etſi hoc nomen omnibus legum peritis convenire *Abbas* arbitretur. [6] Quandoque *Magiſtri*, [7] aliquando *Præceptores*, [8] nonnunquam *Profeſſores*, [9] vel *juris Interpretes*, [10] cæterum proxima ætate apud Italos *Doctores* vulgo vocabantur in jure canonico, vel civili lauream adepti, ſed ultra montes indiſtincte omnes *Magiſtri* nuncupabantur. [11]

Translato *Byzanthium* imperio, non alibi, quam *Romæ*, *Conſtantinopoli*, & *Beryti* jura doceri poterant, quod gymnaſium antiquius Conſtantinopolitano fuit, imperante enim Diocletiano, inſtitutum fuiſſe reperitur, [12] qui prohibet, ne ſcholares Arabiæ ante annum ætatis XXV. Beryto, ubi diſcebant, ad ſubeunda patriæ munera poſſint avocari, poſtea Conſtantinopoli ad Romæ æmulationem inſtitutum perſeveravit usque ad Leonem Iſauricum, qui cum anno ſalutis 715. imperare cœpiſſet, illud extinxit. [13] *Zonaras* quid ſimile narrat, *Erat, inquit*, [14] *domus regia prope forum æratorium, in qua multi codices &*

[1] *d. §. 5. in procem. ff.* [2] *Adrian. Turneb. Adverſarior. l. 8. c. 19.* [3] *in procem. ff. §. 2.* [4] *§. 3. procem. Inſtit. l. 2. §. 9. C. de vet. jur. enucl. & in inſcriptione procem. ff.* [5] *l. 11. C. de advocat. diverſ. judicior. l. 6. §. 6. ff. de excuſ. tutor.* [6] *in C. 1. ad fin. X. de judic. n. 38.* [7] *d. §. 9.* [8] *l. 32. ff. de dam. infecto.* [9] *tit. C. de profeſſ. & medic.* [10] *d. §. 9.* [11] *Abb. in c. 2. in princ. de magiſtr.* [12] *l. 1. C. qui ætat. vel. prof. ſe excuſſ.* [13] *Paulus Diaconus in miſcellan. l. 21. in Leone Iſaurico.* [14] *Annal. tom. 3. in Leone Iſaur.*

humanæ

humanæ, & divinæ ſcientiæ aſſeruabantur ab antiquis temporibus illi ad habitandum tributa, qui eruditione excelleret, quem œcumenicum Doctorem appellabant. Is duodecim contubernales excellenter eruditos habebat, quibus ex publico victus præbebatur. Ad eos diſcendi cupidi accedebant, eosque Imperator ad rerum gerendarum conſilia adhibebat. Leo illos noctu cum regia, & libris comburi juſſit, quia ſuæ impietati abolendarum ſacrarum imaginum noluerant aſſentiri.

Romæ vero ſub Principibus floruiſſe artium ſtudia *Ulpianus*, [1] & *Modeſtinus* [2] affirmant, nec modo artes liberales, ſed & jura ab uno profeſſore Theodorici, & Athalarici ejus nepotis temporibus docebantur, quibus ex publico ſexto menſe ſalaria dabantur, ut auctor eſt Caſſiodorus. Ob Barbarorum incurſiones ibi gymnaſium intermiſſum Innocentius IV. circiter annum 1245. inſtauravit. [3] Berytus autem ex privilegio id obtinuiſſe videtur. [4] Eam enim metropolim Phœniciæ Theodoſius minor fecit, [5] cum prius Hadrianus precibus Pauli Tyrii, qui ad eum legatus profectus erat, Tyrum ejus provinciæ caput feciſſet, ut auctor eſt *Suidas*, [6] & *Alciatus* [7] refert. Unde Phœnicia duas habuit metropoles, quemadmodum Pontica Amaſiam, & Neocæſaream. [8] Demum cum Photius Tyri Epiſcopus in Chalcedonienſi concilio ſub Marciano facto conquæſtus eſſet contra Euſtachium Beryti Epiſcopum, quod is ſuæ Diœceſeos urbes ſibi uſurpaſſet, ea Synodus Tyro priſtinas ejus urbes reſtituit, nempe *Byblon*, *Botyn*, *Tripolim*, *Orthoſiam*, *Ariam*, & *Antharadon*. [9]

Docebant jurium profeſſores, ſicut & alii, tam Romæ, quam Conſtantinopoli in Capitoliis, [10] quæ erant in octavis regionibus utriusque civitatis, [11] ubi diverſæ erant cellæ, in quibus ſinguli ſuas artes profitebantur. Antiquitus jura interpretantes ſalarium ex publico habuiſſe non invenio, *Pomponius* enim ſcribit Maſſurium Sabinum ab auditoribus ſuſtentatum, qui illi honorarium ſolvebant; [12] & *Paulus* [13] refert, Antoninum Pium reſcripſiſſe, juris ſtudioſos, (ita docentes appellat) ſalarium exigere poſſe, ſed verius eſt, eum de Aſſeſſoribus loqui, quos Paulus ita ſolet nominare. [14] Poſtea ex publico

[1] *in l. 17. de reb. cred. ſi cert. pet.* [2] *l. 36. ff. ad municip.* [3] *lib. 9. ad ſenat. epiſt.* 21. [4] *c. 2. de privileg in 6.* [5] *§. 7. in proœm. ff.* [6] *l. 1. C. de metrop. Beryt.* [7] *in ver. παῦλος τύριος* [8] *l. 4. c. 15. paregon.* [9] *Novell. 28. ſeu in Auth. de Moderat. Helenoponti.* [10] *in actis concil. calced.* Card. Baron. *in annum* 451. [11] *l. ult. C. Theod. de ſtud. liberal. urb. Rom. & Conſtantin.* [12] *in Deſcript. Regionum tam urbis Romæ, quam Conſtantinop. impreſſa ante Notitiam utriusque Imperii.* [13] *in l. 2. §. ult ff. de orig. jur.* [14] *in l. 4. ff. de var. & extraord. cogn.* *In l. 1. ff. de offic. aſſeſſ.*

ſala-

ſalarium perceperunt, quemadmodum & alii liberalium artium profeſſores, quibus *Flavius Veſpaſianus* primus e fiſco centena annua Romæ præſtituit. [1] *Valens, & Gratianus* XXIV. annonas Rhetoribus, & XII. Grammaticis dedit. [2] Eſt autem *annona*, quantum ad hominis victum ſingulo anno ſufficit, ſed quantum jurium profeſſoribus ſolveretur, non conſtat. Id diu etiam Gotthorum temporibus eſt obſervatum. Nam Athalarico Theodorici nepote regnante, Caſſiodorus [3] ad ſenatum ſcribit, jurium, & liberalium artium profeſſoribus Romæ ſexto quoque menſe dimidiam honorarii portionem ſolvendam eſſe.

Cæterum tenebantur, qui in has civitates ſtudiorum cauſa veniebant, a Præſide ſuæ provinciæ litteras afferre, quibus eorum patria, natales, & merita exprimerentur, & hæ *magiſtro cenſus* offerebant, cui etiam ſignificare cogebantur, quibus potiſſimum ſtudiis operam dare propoſuiſſent, & officio magiſtri cenſus ſuum manifeſtare hoſpitium. Mox ſi inhoneſte vivere detecti eſſent, verberati urbe expellebantur. Iidem cenſus officiales ſingulis menſibus eos, qui expleto ſtudiorum curſu in provincias remittebantur, Præſidibus ſignificabant, ut illis, ſi opus fuiſſet, uti poſſent. [4]

Quo modo vero jura olim interpretarentur, ex Juriſconſultorum ſcriptis apparet; Videmus enim Ulpianum, Paulum, & alios edicta explicantes primo eorum cauſam, & originem depromere, deinde verba edicti exponere, mox aliquas ad rem pertinentes quæſtiones excitare. [5] Græci vero poſt Juſtinianum jura explanaſſe contenti, contraria removebant, aliqna etiam ſimilia aggregabant, quemadmodum in gloſſis Baſilicon, & Balſomonis ad Phocium, & canonum factum videmus. Theophilus ſingulos Inſtitutionum verſus exemplis, & clarioribus verbis explicuit.

CAP. LXXXVII.

LXXXV. Immunitas Doctorum ab oneribus: de dignitate vicaria, de comitiva.

LXXXV. Legum interpretes ab omnibus perſonalibus, & realibus oneribus ipſi, eorumque uxores, & liberi immunes erant. [6] Non ad equos publicos conferre; non tyrones præ-

[1] Tranquill. *in Flavio Veſpaſ. c.* 19. [2] *l.* XI. *C. Theod. de med. & profeſſ.* [3] *lib. variar.* 9. *epiſtol.* 21. [4] *l.* 1. *C. Theod. de ſtud. liberal. urb. Rom. & Conſtantinop.* [5] *ut in l.* 1. *ff. de in jus vocando. l.* 1. *ff. de poſtul. & l.* 1. *ff. de pactis, & aliis.* [6] *l.* 6. *C. de profeſſ. & medic. Bar. in l.* 1. *n.* 85. *C. de mulier. & in quo loco.*

ſtare; non hoſpites recipere cogi poterant, nec inviti perſonaliter in judicium trahi, pœna centum millium numorum iis, qui contra feciſſent, impoſita; [1] erat hæc ſumma mille aureorum illius temporis. Cum annis viginti docuiſſent, vicaria dignitate honeſtabantur, & *ſpectabiles* fiebant. [2] Præterea addita his comitis dignitate, *Illuſtres* creabantur, ut Theodoſii minoris oſtendit conſtitutio, in qua deeſt verbum, comitiva. *Juris peritos*, inquit, *cum ad xx. annos docendi labore pervenerint, placuit honorari, & iis, qui ſunt ex vicaria dignitate, connumerari.* Legendum eſt; *Comitiva honorari:* ut titulo reſpondeat; *De profeſſoribus, qui in urbe Conſtantinopolitana docentes ex lege meruerunt Comitivam.* Cum enim annis xx. docuiſſent, quieſcebant, & iis dignitatibus fruebantur, quod & Quintilianus [3] his verbis indicat. *Poſt impetratam ſtudiis meis quietem, quæ per xx. annos erudiendis juvenibus impenderam* Hæc ille. Id audio in Hiſpania hodie obſervari, quod in Italia non eſt receptum. Immunes quoque erant ab oneribus perſonalibus, quæ pro rebus, ideſt, ut noſtri appellant, per æs, & libram imponuntur, & vulgo Collectæ vocantur. [4]

Noſtri Doctores, qui per xx. annos docuerint, & ſi Comites fiant, privilegia tamen popularium non amittunt [5] nec deſinunt eſſe Tabelliones & poſſunt inſtrumenta facere, [6] ſicut Monachus factus Epiſcopus Monachus eſſe non deſinit. [7]

1 *l. 1. 2. 3. & ſeq. C. Theod. de med. & profeſſ. d. l. 6. C. de prof. & med.* 2 *l. 1. C. de prof. qui in urb. conſtant.* 3 *lib. 1. Inſtit. in Proœmio.* 4 *Bar. in d. l. 1. n. 35. C. de mulier. & in quo loco; & in l. 6. C. de profeſſ. & med. Thom. parpal. in l. 5. n. 66. C. de ſacr. eccleſ.* 5 *Bar. in l. 56. C. de decur. Bal. in l. 35. ff. de adop. Caſtr. in l. 25. n. 3. ff. de legib.* 6 *Bal. in l. 33. §. 1. ff. de cond. & dem.* 7 *c. 18. q. 1. c. de monachis 16. q. 1. facit l. pen. ff. de ſenator. & hæc notat. Alex. conſ. 32. vel. 5.*



GUIDI

GUIDI PANZIROLI J. U. C. REGIENSIS, DE CLARIS LEGUM INTERPRETIBUS.

LIBER SECUNDUS.

CAP. I.

Doctores olim Judices dicti, item Magistri. De liberalibus artibus. Quid ab eo exigatur, qui Doctor creandus: quot annis juris studio incumbendum. Solennitates in creandis Doctoribus juris. De examinibus promovendorum: de numero examinantium & modo examinandi. Quis habeat autoritatem creandi Doctores? De Cancellariis? an Imperator in terris Ecclesiæ Doctores creare possit: modus creandi. De conferendis Insignibus. De Promotionis gradibus: de Baccalaureis.

NOstri Jurisperiti vulgo *Doctores* nuncupati, regnantibus Longobardis, *Judices* dicebantur; Unde multi ad Fridericum Imperatorem a civitatibus Italiæ Legati Constantiam missi, Judices, id est, Doctores appellantur,[1] & ita tum eos, qui jus dicebant, vel interpretabantur, aut instrumenta contractuum concipiebant, vocatos fuisse, *Blondus* scribit.[2] Ita etiam *Joannes Villanus* aliquot a Repub. Florentina Legatos ad Regem Hungariæ missos nominat.[3] Postea *Magistri* vulgo sunt vocati, & ita Summi Pontifices appellant.[4] Hi olim priusquam in juribus erudirentur, in liberalibus artibus instrui consueverant. Nam *Marcellinus* de Orfito loquens, *Vir, inquit*,[5] *prudens, & forensium negociorum oppido gnarus, sed splendore liberalium doctrinarum minus, quam nobilem decuerat, instructus.* Artes autem Liberales septem sunt, *Grammatica, Rhetorica*, & *Dialectica*, quæ tres *Trivium* appellabantur, item *Geometria, Arithmetica, Musica*, & *Astronomica*, quæ constituunt *Quadrivium.*[6]

[1] *In pace Constantiæ.* [2] *lib. penult. decad. 2.* [3] *lib. 12. c. 117.* [4] *Greg. IX. in c. significante. 34. X. de rescr. G. Canonicum Leodiensem, c. 3. pen. & ult. X. de magistr. clem. ult. eod tit. Ab. in c. 2. X. de magistr.* [5] *l. 14 rer. gestar.* [6] *gloss. in §. 15. l. de excus. tut. & in Rubr. C. de malef. & math. & Senec. de stud. liber. Arebid. in c. de quibusdam. 34. dist.*

His

His aut magna harum parte veteres gloſſatores, & poſteriores legum interpretes imbuebantur; Unde *Azoni* vitio vertebatur, quod in his parum profeciſſet. Dictas autem artes liberales fuiſſe *Plinius* autumat, [1] quod plura bona elargiantur; *Seneca* vero, quod homine libero ſint digna. [2] Id & *Cicero*, [3] & *Tacitus* [4] ſentire videntur.

Noſtri vero jurium interpretes quinque in eo, qui Doctor creandus ſit, exigunt. Alii ſex, aut plura deſiderant. *Primo* docendi peritiam, quam in publice profitente Valentinianus, non in alio Juriſperito requirit. [5]. Nam qui inutiles ſe ſtudentibus præbent, poſſunt reprobari, [6] & ineptos ad docendum, etiam ſi auditores habeant, ſalario privandos eſſe *Bartolus* cenſuit; [7] indoctus enim alium doctum facere nequit. [8] Unde *Joannes Monachus* [9] juvenes monebat, ne niſi doctos audirent. Et *Baldus* indoctos Cathedræ incumbere, non recte inſidere dicebat, [10] nec enim Cathedra doctorem, ſed doctor Cathedram facit; & *Chryſoſtomus*, *Qui bene inquit* [11] *ſuper Cathedra ſederit, honorem accipit ab illa, qui male ſederit Cathedræ injuriam facit.* Item diſſerendi facultatem Interpres habere debet, quæ præſertim cauſarum patronis eſt neceſſaria, [12] etſi non omnes eam attingant; Unde facundiſſimi, [13] eloquentiſſimi, [14] & diſertiſſimi [15] appellantur. Ad evitandos quoque pravos, & cavilloſos ſenſus interpretandi ſcientiam habere debent. [16]

Poſtremo addunt *Bartolus*, [17] & *Abbas*, [18] ut fortitudine præditus ſit, adverſuſque vim fortunæ poſſit reſiſtere, idque ex Valentiniani reſcripto probant, [19] qui jubet philoſophos patriæ functiones ſuſtinere, cum fortunæ vim ferre profiteantur. Sed etſi non ſolos juris peritos, ſed & omnes conveniat fortes eſſe, illud tamen reſcriptum non de Doctoribus, ſed philoſophis loquitur, qui conſtantiam profitentur; Nec ad legum, aut alios liberalium artium profeſſores pertinet. Virtutibus tamen debent excellere, [20] improbus enim non legum doctor, ſed dolor eſt appellandus, ait *Paulus Caſtrenſis.* [21] Addunt Cardinalis

[1] *lib. 14. in prooem.* [2] *ubi ſupra in princip.* [3] *lib. 2.* De Finib. [4] *lib. 3. Annal.* [5] *in l. 1. C. de profeſſ. qui in urb. conſtant.* [6] *l. 2. C. de profeſſ. & medic.* [7] *in l. 1. C. de anno. civil.* [8] *gloſſ in l. 2. C. de decur.* [9] *in c. cum Beatiſſimus 16 cauſ. 24. qu. 1.* [10] *in c. 1. q. x in fin. quo tempor. miles.* [11] *in c multi. 12. diſt. 40. ſeu ad c 23 Matth. Hom 43.* [12] *d. l. 1. C. de profeſſ. qui in urbe Conſtant.* [13] *d. l 1 §. qui omn C. de vet. jur. enucl. & l 6 C de advoc. div, judicum.* [14] *Auth. apud eloquentiſſ. C. de ſid inſtr.* [15] *l 13 C. de advoc dic. judiciorum.* [16] *d l 1. C. de profeſſ. qui in urb. Conſtant.* [17] *in l. 8. C. de profeſſ. & medic.* [18] *in c. propoſuiſti. 4 X. de probation.* [19] *in d. l 8.* [20] *l. 7 C. de profeſſ & medic.* [21] *Paul. Caſt. Conſ. 348. in 2.*

dinalis *Zabarella*, *Imola*, & alii, [1] ut decimum ſeptimum annum expleverit, [2] item ut quinque annis juri incubuerit, [3] hicque in gymnaſiis publicis non aliis in locis ſtuduerit. [4] Olim usque ad XX. ætatis annum adoleſcentes legum ſtudiis operam dare poterant, poſt eam ætatem e gymnaſiis publicis ejiciebantur. [5] Sed *Arcadius*, *&* *Honorius* juvenes usque ad XXV. annos erudiri permiſerunt, [6] poſtea ignaviter ſtudiis incumbere præſumuntur. [7] Hodie tamen quilibet ad diſcendum admittitur; Nam & *Accurſius* gloſſator XXVIII. ætatis annum agens; [8] vel, ut alii volunt quadragenarius, [9] ad legum ſtudia acceſſit. Item ut examinetur; Denique ut ſit legitime natus, quod tamen non obſervatur, ut etiam Cardinalis, & alii animadvertunt. [10]

Ita inſtituti anno ætatis vigeſimo quinto artium ſtudia abſolvebant, & inter Advocatos, vel Aſſeſſores referebantur, nec enim ultra hanc ætatem peregre cuiquam ſtudiorum cauſa olim verſari licebat, [11] poſtea *Valentinianus* ſtudiorum metam ad annos XX. contraxit, [12] quod tamen obſervatum non fuit, nec ejus conſtitutio in Codicem Juſtiniani eſt relata. Intra vero prædictam ætatem per quinquennium juri eos operam dare oportebat, [13] ut ſupra eſt explicatum.

Idem tempus ſtatutum eſt Theologiæ operam navantibus, [14] ſed qui utrique ſcientiæ incumbere voluerit, ſeptennio id peraget. [15] *Abbas* vero [16] tenet ad diſcendum ſolum jus Pontificium ob multiplicia commentaria ſeptennium requiri, & ſi aliqui felicioris ingenii minori tempore indigeant, quod & *Decius* ſenſit, [17] certum tamen eſt longo tempore ad comparandas diſciplinas opus eſſe, nam, ut Metrocles dicebat, quemadmodum aliæ res pecunia, ita diſciplinæ tempore parantur, nec brevi multa legi poſſunt. [18] Quare ut in omnibus diſciplinis proficeret, ferunt, Ariſtotelem ab anno ætatis XVII. per integrum vicennium Platonem audiviſſe. [19]

Perfecto ſtudiorum juris curſu, juvenes laurea donantur, & Do-

[1] *In clem. 2. de magiſtr.* [2] *l. 1. §. 3. ff. de poſtul.* [3] *§. ſed quia, in proœm. Digeſtor.* [4] *§. hæc autem, eod. proœm.* [5] *l. 1. C. Theod. de ſtud. lib. urb. Rom.* [6] *l. 1. C. qui ætat. vel profeſſ. ſe excuſ.* [7] *Bart. in d. l. 1. C. qui ætat. vel profeſſ. Alex. in l. 1. n. 31. C. de dign.* [8] *Alex. in d. l. 1. C. qui ætat. vel prof. ſe excuſ.* [9] *Raphael. rola. lib. 21. Anthrop.* [10] *in d. clem. 2. de magiſtris.* [11] *l. 1. C. qui ætat. vel prof. ſe exc.* [12] *l. 1. C. Theod. de ſtud. lib. urb. Rom.* [13] *§. ſed quia, in proœm. Digeſt. l. 3. §. 4. C. de adv. div. judicum. gloſſ. in l. 1. §. 11. ff. de var. & extraord. cogn.* [14] *c. ult. ad fin. X. de magiſtr.* [15] *c. cum ex eo, 34. & ibi gloſſ. in verb. ſeptennium. Domin. Imol. & Franc. de election. in 6.* [16] *in conſ. 88. in fin. in p.* [17] *in auth. qui locum. n. 7. C. de collat.* [18] *gloſſ. in c. tum ex literis, 5. in verb. inſtructus. X. de in integr. reſtit.* [19] *in vita Ariſtotelis, quæ Plutarch. annectitur.*

ctores fiunt. In quo peragendo hæc fervatur folennitas. In primis olim ter examinari confueverant, primo a Promotoribus, fecundo a Doctoribus Collegii, nulla adhibita pompa, tertio quando infignia accipiebant, [1] quod olim confuetudine introductum fuerat. Sed id etiam ex jure provenire probare noftri conantur Interpretes, exemplo Athletarum, qui bonorum immunitatem confequuntur, fi eam artem a teneris annis profeffi triplicem coronam, & inter eas unam Romæ, vel in antiqua Græcia, id eft, Elide, promeruiffent. Sed illas coronas, & præmium immunitatis longe a triplici examine diftare arbitror. Patavii tamen in illis, qui in Collegium funt recipiendi, & qui gratuito promoventur, in quibus ftatutum exigit, ut mediocrem doctrinam excedant, obfervatur, ut prius a Promoventibus, deinde privatim in Collegio, poftremo cum infignia funt accepturi, examinentur. Cæteri primo a fingulis Promotoribus: & femel in Collegio audiuntur. Antequam vero id fiat, præceptores, & eorum gradus auctores prius eos Priori Collegii, aut Cancellario Univerfitatis examinandos offerunt, [2] jurareque tenentur, *in jure eruditos effe*, quemadmodum & olim in iis obfervabatur, qui inter Advocatos erant recipiendi. [3]

Idem volunt obfervari in aliis, qui promovendis affiftunt, [4] *ut jurent fe arbitrari, illos doctrina juris inftructos effe*, quod hodie in Italia non omnes obfervant. Promoventes enim Patavii, Senis, Pifis, & Florentiæ non jurant. Numerum autem eorum, qui de doctrina ad Doctoris gradum provehendi judicare debent, minimum feptem effe oportet, ut *Accurfius*, [5] *Bartolus*, [6] *Jo. Andreæ*, [7] & *Abbas* [8] funt opinati, & fi tot non reperiantur, alios ex vicinis locis, qui eum numerum impleant, volunt accerfiri. Nitunturque *Valentiniani* conftitutione, [9] quæ in defuncti Archiatri locum eum jubet fufficí, qui a feptem primi ordinis, vel pluribus idoneus fuerit judicatus. Sed ad rem noftram illa lex non pertinet, loquitur enim de feptem primis Curiæ, feu Decurionum civitatis, qui *Summates* vocabantur, & ali-

[1] *Bar. in l. 1. C. d. athletis. Archid. in c. de quibusdam, 12. dift. 37. Abb. in c. propofuifti. 4. fub n. 13. X. de probat.* [2] *Alex. in apoftill ad Bar. in l. 7. C. de prof. & medic.* [3] *l. 11. C. de advoc. diverfor. judicior. Bar. in d. l. 7. C. de prof. & med. n. 2. & Abb in d. c. propofuifti. n. 13. gloff. in l. 1. §. 11. in verb. quoquo. ff. de var. & extraord. cognit.* [4] *Dec. in d. c. propof. n. 16.* [5] *in d. l. 7. C. de prof. & med.* [6] *ibid. & in l. 10. C. de profeff. & medic.* [7] *in c. 1. X. de celebrat. miffar.* [8] *in d. c. propofuifti fub. n. 8. Barthol. Bologn. in Auth. Habita. n. 35. C. ne filius pro patre.* [9] *in d. l. 10. C. de Prof. & med.*

quando

quando decem erant Decaproti dicti, [1] quandoque quinque [2] aliquando ſeptem & hi exigendorum tributorum, [3] eligendi Archiatrum, ideſt civitatis medicorum Principem curam habebant, & ſeptem primis hæc cura demandatur, ſi tot erant, vel pluribus, ſi plures fuiſſent. Secundum ergo numerum Summatum Curiæ Archiatri eligebantur, non autem ſtatuitur, ut ſeptem periti eorum doctrinam examinare tenerentur; Unde ceſſant aliæ quæſtiones, quæ ſuperfluæ prædictis annectuntur, fruſtraque a Pontifice privilegium Peruſini impetrarunt, ut quatuor ad approbandam examinatorum doctrinam ex Collegio ſufficerent. [4] Idem erat in eligendis artium liberalium magiſtris, qui docerent juvenes, nam & hi ab ordine eligebantur, Optimorum conſenſu in eos conſpirante, ut ait *Julianus* [5] ideſt a Summatibus, & primis ordinis comprobantibus. Sed quoad numerum illorum, qui aliquem in juris peritia probare debent, *Accurſius* eos numero novem eſſe oportere credidit, [6] ut etiam *Bartolus* interpretatur, [7] qui tamen Peruſiam excipit, quod ex privilegio Summi Pontificis habet, ut quatuor ſufficiant; Sed ego arbitror, cum tres faciant Collegium, [8] ſi creandorum doctorum auctoritatem habeat, eum numerum ſufficere, niſi aliter fuerit ſtatutum.

Creandi Doctores ita examinantur. Poſt quam primo Collegio oblati fuerint, ejusque doctrinæ fides facta, duo jura, alterum Pontificii, alterum civilis juris ex illis, quæ mane eo anno publice explicantur, ipſis poſtridie intra viginti quatuor horarum ſpacium explicanda aſſignantur; Statutoque tempore a Promotoribus in Collegium deducuntur, illisque aſſidentibus in eminenti loco præfata jura, propoſitis dubitandi, ac decidendi rationibus, eorumque gloſſas interpretantur. Mox duorum arguentium objecta recitant, & ſolvunt, [9] illis poſtea eum Promotoribus ab auditorio emiſſis, de ipſorum doctrina fertur judicium, & ſi a majori parte præſentium fuerint comprobati, [10] a Cancellario, vel Epiſcopi civitatis Vicario laudati digni laurea habiti pronunciantur & ab eo Doctores creantur, hoc eſt, datur eis jurium interpretandorum, judicandi, ac pro aliis patrocinandi facultas, hæc enim omnia, Doctoris in eos collata dignitate, conſequuntur; [11] illi examen ſubituri ſi quem ex

1 l. 3. §. 10. ff. de muner. & bonor. 2 l. 57. C. de Decurion. 3 l. 1. ff. de munerib. & bonor. 4 Bar. in d. l. 7. C. de prof. & med. 5 in d. l. 7. C. de prof. & med. 6 in l. 1. C. de prof. qui in urb. Conſtant. 7 ibidem. 8 l. 75. ff. de verb. ſign. 9 Jaſ. in l. 8. in p. nota. ff. de his, qui ſui vel alien. ſunt jur. 10 l. 19. ff. ad municip. 11 Abb. in c. 1. ad fin. X. de magiſtris & in c. 15. in princ. X. de poſtul. prælat.

Collegii Doctoribus suspectum habent, eum, legitima causa adducta, recusare possunt. [1] Pluribus tamen in locis Statuta circa hoc provident. Cæterum juvenem notorie peritum non esse examinandum, *Abbas* credidit. [2] Si tamen Statuto ordinis omnes sunt examinandi, etiam is, cujus perspecta est doctrina, probandus erit. [3]

Quis *vero habeat auctoritatem creandi Doctores*, variæ de hoc opiniones, & consuetudines recitantur. Certum est Imperatorem, apud quem resident dignitates, hoc jus concedere, [4] sicut legitur, jus respondendi de jure ab ipso, & non alio petitum fuisse; [5] Unde multi ab eo habent, & plurium Collegia civitatum, ut Regii, Lepidi, & alia creandi doctores privilegium obtinuerunt. In aliquibus ex consuetudine Episcopus tanquam Principis Cancellarius hoc jus tribuit, [6] sicut Parisiis, Bononiæ Archidiaconus ecclesiæ majoris. Cancellarios autem vocabant Germani eos, qui vice Imperatoris judicabant, ait *Blondus*. Dubium tamen est, *an Imperator, & qui ab eo hanc auctoritatem habent, in terris Ecclesiæ Doctores creare possint*, & multi tenent, non posse, & si ex consuetudine non observetur. [7] Contenditur etiam, *an iidem juris Pontificii Doctores creare possint*, cum apud Cæsarem hæc facultas non resideat, [8] & plures inclinant, ut non possint, quia nec Theologia, nec jus Pontificium sunt ex ejus foro.

Ubi vero ab eo, qui auctoritatem habet, creatus est Doctor, & illi data facultas publice docendi, judicandi, & patrocinandi, [9] tum ab uno ex Promotoribus, quem ipse elegerit, *insignia* accipit, nemo enim se ipsum his ornare potest, [10] quemadmodum nemo sibi ipse potest benedicere, [11] nec ea, qui non est Doctor, conferre potest, ut *Jason* opinatur, [12] qui addit, indignum petentem insignia capitale peccatum committere. Unus igitur ex Promotoribus, habita prius oratione, qua laurea cingendum laudat, illi Doctoris insignia tradit, quæ sunt quinque [13] *primo* aperiuntur libri, ut ostendatur promoto,

[1] Abb. in c. cauf. quæ 17. n. 2. X de offic. deleg. & pot. jud. Alex. in apostill. ad Bar in l. 1. C. de po f. qui in urb. const. Innoc. in c. ex literis 11. X. de Constit. *[2] in c. constitutus 45. n. 4. X. de appell. gloss. in c. de petro 4 dist. 47. c. qui Episc. 2. dist. 23.* *[3] Alex. in apostill. ad Bar. in d. l. 1. C. de athlet.* *[4] Vigilius in §. 4. n 6. J. de exhær. lib. Bal. in l 1. C. de jur. aur. annul. Alex. in l. 1. ff. de off. ejus, cui mand. jurisd.* *[5] l. 2. §. pen. ff. de orig. jur.* *[6] Cardinal. Zabar. in clem. 2. in princ. in 14 nota de magistr. & ibi Imola. n. 11.* *[7] Felin. in c. per tuas. 7. col. 2. in 2. limit X. de major & obedient. Petr de Ancar. conf. 320.* *[8] Felin. in d. c. per tuas. in 3. limitat. Abb. in c. 15. col. p. X. de postul. prælat. in c. 1. X. de magistr.* *[9] Bar. Pau. ca. & alii in l. 1. C. ut nemin. liceat sine jud. auct. Bologn. in Auth habita. n. 41. C. ne filius pro patre.* *[10] c. meminimus. 13. X. de accusat.* *[11] in l. 1. C. ut nemin. liceat sine judic. auct.* *[12] gloss. in clem. 2. in verb. insignia de Magistr.*

aper-

apertam esse juris interpretandi facultatem, *secundo* Pileus ejus capiti imponitur, quod *Biretum* appellant, id nihil aliud est, quam sacerdotale capitis tegumentum, quod olim ipsis tradebatur, ut illud tanquam justitiæ sacerdotes gererent. [1] Erat autem quadratum in crucis formam complicatum, quo hodie uti desiere, & ideo nunc pro laurea dicitur dari. Sed revera antiquitus insigne erat sacerdotis, nam & veste, seu stola longa sacerdotali, ut nunc observetur, induebatur. *Tertio* imponitur aureus Anulus digito, tanquam justitiæ sponso, vel, ut credidit *Alciatus*, [2] ut responsa signare possit, sed eum signatorium esse oporteret. *Quarto* Promotor Promotum osculatur, ob partam dignitatem gratulans. Alii putant osculum tanquam pacis, quam colere Doctores debent, symbolum esse. [3] *Quinto* benedicitur, sed hæc duo non sunt Doctoris insignia. *Postremo* in Cathedra a Collegii Priore collocatur, ut Patavii, & Bononiæ, ac Regii, vel a Cancellario, [4] sed Taurini, & aliis in locis a Promotore.

In quibusdam provinciis tres gradus accipiunt; Primo fiunt *Baccalaurei*, idest Baccalaurea digni, qui quadriennio studuerunt, & Lytæ vocantur, tanquam juris nodos solvere incipientes. Sed ex veteris Parisiensis academiæ usu *Bacillarii* appellantur, dicti a bacillo ipsis exhibito, quod signum est auctoritatis docendi, quam consequuntur. *Secundo* Licentiati creantur, *Prolytæ* nuncupati, qui ad gradum Doctoris consequendum sunt idonei, & solis insignibus a Doctoribus differunt. Summus vero gradus est, cum insignia consequuntur, [5] qui præcipue Italis est in usu. Ultra montes enim ob evitandas magnas, quas in eo faciunt, impensas, non frequentatur, cæterum illi, quem Licentiatum vocant, cum nondum interpretandi auctoritatem nactus sit, non eadem fides adhibetur, quæ Doctori, ut *Baldus* censuit [6] Mos capiendorum insignium Philosophis, Oratoribus, & Sacerdotibus vetustus fuisse videtur, ut ex Nazianzeno deprehenditur. [7] *Omnia*, inquit, *jam Basilius assecutus, quæ & Philosopho, & Oratori, & Sacerdoti opus erant, cum in his honoris, & professionis de more insignia posset accipere, facile despexit, & supervacua putavit, ut qui non phaleras, sed veram ex his doctrinæ utilitatem susciperet.* Hæc ille.

1 *l. 1. in princ. ff. de just & jur.* 2 *l. 8. parerg. c. 10.* 3 *Cardinal. in d. clem. 2. q. 5. de magistr.* 4 *Cardinal. in d. clem. 2. q. 5. n. 7.* 5 *Alciad. d l. 8. parer. c. 10.* 6 *in l. 12. ff. de stat. homin.* 7 *in Orat. funebri in laud. Basilii.*

CAP. II.

De ſportulis ab eo dandis, qui Doctor creatur: de origine hujus moris.

CReandus Juriſconſultus pecuniam inter Doctores Collegii, prout eſt diverſa locorum conſuetudo, dividendam deponit, quod & antiquitus in plerisque actibus obſer abatur. Qui enim virilem togam induebat, nuptias celebrabat, opus publicum dedicabat, aut civitatis Decurio creabatur, inter ordinis curiales nummos quosdam diſtribuebat, quæ *ſportulæ* vocabantur, [1] Trajanus *honorarium* appellat. [2] *Plinius* hoc nomine Bithynios mille denarios, & quandoque duo millia diſtribuiſſe, ſcribit. [3] Idem obſervabant, qui in Memoriæ, Libellorum, Epiſtolarum, aut Diſpoſitionum Scrinia recipiebantur; Nam & hi Scriniariis Sportulas dabant pro introitu, [4] & primo officii 250. ſequenti quindecim ſolidos ſolvebant, [5] quæ pecunia ſolatium, aut ſuffragium, [6] quandoque diviſiones vocabatur, [7] quo nomine & hæc pecunia Collegio Doctorum illata poteſt appellari. *Tranquillus* ſcribit, Claudium octogies ſeſtertium pro introitu novi ſacerdotii pendere coactum, [8] ea ſumma eſt octo millium aureorum.

CAP. III.

De officiis Doctorum: De Advocatis: quinam Patroni olim dicti: de beneficio Advocatiæ: de ætate judicum. Fata Imperii occidentalis: de Edicto Rotharii & Longobardorum legibus: de inventione Pandectarum. De Schola Bononienſi; de ficto diplomate Theodoſiano.

CReati Doctores aut fori negociis incumbunt, aut jura interpretantur. Qui litium controverſias ſequuntur, aut clientibus patrocinantur, vel cauſas judicando dirimunt. Qui clientibus operam præſtant, *Advocati* dicuntur, [9] aliquando Patroni, [10] nonnunquam Cauſidici, [11] quandoque Togati, [12] aliquoties fori diſertiſſimi, & eloquentiſſimi appellantur. [13] Generali vocabulo omnes Juriſperiti, [14] vel Prudentes, & Prudentiſſimi nuncupantur. [15] Patronorum nomen antiquam habet originem, nempe a Romulo, inquit Plutarchus; [16]

1 l. 6. ff. de don. inter vir. & uxor. l. 6 ff. de decurion. 2 Epiſt. 79. Plinii. l. ult. ad Traj. 3 Epiſtol. 78. ad Trajan. eod. lib. 4 l. pen. §. pen. & ult. ff. de legat. 3. 5 l. 7. C. de prox. ſacr. ſcr. 6 l. 11. C. eod. tit. 7 l. antep. ff. de annu. legat. 8 c. 9. in Claudio. 9 l. 3. ff. de his, quæ in teſtam. delen. 10 l. 1. C. de advoc. div. judicior. 11 l. 6. C. de poſtul. 12 l. 3. C. de advoc. div. judicior. 13 l. 5. C. de advoc. div. judicum. 14 l. 2. §. quæ omn. C. de vet jur. enucl. 15 d. §. quæ omnia. & §. pen. in prooem. Inſt. 16 in Romulo.

Is

Is enim potentioribus ex plebeis humiliores adjunxit, a quibus in judicio circumventi, vel alias oppressi defenderentur, illos Patronos, hos Clientes vocavit: Inde evenit, ut qui alios in judicio tuentur, Patroni appellentur, illi Clientes *Plutarchus, Contra Marium, inquit,* [1] *C. Herennius testis adductus, non esse moris patrii, inquit, patronum adversus clientes testem adduci, verum lege patronos hac necessitudine relevari; Sic enim Romani, qui causam pro alio recipiunt, appellabant.* Hæc ille.

Laurentius vero *Valla* [2] Advocati nomen generalius esse opinatur, quam patroni. *Advocatus,* inquit, *est, qui officii gratia alteri in causa adest, etiamsi nihil dicat, aut agat, modo paratus sit defendere; Patronus autem proprie est agens causam, sed accusati, non accusantis, cum accusatori patronum opponat Quintilianus;* Hactenus Valla, unde accusatorem unquam negat patronum esse. In causis vero civilibus concedit tam actorem, quam defensorem Patronum appellari; Sed in jure nostro hæc scrupulositas non observatur.

Solebant tempore Longobardorum ditiores alicui juris perito feudum dare, ut sibi patrocinaretur, vocabaturque hoc *beneficium Advocatiæ*, quæ arbitrio domini revocabatur; [3] idem agebant Episcopi, & Ecclesia, [4] & hi Advocati defensores a *D. Gregorio*, & aliis appellabantur.

Alii ex Doctoribus judicandi officio funguntur, & hi vel magistratum gerunt, vel ab ipsis delegantur, vel judicanti assident, & quid judicandum sit, ostendunt, aut ex juris municipalis dispositione a litigantibus electi magistratui consulunt, quomodo sit pronunciandum, qui Sapientes vocantur, aut tanquam arbitri ex compromisso causas dirimunt; omnes autem annis XVIII. majores esse debent, quia nemini infra hanc ætatem judicare licet, nisi a Principe habilis factus fuerit, [5] nemo tamen minor annis viginti judicare cogitur. [6] De horum officiis, & aliis, quæ ad eos pertinent, integri tractatus tam a Jurisconsultis. quam ab interpretibus nostris sunt editi, quare ad alios convertemur.

Aliqui ultimo sunt, qui jurium discentibus explicandorum onus suscipiunt. Id munus a *T. Coruncano* olim Romæ cœptum, & per

[1] *In C. Mario.* [2] *lib. 4. cap. 12.* [3] *c. 1. §. quicunq. advocatiam. de pace tenend.* [4] *c. salvator. 8. §. 2. I. quæst. 3. c. preterea. 4. X. de jur. patron. c. in quibusdam. 12. X. de poenis. Bar. in l. 3. in fine ff. de reb. cred. si cert. petat.* [5] *l. 57. ff. de re judic.* [6] *l. 41. ff. de recept. qui arbitr. gloss. in l. 12. §. ult. in verb. impubes. ff. de judiciis.*

manus

manus aliis traditum, usque ad extinctum imperium Romæ permansit, quod fuit circiter annum salutis 455. quo Gensericus Vandalorum rex Urbem diripuit. [1] Mox ab Herculis, & Thuringis invasa Italia, deinde a Gothis oppressa, sub eorum jugo usque ad Justinianum permansit, sed vix respiraverat, cum acciti in Italiam a Narsete Longobardi eam ultra annos ducentos occuparunt, donec a Carolo Magno, Desiderio illorum rege Ticini capto, pene sunt extincti. Interea Romæ jura fere sepulta jacuere, ut nec ulla demum eorum maneret memoria; Alaricus tamen Gothorum rex constitutiones Romanorum Imperatorum collegisse, & in octo libros redegisse dicitur, quibus Anianus ejus Cancellarius quasdam interpretationes, seu scholia adjecit. Is est supramemoratus Codex Theodosianus, cui alii octo libri sunt additi, sed in usu fuisse non videntur. Cæterum post septuagesimum, & septimum annum, quam in Italiam venerant Longobardi, *Rotharius* eorum rex leges, quas exercebat, in librum redegit, quem *Edictum* appellavit. [2] Nos Longobardorum leges vocamus. His alias *Grimoaldus* adjecit, quæ usque ad Lotharii tempora sunt observatæ, [3] sed omnia cum ipsorum imperio sunt extincta. [4]

Cum vero Innocentius II. & Lotharius item II. Cæsar adversus Rogerium Normanum, qui se utriusque Siciliæ regem appellaverat, acriter pugnarent, forte Amalphi inventæ sunt juris *Pandectæ* supra omnem memoriam diu ibi servatæ, & Pisanis, qui classe Cæsarem juverant, & Amalphim, Rivellumque Rogerio ademerant, sunt donatæ, ut in antiquis Pisanorum annalibus contineri dicitur, & *Raphael Volaterranus*, & alii affirmant. *Odofredus* vero hunc librum Roma Ravennam, & inde Bononiam allatum fuisse scribit, [5] quod nulla auctoritate comprobatur. *Angelus Politianus* eum esse Codicem autumat, quem sua manu Tribonianus scripsit, [6] quem non immerito *Alciatus* redarguit. [7] Antiquissimum tamen fuisse constat, ad quem, tanquam archetypum, *Bartolus* & alii veteres legum interpretes in ambiguæ lectione confugiebant. [8] *Antonius* vero *Augustinus* omnia alia Digestorum exemplaria inde fuisse descripta opinatur. [9]

Docebantur eo tempore Bononiæ artes Liberales, Lotharius et-

1 *Paulus Diacon. lib. 15. sub fin. de gest. Roman. l. 1. in princ. C. de offic. præf. prœt. Afric.* 2 *Paul. Diacon. l. 4. c. 15. de gestis Longobardor.* 3 *Paul. Diacon. l. 5. c. 12. de gest. Longob. gloss. de pace tenend. §. injuria. in verb. legitime.* 4 *Alex. post. Bal. in l. 20. §. 5. n. 8. ff. de acq. vel omitt. hæred.* 5 *in l. 6. ff. de justit. & jur.* 6 *in miscella. c. 41.* 7 *lib. disp. 3. cap. 12.* 8 *Bar. in l. 7. §. ult. ff. de distract. pign. Alex. in l. 25. §. 4. n. 4 ff. sol. matr.* 9 *l. 1. emendatio. c. 1.*

iam

iam jura ex præfato Codice descripta ibi explicari jussit. [1] In ea urbe Theodosii minoris privilegio an. 425. gymnasium institutum fuisse *Accursius*, [2] & *Joannes Andreæ* [3] crediderunt. Hodie quoque in æde *D. Dominici* ejus diploma pendet, quod ex multis argumentis subdititium esse arguitur, & *Alciatus* jure suspectum habuit. [4] Theodosius enim II. illius privilegii auctor factus nunquam in Occidente imperavit, sed in Oriente patri Arcadio successerat. Ejus frater Honorius in Italia, & Occidente regnavit, & cum anno salutis 425. decessisset, statim Joannes tyrannus imperium occupavit, eumque Valentinianus III. Augustus a Theodosio consobrino creatus oppressit. Idem Theodosius Indiæ, quam nunquam attigit, in eo diplomate rex scribitur. Ibidem Longobardiæ, & Marchiæ Anconitanæ fit mentio, quæ tunc temporis id nomen non habebant, sed altera Æmilia, altera Picenum vocabatur. Quare verisimilius est a Lothario Saxone, qui anno 1130. imperii coronam ab Honorio II. Pont. Max. accepit, [5] illud privilegium Bononiæ indultum fuisse, quod ex nostris *Bartolus* opinatur. [6]

CAP. IV.

Pepo **primus jus docuit Bononiæ, post eum *Irnerius*: de origine glossarum, de collectione Accursiana. *Rogerius* compendiorum primus autor: ratio interpretandi glossas: prolixitas interpretum nociva: ordo lectionum juridicarum antiquus: de extraordinariis lectionibus: de earum paucitate.**

ALlatis igitur Bononiam juribus, primus PEPO, qui ibi artes Liberales docebat, ea interpretari cœpit; Sed cum non admodum ad id aptus videretur, hoc munus IRNERIO est demandatum, qui tanta ingenii fælicitate, & diligentia tum obscura explanando, tum consonantia citando, & contraria solvendo explicuit, ut *legum Lumen* vocari promeruerit, [7] & ne verba interirent, scholia glossas nuncupatas apte suis locis apposuit. Eum *Martinus Gossia*, *Bulgarus Placentinus*, & alii secuti & ipsi post Irnerium glossas verbis legis congruentes addiderunt, ita ut quæ cujusque propriæ essent glossæ, posset agnosci. Idem ferme & Græci in basilica interpretatione observarunt.

Sed cum tot auctorum congesta glossemata tædium afferrent,

[1] *Odofred. in d. l. 6 ff. de Just. & Jur. col. p.* [2] *in § hac autem in verb. regiis. in proœm. Digest.* [3] *in clem. 1. de magistr. in verb. Bononiensis.* [4] *in Cod. tit. de agric. & censit.* [5] *Matth. Palmer. de temporibus.* [6] *in §. ult. in proœm. Digest.*
[7] *Odofred. in l. 6. ff. de just. & jur.*

ACCURSIUS illorum interpretum ultimus ea omnia in unum corpus conflata sibi adscripsit, quorundam tantum nominibus quandoque recitatis. Summa totius interpretationis est, ut legum sensum aperiant, similia citent, contraria concilient, & aliquot quæstiones breviter excitent. Aliud interpretandi genus primus ROGERIUS invenit, ut juris tractatus in compendium redigeret, [1] quod *summam* vocavit. Hunc æmulati sunt *Placentinus*, [2] *Joannes, & Azo*, [3] qui in hoc scribendi stylo cæteris visus est antecelluisse.

Qui post eos docuerunt, plus in glossis, quam juribus interpretandis versari, & posteriores anteriorum scripta insectari, & carpere cœperunt. *Bartolus*, & qui circa illa tempora scripserunt, plurimi in glossis examinandis multas ex suo quæstiones brevius tractatas addiderunt. Hoc docendi methodo totum juris corpus singulo quadriennio absolvebant, ac primo quod vocant Digestum vetus, postea Codicem explicabant, cæteras juris partes extra ordinem interpretabantur, [4] ac bis singulis diebus docebant. [5]

Qui postea successerunt, latius vagati pauciora sunt jura interpretati. Posteriores, dum in confutandis aliorum opinionibus, & suis comprobandis plura argumenta aggregant, & levia quæque sectantur, unius legis interpretationem in menses producentes vix finem inveniunt, & tractatus in longum protrahentes sæpe incertos, & confusos auditores relinquunt. Et ut omnia in pejus labuntur, eo deventum est, ut hodie aliqui vix quinque jura singulo anno interpretentur; scio etiam aliquos, qui circa unius tituli Rubricam duos menses insumpserunt.

Superiori vero ætate institutum fuerat, ut mane Professores, quod vocant Digestum vetus, & Codicem Justiniani explanarent, quæ in primas, & secundas partes divisa quatuor annis absolverentur. Pomeridianis vero horis, quod vocant Infortiatum, & Digestum novum, & ipsa in primas, & secundas partes distincta spatio annorum quatuor interpretarentur, ut quo anno prima, aut secunda Digesti veteris pars explicaretur, prima, aut secunda novi vespere exponeretur, & prima veteris primæ novi, secunda secundæ responderent; Idem in Codicis partibus erga Infortiatum erat statutum, in quibus utrobique prima pars matutina primæ vespertinæ, & secunda secundæ consona-

1 *Gloss. in Rubr. C. ad l. Juliam repetun. Caccialu p. de mod. stud.* 2 *Azo in summa princip.* 3 *Odofred. in l. 1. in princ. ff. de edend.* 4 *Odofr. in proœm. Digest. n. 11.* 5 *Bar. in l. 3. sub n. 12. C. de edendo.*

rent.

rent. Sed harum quælibet pars initio cuique professori declaranda ita assignabatur, ut eam integram anno perficeret.

Cæterum nunc ob corruptum docendi morem nec quinque jura plerunque explicantur; cæteræ juris partes aliis extra ordinem explanandæ demandantur, ut *Institutiones, Novellæ* vulgo *Authenticæ* dictæ, & *Feuda.* Idem observatur in jure Pontificio explicando, cujus partes eo modo distinctæ singulis interpretibus explanandæ demandantur, & ipsi juris civilis interpretum methodum secuti, quinque vel sex canones singulis annis declarant. Itaque hodie docendi ars depravata invenitur. Qui enim Institutiones interpretantur, cum eorum officium esset, prima legum jacere fundamenta, & integrum illud volumen junioribus prælegere, & ipsi aliorum errorem secuti, paucis titulis deguſtatis, discentes rudiores dimittunt. His aliud malum accessit, nempe paucitas lectionum, quas veteres usque ad diem septimum Septembris habebant, [1] & die decima nona, aut vigesima Octobris auspicabantur, [2] & vetustiores a die quarta ejusdem mensis.

CAP. V.

DE ANTAGONISTIS. De Disputationibus discentium, & certaminibus ac æmulatione docentium.

AD retinendos in officio professores, ut diligentius docerent, illis alii in pluribus Italiæ gymnasiis adjuncti sunt interpretes, qui eadem hora eadem jura interpretarentur. Hi vulgo *Concurrentes* vocantur, qui absolutis lectionibus in certamen descendere consueverant, & super quæstionibus articulisque in lectionibus discussis differere. Antiquitus discentes ipsi coram suis præceptoribus de his, quæ audierant, inter se soliti erant disputare, dum vero suum quisque discipulum tuetur, ipsi professores in certamen descendebant; Sed postea ad desidiam prolapsis juvenibus, totam hanc contentionem docentibus reliquerunt; Itaque diu observatum est; ut usque ad Resurrectionis Dominicæ festa differerent; Id tempus ad Nativitatem postea est coarctatum, donec ob adolescentium insolentiam Patavii, ac Bononiæ penitus desiit certari. Res enim eo devenerat, ut altercationes potius essent, quam disputationes, & plerunque ad injurias perveniebatur.

Azonis temporibus hos Antagonistas inventos fuisse ferunt, a quo

1 *Jas. in l. 17. in fin. ff. de transact.* 2 *Jas. in l. 2. ff. de flumin.*

Antisophistam injuriose respondentem per iram gladio peremptum tradunt, & percussorem capite punitum, [1] quod ego fabulosum esse suo loco ostendam. Insignis certe *Baldi*, & *Christophori Castellionei* Antagonistarum æmulatio fuit, qui primi auditores ad suum gymnasium turpiter solicitasse dicuntur, [2] quos alii pejore exemplo pecunia pellicere non erubuerunt. Hic satis erit hodierni temporis docendi usum, & quæ cujusque partis essent, indicasse. Sed quia aliqui nullam jurium explicandorum artem tenent, quædam pauca de ejus methodo subjiciam.

CAP. VI.

DE METHODO LEGUM INTERPRETANDARUM. De præmittendis, definitione, divisione, ratione legis, effectu. De specie facti. De ambiguitate in sermone.

DE interpretandis legibus cum sit dicendum, prius videndum est, quid sit interpretatio: *Bartolus* [3] definit, *esse congruam verbi, vel orationis expositionem*, & proprie vult esse obscuriorum, quæ enim dubio carent, interpretatione non indigent. *Quandoque tamen inquit, qui legem extendit, vel coarctat, late interpretari dicitur.* Qui igitur interpretatur, aut quædam ad elucidandum tractatum præmittit, aut in explicandis verbis legis versatur, aut objecta removet, vel quæstiones examinat. Legem aliquam explicaturi quædam initio *præmittere* solent, quæ illam velut prævio lumine sunt illustratura. Id in Institutionibus passim *Theophilus* observavit, qui in modum præviæ cujusdam inspectionis, ut ipse loquitur, pauca solet præfari. Id & *Ulpianus*, & alii egerunt, quædam de Titulorum significatione præmittentes. [4] Hæc Justinianus *paratitla*, & quædam *admonitoria* appellat. [5] In iis autem prima origo, idest rei, de qua agitur, primordia sunt referenda, cujusque enim rei potissima pars principium est, inquit *Cajus*, [6] & ipse ideo jura tractaturus primam eorum originem recitat. Aristoteles quoque in Ethicis [7] ex primordiis cætera affirmat intelligi. Sic venditionis, [8] ac præfecti vigilum [9] originem *Paulus*, Præfecti prætorio *Arcadius*, [10] Quæstorum *Ulpianus*, [11] & plures alii prima rerum cunabula referunt.

[1] *Alciat. lib. 9. parerg. cap. 26.* [2] *Porcius in § 5 Inst. de susp tutor.* [3] *In l. 4. in princ. sub n. 7. ff. de appellat.* [4] *in l. 1 ff. de rebus cred. si cert. petat. l. 1. ff. de edend. de pact. & aliis locis.* [5] *in l. 1 §. nostram autem, & in l. 2. §. hoc autem. C. de vet. jur. enucl.* [6] *in l. 1. ff. de orig. jur.* [7] *lib. p. cap. 7.* [8] *in l. 1. ff. de contrab. empt.* [9] *in l. 1. ff. de offic. præf. vigil.* [10] *l. 1. ff. de offic præf. prætor.* [11] *l. 1. ff. de offic. quæstor.*

Hoc

Hoc jacto fundamento, res tractanda, præsertim obscurior, erit *definienda*, vel summatim describenda, cum quodlibet a definitione debeat proficisci; [1] secundo res, de qua agitur, in suas species erit *dividenda*, plurimum enim ad cognitionem recte facta divisio confert. [2] Ideo Justinianus, & plerumque Jurisconsulti, ac nostri legum interpretes tractatus in species dividere consueverunt. Sed qui Dialecticam ignoraverit, nec definiendi, nec dividendi rationem tenere potest. Deinde *ratio* cujusque rei pertractandæ erit tradenda. Hæc enim legis anima, & fundamentum esse dicitur, [3] qua cessante, cessat & dispositio. [4] Unde Jurisconsulti edictorum, quæ interpretantur, inprimis causas exponere solent. [5] Postremo traditæ rei effectus, quasi fructus quidam, erunt ostendendi, ut quam utilitatem ex enarratis percepturi sint, auditores intelligant. Hæc generaliter delineasse sufficiet, quæ tamen ubique non erunt observanda, vel quod quælibet definitione non egent, nec omnia species admittunt. Itaque magno in hoc opus erit judicio; semper tamen observandum est, ut necessaria ad rei cognitionem tradantur, neque enim eodem tempore docenda sunt omnia, sed quidque suo loco explicandum. Semper vero a notioribus, & facilioribus incipiendum esse *Aristoteles* monet; [6] nam cum non longe, nec in arduum se duci rudes adhuc juvenes vident, rei facilitate delectati, dum percipiendæ lectionis spe implentur, confidentius audiunt, faciliusque erudiuntur. [7] Plurimum vero hæc Prolegomena proderunt, cum primo rudi intelligentia audientium animos præparent, deinde expoliant, ac diligentius excolant: Nam si initio rude lignum, nodis prius non recisis, nec detracto cortice, faber expolire vellet, futurum esset, operam aut perderet, aut difficilius opus perficeret, sic magistri nisi crassitudinem quandam ex animis audientium primo expulerint, frustra laborabunt. Hæc quoad evidentialia vulgo nuncupata.

His explicatis, occurrens lex hoc modo solet elucidari A veteribus institutum est, *ut facti species*, & hypothesis oculis audientium subjiciatur, ut ea dicendi forma quasi factum in judicium deductum cernant, quare auditores delectati attentius lectionibus incumbunt. In hoc themate referendo, quæ dubiam legis decisionem reddere poterant, in medium adducunt; nullum enim jus, aut pauca dubio ca-

1 *Cic. l. 1. de officiis. Bald. in prælud. Feudor.* 2 *gloss. in §. pen. in proœm. Inst.* 3 *l. 77. §. 20. ff. de legat. 2. l. 55. ff. solut. matr.* 4 *l. 25. C. de episc. & cler.* 5 *ut in l. 1. ff. de pact. de postul. & aliis.* 6 *lib. 1. ethico. c. 4.* 7 *Aristot. l. 1. ethic. cap. 7.*

rere affirmant. [1] Mox ſpeciei definitione recitata, ejus quoque *ratio* eſt referenda. Ea enim, velut navis temone legis deciſio regitur. *Poſtremo* in oppoſitum citata diluuntur, ubi vero nullum factum recitatur, ſed dividitur, vel definitur, nulla ſpecies fingitur, nec dubitandi rationes deſiderantur. [2]

Ita ſpecie facti recitata, contextus verba ſunt explicanda, quæ a plerisque ob inſcitiam prætermittuntur. Ubi igitur in his eſt obſcuritas, videndum eſt, qua arte elucidentur. Ambiguitas vel in ſingulis verbis, vel conjunctis, hoc eſt, oratione, contingit. Prima, auctore *Quintiliano*, [3] proprie ambiguitas vocatur, Alteram amphibologiam *Boethius* [4] nominat. Sed *Accurſius*, & cum eo Bartolus in dictione obſcuritatem, in oratione ambiguitatem eſſe voluit. [5] Hos ſequitur *Aretinus.* [6] In ſingulis verbis duobus modis accidit ambiguitas, primo cum verbum, aut nomen multiplicem habet ſignificationem, quod æquivocum *Boethius* appellat, [7] ut Gallus, avem enim, & gentem, & proprium nomen ſignificat. Hoc modo innumerabiles ſunt ambiguitatis ſpecies, adeo ut nonnulli philoſophi dixerint, nullum eſſe verbum, quod non plura ſignificet, ut *Quintilianus* refert. [8] Secunda eſt dictionis ambiguitas, cum alia integro, alia diviſo verbo ineſt ſignificatio, ut in hac dictione, ingenua, Armamentum, corvinum, cuilibet; aliud enim conjunctæ, aliud ſeparatæ hæ dictiones ſignificant. Idem eſt in verbis compoſitis ut *πανταλεων* quod & *Bartolus* notavit. [9] In conjunctis plus eſt ambiguitatis, quæ tribus modis oritur, primo in caſibus, cum utrique caſui ſenſus convenit, ut

Ajo te, Æacida Romanos vincere poſſe.

Secunda in oratione cum ignoratur, ad quod verbum in medio poſitum ſit referendum, cum utrinque trahi poſſit, veluti ſi jubeat quis poni ſtatuam auream haſtam manu tenentem; dubium eſt, an ſtatua, an vero haſta aurea eſſe debeat. Item ſi dixero, Hæres meus uxori meæ damnas eſto dare argenti, quod elegerit, pondo decem; Quæritur, uter eligat, an hæres, vel uxor. Tertio ambiguus ſermo redditur, cum puncto non diſtinguimus, ubi eſt diſtinguendum, ut in exemplo, quod ponit *Albericus Roſata* [10] de carmine inſcripto pro foribus cœnobii, quod vocabatur Aſellus.

[1] *l. 9. ff. de Carbon. edict. l. 27. ff. qui teſt. fac. poſſ.* [2] *Bar. in proœm. ff. in princ.* [3] *lib. . cap. de ambiguo ſeu amphibologia* [4] *in lib. de diviſionib.* [5] *in l. 2 & ibi Bar. ff. de verb. oblig. in l. 39. ff. de pact.* [6] *Conſ. 84. ad fin.* [7] *lib de diviſion.* [8] *lib. 7. cap. eod.* [9] *in d. l. 2. ff. de verb. oblig.* [10] *in dictionario. in verb. punitus.*

Porta

Porta patens esto, nulli, claudaris honesto.

Nam unum habet sensum, si copula ponatur ante verbum, nulli, alium, si post ponatur; & cum *Robertus* factus *Abbas* copulam postposuisset, amisit Abbatiam, unde emanavit carmen.

Uno pro puncto caruit Robertus Asello.

Pronunciatione etiam ambiguitas provenit ex dubio syllabarum sono, cum quid corripi, vel produci potest, ut, os, quod correptum ossa significat, (ossum enim non est latinum) productum vero pro ore accipitur, idem est in dictione, cato, quæ aliud in nominativo, ultima syllaba correpta, significat, aliud in dativo, vel ablativo producta, ut *Quintilianus*, [1] & *D. Augustinus* [2] referunt. Ubi ergo aliqua ex supradictis evenerit ambiguitas, quid statuendum sit, docet *Ulpianus*, [3] *Numis, inquit, legatis, si non apparet, quales sint legati, ante omnia ipsius patris familias consuetudo, deinde regionis, in qua versatus est, exquirenda est: Sed & mens patris familiæ, & legatarii dignitas, & caritas, & necessitudo; item earum, quæ præcedunt, vel sequuntur, summarum scripta sunt spectanda:* ubi nihil horum apparet, quod minimum est sequemur, ut idem *Ulpianus* monet. [4] *Numis, ait, indistincte legatis, receptum est, ut exiguiores legati esse videantur, si neque ex consuetudine patris familias neque regionis, unde fuit, neque ex contextu testamenti possit apparere.* In dubio enim minus gravari hæredem, quam fieri possit, credendum est. [5] Idem sentit *Ulpianus*, [6] cum scribit, *semper in obscuris, quod minimum est, sequimur*, & id est benignius, quod in dubio sequi tenemur. [7] Ea quoque interpretatio, quæ actum sustinet, cæteris prævalet. [8] Aliquando tamen veluti favore religionis non minimum, sed quod decentius est, amplectemur, ut in exemplo a Scævola proposito. [9] Seja jusserat poni signum Dei ex libris centum in æde sacra, in qua non erant, nisi ærea, aut argentea dona; Quæritur utrum ex auro, vel argento, id enim magis religioni convenit, [10] unde in obscuris quod verisimilius est, spectari *Paulus* voluit, [11] & Julianus sensum, qui aptior est rei gerendæ, retinendum esse censuit; [12] Nulla vero certior est interpretatio, quam quæ ex ratione legis elicitur; illa enim sensum ambiguum relinquere non potest. [13]

Si vero perspicua sint legis verba, ab eorum proprietate rece-

[1] *lib. 7. cap. eod.* [2] *de Doctrina Christiana lib. 3. c. 3. & 4.* [3] *in l. 50. ff. de legat. 1.* [4] *l. 75. ff. de legat. 3.* [5] *l. 34. §. 5 ff. de leg. 2.* [6] *in l. 9. ff. de Reg. jur.* [7] *l. 18. & 19. ff. de legib.* [8] *l. 12. ff de reb. dub. l. 80. ff. de verb. obligat.* [9] *in l. 38. §. 2. ff. de aur. & arg. legat.* [10] *Bar in d. §. ult.* [11] *in l. 114. ff. de reg. jur.* [12] *l. 67. ff. de reg. jur.* [13] *l. 7. ubi Bal. C. de revoc. donat.*

dendum

dendum non erit, [1] exceptis tribus casibus: si scripta ratio a verbis recedere suadeat, [2] vel absurdum proveniret, nisi improprium sensum accipiamus, vel cum alia lex ad id impellit. [3] Addunt vulgo Doctores ob communem usum loquendi a verborum proprietate posse recedi. Sed ego nescio communem usum dicendi a propria locutione removere, cum populus nomina rebus imponat, quæ Servius ex communi usu audienda esse dicebat, [4] quod & *Horatius* [5] probat, cum ait;

Multa renascentur, quæ jam cecidere, cadentque
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet usus
Quem penes arbitrium est, & jus, & norma loquendi.

Hæc sunt, quæ circa legis interpretationem occurrunt.

CAP. VII.

DE MODO CONTRARIAS LEGES CONCILIANDI. **De Antinomiis: de constitutionibus correctoriis.**

ALiquando Antecessor in removendis contrariis versatur. Nam etsi Justinianus nullam in jure relictam esse antinomiam sæpe scripserit, [6] plura tamen reperiuntur, quæ inter se pugnare videntur, nisi subtili ratione concilientur. Cavendum vero est ab ineptis solutionibus, ad quas vulgo inopes consilii recurrunt; Solent enim dicere, præter regulam præcipuum jus in eo casu statutum fuisse, quod præsumendum non est, nisi aliud decidendi specialis favor appareat; cum privilegia etiam in personis alias privilegio munitis non sint multiplicanda, [7] etsi *Paulus Castrensis* contrarium sentiat. [8] Alii vaticinantes temerarias legum solutiones excogitant, quas nostri *divinativas* appellant, & tanquam refugium miserorum fugiendas monent, [9] etsi *Bartolus*, ubi aliter nodus solvi non potest, id admittat. [10] His proximi sunt, qui sensum verborum extorquent, album pro nigro exponentes, & ut scopulos evadant, ex suo capite aliquas dictiones addunt, vel maxime, vel tantum, [11] aut alias similes, quod nobis non li-

[1] l. 69. & 25. §. 1. ff. de legat. 3. [2] l. 47. ff. solut. matrim. Bar. in l. 5. n. 10. C. de legib. [3] l. 26. ff. de legib. [4] l. 7. ff. de supell. legat. [5] De arte poëtica. ad Pisones. [6] in l. 1. §. nulla, in l. 2. §. contrarium. C. de vet. jur. enucl. §. quib. in 1. constitut. Cod. in l. 1. §. tollendis. C. de Justinian. Cod. comp. in l. 1. §. supradictis. C. de confirm. Cod. Justin. [7] l. 15. §. ult. ubi Bal. ff. de testam. milit. [8] in l. 1. in princ. ff. sol. matr. [9] gloss. in l. 24. in verb. hæreditaria ad medium. C. fam. hercisc. [10] in l. 115. sub. n. 27. verb. & si opponis. ff. de verb. oblig. in l. 25. sub. n. 6. ff. de fidejussor. [11] gloss. in l. 1. in verb. agemus. ff. de rer. perm. §. 1. Instit. quib. mod. re contr. oblig.

cere etiam *Bartolus* monet. [1] Aliud eorum vitium eſt, qui ſolvunt, hoc deciditur ex æquitate, illud ex ſummo jure, vel ejus rigore; perinde enim eſt, ac ſi vellent unum ab altero corrigi, quod eſt evitandum, [2] & id ſæpe *Bartolus* damnat, [3] cum enim rigor ſcriptæ cedat æquitati, [4] fateri neceſſe eſt, ſummi juris legem ab alia æquiore aboleri. His addendum, hanc conciliationem legem verbis, non rebus imponere, cum rigidum jus ut inane, & fruſtra editum eſſe non inficientur, quemadmodum & *Bartolus* animadvertit. [5] In eadem navi verſantur, qui legem a contraria corrigi ſolvunt, quod raro, & temere non eſt affirmandum. Nam in Pandectis certum eſt, nullam legem corrigentem reperiri; [6] In Codice anteriora a poſterioribus Principibus quandoque emendantur, [7] ſed id aperte conſtare oportet. *Qua in re Principum hiſtoriam tenuiſſe multum proderit, ne eorum inſcitiam incurramus, qui poſteriores ab anterioribus corrigi quandoque crediderunt.*

Vetera ergo jura emendari tenebimus, ubi hoc aperte exprimitur; Juſtinianus enim ſe hoc feciſſe ſæpiſſime fatetur, [8] & tunc hæſitandum non erit, legum anteriorum correctionem induci. Ubi vero id aperte non exprimitur, ſi lex utatur verbo novam deciſionem denotante, puta, ſtatuimus, ordinamus, innovamus, decernimus, & ſimilibus, modo antiqua illis verbis non recitetur deciſio, quod raro evenit, eam novam, & correctoriam legem cenſendam eſſe. *Abbas Panormitanus* opinatur. [9] Si quam etiam eorum, qui poſt Juriſconſultos imperarunt, conſtitutionem ab antiquis diſcrepantem invenerimus, correctoriam eſſe exiſtimabimus, veluti cum maternorum bonorum uſumfructum tantum ad patrem, non ad filios ſpectare, *Conſtantinus* correxit, [10] certe jura vetuſta [11] corrigi concedemus, etſi in hoc aliqui diſſentiunt.

In ſolvendis igitur antinomiis, in primis ad Titulos, ſub quibus jura ſunt locata, reſpiciendum erit, diverſas enim ſolutiones diverſi tractatus plerunque inducunt. Deinde ratio cujusque deciſionis diligenter erit perpendenda; cum enim ſingulæ ſpecies proprias habe-

[1] *in l. 40. in princ. ff. de pact.* [2] *l. 27. C. de teſtam. l. 32. C. de appellat.* [3] *in l. 2 §. 4. in princ. ff. de vulg. & pupill. ſubſtit. l. 11. §. 5. ff. de publican. & vectig.* [4] *l. 8. C. de judic. ubi Doctor.* [5] *in l. 2. §. 5. in ult. oppoſ. ff. de verb. oblig.* [6] *l. 1. §. nulla. l. 2. §. contrarium. C. de vet. jur. enucl.* [7] *l. 1. §. 1. C. de emend. Codic. Juſtin* [8] *ut in l. 4. C. de lib. præt. §. 2. Inſt. de legat. & ſæpiſſime alibi.* [9] *in c. 2. in fin. X. de judiciis.* [10] *in l. 1. C. de bon. mater.* [11] *l. 79. ff. de acqu. vel ænit. hæred.*

ant rationes, diverſas etiam neceſſe eſt inveniant definitiones. Quid igitur diverſam faciat ſpeciem, diligenter erit animadvertendum, ut Juſtinianus in epiſtola ad Senatum faciendum monet, [1] *Contrarium*, inquit, *non inveniemus, ſi quis ſubtili animo diverſitatis rationes excutiat, ſed aliquid eſt occulti inditum, quod diſſonantiam ſolvit.* Æquivocum quoque nodum ſolvet, qui pluribus modis verbum intellectum, uno in loco unum, aliud in alio ſignificare deprehendet, ut *Baldus* tollendæ antinomiæ methodum tradens [2] docet. *Tribus, inquit, modis jura conciliantur, cum dicimus, aliter hic verbum accipitur, aliter ibi; aliud hic, aliud ibi, diverſa exiſtente ratione ſignificat; vel ſimpliciter hic intelligitur, ibi ſecundum quid.* Diſpar etiam cauſa plerunque jura conciliat veluti tutelæ filii conſentiens pater non obligatur. [3] Aliud vero eſt, ſi voluntate ejus fiat decurio, [4] id enim publicæ utilitatis cauſa eſt introductum. [5] Ex unius denique legis declaratione aliarum perplexicas diſſolvetur, cum jura juribus ſoleant dilucidari. [6] Nunc ad quæſtiones tractandas eſt veniendum.

CAP. VIII.

DE MODO TRACTANDARUM QUÆSTIONUM: de tenore argumentorum; antiquiora junioribus præmittenda.

QUæſtionem aliquam tractantes hunc ordinem ſervare debent. *Primo* opinionis, quam confutare intendunt, argumenta recitabunt, *mox* ſuam *fundabunt* ſententiam, *poſtremo* objecta diluent. Hanc methodum ipſi legumlatores ſervant, [7] & noſtri interpretes ſequuntur. [8] Sic enim tanquam inſtructis utrinque aciebus, hoſtibus ſe opponere profeſſor videbitur, & eorum inclinatam aciem fundere, & aſtantes quaſi conflictus ſpectatores omnia dilucidius intuebuntur. Qui vero hunc ordinem perturbant, velut agminibus incompoſitis pugnantes, dum plura tumultuarie commiſcent, audientes confundunt. Curandum inprimis, ne *mania*, ſed *validiora* fundamenta deducantur, ſicut enim infirmus in aciem prodiens ridetur, ſic debilia fundamenta deſpiciuntur. Neque enim tyronum multitudine, ſed flore militum eſt pugnandum; ita eveniet, ut quæſtiones, quas ab aliquibus in triduum productas ſcio, & celerius, & clarius expediantur.

1 *d. l. 2. §. contrarium. C. de vet. jur. enucl.* 2 *in procem. ff. in princ. in 2. lectu. n. 8.* 3 *l. 46. ff. de admin. tut.* 4 *l. 2 ff. ad municip.* 5 *Aret. conſ. 50.* 6 *l. 26. ff. de legib.* 7 *l. 7. ff. de ſupell. legat. §. 2. Inſt. de empt. & vend.* 8 *Porti. in §. 11. Inſt. de rer. diviſ. Imol. in c. Cranſ. in 6. nota. de reſt. ſpoliat.*

Idem in texendis tractatibus servandus est ordo, quem in præfationibus supra ostendimus, ubique vero curandum erit, ut antiquiora semper præmittantur. Rerum enim ordo postulat, ut a primis exordiamur, ut *Justinianus*, [1] & *Rhetores* [2] præcipiunt. Sed & consulentibus in responsis, quæ sunt edituri, idem servandum erit. [3]

CAP. IX.

DE PRONUNCIATIONE DOCENTIS.

EMendata elocutione semper dicere debet professor, placida, & sedata voce incipere, [4] leni cum proponit, volubili, & concita cum differit, sedata cum definit, ac decernit, ut auditores in subselliis scriptitando explicatas sententias notis possint excipere, quod *Petrum Pomponatium* fecisse *Jovius* in elogiis refert. [5] *Ossium vero instar, inquit Fabius, rerum habet inventio, Nervos ordo imitatur, elocutio Carnem, cutemque & colorem præ se fert, Spiritus vice fungitur memoria, quæ omnia, quasi motus quidam vitalis, suscitat, erigit, movetque pronunciatio.* Cum de docentis partibus dixerimus, locus postulat, ut de discente, & ejus officio aliqua subjiciamus.

CAP. X.

DE OFFICIO DISCENTIUM: de lectione librorum, & auscultatione Doctorum.

DUobus uti magistris studiosum convenit, vivis, & mutis. Libros appellavit *Gellius* [6] mutos magistros, quibus erudimur, & ut apud Platonem Socrates ait, Nobiscum quidem loquuntur, sed dubitantibus commode non respondent. Ac sicut mutorum est nutibus, signisque loqui, ita librorum notis, & significantibus figuris fabulari. Sic legem mutum magistratum *Cicero* appellat. [7] E diverso magistratus lex loquens, & viva vox juris civilis a *Martiano* vocatur; [8] Eodem modo *Plutarchus* poesim. picturam loquentem, & picturam mutam poesim nominavit. [9] Cum itaque his duobus magistris discentem uti oporteat, primo pauca de vivo, idest, præceptore, mox de mortuo dicemus.

In primis præceptorem optimis moribus præditum, pariterque

1 *In §. 11. Inst. de rer. divis.* 2 *Quintilianus l. 9. c. de compositione.* 3 *Porti. in §. 11. 13. Inst. de rer. divis. Imol. in d. c. litteras in 6. noct. de rest. spol.* 4 *Placido sic pectore cœpit in lib. Æneid. Virgilius.* 5 *in Petro Pomponatio. 61.* 6 *lib. 14. cap. 2.* 7 *lib. 3. de legibus.* 8 *in l. 8. ff. de just. & jur.* 9 *in lib. de audienda Poetica.*

eruditum, quem imitetur, amet, & miretur, ſtudioſus eligere debet; Nam cum diſciplina in diſcipulos vitia tranſeunt, quemadmodum de Alexandro Magno, & aliis prædicatur. Deinde cum ſiniſtram de præceptore opinionem juvenis concepit, eum minus amat, & negligentius audit. Illum etiam auſcultaſſe proderit, qui cum venuſtate pronunciat; incompoſita enim recitatio audientes lædit, & plerunque velut morbus contagioſus ipſis inhæret. Eligendi igitur ſunt hi, quibus ſimiles fieri juvenes velint, & ita eligendi, ut ſint diligendi, arctamque cum illis neceſſitudinem contrahant, eos frequentius adeant, percunctentur, reſpondentes audiant; Multum enim viva præceptoris vox mutæ lectioni præſtat, quod quæ a dicente percipiuntur, altius animo inſident, hærent tenacius. Unde D. Hieronymus [1] *Habet, inquit, neſcio quid latentis energiæ viva vox, & in aures diſcipuli de doctoris ore transfuſa fortius ſonat.* Nunc ad domeſticam lectionem eſt tranſeundum.

CAP. XI.

De privata applicatione: de methodo ſtudendi. Commendantur Theophili inſtitutiones: de gloſſis Accurſii. De lectione gloſſatorum: de annotandis.

NEmini prodeſt docentes audiviſſe, niſi domeſtico ſtudio doctrina ex libris hauriatur. Id tamen cum delectu, & magno judicio eſt agendum. Nam librorum multitudine ſe onerantes, operam, & oleum perdunt, ac nihil proficiunt. Qui igitur rudes ad legum ſtudia accedunt, primum univerſas *juris Inſtitutiones*, ſolo adhibito *Theophilo* interprete, percurrant. Mox cum velut legum craſſitie depoſita, earum deguſtaverit primordia, illas iterum cum ſolis *Accurſii* gloſſis examinet. Tum quæ in his citantur, & inſpicienda, & percipienda erunt jura, & ad propoſitam ſpeciem inducenda, in quo magnum ingenii acumen vulgo verſari putant. [2] Interea in *juris Titulorum cognitionem* ſtudium adhibebit. Sic enim non mediocrem legum notitiam nanciſcetur. Cum vero ad ordinarias lectiones ſe tranfert, primo anno velim ſolis *Bartolo, Jaſone, & Decio* interpretibus ſit contentus; Poſtea *Paulum Caſtrenſem*, *Ripam*, ac demum *Alexandrum* adhibebit. His interpretibus, opto, ſtudia abſolvat. Interea aliqua diei hora, præſertim cum publicæ ceſſant lectiones, *totum juris corpus* legat,

1 *In prologo ad Biblia. ſeu epiſt.* 103. *ad Paulinum presbyterum.* 2 *l.* 9. *§.* 5. *ff. de excuſ. tutor.*

gat, ac memoranda in librum ordine alphabetico compositum transferat. Quas vero auditurus est lectiones, semper prævideat, & articulum a præceptore tractandum examinet. Jura utrinque adducta ante perpendat, & veriorem opinionem elicere conetur. Hoc autem ubique observabit, ut prius legat antiquiores, vel glossam, vel Bartolum, mox ad alios juniores accedat. Qui vero auditores tantum sunt, non etiam lectores, parum proficiunt. [1] Quinque ad hæc sibi alios libros paret ordine alphabeti compositos, in quorum *uno* quæ ad contractus spectant, annotabit, in *alio* res ultimarum voluntatum, in *tertio* criminum, *quartus* regulas juris cum limitationibus continebit, *quintus* verborum, seu dictionum vim habebit, de quorum intellectu sæpius disputatur.

Ad retinenda vero memoria, quæ quis didicerit, studiorum frequentia plurimum proderit, ut *Baldus* dicebat. Quæ enim sæpius leguntur, necesse est animo inhæreant. Proderit & quæ quis notanda invenerit, quotidie repetere.

Præ cæteris vero omnibus privatas Academias studiosi instituant, in quibus invicem legentes, & argumentis pugnantes, non modo ad loquendum linguam exercebunt, sed ingenium acuent, memoriam confirmabunt, & dum per æmulationem diligentius student doctiores evadunt.

Hic doctoribus indulta privilegia essent referenda, quæ cum ab *Alexandro, Jasone*, & *Ripa* tractentur, [2] & diffusissime *a Bartholomeo Bolognino*, [3] *& Saliceto* [4] recitentur, ne aliorum scripta describam, omittenda esse duxi. *Baldus* omni loco, & tempore Doctores felices esse affirmat; [5] Quod an verum sit, ipse viderit. Idem alibi refert, summum Pontificem, simul atque creatus est Papa, statim juris utriusque Doctorem effici; [6] *est enim*, ait, *in ipso dignitatum culmine.* [7]

CAP. XII.

DE VESTIBUS ET HABITU DOCTORUM: de eorum talaribus: origo a Sacerdotibus Gothorum: de pellibus humerorum: de rotundis pileis coccinei coloris: de lato cingulo: de convenientia habitus doctoralis cum sacerdotali: de aureo annulo.

[1] *Alciat. lib. 6. parerg. cap. 8.* [2] *in l. 15. ff. de vulgar. & pupill. substit.* [3] *in Auth. Habita. C. ne filius pro patre.* [4] *in l. 4. C. de sacrosanct. eccles.* [5] *in §. itaque n. 9. in proœmio Digest.* [6] *in C. Monaster. in fin. X. de confess.* [7] *c. 44. §. sed & principes X. de elect. & el. pot.*

UT graviores incederent Doctores, *talaribus* eos vestibus indui placuit; cum enim duplex sit ornatus, primus interior, qui virtutes, bonosque mores continet, alter exterior, qui in habitu, & incessu, cibique ac potus temperantia consistit, [1] his omnibus a cæteris legum periti erant distinguendi. Longis itaque latioribusque & manicatis stolis primo sunt induti, cucullasque variis pellibus suffultas, & in humeros pectusque demissas gestaverunt; Unde anno MCCCCXVIII. Martino V. Pontifici Max. Mediolanum venienti Collegium Jurisconsultorum & Physicorum cum cucullis variis pellibus intus consutis, & humeralibus item variis ornatum obviam ivisse, *Corius* scribit. [2]

Fuit hic habitus *Sacerdotum Gothorum*, mox Longobardorum, quemadmodum & hodie in vetustissimis picturis, ac marmoribus quibusdam cernitur. Hujus rei certum est etiam argumentum, quod *D. Benedictus* suos Monachos habitu sacerdotum sui temporis, quo Italia potiebantur Gothi, jubet indui. Hæ autem sunt vestes talares cum cuculla. His similes tunicas Pœni gestasse videntur. Apud *Plautum* enim Milphio ita de Pœno adveniente loquitur. [3]

Novistin, tu illum tunicatum hominem qui siet?

Rursus eum ob latas manicas avem his verbis appellat. [4]

Sed quænam illæc avis est, quæ huc cum tunicis advenit.

Hæc ille. Eas ut probrosas Catilinæ objicit *Cicero.* [5] *Quos, inquit, pexo capillo nitidos, aut imberbes, aut bene barbatos videris manicatis, & talaribus tunicis, velis amictos, non togis.* Hactenus Cicero. De Tunicis Romanorum ita *Gellius.* [6] *Tunicis,* inquit, *uti virum prolixis ultra brachia, & usque in primores manus, ac prope in digitos Romæ atque omni in Latio indecorum fuit; eas tunicas græco vocabulo nostri χειριδωτούς appellaverunt, fœminisque solis vestem longe, lateque diffusam in decorem existimaverunt, ad ulnas, cruraque adversus oculos protegenda. Viri autem Romani primo quidem sine tunicis, toga sola amicti fuerunt, postea substrictas, & breves tunicas citra humeros desinentes habuerunt, quod genus Græci dicunt ἐξωμίδας. Hac antiquitate indutus P. Africanus Pauli filius vir omnibus bonis artibus, atque omni virtute præditus P. Sul-Gallo homini delicato inter pleraque alia, quæ objectabat, id quoque probro dedit, quod tunicis uteretur, manus totas operientibus.* Et ejus verba subjicit. Hujusmodi habitu & *Macedones* utebantur; cum enim apud

1 gloss. in c. 1. distinct. 40. 2 in 4. part. c. Hist. 3 in Pænulo. scæn. Quis pultat. 4 in eod. scæn. Ajo tu dixe. 5 in orat. 2. in l. Catilinam ad Quirites. 6 lib. 7. cap. 12.

Plau-

Plautum fingendus esset aliquis, qui ex Macedonia venisse videretur, ait. [1]

Manuleatam tunicam habere hominem addecet.

Postmodum hæc vestis, ut gravis, est recepta, quæ etiam Sacerdotibus visa est convenire, [2] & hunc habitum Doctores & ipsi tanquam justitiæ [3] Sacerdotes sumpserunt, postea detracta cuculla *humeros pellibus* circumdederunt, ac *rotundos pileos Coccinei coloris* capiti imposuerunt, ac longas vestes ejusdem coloris gestabant, quas ego annis ab hinc ferme 70. senes indutos me vidisse memini. Ubi vero ob amissos propinquos luctum indicare volebant, *Lanthinis* induebantur. Est aut Coccum Fullonius frutex grana continens quibus pulcherrimo colore lanæ, & serica hodie, omisso purpuræ usu, inficiuntur: in Bætica, quæ ob id grani genus Granata dicitur, & Germania nascitur, id esse, quod Anthillum *Plinius* nominat, [4] *Raphael Volaterranus* [5] putat

Has floridas vestes hieme lato cingulo ex serico tonsis villis contexto aurea fibula supra lumbos constringebant; Demum omissis coloribus, *pullas vestes* sumpserunt, ac *pileos quadratos*, *cruceque signatos* more sacerdotum gestarunt, sine quibus eos in publicum prodire non decet, [6] *Cidarim* quadrangulari forma pileum vocabant, quem Mithridatem Ponti Regem gestasse *Plutarchus* [7] memorat. Eodem cum cærulea fascia albo distincta Armeniæ, & Persarum, Lydorumque Reges usos fuisse *Dion & Halicarnaseus*, [8] & Alexander ab Alexandro [9] scribunt. Hique pro insignibus Doctoribus tanquam justitiæ Sacerdotibus, tradebantur, sed & hos, me puero, in Italia gestare desierunt, & omissa manicarum latitudine, *strictis* brachia cinxerunt, & hodie his abjectis, plerique *palliis* utuntur, & cum vestibus gravitatem, utinam, & non doctrinam deposuerunt.

Aureus quoque *annulus* Doctorum insigne fuit, qui olim Equites a plebe, [10] postea Ingenuos a Libertinis distinxit. [11] Significatur autem hoc signo, Doctores a plebe separari, unde *Nobilissimi* appellantur, [12] quemadmodum & *Ulpianum* Jurisconsultum *Herennius*, *Modestinus* no-

[1] *In Pseudolo. sce. Dulcia, atque amara.* [2] *c. non liceat. 32. dist. 21. c. Episcopi. 3. caus. 21. quæst. 4. c. Clerici. 15. X. de vit. & honest. Cleric.* [3] *l. 1. §. 1. ff de just. & jur.* [4] *lib. 21. cap. 29.* [5] *Philolog. lib. 26.* [6] *c. Episcopi. 3. caus. 21. qu. 4.* [7] *in Pompejo.* [8] *l. 3. Antiq. Rom.* [9] *lib. Genialium dier. p. cap. 28.* [10] *Plin. l. 33. c. 1.* [11] *l. 1. ff. de jur. aur. annul. Auth. sed hodie. de jur. aur. annul. seu Novell. 78. c. 1.* [12] *in l. 7. C. de postul. Tiraq. de nobil. cap. 5. n. 3.*

bilem,

bilem, & nobilissimum appellat; [1] Unde *Spartianus;* [2] *Didio*, inquit, *Juliano, qui post Pertinacem imperium adeptus est, proavus fuit Salvius Julianus bis Cos. præfectus Urbi, & Jurisconsultus, quod magis eum nobilem fecit.* Alii volunt Doctoribus dari annulos, quibus signandi responsa auctoritas dari significatur. Doctor togatus, ornatusque cum suis insignibus incedere debet, ut ejus dignitas appareat, [3] Unde glossa juris Pontificii eos reprehendit, qui Doctorum vestibus induuntur, aut eorum utuntur insignibus, [4] falsi enim possunt puniri. [5]

DE ILLUSTRIBUS JURIS CÆSARII INTERPRETIBUS.

CAP. XIII.

I. IRNERIUS. Quando doctrina juris romani Romæ cœperit initium studii juris romani restituti; de inventione Pandectarum & Codicum. PEPO primus jus justinianeum docuit. Vita Irnerii: autoritas Pandectarum Pisanarum. Prima in jus scholia. De Authenticis & errore Irnerii circa illas. De Novellarum versionibus: de origine Authenticarum. Distinctio inter lectiones ordinarias & extraordinarias: de Bidellis. Historia methodi antiquarum lectionum: de instrumentorum formulis: de Academia Banoniensi.

I. EXpulsis a Narsete Justiniani Duce Italia Gothis, jus nostrum civile *Romæ* interpretari cœptum [6] non diu doceri potuit. Cum enim paulo post Longobardi Italiam invasissent, & Exarchi satis hostium armis fatigati, atque adeo insita negligentia bonas artes minus curarent, brevi prope totum interiit. Ejectis vero rursum Barbaris, cum primum Italiæ gentes respirare potuerunt, paulatim Liberales disciplinas excoluerunt, ac primo *Ravennæ*, deinde *Bononiæ*, aliisque in civitatibus artium studia institui cœperunt.

Sed nondum *Pandectis*, aut Justiniani *Codice* usquam apparentibus, nulla legum Romanorum cognitio habebatur. Forte autem evenit circiter An. humanæ salutis M. CXXVIII. ut *Ravennæ*, ubi Honorius, Valentinianusque & post eos Gothorum Reges, Exarchique orientalium Principum sedes posuerant, in vetusta bibliotheca Pandectæ reperirentur, quas Lotharius II. Cæsar sibi oblatas pro legitimo Justiniani partu agnovit, & publice explicari jussit. Id opus, Ravennati gymnasio

[1] *In l. 2. in fin. & in l. 4. in fine. ff. de excus. tutor.* [2] *in Didio Juliano.* [3] *gloss. in c. Ut apostolicæ. 6. in verb. dignitatem. de privil. in 6.* [4] *gloss. in d. c. ut apostolicæ. in 6.* [5] *l. 27. ff. ad L. Corn. de falsis.* [6] *§. hæc autem. in proœm. Digest.*

tum

tum intermisso, *Bononiam* ubi magis disciplinæ florebant, delatum legi cœpit. Primus eam provinciam aggressus PEPO discentibus parum gratus extitit. Posthunc IRNERIUS, quem aliqui corrupte *Guarnerium* appellant, ut quidam volunt, Mediolanensis, vel ut alii Germanus, & artium interpres, [1] legibus prius domi diligenter perlectis, eas postea tanta felicitate exposuit, ut clarissima nominis fama comparata, *Lucerna juris*, quod primus illustrasse visus est, fuerit appellatus.

Alii Justiniani tantum *Codicem* Ravennæ inventum fuisse autumant, *Pandectas* vero *Amalphi*, quæ urbs est Campaniæ, ubi supra hominum memoriam diu conservatæ fuerant, repertas ex vetustis Annalibus referunt, ac Pisanis, qui pro Innocentio II. & Lothario item II. adversus Normanum Rogerium, exornata classe, strenue pugnaverant, pro navatæ operæ munere fuisse donatas. Exinde *Pisanæ Pandectæ* sunt appellatæ, & quod omnes, quæ in usu habentur, ex illis descriptæ fuisse credantur. Pandectæ Pisanæ pro Archetypo diu sunt habitæ, [2] & solæ, ubi orta erat scripturæ controversia, consuli consueverant. [3] Id monumentum Pisis per multos annos est conservatum, donec per *Ginum Caponium* ea urbe in Florentinorum potestatem redacta, postea Florentiam delatum fuit, a quo tempore *Pandectæ Florentinæ* vocari cœperunt.

Cæterum Irnerius, ut non solum audientibus, sed etiam posteris prodesset, mira brevitate, & ingenii acumine in legum opus *primus scholia* edidit, quæ glossas, hoc est, interpretationes vocavit, sed qui rectius sentiunt, voces obscuras, & minus usitatas, non autem ipsam expositionem *glossas* dici autumant. [4] *Aristoteles* in Poetica [5] peregrinum idioma glossam vocat. *Irnerii* glossæ, & quæ post eum ab aliis additæ sunt, ab *Accursio* confusæ pristinum nitorem retinere, aut dignosci non potuere. [6] In uno tamen Irnerius non parum erravisse visus est, quod ex duabus Græcarum Novellarum versionibus aliam elegantiorem velut adulterinam rejecit, & eam, quæ minus Latina, & corrupta erat, recepit, quam etiam *Authenticam* velut omni fide dignam ad alterius senioris differentiam vocavit, [7] & quod exitiale

1 *Odofr. in l. ult. col. ult. C. de in integr. rest. in l. 6. ff. de just. & jur.* 2 *Abb. in c. quamvis. 25. n. 9 ver. & quod supra dixi. X. de sent. & re judic. Ant. Augusti. l. 1. emendat. c. 1.* 3 *Bar. in l. 7. §. ult. ff. de distr. pign. l. 61. ff. de pact. l. 3. C. de cond. ob causam.* 4 *Quintilianus lib. 1. cap. 1.* 5 *cap. 21.* 6 *Odofr. in l. 6. ff. de just. & jur. & in Auth. qui res jam. n. 4. C. de Sacros. Eccles.* 7 *Holoand. in epistol. ante Novell.*

Jurium ſtudiis damnum attulit, poſteri ejus errorem ſecuti verſionem illam jam authenticam factam pro germana tenuerunt. Errandi cauſam Irnerio viro alioqui prudentiſſimo *Juſtiniani* Conſtitutio [1] præbuit, qua leges in diverſum idioma niſi, *κατα πόδα*, ideſt *ad verbum* verti prohibentur.

Quæ igitur authentica nunc eſt interpretatio velut ad verborum ſeriem facta comprobata, alia vero, quæ ſenſum potius quam verba ſequitur, damnata fuit. Hæc in perpetuum exilium acta nusquam hodie apparet, illa autem longe (ut creditur) deteriôr ſola pro legitima agnoſcitur, & in uſu habetur. Noſtri librum *Authenticorum* e *Novellis* differre falſo opinantur, & quod eas corrigat, & probabiliora contineat, authenticum dictum fuiſſe putant. [2] Cæterum non negligendum opus aggreſſus eſt Irnerius, qui, ut laborem ſtudioſorum ſublevaret, & ab ea lectione, quæ ſæpius ſtomachum movebat, homines forenſes liberaret, authenticas interpretationes anguſtis verbis coarctatas appoſite Codici inſeruit. [3] Eo beneficio effectum eſt, ut raro, & non niſi in ambiguis quæſtionibus, Novellarum librum conſulere cogamur, quod aliqua ex Archetypo quandoque reliquiſſe, vel immutaſſe dicatur. [4] Nonnulli Novellas conſtitutiones ſero ab Irnerio lectas fuiſſe tradunt, cui quondam in judicio oranti oppoſitum eſt, quod contra novellam legem diceret, & ille eam a Græco Monacho, & non a Juſtiniano conditam fuiſſe jocatus perlepide adverſarium eluſit; ſolum autem ex juribus, quod *Digeſtum vetus* vocatur, & Codicem, aliis relictis, publice eſt interpretatus, quem & cæteri eo tempore ordinem ſunt ſecuti. Alias vero legum partes, quas *Infortiatum*, & *Digeſtum novum* appellant, ſtipe ſibi ab Auditoribus collata, domi profeſſores exponebant. [5] Quare illæ *ordinariæ* dictæ ſunt lectiones, quæ ex profeſſo tradebantur, hæ *extraordinariæ*, quæ privatim mercedem ſolventibus explicabantur, [6] ea pecunia, quia ab audientibus colligebatur, *collecta* nominabatur, [7] quæ in eos, qui *Bidelli* vocantur, nunc tranſlata fuit.

Cum ergo Irnerius Infortiatum non ſit interpretatus, & ab eo

[1] *In l. 11. §. hoc autem C. de vet. jur. enucl.* [2] *Albericus C. de emend. Cod. dom. Juſt. in fin. Cap. in Auth. ſed novo jure. ſub n. 15. C. de ſerv. fugit.* [3] *gloſſ. in Auth. quas actiones C. de Sacroſanct. Eccl. Aret. in l. 8. §. 1. verſ. ſed quærit. ff. qui teſt. fac. poſſ. & alii plures. Odofr. in l. 1. C. de emend. Cod. Do. Juſtin.* [4] *Zaſ. lib. 1. ſingula. reſpon. c. 7. ſub. num. 6. Corne. Conſ. 4. in 4.* [5] *Odofr. in l. ult. in fin. ff. de divort.* [6] *in proœm. ff. in princ. n. 11.* [7] *Alber. in l. 4. ff. de officio aſſeſſor.*

alibi

alibi tactæ quæstiones ibi referantur, dubitatur a nostris, an illud volumen habuerit. [1] Posterioribus vero temporibus vespertinis horis hæ quoque lectiones publico stipendio enarratæ sunt; Unde factum est, ut non modo ipsæ ordinariæ, sed pluribus in locis utiliores, ac præstantiores habeantur, cum eruditissimi quique amplissimis stipendiis ad eas potissimum enodandas conduci consueverint. Hic non omittendus est primorum illorum interpretum usus, qui quotannis integrum volumen vel Codicem, vel quod Digestum vetus nuncupatur, explicare solebant, & cum ad ejus finem pervenissent, prævio professore, auditores ad sacra in honorem Spiritus Sancti celebranda pie proficiscebantur. [2] Nec semel in die, sed bis, mane, & vespere ferme per binas horas profitebantur. [3] Ab initioque mensis Octobris exorsi usque ad medium Augustum, vel etiam Septembrem lectiones continuabant, quod & superioribus annis paucis, brevibusque interpositis feriis observabatur, ut ex vetustis Patavinæ Academiæ constitutionibus, ex ipsis etiam Interpretum scriptis deprehenditur. [4] Quare improbanda est hujus seculi mollities, quo vix toto anno centum lectiones per horæ spacium audiuntur, & pluribus, longisque interpositis vacationibus, paucæ admodum leges potius attinguntur quam perficiuntur.

Sed ut ad Irnerium redeamus, cum ipse totum jus singulis annis solus explicare non posset, aliis, quorum infra mentionem faciemus, ea provincia est demandata; Unde variis diversas legum partes interpretantibus, quisque quam volebat Pandectarum, vel Codicis partem eodem anno audire poterat. Alternis enim annis quivis professor vel Digestum vetus, vel Codicem exponebat. Reliqua vero extra ordinem discentibus tradebantur. Et sicut hodie primum docere volentibus Institutionum lectio traditur, tunc ab extraordinaria, & forte difficiliori incipiebant, quam per multos dies prosequebantur, donec doctiores facti aliis jurium explicandorum partibus digni interpretes visi fuissent. Non pauciores itaque quatuor, aut quinque professoribus in quaque Academia jus explicare consueverant, idque tandiu est observatum, donec bini ejusdem lectionis Interpretes, ut infra dicemus, constituti fuere.

Instrumentorum etiam omnium formulam Irnerius composuit,

[1] *Gloss. in R. ff. sol. matr.* [2] *Odofr. in d. l. ult. in fin. ff. de divort.* [3] *Bar. in l. 3. ante num. 13. C. de edendo.* [4] *Jas. in l. 3. §. 3. ff. ad SCtum Trebell. & in l. ult. ff. de lib. & posth. & ad l. ult. in fin. C. de inoffic. testam. & in l. 17. ad fin. ff. de transact.*

quæ *Formularium* vocabatur. [1] Hic liber non paucis adjectis ab aliis locupletatus eorum nomine circumfertur. In dialectica versatus in rebus quoque naturalibus Irnerius doctus est habitus. [2] Morte occubuit circiter An. humanæ salutis M. CXC. Humatus est Bononiæ, quam prius Hortum, mox Thessabonicam, deinde Bononiam vocatam esse plures referunt, [3] cujus rei nulla, quod sciam, apud probatos historiographos fit mentio. Hæc Academia hoc tempore celebris facta, postea magni nominis fuit, cui *Gregorius IX.* P. M. *Decretales, Bonifacius VIII. sextum librum, Joannes XXIII. Clementinas* inscripserunt. Clemens V. in Synodo Viennensi statuit, ibi Hebraicam, Arabicam, Chaldeamque linguas doceri, [4] pluraque Lotharius Cæsar eidem privilegia dedisse fertur, [5] quod verius esse potest, quam quod de Theodosio juniore scribitur. [6]

CAP. XIV.

II. MARTINUS. Sectarum ab eo origo: de juribus imperii pronunciat jubente Imperatore Friderico, *Obertus ab Horto* & *Gerardus Cacapisti.* De pace Constantiæ. Martini controversia cum Bulgaro. Origo Auth. *sacramenta puber* C. si advers. vendit. III. OTTO PAPIENSIS.

II. MARTINUS ex nobili Gosia familia Bononiensi per factiones Gibellinorum patria expulsa ortus, [7] Cremonæ natus esse dicitur, ut *Raphael Volaterranus* [8] scribit, qui Bosianum, ut ipse appellat, diversum a Martino interpretem putat, cum id ejus familiæ nomen fuerit. Martinus ab Irnerio eruditus in explicando jure civili post præceptorem maxime claruit. In defendendis tamen opinionibus suis nimis pertinax habitus, ex suo capite sæpe adversus jura quandam æquitatem sibi fingere conatus est; Unde prolatis contra ea, quæ respondebat, ab æmulis libris, non semel rubore suffusus esse dicitur. [9] Cæterum ingenii præstantia, & doctrina fretus cum non facile posset a sententia dimoveri, exemplo *Antistii Labeonis Jurisconf.* [10] primus inter illius temporis Interpretes diversis sectis causam præbuit. Hunc enim *Placentinus*, & *Albericus a Porta* Ravennate ut plu-

1 *Gloss. in l. 2. §. sane 2. in verb. petitione. C. de Sacrosanct. Eccles. Odofr. in Auth. qui res. ante num. 4. C. de Sacros. Eccl.* 2 *Odofr. in l. ult, C. de integr. rest. minor.* 3 *Archid. in c. convenior. 21. caus. 23. q. 8. Imo. & Felin. in c jurgant. 2. X. de sent. & re judic.* 4 *Clem. 1. de magistr.* 5 *Bar in proœm. ff §. hæc autem, ad fin.* 6 *gloss. in Clem. 1. de magistr. in verb. Bononiensi. Bal. in Auth. habita. C. ne filius pro patr.* 7 *Cin. in l. 1. §. 5. in fin. C. de rei uxor. actio.* 8 *lib 21. Anthropolog.* 9 *Odofr. in l. 4. §. 5. de his, qui notant. infam.* 10 *l. 2. §. 47. ff. de orig. jur.*

rimum sunt secuti, qui omnes ab auctore *Gosiani* sunt appellati. [1] Adversarios vero insignes habuit *Bulgarum*, *Joannem Azonem*, & postremo cum aliis *Accursium;* sed invitis æmulis tantam sibi nominis famam comparavit, ut ei *Fridericus Ænobarbus* Cæsar velut peritissimo jura imperii declaranda committere non dubitaverit.

Cum enim anno M.CLVIII. sibi in Italiam venienti Dertonenses, Cremonensesque portas occlusissent, Roncaleam omnibus Italiæ Principibus, ac cujusque Urbis Coss. concilium indixit. Eo cum pluribus aliis quatuor celebriores legum peritos *Martinum Gosiam*, *Bulgarum*, *Jacobum*, atque *Ugolinum a Porta Ravennate*, qui tunc Bononiæ jus civile profitebantur, convenire jussit, ac ut cœteris eruditiores interrogavit, *an rerum omnium dominium Cæsar haberet*, *quæ ejus indulgentia velut precario jure a possessoribus tenerentur;* Cum id *Martinus* affirmasset, negasset *Bulgarus*, [2] nutassentque cæteri; Tum Fridericus *quodnam in Longobardorum civitates jus haberet*, maturius eos definire præcepit. Illi tantum negocium sibi non sine magna invidia committi animadvertentes ex singulis Longobardiæ civitatibus unos sibi ad judicandum collegas dari impetrarunt. Itaque viginti octo ex omnibus urbibus electi Jurisconsulti cum quatuor eximiis professoribus ultra Padum in templum, quod S. Petri Contrebiæ vocabatur, convenerunt, inter eos *Obertus ab Horto* feudorum auctor celeberrimus, & *Gerardus Cacapisti* & ipse in feudis clarus ambo Mediolanenses fuisse creduntur. Re diu inter se tractata, tandem omnia Romani imperii jura definierunt, quæ ad Fridericum delati singuli civitatum legati se observaturos promiserunt, ut quibusdam in annalibus scriptum reperitur. Sed *Odofredus* id, ejecto ex Italia Friderico, factum fuisse memorat; [3] ipse vero Italiam invasurus in primis a Bononiensibus, ut suæ fidei se committerent, postulavit, quod Martini, Bulgari, Jacobi, & Ugolini opera facile obtinuit. Sed cum durius se gereret, Longobardis non amplius sex mensibus imperavit. Demum conciliari illis cupiens per nuntios rogavit, ut legatis ad se Constantiam missis pacem inire vellent; Id actum est, ac fere LX. ab omnibus civitatibus missi legati ad Cæsarem iverunt. Cum eo de omnibus convenit, præterquam de jure, quod summum in populos habere volebat; Unde orto dissidio in magna contentione res fuit, jamque

1 *Gloss. in l. 3. in princ. ff. uti possid. & in d. l. 1. §. 5. C. de rei uxor. act.* 2 *gloss. & Odofr. in l. 3. C. de quadr. præscript.* 3 *in l. 14. ff. de jurisdict.*

omnes remeabant, quum Fridericus Rectoribus Civitatum, quæ sibi fœdere junctæ erant, definiendæ controversiæ jus dedit. Illi a singulis Civitatibus Cæsari, a quo *cudendæ monetæ* facultatem obtinuerant, *quaternas argenti marcas pendendas esse statuerunt*, *quæ summa* XXXII. uncias ac circiter aureos XXX. continet. *In causis* XV. *libras ejus monetæ excedentibus ad Cæsarem appellari, ejus vexilla in conspicuo cujusque civitatis loco explicari*, XXVI. *illius monetæ denarios a singulis familiis eidem solvi, & venienti in Italiam alam equitum, manumque peditum a quibusque populis mitti*, [1] *pro quibus cudendæ pecuniæ jus habuerunt.* Ea est, quæ *Constantiæ pax* vocatur.

At *Martinus* apud Cæsarem, quem ambitiosius colebat, [2] magno in honore semper extitit, ac de multis ad leges Rom. pertinentibus, cum eo familiariter collocutus, [3] etiam nonnullas opiniones, quarum auctor extiterat, Imperatoris auctoritate comprobari obtinuit. Inter alias illa celebris fuit, de qua semel adversus *Bulgarum* contendit, *inanes contractus addito juramento jure confirmari*, de quo cum uterque apud Cæsarem disputasset, ille Martini sententiam lege data recepit. [4] Ejus opiniones etsi quandoque juri consonas *Accursius* sive invidia, sive ex odio ante concepto, ut qui ejus æmulo Azoni impensius studebat, non sine stomacho sæpe rejicit, & ejus sectatores per contemptum Gosianos vocitat. [5] Unde alii audaciores facti ipsum nihil sani, aut veri unquam protulisse dicere non verentur. [6] Demum diu concepti odii furorem evitare non potuisse fertur; Cum enim in publico certamine *Azonem* convicisse visus esset, ab irato æmulo clavibus, quibus auditoria claudi consueverant, occisus esse dicitur; [7] Id tamen potius obscura fama, quam certo auctore est pervulgatum. Cum Cæsariani nominis studiosus Martinus fuisset, agnatos Gibellinæ factionis Principes fecit, qui adversa parte Bononiæ prævalente omnes patria postea ejecti fuere. [8]

III. Eadem ætate OTHO PAPIENSIS docuisse videtur, qui & ipse non ignobiles glossas in jus nostrum edidit, [9] ac pro antiquo Glossatore citatur. Sed cum raro ejus mentio fiat, vix in studiosorum cognitionem pervenit. *Salicetus* vero pro *Ottone Lotharium* citat, de quo infra dicendum

1 *Odofr. in l. 14. ff. de jurisd. & in l. 13. §. 4. ff. ad SCtum Trebell.* 2 *Andr. Iserni in constitut. si dubitatio. Roll. a Vall. in cons. 46. n. 54. lib. 3.* 3 *Odofr. in l. 14. in fin. C. de judiciis.* 4 *Odofr. in Auth sacramenta puberum C. si advers. vendit.* 5 *in d. l. 3. ff. uti possid.* 6 *Jas. in §. 34. Inst. de action. n. 22.* 7 *Alciat. lib 9. parerg. cap. ult.* 8 *Cin. in d. l. 1. §. 5. C. de rei uxor. act. in fin.* 9 *Bar. Bal. & gloss. in l. ult. §. 1. C. de bonæ liber.*

erit.

etit. Deceſſit *Martinus* anno vitæ LXXVIII. ſepultus Bononiæ apud ædem Minorum loco celebri.

CAP. XV.

IV. BULGARUS. Autor verſionis latinæ græcarum legum in Pandectis occurrentium. Autoritas: ſingulares ſententiæ: æmulatio cum Martino: liberi; matrimonium inconſultum.

IV. PAtria Piſanus eſſe a nonnullis BULGARUS exiſtimatur, cui errori cauſam corruptus *Bartoli* Codex dedit, qui pro Bandino Piſano Bulgarum citat. [1] Ego, ut plurimos ejus ætatis Interpretes, Bononienſem fuiſſe exiſtimo, qui ingenii felicitate, excultaque doctrina ſupra alios ſui temporis Juriſconſultos excelluit, & cum venuſta etiam pronunciatione doceret, vulgo *os aureum* eſt appellatus. [2] In græcis quoque literis ita verſatus fuiſſe a quibusdam creditur, ut jura græce conſcripta, qualia in Pandectis non pauca habentur, in latinum verterit, [3] quorum opinioni mendoſi Codices cauſam præbuerunt, qui pro *Berguntione* Bulgarum habent, quem græcarum literarum omnino expertem fuiſſe conſtat. Jura ergo græce conſcripta *Berguntio Piſanus* Leonis Juriſconſulti avus latina fecit, ut *Odofredus* vetuſtiſſimus auctor teſtatur. [4]

Cæterum eruditis *gloſſis in jus civile* editis Bulgarus etiam luculentum in *regulas juris* commentarium expoſuit, cui notas *Placentinus* addidit; ad eam denique famæ celebritatem pervenit, ut cum aliis Profeſſoribus ad definienda imperii jura, ut ſupra in Martino diximus, a Friderico Ænobarbo evocaretur, & ob inſignem, quam oſtendit, doctrinam, pro eo Bononiæ ad jus dicendum *Vicarius* creatus fuerit. [5] Erat ejus officium in appellationum cauſis, quæ ſummam librarum XXV. Bononienſium excedebant, judicare. In eo autem magiſtratu tanta æquitate jus dixit, ut ejus ſententiæ de ambiguo jure prolatæ in univerſa Italia vim legis habuerint. Inter alia præclarum hoc ejus decretum fuit, *ut uxori, quam maritus in teſtamento bonorum dominam, & fructuariam eſſe voluit, ſtantibus liberis, ex conjecta mente defuncti alimenta tantum debeantur*, quod cum jure inductum non ſit, in curia tamen Bulgari obtinuit, [6] & ubique in Italia obſervatur. Craſſum autem imitatus eſt, quem mul-

[1] *In l. 8. C. qui teſtam. fac. poſſ.* [2] *Odofr. in l. 3. §. 2. ff. de minor. 25. ann.* [3] *gloſſ. in l. penult. ff. de manu. teſtam. & in l. ult. ff. finium regund.* [4] *in l. 11. in fin. ff. de legib.* [5] *Salice. in Auth. Hoc locum C. ſi ſecum. nupſ. mul.* [6] *gloſſ. in d. Auth. quod locum. Bar. in l. 34. §. 7. n. 11. ff. de legat. 2.*

ta

ta contra jus ſcriptum pro bono, & æquo dixiſſe, *Cicero* [1] memorat. A Friderico conſultus, & familiariter cum eo verſatus non pauca impetravit. [2]

Denique Italiæ regnum affectanti Cæſari dedendæ Bononiæ auctor fuit, ut ſupra quoque ſcripſimus, uxorem filiam familias communibus liberis ſuperſtitibus, cum amiſiſſet, dotem inſigni probitatis exemplo ſocero reſtituit. Docuerat enim antea vir eruditiſſimus, *defuncta in matrimonio cum liberis filia, dotem velut peculium patris profectitium ipſi eſſe reddendam.* *Martinus* vero Goſia æquitatis ratione ſubnixus eam, velut matris patrimonium, [3] poſteritati acquiri tenebat, qui ex hoc facto a Bulgari Socero conſultus: *Si mihi*, reſpondit, *qui contra te ſentio, hic caſus contigiſſet, jure fuiſſem abſolvendus, ſed Gener tuus, qui diverſum docuit, ſua ſe jam ſententia condemnavit, & niſi ut falſus interpres a me turpiter reprehendi maluerit, petitam dotem reddere cogetur.* Ita dimiſſus cum Generum interpellaſſet Bulgarus, ne vel ſordidæ avaritiæ, aut falſæ doctrinæ notari poſſet, ad confirmandam, quam tenuerat, opinionem, reſtituta pecunia, Martinum Antiſophiſtam prudenter eluſit, [4] magnaque cum laude conſervata exiſtimatione patrimonii, quam famæ diſpendium pati maluit. Sed *Albericus* ejus diſcipulus etſi cum Præceptore ſentiret, cum ſibi idem accidiſſet, ſententiam ſe mutaſſe dixit nec præclarum Præceptoris exemplum ſecutus eſt.

Cum vero plures liberos, & eos bonis moribus præditos, Bulgarus ſuſcepiſſet, omnibus extinctis, infelici fato ſuperſtes fuit. Sed præcipue unius obitu, qui magnæ ſpei Juriſconſultus non modicas opes cumulabat, maxime eſt conſternatus. Quo defuncto, in vulgatum illud carmen prorupit,

Ordine turbato ſuccedis Bulgare nato.

Deficiente igitur ſobole, ad procreandam prolem uxorem ætate matura, & quæ vulgo mulier credebatur, pro virgine duxit, poſtridieque cum interpretaturus legem, cujus initium eſt, *Rem non novam, neque inſolitam aggredimur*, dum ea verba recitaret, audientibus riſum movit, qui hoc ad conjugem, quam corruptam invenerat, retulerunt. Itaque univerſi libris, quos tum ſecum gerebant, plaudentes ſtrepitum excitarunt. [5] Quo anno deceſſerit, aut quo in loco humatus ſit, non conſtat.

1 *In Bruto, ſeu de Clar. Oratorib.* 2 *Odofr. in l. 14. in fin C. de judiciis.* 3 *in l. 3. §. 4. ff. de minor. 25. ann.* 4 *Odofr. in l. 4. C. ſol. matr. & in l. 6 ff de jur. dot.* 5 *gloſſ. & Odofr. in l. 14. C. de judiciis.*

CAP.

CAP. XVI.

V. JACOBUS ANTIQUUS glossator. VI. BANDINUS PISANUS.

V. DUo, qui in jure civili glossas ediderunt, JACOBI fuisse dicuntur, quorum alter ad posterioris differentiam *Antiquus* vocatus est, alius *Bandini* appellatus. Ille, quod primis temporibus, quibus leges Romanæ post expulsos Barbaros ab Irnerio explicari cœperunt, Bononiæ profiteretur, antiqui Glossatoris nomen tulit, genere Bononiensis, *Gratiano* Decretum compilante, in patria docebat, qui fuit ann MCL. [1] Postea vero cum *Martino Gosia*, *Bulgaro*, *&* *Ugolino* a *Porta Ravennate* a Friderico Ænobarbo Roncaleam, ubi Principum Italorum comitia habenda erant, vocatus cum cœteris XXVIII. Jurisconsultis Cæsaris autoritatem declaravit. Ænobarbo vero Galliam Cisalpinam subigente, idem cum aliis dedendæ Cæsari Bononiæ auctor fuit, ut supra in Martino scripsimus. Non multo postquam a Roncalea rediit supervixisse videtur, qui, ut ex quadam *Bartholomæi Brixiensis* supputatione deprehenditur, An. MCLXI. decessisse censeri potest, is, ut infra etiam dicetur, cum BAGAROTA sæpe in foro disseruit. [2]

VI. Eadem ætate BANDINUS PISANUS, [3] quem alii *Gandinum* vocant, [4] Codicem interpretatus esse videtur, etsi hunc *Bartolus* mendose *Bulgarum* nominet, [5] ex quo *Jacobus* junior natus esse creditur. Alii eum *Berguntionem* esse volunt, qui græca jura in latinum vertit. Hi omnes, etsi in jura civilia suas interpretationes reliquerunt, minus tamen cæteris celebrantur, obscurioremque famam ad posteros transmiserunt. Sed ne omnino eorum memoria periret, silentio non præterivimus.

CAP. XVII.

VII. UGOLINUS A PORTA RAVENNATE BONONIENSIS. Feudorum compilatio.

VII. UGO A PORTA RAVENNATE patria Bononiensis, [6] quem alii *Pisanum* esse existimant, & *Ugolinum* nominant, eodem tempore, & docendo, *&* *feudorum* opere clarus fuit. Cum enim Fridericus feuda cum vetustis juribus collocanda Bononiam, misisset, ac

[1] *Gloss. in c. post appellationem. §. forma in 1. gloss. 2. q. 6.* [2] *Jo. And. in Additio. ad specul. de libell. conceptio §. nunc dicendum. ver. 24.* [3] *gloss. in l. 8. C. qui testam. fac. poss.* [4] *in d. l. 8.* [5] *in d. l. 8.* [6] *Cin. in l. 11. n. 7. C. unde vi.*

professores, qui in Divi Petri templum convenerant, ea sub diversis titulis Codicis statuissent, ipse post *Authentica* illa posuit, quam x. Collationem vocavit; [1] diu summa cum laude docuit, vir integerrimæ vitæ, & ut aliqui volunt, sacerdos, etsi *Odofredus* eum publicanum vocat. Tandem Ann. M.CLXVIII. decessit, ut ejus Epitaphium Bononiæ apud S. Victorem, ubi humatus est, declarat.

Transiit, ut vivat, mundanæ legis alumnus,
Mors sit ei requies, ultima vita Deus.
Urbis honor, mundi speculum, jacet hic Ugolinus,
Spiritus astra tenet, corpora signat humus,
Cui fortuna manum revocans concessa tetendit,
Cui lex uberius ubera plena dedit,
Mens legum cecidit, reliqui latitant Pharisæi
Christus, qui novit parcere, parcat ei:
Mens respondebat veraci consona linguæ,
Et par effectus cordis, & oris erat,
Fraudis, nequitiæ, livoris, & ambitionis
Inter concives unicus hostis erat,
Mors voluit mundum sub certa lege teneri,
Nam cinis est hodie, qui fuit ignis heri.
An. Domini M.CLXVIII.

Sunt qui eum *Ugonem* vocant. Alii duos *Ugonem*, & *Ugolinum* faciunt, qui *Ugolinus Fontana* cognominabatur. [2]

CAP. XVIII.

VIII. ROGERIUS primus in Infortiatum glossator: autor compendii primi juridici. Scriptores Compendiorum.

VIII. MArtini, & Bulgari ætate clarescere ROGERIUS cœpit, qui primus in eam Pandectarum partem, quam *Infortiatum* vocant, glossas emisit. [3] Cum enim publico stipendio non nisi *Digestum vetus*, & *Codicem* antiqui professores interpretari tenerentur, reliquas legum partes negligentius tractabant nec nisi privatim soluta stipe explicabant, & ob id extraordinarias eas lectiones [4] vocabant, ut supra quoque meminimus. Sed *Rogerius*, ne hæc quoque legum

[1] *Odofr. in Auth. cassa. C. de Sacrosanct. eccles. Alvar. in proœm. feud. col.* 4. *q.* 3.
[2] *Alber. in l.* 69. *ff. de contr. empt.* [3] *Odofr. in l.* 1. *ff. solut. matr. & in l.* 35. *in princ. ff. de negot. gest.* [4] *v. lib.* 2 *cap.* 13. *sub Irnerio.*

pars

pars obſcura permaneret, in eam ſuas lucubrationes edidit. Primus etiam juris compendium (quod *Summam* vocant) viginti chartarum numerum non excedens compoſuit. [1] Hunc æmulatus *Placentinus* aliam longe luculentiorem Summam emiſit, tertiam, ſed inanem *Joannes* fecit. [2] Poſtremo vero cæteris lucupletiore condita omnes ante ſe *Azo* ſuperavit. Sed hæc infra ſuo loco diffuſius referuntur. Rogerium alii corrupte Frigerium, nonnulli etiam Fridericum nominant, [3] idem de diverſis præſcriptionibus forma dialogi ſcripſit, in quo ſe cum juris prudentia loquentem inducit. Nulla ejus mortis, aut ſepulchri memoria habetur.

CAP. XIX.

IX. OTTO.

IX. ROgerii Suppar fuit OTTO, qui *de ordine judiciorum* ſummarium & ipſe ſcripſit, quod typis excuſum habetur, ejus ſæpe *Accurſius* meminit, ſed alia non extat memoria.

CAP. XX.

X. PLACENTINUS, fundat gymnaſium Montis peſſulanum. *Bertrandus de monte Faventino.*

X. PLACENTINUS genere Callus Martini ſectator, & diſcipulus in *Monte Peſſulano* jus civile profeſſus eſt. Hæc civitas eſt Galliæ Narbonenſis olim Agathopolis dicta *Magalonenſis* diocesis, ubi ipſe primus *gymnaſium* inſtituit [4] circa an. 1196. & poſtea ibidem *Bertrandus de Monte Faventino* docuit. Ipſe ſcribendi cupidus ad jus civile evolvendum in ſecretam villam ſeceſſit, nimiumque gloriæ ſtudioſus, & *Rogerii* nominis abolendi cupidus, ad ejus æmulationem locupletius juris compendium in Codicem, & Inſtitutiones compoſuit, quod opus, etſi minus perfectum, illis tamen temporibus adeo legum ſtudioſis gratum fuit, ut, rejecta *Rogerii* ſumma, velut nimium jejuna, hæc ſola præ manibus haberetur.

Inde in patriam reverſus ſtatim a Nobilibus a *Caſtello* Bononiam ad profitendum vocatus, ibi per biennium magna audientium frequentia jus civile eſt interpretatus; unde non mediocrem aliorum

[1] *Odofr. in l. 1. ff. de transact.* [2] *in Summa Azo. in princ. trium libr. Cod.* [3] *gloſſ. & Odofr. in d. l. 1. ff. de transact.* [4] *Boer. in addit. ad proœm. Dini. de reg. jur. in fin.*

docentium, quorum auditoria destituta permanserant, invidiam contraxit. Mox longa *de legibus oratione* habita vacaturus in patriam rediit. Sed crebris Bononiensium, atque conjunctorum precibus expugnatus iterum Bononiam reversus ibi per quadriennium docuit, & alias *antiquis glossas* addidit.

Eo stipendio expleto, domum reversus aliud trium postremorum *Codicis librorum*, *&* *Pandectarum compendium* perfecit, quod sub titulo *Summæ* non aspernandum opus a non paucis etiamnum legitur; Id, quod in tres extremos Codicis libros *Azonis* nomini adscriptum circunfertur. In illius præfatione se nimis gloriæ appetentem, & alienæ laudis invidum ostendit, quum *Rogerii* nomini tenebras se offusurum arrogantius jactat. Binos *de judiciis*, *&* *actionibus*, & unum de *accusationibus* librum composuit. In Monte Pessulano, ubi docuit, & originem sumpsit, defunctus est, & in cœmeterio D. Bartholomæi extra muros sepultus. Hoc epitaphium habuit, cujus multa vetustate exesa legi nequeunt.

Jura Pontificia, ac Cæsarea Placentinus præclare docuit, lites placavit etiam dubias, & secundum eadem jura juste vixit.

CAP. XXI.

XI. PYLEUS, ejus patria, disputationes Sabbatinæ: origo brocardorum: Pylei munera. De marcis argenti.

XI. PYLEUS a Modœcia, quod est Mediolanensis agri [1] castellum, oriundus esse dicitur, sed ipse ex patre Mutinensi in Bononiæ pago natum se dicit; [2] is Modœcia vocabatur; sed postea se civem Mutinensem fecit, [3] *Martini*, & *Placentini* sectator circiter An. M. CLXX. Bononiæ docuit, pluresque in jus civile glossas condidit, mirifice disputationibus delectatus, singulis diebus *Sabbathi* proposita quæstione, quam argumentis hinc inde adductis confirmabat, disserere consuevit, ob idque *Sabbatinæ quæstiones*, quarum volumen edidit, dictæ fuerunt, [4] & sæpius ab *Accursio* sabbathina quæstio pro ea quæ a Pyleo disputata est, citatur. In his plures sibi finxit, nec paucas, quæ ex facto contigerunt, discussit. In ea exercitatione illa, quæ vulgo a nostris *Brocarda* appellantur, primus invenit, [5] quorum etiam libellum ab eo disputationum

[1] *Jo. Andr. in additio. ad specul. in proœm. in verb. plurimis.* [2] *in proœmium tit. de munic. & orig.* [3] *Odofr. in l. 11. §. 5. in princ. ff. de pignor. act.* [4] *Odofr. in l. 38. ff. de neg. gest.* [5] *Bal. in c. ult. de feud. March. & in summa Azo. in tit. de municip. & origin.*

nuncu-

nuncupatum composuit. Alii Jurisprudentiam nominant. [1] Sunt autem *Brocarda regulæ generales*, vel, ut aliis placet, *perplexæ quæstiones plurimis ab utraque parte argumentis, rationibusque munitæ, ex quibus non secus ac ex labyrintho sine longa distinctione nemo se facile explicare potest.* [2] Illis postea quædam *Petrus* addidit, ut *Jo. Baptista a S. Severino* memorat.

Cum diu Bononiæ professus Pyleus magna nominis fama clarescere, a Mutinensibus, qui tum & ipsi Gymnasium erexerant, amplo stipendio ad docendum invitatur. Id subodorati Bononienses eum juramenti religione obstrinxerunt, *ne unquam extra Bononiensem Academiam doceret*. Sed rursum solicitatus centum Marcis argenti sibi oblatis Mutinæ, ubi civis factus est, aliquot annis professus est. Marcæ nomen recens, & antiquis incognitum fuit. Ea octo unciarum pondus continebat, quæ olim Genevæ deinde Lugduni frequenter in auri, & argenti massa a negociatoribus emi consueverat. Honorarii summa precium ferme DCLXX. aureorum eo tempore efficere poterat. [3] Egregium *Pylei* commentum *Baldus* recitat. [4] *Machinarii, inquit, ex alto lapidem projecturi præclamarunt prætereuntibus, ut sibi caverent. Quidam vero iter faciens, ea voce neglecta, fuit vulneratus, & Machinarios in jus vocavit, ut vulneris impensas solverent; illi Pyleum consuluerunt, qui cum sciret testibus probari non posse, illos transeuntes præmonuisse, hac usus est arte. Machinarios in judicium duxit, & cum a Prætore interrogarentur, cur temere lapidem dejecissent, monitu advocati nihil responderunt. Mirante id prætore, & causam quærente, Muti sunt, respondit Pyleus, & nihil audiunt. Tum adversarius, Immo, inquit, audivi eos transeuntibus acclamantes, ut sibi caverent. Ergo absolventur, subjunxit Pyleus, præmonens enim de damno non tenetur; eosque liberavit.* [5] Pyleus gloriæ cupidus *summam in tres postremos Codicis* libros, quam *Placentinus* inchoaverat, perfecit. [6] Uxorem habuit, quæ in vitæ discrimine, nulla alia voluntate expressa, tantum eum, de quo interrogata erat, hæredem se facere respondit; Unde dubitatum est, an illud legitimum testamentum foret, quod Pyleus negavit, disputandoque

[1] *Gloss. in §. qui clericus, si de feud. defunct. fuer. controv. inter. dom. & agnat.* [2] *Jas. in l. quicquid astringendæ n. 5. ff de verb. obl. post Imo. ibid. Sylva nupt. l. 5 sub. n. 2.* [3] *Gome. in regul. de valo. exprim. q. 9. nu. 3. & 4* [4] *in practica utriusque juris R. de cautillis.* [5] *l. 31. ff. ad. L. Aquil. & §. 5. Instit. eod. tit.* [6] *A[illegible] in summa tit. C. de munic. & originib.*

ſuſtinuit, [1] etſi plurimi contrarium tenent. [2] Librum quoque *de ordine judiciorum* inſcriptum, qui tunc temporis ante *aureum Gulielmi Duranti* ſpeculum maxime utilis habebatur, inſtar compendii, quod Summam vocabant, ſatis erudite compoſuit. [3] Poſtremo in *uſus feudorum Gloſſas* edidit. [4] Vir mire probitatis fuit. [5] Ejus mortis, aut ſepulchri nullum, quod ſciam, extat monumentum.

CAP. XXII.

XII. ALBERICUS A PORTE RAVENNATE, **doctrina; famas, corrupti mores.**

XII. ALBERICUS a PORTA RAVENNATE inter jurium profeſſores non aſpernandus præceptorem *Bulgarum* habuit, [6] quem tamen moribus corruptus vitæ integritate imitatus non eſt, ſiquidem & ſordibus, & gulæ præter dignitatem deditus fuiſſe dicitur. Cum enim defuncta in matrimonio filia familias relictis liberis dotem patri reſtituendam eſſe, ſecundum Bulgari ſententiam, docuiſſet, ipſe amiſſa ſuperſtitibus liberis uxore, Præceptoris, qui dotem reddiderat, exemplum ſequi noluit, ac Socerum datam pecuniam repetentem eluſit, & cum ex eo, quod alios docuerat, argueretur, *ſe errore tandem agnito ſententiam mutaſſe facete reſpondit*, [7] in quo *Dionyſium Heracleotem* philoſophum Zenonis Stoici auditorem imitatus eſſe videtur, qui cum Præceptore dolorem malum non eſſe aſſerebat, ſed indifferentem, [8] cum vero poſtea renum morbo laboraret, & impatibili dolore cruciaretur, ſententiam mutavit, clamans *falſa eſſe, quæ a Zenone docerentur.*

Non minus vini appetens Albericus conviviis libenter intererat, in quibus ad bibendum invitatus ebrietatis infamiam evitare non potuit, & ſemel apud Hiſpanos diſcipulos prandenti merum eſt propinatum, & aquam ad diluendum poſcenti ex compoſito vinum album lymphæ ſimile miſcuerunt, largiusque bibentem inebriarunt. Itaque ab exhilarato Præceptore non paucas legum interpretationes extorſerunt, & ad fidejubendum pro ſe improbe induxerunt. [9]

1 *Jo. Andr. in addi. ad ſpecul. tit. de teſtam. §. 1. in addi. incip. Pyleus, & eſt ejus quæſtio. ex.* 2 *in l. 29. C. de teſtam. in l. 1. §. 2. ff. de verb. oblig. Pau. Ca. in l. 8. C. qui teſt. fac. poſſ.* 3 *Jo. Andr. in addit ad ſpecul. in proœm. in verb. plurimis.* 4 *Bal. in proœm. feud. ſub nu. 4.* 5 *Odofr. in d. l. 11. §. 5. ff. de pignor. act.* 6 *Odofr. in l. 2. C. ſi contra jus vel util. publ. & in l. 4. C. ſolut. matrim.* 7 *Odofr. in d. l. 4. C. ſolut. matr. & ibi Azo.* 8 *Diogen. Laert. De vita Philoſ. lib. 7. in Zenone.* 9 *gloſſ. & Odofr. in l. 6. C. de dolo malo.*

Non

Non negligendas tamen in Codicem, & Pandectas *glossas* edidit, & ut plurimum contra Martinum & Placentinum cum Bulgaro sensit. Omnium frequentissimum auditorium habuit, ut in publico Reipublicæ palatio, quæ scholæ *D. Ambrosii* postea sunt dictæ, docere sit coactus. [1] Ob idque omnium *Doctorum Princeps* nominabatur. Quando decessit, aut ubi humatus sit, ignoratur.

CAP. XXIII.

XIII. JOANNES BOSSIANUS Cremonensis, familia, præceptores, elogia, autor compendii novellarum XIV. NICOLAUS FURIOSUS. De alio Joanne.

XIII. SUb id tempus in utroque jure JOANNES BOSSIANUS paulo junior *Alberico* [2] floruit, Patria Cremonensis, a quo etiamnum Bossiana familia nominatur; in Dialectica, & philosophia, cæterisque artibus eruditissimus evasit. [3] *Bulgarum* audivit. [4] Mox ad leges explicandas promotus inter omnes sui temporis interpretes clarissimus extitit, usque adeo ut *Juris lucerna*, vel, ut alii scribunt, *speculum mundi* sit appellatus, ex cujus auditorio Illustres viri prodiere. *Placentini* tamen nominis invidia tactus *compendium Digestorum*, quod *Summam* vocabant, ad eum sugillandum edidit. Sed cum minus erudite doctum virum reprehendere potuisset, opus velut vento, & æmulatione plenum neglectum fuit. [5] Postremo librum *Novellarum*, authenticorum vulgo dictum, ordine compositum in *Epitomen*, seu, ut nominant, *Summam* redegit, quæ *Azonis* compendio conjuncta præ manibus habetur, nec inutilis elucubratio, præsertim cum ab *Accursio* recognita sit, existimatur. *Arborem* etiam *actionum* postea a *Rofredo Beneventano* locupletatum excogitavit. [6]

XIV. Joannes etsi plurimos diligentes, studiosοsque discipulos habuit, nullus ex illis fuit, qui NICOLAUM FURIOSUM superaverit. Is enim quæcunque ab eo docente proferebantur, ea celeritate, & diligentia excepit, ut omnes Præceptoris interpretationes ad verbum scripserit, [7] plusque hic studiosos scribendo quam ille dicendo juvisse videtur. Præter annotationes etiam *in feuda Glossas* Ni-

[1] *Odofr. in Auth. si quis in aliquo C. de edendo.* [2] *Odofr. in l. 2. C. si contra jus vel util. publ. Caccialup. de modo studendi.* [3] *Odofr. in l. 1. ff. de offic. ejus, cui mand. jurisd. & in l. ult. C. de in integr. rest. min.* [4] *Odofr. in l. 8. ff. si quis cantion.* [5] *Odofr. in l. 1. ff. de edendo.* [6] *Bap. a S. Blasio in princ. tract. actionum.* [7] *Odofr. in proœm. Dig. st. n. 10. in l. 1. ff. de just. & jur. & in l. 9. ff. de transact. & in l. 6. ff. de in integr. restit.*

colaus

colaus edidit. Defunctus Bononiæ Joannes An. salutis MCXCVII. in D. Antonii templo cum hoc rudi epitaphio sepultus fuit.

Hoc tumulata jacent Bassiani *membra lapillo,*
Quis sit, metra docent, quæ subscribuntur in illo.
Huic legum latis patuit victoria castris.
Nunc cedens fatis socialibus insidet astris.
Canonicæ coluit scripturæ plenius ortum,
Qua duce promeruit cœlestem cernere portum.
Hic erat Italiæ sydus reverentia fratrum,
Flos roseus patriæ, decus orbis, gloria patrum,
Obsequiis promptus, & in omni dogmate certus,
Consiliis cautus, humilis, jocundus, apertus.
Si tres excipias annos de mille ducentis,
Terminus occurrit, quo mortis jura subivit.
Invidus e medio Bassianum finis ademit,
Cujus membra brevis hic sita petra premit.
Summus in alterutro Doctoris jure peregit.
Hactenus officium, quem lapis iste tegit.
Jura duo potuit naturæ jus superare.
Hæc duo de proprio mors fugat ima dare.
Istius meruere sinu duo jura locari,
Solus in Italia qui fuit absque pari.
Non sibi sed vitæ moritur, fons juris, & artis,
Non is ea, sed eo vita moderna caret.
Quisquis in istius cathedram succedere quærit,
Fontis respectu rivus ineptus erit.
Hunc sociat summis Paulica conversio turmis
Subscriptum

Magnæ igitur virtutis est, & sublimioris ingenii sub sensu animum retrahere, duce ratione generosam erigere mentem, & divinam sublimare naturam, ut ad superos invisibilis animus advolare contendat. Nemo divitiis, nemo fascibus confidat, quia immortalem ista non faciunt. Verum illa est felicissima hominum hæreditas, Justitiam, Fidem & Charitatem observasse.

Alius etiam JOANNES ad hujus differentiam antiquior cognominatus quandoque citatur. Sed quod raro ejus mentio habeatur, vix ad hominum notitiam pervenit. [1]

1 *Odofr. in l. 2. §. 1. ff. si ex noxal. causa agatur.*

CAP.

CAP. XXIV.

XV. BAGAROTTUS. XVI. BONACCURSIUS DE URBE.

XV. XVI. EAdem ætate BAGAROTTUS genere Gallus, & ut creditur, *Joannis* discipulus [1] claruit, qui cum jus civile Bononiæ profiteretur, tres libellos composuit, unum *de dilatoriis exceptionibus*, quem se precibus *Jacii Parisiensis Archidiaconi* edidisse dicit. Alterum de *reprobationibus testium*. Tertium *cavillationum*, quem UBERTUS BONACCURSIUS suo nomine de præludiis causarum inscriptum publicavit. Unde eorum alterum furem esse oportuit. [2] Alium etiam cujus initium est, *Ab accusatore*, qui nusquam apparet, fecisse dicitur, Bagarottus magnas cum Jacobo Balduini in foro contentiones exercuit. [3] Ejus mortis tempus, aut sepulturæ locus nescitur.

CAP. XXV.

XVII. AZO: ignorantia juris canonici: multitudo auditorum. De disciplina discentium & in illos jurisdictione: sententia de imperio imperatoris. XVIII. De HOMOBONO Hostiensi.

XVII. INter omnes *Joannis* discipulos [4] AZO *Bononiensis* emicuit, cujus gens ignoratur. Dum in patria juri operam daret, in contubernio præclari ingenii socium habuit, qui cum se exercere consueverat. Is longo post tempore, dum ad aulam Pontificis proficiscitur, Azonis auditorium peregrino habitu ingressus interrogandi veniam petiit, tum enim *mane docentes interpellandi jus non erat*. Ei potestate dicendi facta, quæ ab Azone relata fuerant, confutando, adeo erudite disseruit, ut ipsum docentem superaverit. Qui cum e cathedra descendisset, agnitum hominem, & pro meritis laudatum amplexus domum secum ad prandium duxit, sæpiusque hospitis acumen commendavit. [5] Etsi in philosophia, atque aliis artibus, ut ejus temporis consueverant Jurisconsulti, non multum profecit, in jure tamen civili omnium eruditissimus evasit.

In Pontificum vero constitutionibus minus versatus cum semel, delegante ante litem contestatam defuncto, demandatam jurisdictionem expirare contra *Boatinum Mantuanum* in foro defenderet, nec apertam de hoc legem posset ostendere, ab amico canonum interpre-

[1] *Odofr. in Auth. si quis in aliquo C. de edendo.* [2] *Joan. Andr. in addit. ad specul. in pro[illegible] in verb. plurimis.* [3] *Jo. Andr. in addition. ad specul. de libell. concept. §. nunc dicendum. ver. 24.* [4] *Odofr. in l. 8. ff. si quis caution. in jud. sist. Bar. in l. 1. post. num. 6. ff. de acquir. poss. & Raph. Volater. lib. 21. Anthropol.* [5] *Odofr. in l. 2. C. de jud.*

P te

te edoctus citavit. *C. relatum. de off. delega.* Adversarius vero ostendit *C. sequens, quod incipit*, *Gratum*, quod a sola citatione Jurisdictionem vult perpetuari; unde rubore suffusus Azo, & ad amicos conversus, barbara voce per jocum dixit, *Gratum & Relatum fecit me vituperatum.* [1] Cum aliquot annis Bononiæ docuisset, sunt, qui eum, ut invidiam æmulorum vitaret, ad Montem Pessulanum secessisse affirment, atque ibi per aliquot menses docuisse. Indeque non multo post Bononiam revocatum majore in pretio fuisse, sed vereor, ne hi pro Pyleo Azonem scripserint.

Ad ejus nominis celebritatem decem millia auditorum Bononiam confluxisse dicuntur. Et ut in magna multitudine evenit, gravi inter Longobardos, & Hetruscos exorto dissidio cruentum certamen commissum universam cum Peregrinis civitatem perturbavit. Erant tunc temporis sub profitentium ditione discipuli, qui etiam de gravissimo crimine accusati ad Præceptores puniendi remittebantur. Sed illi in corrigendis juvenum erroribus clementiores, tum furentium fervorem compescere non poterant. Sano itaque consilio statutum est, ut omni posthabito privilegio, *delicta severiori Prætoris judicio corrigerentur.* In causis vero civilibus pristinam Doctores auctoritatem retinerent. Id ubi actum, gravioris pœnæ metu perterrita juventute, tumultus quievit. Sed non multo post redintegrato privilegio, iterum criminalium quæstionum auctoritatem professores [2] receperunt, qui in plectendis facinorosis lenti lascivientium licentiam eo usque crescere permiserunt, donec universæ jurisdictionis potestatem amiserunt.

Azo ad Placentini æmulationem methodica arte jus civile in compendium redegit, quod opus *Summam* vocant, cui quædam *Odofredus* non inutilia addidit. Id tum legum studiosis adeo gratum extitit, ut non modo in omnium manibus versaretur, sed nec sine eo forensia negocia tractari posse in proverbium abierit. Unde Veronæ etiam statutum est, neminem illorum Jurisconsultorum Collegium posse ingredi, qui eam Summam non habuisset. [3] Nec Mediolani in ordinem Jurisconsultorum recipitur, qui id opus secum non tulerit, ac suum esse juraverit, [4] omnibus enim, qui ante se scripserant, excelluit. [5] Pyleum præterea imitatus *librum Brocardorum*

[1] *Jo. Andr. in d. c. relatum.* [2] *Odofr. in Auth. habita. C. ne filius pro patre, & in fin. proœm. Digest.* [3] *Cæpol. cautel. 243.* [4] *Sylva nuptia. lib. 5 sub. n. 25. verb. etiam si esset Azo.* [5] *Corne. cons. 240. in 3. Sylva nuptial. in loco supra citato.*

minus

minus tamen frequentatum composuit, ac *glossas* in *Digesta*, & *Codicem apparatus* titulo edidit, quæ ab *Alexandro a S. Egidio* ejus discipulo collectæ, & hodie in lucem editæ circumferuntur. Aliæ in Pandectas non apparent. Demum Canonicus factus, & Sacerdotii dignitate honestatus Jus Pontificium docuisse dicitur. In æmulos, præter dignitatis decus, iracundior etiam *Jacobum Balduinum* mentitum fuisse scriptum reliquit. [1]

Henrico Cæsari, qui Friderici minoris pater fuit, admodum familiaris, & sæpius de jure ab eo interrogatus, omni adulatione posthabita, libere, ut sentiebat, respondit. Ferunt enim Henricum circiter An. salutis MCXC. Bononiam profectum Azonem, Lothariumque tum clarissimos professores ob diversa negocia accersere solitum fuisse. Semel autem cum inter eos medius per urbem equo veheretur, ab illis quæsivisse, *cuinam merum imperium competeret*. Tum Azo ad Lotharium conversus annuit, ut prior ille responderet, ibi Lotharius; *Quandoquidem* (inquit) *Azo me primum jubet dicere, te solum, Cæsar, jus gladii habere arbitror*. Tum Henricus Azonem interpellavit, ut suam sententiam proferret. Et ille etiam provinciarum Præsidibus jure animadvertendi potestatem tributam, sed non minus Augustum, velut omnium supremum Principem, eandem auctoritatem retinuisse asseruit. Ad palatium deducto Cæsare cum discessissent, Henricus, Azone dimisso, Lothario velut rectius sentienti equum dono misit. Quare Azo leges de hoc loquentes postea interpretatus, & in pristina, verioreque sententia permanens se *æquum* quidem dixisse, sed Lotharium *equum* duxisse querebatur. [2]

Auditorii custodem vulgo *Bidellum* dictum nomine Gallopressum, & patria Tarentinum habuit, qui corpore niger, & statura pumilio adeo deformis fuit, ut pro monstro teneretur. Is lascivientis juventutis petulantiæ expositus omnibus ludibrio fuit, & quandoque Hila collo circumposita, pellibus tectus, & per urbem ductus ridendum spectaculum de se exhibuit Verum ita universis Morio gratus fuit, ut duorum millium ejus temporis librarum Bononiensium stipem ab audientibus collegerit, [3] quæ summa totidem florenos tunc æquabat.

Tanta vero animi alacritate Azo docuit, *ut diem, qua profitebatur, semper sibi saluberrimam esse, nec nisi vacantem se ægrotare dictitaret,*

[1] *In l. 14. C. de fid. instrum.*
[2] *Azo in summa C. de viris omni jud. ante n. 15. Odofr. in l. 3. n. 9. ff. de jurisd. omn. jud.*
[3] *Odofr. in l. 8. C. qui testam. fac. poss.*

idque etiam eventus comprobavit; æstivarum enim vacationum tempore cum in difficilem ægritudinem incidisset, An. MCC. summo cum totius orbis luctu obiit. Tantus vero Bononiensem Academiam tum mœror invasit, ut præter consuetudinem ob defuncti viri desiderium non nisi post actum omnium Sanctorum festum profiteri cœperint. [1]

Quare fabulosum est, quod ob occisum in certamine Martinum capite damnatus fuerit, ac vocem hanc *ad bestias*, dum ad supplicium traheretur, sæpius repetierit, legis illius initium significans, [2] qua se eminentissimum virum ob bonum publicum servandum esse sensisse dicitur. [3]

Ei discipulus nomine XVIII. HOMOBONUS Hostiensis præceptor in jurium interpretatione successit, qui etiam aliqua ipsius glossis addidit. [4] Tumulus Azonis prope turrim S. Servatii ad viam publicam ob vetustatem collapsus cum hac inscriptione postea restitutus fuit.

Azoni Jurisconsultorum lumini An. gratiæ MCC. hic tumulato in sepulchro vetustate collapso ac inter Rud. vix agnito Jo. Franciscus Aldrovandus Dictator, & Consules Bon. P. impensa Concivi suo B. M. memoriam posuerunt An. Salutis M. CCCCXVI. V. Id. Octob.

Aliæ sequebantur literæ, quæ consulto deletæ fuerunt. Ob eximiam eruditionem *veritatis tuba*, [5] & *fons legum* vocatus est; [6] plures etiam ex ejus auditorio clarissimi professores prodierunt, ut *Accursius*, *Jacobus Balduinus*, *Odofredus*, *Jo. Andreæ*, & alii, quorum infra mentionem faciemus.

CAP. XXVI.

XIX. LOTHARIUS CREMONENSIS.

XIX. LOTHARIUS patria Cremonensis [7] Azonis æmulus & ipse jus nostrum Bononiæ interpretatus alias glossas edidit. Sed cum natura mulierosus, ac ferox armis deditus esset, plus ense quam jure valuit. Matronas etiam intemperantius sectatus esse dicitur, ac semel formosam mulierem, cujus causa sibi, & Azoni ut arbitris compromissa fuerat, ut ejus aspectu frueretur, non per nuncium, ut alii consue-

1 *Odofr. in l. ult. C. de sent. poss.* 2 *ff. de pœnis.* 3 *Alcia. lib. 9. parerg. cap. ult.* 4 *Hostiens. in tit. De nunciat. no. oper. vers. qualiter tollatur. sub n. 11. ad fin.* 5 *Guid. Pap. in cons. 63. & 88.* 6 *Bal. in l. 17. n. 8. C. de fid. instrum.* 7 *in Archivo Bononiæ.*

verant

verant, sed ipsemet domi conventam impudenter citare volebat. [1] Ob id magnam cum Azone facti indignitatem ægre ferente contentionem exercuit, dicens: *arbitros per se non per alium vocandi in jus potestatem habere*, sicut & olim Tribuni plebis ipsimet jus apprehendendi, non per alium in jus vocandi auctoritatem habuisse feruntur.

Henrico Cæsari, cujus se studiosum ostendebat, Azone gratior fuit; cum enim eo dissentiente, unum Augustum jus gladii habere dixisset, solus generoso equo donatus est, ut supra memoravi. Demum Cæsaris suffragio *Archiepiscopus Pisanus* declaratus [2] ab Innocentio III. reprehensus est, [3] quod falsam contra sacri ordinis viros opinionem sequeretur, quos foro suo renunciare posse defendebat, & quia jura *Ducatus Calaritani ad Rom. Ecclesiam* spectantia usurpabat. [4] Non multum in jure scripsisse creditur, cum raro etiam ejus opiniones recitentur. Nonnulli pro Ottone Lotharium nominant, [5] ac sæpe per errorem alter pro altero scriptus invenitur. De ejus morte, aut sepulchri loco nihil certi habetur.

CAP. XXVII.

XX. JACOBUS BALDUINI Bononiensis. XXI. ANTONINUS LYUS.

XX. JACOBUS BALDUINI *Bononiensis* Azonem in prima juventute profitentem audivit, [6] sed ingratus discipulus falsæ doctrinæ notam Præceptori imponere non erubuit. [7] Quare tanta postea in illum ira Azo excanduit, ut impudentis mendacii reum factum mentitum fuisse dixerit [8] Sed nec erga patriam Jacobus melior extitit, qui Bononiæ ingenti civium studio Decurio creatus accepta pecunia adversus eam patrocinari non dubitavit, & cum a *Guglielmo Pusterla* Mediolanense tum ibi Prætorem agente de inofficiosa actione argueretur, se pro urbis consuetudine fecisse respondit. [9]

Non inutilibus tamen ad jus civile GLOSSIS promulgatis, haud parum legum studiosos juvisse creditus est. [10] Tanto etiam studio viva voce docuit, ut ruri agens a lectionibus non vacaverit. Electus Prætor Genuæ per biennium vacavit. [11] Quo tempore adversus ejus civitatis municipalia jura, quæ nobiles non laqueo, sed gladio puniri mandabant, primatem, qui atrox facinus patrarat, strangulari præce-

1 *Odofr & Cin. in l. 15. C. de judiciis.* 2 *Odofr. in l. 3. n. 9. ff. de jurisdict.* 3 *in c. si diligenti. 12. X. de for. compet.* 4 *c. si diligenti. 17 X. de præscript.* 5 *Salice. in l. ult. §. 1. C. de bon. quæ liber.* 6 *Odofr. in l. 32 post n. 13. ff. de legibus.* 7 *Odofr. in l. 24. C. fam. bercisc.* 8 *in l. 14 C. de fid. instrum.* 9 *Odofr. in l. 10. ff. de postu.* 10 *Odofr. in proœm. Dig. ante num. 17.* 11 *Odofr. & Alber. in l. 40. ff. de rebus cred.*

pit, ob id eo ſtatim exauctorato Genuæ ſtatutum eſt, ne ibi in poſterum legum Doctor jus diceret. [1] Ex ejus auditorio cum plures alii, tum clariſſimus legum profeſſor *Odofredus* prodiit, quando deceſſerit, aut ubi humatus ſit, neſcitur.

XXI. Hoc tempore ANTONIUS LYUS Clariſſimus Juriſconſultus Patavii claruit, cujus hoc Epitaphium in æde Divi Stephani conſpicitur.

Juris Prudentum Vertici Antonio Lyo Patavinorum virorum opt. obiit Anno Sal. MCCVIII.

CAP. XXVIII.

XXII. ROFFREDUS BUTIENSIS *Beneventanus*, ejus Præceptores, ſcripta inprimis tractatus de libellorum formulis. De alio ROFFREDO: De ODOFREDO, de BARTHOLOMÆO Beneventano.

XXII. ROFFREDUS BUTIENSIS [2] patria Beneventanus & ipſe inter præcipuos Gloſſarum conditores recenſetur, qui primo *Rogerum*, deinde *Azonem*, [3] &, ut alii autumant, *Cilianum* quendam audivit. [4] Diu Bononiæ profeſſus cum ob inteſtinas factiones, & externa bella ibi ſtudia eſſent intermiſſa, poſt ejus urbis, ut ipſe vocat, tranſmigrationem Aretii docuit; [5] ibi *arborem actionum* antea a *Joanne* excogitatam perfecit, & in utroque jure *libellos*, quibus in foro rei convenirentur magna induſtria compoſuit, [6] eisque plures quoque exacte diſcuſſas quæſtiones, quas velut diebus Sabbathi diſputatas *Sabbathinas* vocaverat, applicuit. Hæ olim, antequam locupletiores recentiorum formulæ invenirentur, in magno pretio apud forenſes fuerunt, & licet non pauca erronea contineat, ob praxim tamen nullus eo utilior liber in jure noſtro unquam editus fuiſſe creditur. [7] Roffredum in aula primarium Judicem Fridericus II. Cæſar habuit. [8]

Vir fuit feſtivi ingenii, qui, ut ſcripta ejus indicant, multis in locis oportune, ſuaviterque jocatur. Hujus diſcipulus alter *Roffredus* fuit, vel, ut alii malunt, *Fridericus*, & ipſe Beneventanus, qui præclarum de pugna, ſeu duello tractatum XII. quæſtionibus explicatum

1 *Alb. in l. 1. C. ubi Senat. vel Clariſſ.* 2 *Jo. And. in addit. ad ſpecul. tit. de ſucceſſ. ab inteſt. verb. quid igitur.* 3 *Bar. in l. 2. §. 2. ff. de ſuis & legit. Caccia. de Ludo. n. 20.* 4 *Jo. And in addit. ad ſpecul. in titulo de locat. §. 1. in verb. dixit.* 5 *gloſſ & Odofr. in l 1. §. 1. ff. de poſtul.* 6 *Jo. And. in addit. ad ſpecul. in prooem. in verb. plurimis.* 7 *Sylva nupt. lib. 3. ſub. n. 7.* 8 *Pandulphus Collenutius. lib. 4. Hiſtor. Neapolit.*

edi-

edidit. [1] Ab eo *Odofredi* fluxisse feruntur. Bononiæ defunctus ante Divi Francisci templum marmoreo sepulchro umbella supra pyramidis specie imposita conditus fuit. Aliud quod sciam, ob vetustatem de hoc proditum non est, Floruit An. MCCXX.

BARTHOLOMÆUS quoque *Beneventanus* Patavii jus civile docuit, & in ejus urbis æde majori extra portam meridionalem in arca lapidea cum hoc epitaphio jacet.

Nate Benevento tibi jus civile cathedram
Dum coleres Paduam Bartholomæe dedit,
Tu vigil ad causas, tu tradere jura disertus,
Tu placidus cunctis dapsilitate tua
Vixisti prudens, prudens moriendo dicasti,
Huic tumulo corpus, ossibus ampla tuis,
Tu proprii fratris tumulo dari corpus eidem
Mandasti, factum est, parcat utrique Deus.

CAP. XXIX.

XXIII. ACCURSIUS *Florentinus* Glossarum collector & autor: glossarum contradictiones, & obscuritas. Descriptio villæ Ricardinæ, Filii FRANCISCUS & CERVOTUS. De glossis Cervotianis. De filia jus civile profitente. De GUILIELMO Accursii filio. Finis glossarum. ACCURSIUS REGIENSIS.

XXIII. ACCURSIUS patria Florentinus, [2] jam quadragenarius, [3] vel, ut alii scribunt, [4] XXVIII. anno natus jus civile ab *Azone* audivit, [5] cum prius philosophiæ naturali, atque aliis disciplinis operam dedisset, in numerum Jurisconsultorum receptus & ipse Romanas leges Bononiæ diu est interpretatus. Demum in solitudinem secedens [6] ex aliorum glossis, quæ confusæ, & velut a pluribus factæ sub variis nominibus distinctæ erant, novas conflavit, quæ perpetuo contextu conscriptæ, quod absolutiores, ordinatioresque essent, solæ in manibus studiosorum versari, ac legi cœperunt. Aliqui *Cyprianum* antiquum enarratorem id ante ipsum egisse tradunt. [7]

Sed Accursius ab *Institutionibus* auspicatus omnes jurium partes

[1] *Alva de pace tenend. in princ. verb. ex hac gloss. & in proœm. feudorum. col. 2.*
[2] *Alb. in l 1. ff. de cens.* [3] *Fulg. in l. 3 ff. de rebus cred. Raph. Volaterra. lib. 21. Anthropolog.* [4] *Alex. in l. 1. C. qui ætat. vel profess. se excus.* [5] *gloss. in l. ult. in verb. possunt. ff. de cond. causa. data.* [6] *Rapha. Volat. l. 21. Anthropol.* [7] *Rapha. Volat. l. 21. Anthrop.*

brevi interpretatione illuſtravit. Et An. Salutis MCCXX. in *Authenticorum* volumen gloſſis excuſſis, [1] opus perfecit. Similibus juribus in unum congeſtis, & contrariis ſublatis, mirifice ſtudioſos juvit; ſæpe ſibi ipſe contrarius fuiſſe videtur; ſed id non ex ingenii levitate, ſed diverſis antiquorum, quas annotabat, opinionibus evenit. His enim, quæ ab aliis inventa fuerant, ad prolixitatem evitandam, primam nominis auctorum literam apponere conſueverat, quæ etiamnum in mediis gloſſematibus conſervantur. In fine vero ut plurimum deſunt, ita fit, quæ alterius plerunque eſt opinio, *Accurſii* eſſe credatur, & ſibi ipſe adverſari videatur, ut *Cinus*, & alii animadverterunt. [2] Usque adeo brevis fuit in ſcribendo, ut ſæpe obſcuritatem evitare non potuerit, etſi *Paulus Caſtrenſis*, ut juvenum ingenia excitaret, id eum data opera feciſſe exiſtimat.

Jactabundus habitus eſt, quod ſe *Accurſium*, quia opportune legibus *accurrit*, dictum fuiſſe ambitioſius ſcribit; [3] nonnulli vero id non ab ipſo, ſed a *Franciſco* ejus filio adjectum fuiſſe contendunt. Bulgari, Azoniſque ſectator in Martini fautores quandoque intemperantius invehitur. [4] Tantæ auctoritatis fuit, ut omnibus Interpretibus auctoritate præſtet, [5] quippe quem *Advocatorum Idolum* appellare Cinus non dubitavit. [6] Magnificas ædes, in quibus machina rotis verſatili in ſuperius ædificium aqua commode trahebatur, Bononiæ inhabitavit; [7] villam quoque nomine *Ricardinam* amæniſſimam habuit, cujus & ipſe meminit. [8] Is eſt vicus ad Sapinam flumen ſitus duorum exercituum conflictu nobilitatus, quum Veneti adverſus Galeacium Sforciam Inſubrium Principem cruento prælio certarunt, unde per multos annos memorabilis *pugna Ricardina* eſt nuncupata.

Duos filios Accurſius ſuſcepit, FRANCISCUM, & CERVOTUM FRANCISCUM, quibuſdam ei traditis, quæ in legitimam imputari voluit, emancipavit. [9] Is a Rege Angliæ in Galliam, ut ibi doceret, deducendus erat, quod cum Bononienſes præſenſiſſent, pœna publicationis bonorum indicta, præceperunt, ne recederet, ipſe vero cives

[1] *Accurſi, in Auth. ut præpona. nom. Imper. in verb. indictionis.* [2] *Jo. And. in addit. ad ſpecul. in tit. de accuſat. §. 5. tractandum. in princ. in 3. par.* [3] *in l. 34. §. 8. ff. ad SCtum Trebellian.* [4] *Bal. in l. 7. in princ. n. 14. C. de præſcript. 30. annor.* [5] *Bar. in l. 3. ff. de juſt. & jur. Deci. conſ. 146. n. 7.* [6] *in l. 8. C. de contrab. & commit. ſtipul. Jaſ. in d. l. 3. ff. de juſt. & jur.* [7] *gloſſ in l. 40. in fin. ff. de contrab. empt.* [8] *in l. 20. §. 1. ff. de annu. legat. in l. 12. §. ult. in verb. non videri. ff. de fund. inſtruct vel inſtrum. leg.* [9] *Bar. in l. 91. poſt n. 30. ff. ad L. Falcid. Paul. caſtr. in l. 24. C. fam. herciſc.*

elu-

cludens, omnibus amico venditis, discessit, sed bona nihilominus sunt publicata, unde redire coactus ubi reversus est, eorum restitutionem impetravit. [1] Interea *Tolosæ* jus civile aliquandiu docuit. [2] Et cum semel nodosum, *de eo, quod interest, tractatum* explicaret, a *Jacobi a Ravenis* argumentis, qui tum omnium in orbe juris doctissimus habebatur, & in habitu discentis incognitus his, quæ dixerat, opposuit, ægre se defendit. [3] Bononiam vero regressus eodem, quo Bartolus, tempore professus esse dicitur, & semel orta super quadam lectione controversia, Pisas ad literam Pisanam inspiciendam miserunt. [4] Sed is alterius Accursii, cujus infra mentionem habebimus, filius fuit, ultra Nestoreos enim annos vivere non potuit, ut Bartolum docentem videret.

CERVOTUS vero cum ante annum ætatis XVII. inter Jurisconsultos referri vellet, diuque disceptatum esset, [4] an id ex jure esset, tandem voti compos factus est. Deterior tamen interpres ineptas Glossas, & longe a vero distantes paternis addidit, [5] quæ *Cervotianæ* vocatæ ut plurimum rejiciuntur. [6] *Filiam* quoque habuisse dicitur, quæ jus civile Bononiæ publice docuit. [7] GUILIELMUS quoque Accursii, qui paraphrasin in Institutiones scripsit, Glossatoris se filium in earum proœmio affirmat. Decessit Accursius anno ætatis LXXVIII. Salutis MCCXXIX. ejus Sepulchrum ad ædem *D. Francisci* Bononiæ cum hoc brevi Epitaphio adhuc reperitur.

Sepulchrum Accursii Glossatoris legum, & Francisci ejus filii.

Post eum nemo in Pandectas, aut Codicem glossas conscribere ausus est, seu quod ea interpretatione amplius opus non esse arbitrarentur, seu quod amplioribus commentariis majorem laudem comparare studuerint.

Alius ACCURSIUS REGIENSIS An. Salutis MCCLXXIII. in Regiensi Academia professus est, ut in ejus Urbis tabulario legitur, de quo infra dicetur.

CAP. XXX.

XXIV. UBERTUS BOBIUS *Parmensis*, consilium ejus de tutela, & scripta.

1 *Alberic. in l. 17. C. de rescin. vendit.* 2 *Cin. in l. 1. ante n. 15. C. de sent. quæ pro eo, quod inter. profer.* 3 *Bar. in l. 3. C. de cond. ob caus.* 4 *Albe. in l. 1. §. 3. ff. de postul. Jo. Faber. in §. ult. Inst. quib. ex caus. manum. non licet.* 5 *Docto. in l 15. ff. de reb. cred.* 6 *Bar. in l. 59. §. 7. ff. de hær. institut. Bal. in l. 3. ff. mandati. & in l. 1. §. 3. ff. de tut. & ration. distrab.* 6 *Alb. in l. 4. in fin. ff. ubi pupil. educari debeat. Tiraquell. in 11. leg. Connub. gloss. 1 par. 11.*

JOANNES de DEO Hispanus. De JOANNE alio fundatore cujusdam ordinis

XXIV. UBERTUS BOBIUS Parmensis primum in patria, deinde *Vercellis*, ubi Gymnasium publicum florebat, magna cum laude jus civile docuit. [1] Tantæque autoritatis fuit, ut de Regis Gallorum tutela consultus sit, an Blanca D. Ludovici IX. Mater, & tutrix, quæ nobiles quidem, & divites fidejussores, sed pro Regni administratione idoneos dare non poterat, *tutela* privanda esset, quod negavit, [2] atque ita frustra factiosis reclamantibus est observatum. An. Salutis MCCXXVII. *positionum* tractatum conscripsit, quem nusquam reperiri arbitror, & libellum, qui *Patria potestas* inscribitur, [3] ubi de *summariis judiciis* differit, sed opus adeo confuse positum, ut non sine magna difficultate, quæ in eo citantur, inveniri possint. [4] Id JOANNES DE DEO *Hispanus, Canonicusque Ulyssiponensis* anno Salutis MCCLVI. [5] ordinavit, ampliatumque in VII. libros, & LXX. titulos divisit, & *cavillationes* appellavit, [6] quibus, plus quam æquitatis ratio postulat, *Ubertus* studuisse creditur. [7] Parmam reversus *Ubertus* ibi decessit, & in D. Joannis templo post multos annos instaurato Monachi D. Benedicti hoc epitaphium columnæ inscripserunt.

D. M.

UBERTI BOBII PARMENSIS JURECONSULTI LEGUM INTERPRETIS RECEPTISS. MEMORIÆ ERGO MONACHI HUJUS COENOBII RESTAURATO TEMPLO B. M.

JOANNES vero *de* DEO *tractatum Judicum* in quatuor partes distinctum edidit & alium de *Abusibus* contra Canones, quem Clero, Gymnasioque Bononiensi inscripsit, [8] *Apparatum, breviariumque Decretorum*, *Pastoralem*, *Librum dispensationum*, *Summam quorundam casuum Decretalium, Judicum*, *Notabilia cum Summis titulorum Decretalium. & Decretorum, Chronica*, *Apparatum Metricum super arbore Decretorum. Librum distinctionum, Commentum super novellis Decretalium, Pœnitentiarium, de cautela simplicium Sacerdotum*, *Questionum.*

1 *Alberi. in l. 2?. C. de Episcop. audien. Cagno. in proœm. Digest. §. hæc autem. n. 6.*
2 *Albe. ibid. Jacobin de S. Georg.* 3 *Alb. in l. 1. C. de his, qui in Eccl. man. & in l. 3. C. de jurejur. propt. calum.* 4 *Jo. Andr. in add. ad specul. in proëm. in verb. plurimis.*
5 *Oldrad. cons. 69 in fine.* 6 *Jo. Andr. in add. ad specul. in proëm. in verb. plurimis.*
7 *Jo. Andr in addit. ad specul. in tit. de except. §. viso quando exceptiones. vers. item nota secundum Uber. de Bobio.* 8 *Alex. in cons. 60. in fin. lib. 4.*

Hispa-

Hiſpanus fuit, a quo, puto, deſcendere alium JOANNNEM Dei, miræ ſanctitatis virum, qui ordinem illorum inſtituit, qui ædes ægrotis ſanandis curare ſolent, & orans deceſſit. Juris Pontificii interpres fuit. De horum obitu, aut tumulo nihil certi habetur.

CAP. XXXI.

XXV. JACOBUS COLUMBINUS *Regienſis* gloſſarum ad feuda præcipuus ſcriptor.

XXV. POſt Accurſium inter eos, qui jus civile interpretati ſunt, maximum nomen adeptus eſt JACOBUS COLUMBINUS *Regienſis*, qui poſt *Bulgarum*, & *Pyleum* præclaras, & aliis, quæ ante ſcriptæ erant, luculentiores gloſſas in feuda [1] tanta eruditione compoſuit, ut poſt eum nullus ad id opus alias addere auſus fuerit, [2] & ſicut *Accurſius* anteriorum gloſſemata perfecit, ita & *Jacobus* veterum ſcholia, quæ in feuda edita fuerant, emendata mirifice locupletavit; magni nominis vir fuit, & ante *Odofredum* ſcripſit, & *ſummam feudorum* a Pyleo ante compoſitam plenius reformavit. Ejus mortis dies, & cinerum locus neſcitur.

CAP. XXXII.

XXVI. JACOBUS ARDICIONI de BROILLO *Veronenſis*, Auctor ſummæ feudorum, DANIEL SCARAMEUS. PETRUS CERNITUS clarus feudorum ſcriptor.

XXVI. EX ejuſdem Azonis auditorio nemini ſecundus prodiit JACOBUS ARDICIONI *filius de* BROILLO [3] Veronenſis, qui poſt Azonis mortem ab Ugolino presbytero eruditus, *uſus feudorum* Præceptoris exemplo in compendium redegit, quod opus egregium, & mirifice laudatum *Summam feudorum* vocant. [4] Adeoque plene, & ſubtiliter eam materiam tractaviſſe creditur, ut nihil deſiderandum reliquerit. [5]

Librum diu ſuppreſſum DANIEL SCARAMEUS *Juriſconſultus Aſtenſis* ex ſua vetuſta bibliotheca An. MDXVIII. in lucem edidit. Is eſt, qui *Bartholomæum* patrem, *Danielem* avum, alium *Bartholomæum* abavum, & *Joannem* atavum omnes clariſſimos Juriſperitos ha-

1 *Cin. in Auth. Sacramenta puberum. C. ſi adverſ. vendit. Bal. in proœm. Feud. & Jaſ. in prælud. Cap. in Auth. ſed novo jure. num. 22. C. de ſerv. fugit.* 2 *Alvaro. in proœm. feudor.* 3 *Cæpo. in Auth. ſed novo jure. n. 33. C. de ſerv. fugit.* 4 *Bal. in proœm. feud.* 5 *Alvaro in proœm. feudor.*

buit, apud quos præclarum opus diu conservatum tandem in medium prodiit.

Post *Jacobum* in feuda præclare PETRUS CERNITUS alias *Cerelus Bononiensis* scripsit, cujus aliud ad posteros non pervenit. Is *Bartolo* lauream Doctorum petenti, & doctrinæ periculum facturo, recitandam assignavit *l. 1. C. quem admo. test. aper.*

CAP. XXXIII.

XXVII. JOANNES FASOLUS Pisanus.

XXVII. NOn multo post JOANNES FASOLUS *Pisanus* [1] claruit, qui non pauca & ipse in *jus civile*, & *usus feudorum* scripsit. Quendam etiam de *summariis cognitionibus* libellum fecit, quem *Gulielmus Duranti* fere totum suo speculo inseruit. [2] Demum ob summam eruditionem, & morum integritatem *Archiepiscopus Ebrodunensis* factus etiam sacris literis incubuisse a *Baldo* dicitur, [3] cui defuncto *Henricus Cardinalis Hostiensis* in Pontificatu successit. *Ebrodunum* nunc Ambrous vocant.

CAP. XXXIV.

XXVIII. JACOBUS A RAVANIS Lotharingus, ejus disputatio cum Accursii filio. XXIX. PETRUS A BELLA PERTICA, Sophista.

XXVIII. IIsdem ferme diebus circiter An. Salutis MCCL. JACOBUS A RAVANIS *Lotharingus* egregia ipse quoque in jus civile, & usus feudorum *commentaria* elucubravit, tantique nominis fuit, ut alius eo doctior, aut subtilior in toto orbe tum non haberetur. Præcipue autem ingenii sui acumen ostendit, cum *Franciscus* Accursii filius a Rege Angliæ in Gallias ductus quasdam leges Tolosæ interpretaretur, discentis enim habitu sumpto, ne agnosceretur, nonnulla docenti objecit, a quibus ille nunquam se explicare potuit [4] Postea agnitus jucundam de se omnibus admirationem exhibuit.

XXIX. Inter plures alios Tolosæ discipulum habuit PETRUM A BELLA PERTICA, [5] primus, quæ a majoribus simpliciter tradita fuerant, ad dialecticum arguendi modum deduxit, maximeque Logicorum regulis est delectatus, quod RICARDUS MALUMBRÆ detesta-

[1] *Cin. in l. 16. n. 3. C. de probation. in l. 2. C. ne uxor. pro marito.* [2] *Alb. in l. 1. C. de his, qui in Eccles. manum.* [3] *Bal. in proœm. feudor.* [4] *Cin. in l. 1. ante. num. 15. C. de sent. quæ pro eo quod interest. profer.* [5] *Cin. in l. 3. C. in quib. caus. in integr. rest. circa nu. 15. & in Rub. & l. 1. C. de summ. trinit. & fide Catholica.*

ri consueverat. [1] Cum enim antea aut consonantia jura tantum notarentur, aut in summam redigerentur, vel contraria solverentur, is argumentorum multitudine quæstiones tractare cœpit, quem morem posteri retinuerunt. *Dictionarium* etiam secundum alphabeti ordinem composuit, quod ambitiosa inscriptione *Lumen ad revelationem gentium* appellavit, cujus hoc est initium. [2]

Ergo quisquis habet patulas modo providus aures
Hic studeat, legum lucida verba notet.
Alpha sub alti volis aquilis se prodit, & omnes
Explicat hic vires, officiumque suum.

Feudorum etiam *compendium*, quod *Summam* vocant, composuit. Ejus mortis, aut sepulchri monumentum non apparet.

CAP. XXXV.

XXX. ODOFREDUS *Bononiensis*, multorum scriptorum autor. ALBERTUS filius.

XXX. OMnium Azonis discipulorum circiter An. Domini M. CCL. celeberrimus habitus est ODOFREDUS, qui Bononiæ natus in D. Ambrosii curia (vulgus *viciniam* vocat) habitavit. [3] Alii eum *Benevento* oriundum, & ex *Roffredo*, aut ex ejus cognatis descendere tradunt. [4] Sed quisquis fuerit, in naturali philosophia, & artibus primum exacte eruditus, [5] postea juri sub *Ugolino*, *Jacobo*, *Balduino*, & *Azone* incubuit. [6] Deinde in Bononiensi Academia magna nominis fama jus civile docuit, ubi non semel a *Gregorio Monte longo* Gregorii Pontificis in Italia Legato de ambiguis juris quæstionibus consultus fuisse dicitur. [7] Luculenta in Pandectas, & totum Codicem tanta felicitate, & facilitate *commentaria* edidit, ut ante ipsum nullus planius scripserit, nec ex omnibus Interpretibus alius eo clarior, aut tyronibus utilior habebatur. Quasdam præterea *Azonis* Præceptoris *Summæ* addidit [8] Glossas, quæ etiam hodie extant *in tit. De pace Constantiæ*; & *Feudorum compendium* composuit; de *Libellis*, quibus in judicio experimur, *Restitutione dotis*, *ordine Judiciorum*, *percussionibus*, *primo*, & *secundo Decreto*, *Curatore bonis dando*, & *arte Notariatus* utiles tractatus erudite conscripsit. [9]

1 *Alb. in proœm. ff.* 2 *Alber. in proœm. dictionar.* 3 *Odofr. in l. 14. C. de fid. instrum.* 4 *Raph. Volaterr. l. 21. anthropol.* 5 *Odofr. in l. 1. ff. de off. ejus, cui mand. est jurisd.* 6 *Odofr. in l. 8. §. 16. ff. de inoff. test. & in l. 4. §. 1. ff. si quis caut. de jud. sisti.* 7 *Odofr. in l. 5. ff. de jurisd. omni. jud.* 8 *Jo. And. in addi. ad specul. in proœm. in verb. devote.* 9 *Cæpo. in Auth. sed novo jure. n. 31. C. de ser. fugit. Jo. Andr. in d. proœm. in verb. Plurimis.*

Vir fuit hilarioris ingenii, qui non infulfa fcommata quandoque immifcet, fed acris judicii, qui concertantium opini[illegible] gravi, & maturo confilio eligit. Moriens filium ALBERTUM *Ju[illegible] confultum reliquit*, etfi eum alii alterius *Odofredi* filium fuiffe falfo ce[illegible] fent. [1] Exceffit e vita Anno falutis M.CCLXV. cui *Pyramidis* [illegible] ftat monumentum ante ædem *D. Francifci* magnifico opere cum h[illegible] infcriptione fabricatum fuit.

DEO TRI. UNI. Pyramidem, & fepulchrum vetuftate corruptum, quæ Albertus Genitori fuo Odofredo legum parenti Anno Domini MCCLXV. 3. Non. Decemb pofuerat, Laurentius Odofredus Dominici Odofredi pofterioris Filius, Alberti Trinepos fua impenfa in meliorem faciem opere, & cultu, fplendoreque reftituit. Anno Salutis MCCCCXCVII. Kal Septemb.

In altera parte fepulchri.

Hieronymus quondam Laurentii de Odofredis reparavit.

CAP. XXXVI.

XXXI. BERNARDUS DORNA primo JCtus poftea Monachus.

XXXI. EJusdem Azonis difcipulus fuit BERNARDUS DORNA *Provincialis*, qui de *Libellorum*, quibus in Judicio actores experiuntur, *conceptione* tractatum & alios de aliis materiis compofuit; plus Cæfarei, quam Pontificii juris ftudiofus [2] fuit, fed amplioribus poftea tractatibus compofitis, cum jam vetuftiora negligerentur, ejus quod fciam nihil ad pofteros pervenit, præter volumen *de conceptione Libellorum*. Profanæ vitæ tædio *Minoritarum religionem* ingreffus effe dicitur. De eo aliud non apparet.

CAP. XXXVII.

XXXII. ROLANDINUS PASSAGERIUS. *GERARDUS MULERTUS Confiliarius Caroli V.*

XXXII DUo ROLANDINI Jurifperiti celebrantur, ambo Bononienfes non multum ætate diftantes, quorum alter cognomento PASSAGERIUS, vel, ut alii RODULFINUS, *Summam artis Notariæ* dictam ob inftrumentorum formulam tabulariis valde opportunam An. Salutis MCCLV. confcripfit. [3] Eam fuperioribus annis GERARDUS MULERTUS *Caroli V. Cæfaris confiliarius* deforma-

1 *Volater. lib. 21. Anthropolog* 2 *Jo. Andr. in d. proëm in verb. Plurimis.* 3 *Jo. Andr. ad fpecul. in proëm. in verb. Plurimis.*

tam

tam restituit, & commentariis illustravit. Quo anno decesserit, aut ubi humatus sit, non constat. De altero *Rolandino* infra suo loco dicetur.

CAP. XXXVIII.

XXXIII. JOANNES de BLANASCO.

XXXIII. SUb id tempus JOANNES de BLANASCO *Heduus*, seu *Burgundus* cum Balduino Bononiæ jura professus claruit, ubi an. MCCLVI. luculenta in *actiones* commentaria emisit. Ac plura, quæ in formulis libellorum *Roffredus* negligenter tradiderat, significavit potius quam reprehendit; [1] scripsit & *ordinem judiciarium*, & *variarum quæstionum librum*, *unum de feudis*, & *homagiis* alterum; unde fere omnia ad eam materiam pertinentia *Guilielmus Durantus* ad exornandum speculum est mutuatus. Nobilis, subtilisque interpres etiam *Baldi* judicio habitus. [2] Nec philosophiæ naturalis expers fuit. Quando mortuus, aut ubi humatus sit, ignoratur.

CAP. XXXIX.

XXXIV. ALBERTUS GALEOTTI *Filius Parmensis.*

XXXIV. NOn multo post ALBERTUS GALEOTTI *filius Parmensis* Mutinæ publice docuit, ubi *Guilielmi Droretæ* tractatum de Judiciorum ordine in aliud, sed longe plenius, transtulit, in quo, relatis fere omnibus illius verbis, quæstiones in foro frequentiores decidit, causarumque patronos ad defendendas cautius causas instruit. Volumen quæstionum Summulam inscripsit. Sed alii ob utilitatem nobiliore titulo *Margaritam* vocaverunt; in illo dubia plenius discutiuntur, quam in his tractatibus, quæ eo nomine censentur, fieri consuevit. [3] De hoc aliud ad nos non pervenit.

CAP. XL.

XXXV. MARTINUS a FANO. XXXVI. MARTINUS SYLLIMANI filius Bononiensis.

XXXV. MARTINUS A FANO *fortunæ* duos *Libellos de modo studendi* composuit, qui postea evanuere; [4] [5] In his eum

[1] *Jo. Andr. in proœm. specul. in verb Plurimis.* [2] *Bal. in cons. 291. n. 10. vol. 2.* [3] *Jo Andr. in d. proœm. in verb. Plurimis.* [4] *Alb. in proœm. ff. in princ.* [5] *idem Alb. in § quibus, in dicto proœm. & ibi Fulgos.*

sibi

ſibi adſciſcendum Præceptorem eſſe monebat, qui probabilia doceret, libenter ad interrogata reſponderet, & ſibi contradici pateretur ſolidisque rationibus dubia diſſolveret, & demum qui fidus interpres inquirendæ veritati, & non inanibus cavillationibus, ambitioſoque ornatui ſtuderet. Diſcentibus præcipiebat, ut a pernicioſis voluptatibus alieni in primis Deum colerent, deinde interjectis honeſtis animi recreationibus toti diſciplinis incumberent. [1] Librum etiam *de homicidiis*, [2] & *negativa probanda*, item de *Judiciis* & *Actionibus* poſt ſe reliquit.

XXXVI. Alius fuit MARTINUS SYLLIMANI *filius Bononienſis*, [3] qui *Jo Andreæ Præceptor* diu in patria docuit, & *Cini* examini, cum tyrocinium deponeret, interfuit, [4] ſæpe diſputavit, & *Feudorum* compendium fecit. Tandem religionem eorum, qui *Prædicatores* vocantur, profeſſus eſt, [5] ubi ſæpius de jure interrogatus reſpondiſſe dicitur. Bononiæ decedens in D. Dominici, in cujus familiam tranſierat, templo humatus eſt, in ejus tumulo hodie hæc inſcriptio legitur.

Martini Syllimani, cujus præclara in jure opera extant, humata hic oſſa quieſcunt. Lapidea hæc memoria illi poſita eſt. Anno Salutis M D.XXVI.

Quod horum agnatio non legatur, obſcuris natalibus orti eſſe creduntur. Nulla eorum diei obitus memoria conſervatur.

CAP. XLI.

XXXVII. GUIDO SUZARIUS: lautiſſimum ejus ſtipendium Regii. XXXVIII. Filius ejus PETRUS SUZARIUS.

XXXVII. INter Clariſſimos ſui temporis profeſſores GUIDO SUZARIUS fuit, quem ego a *Suzaria* olim Regienſium, ſed nunc Mantuanorum caſtello Suzarii nomen habuiſſe arbitror. Ex Azonis ſchola prodiit, & Mutinæ docuit, ob id eum Mutinenſem fuiſſe *Guilielmus Duranti* falſo exiſtimat. [6] *Jaſon* vero Cremonenſem. [7] Is anno MCCLXX. Regium, ubi tum omnium diſciplinarum ſtudia florebant, ad jus civile docendum conductus cum liberis ibi civis factus eſt. Ac niſi Mantuam, aut a Carolo Apuliæ Rege evocaretur, in

1 *Alb. in §. quibus in proœm. ff.* 2 *Alb. in R. ff. de ſtat. homin.* 3 *Alb. in fin. proœm. Cod.* 4 *Cin. in l. ult. C. de uſufr.* 5 *Pau. Ca. in l. 9. ff. de vulg. & pup. ſubſtit. & in l. ult. ubi etiam Bar. C. de impub.* 6 *in tit. de Advoc. §. ſequitur. verb. non ergo.* 7 *in l. 6. num. 19. ff. de condict. cauſ. data, cauſa non ſecut.*

Regien-

Regiensi Academia leges Romanas perpetuo interpretaturum tactis oculo, & manibus scripturis juravit. Contra illi Regienses quantum agri tribus bonum jugis anno arari poterat, (*tres Mansos vocabant,*) in Aggerum pago assignarunt; una præterea ex civitatis moletrinis promissa, eam, quæ ad S. Crucis portam erat, sibi elegit, quæ omnia, si culpa sua profiteri desiisset, Reipublicæ ex conventione restituenda erant. [1]

Juris civilis doctissimus; parum in Pontificio, quod raro citabat profecisse creditus est, ob idque Episcopatu, quem affectavit, indignus est habitus. [2] Naturalis vero philosophiæ non expers fuit. Præter *commentaria* quæ in Pandectas, & Codicem edidit, etiam de *jure Emphyteutico, de Instrumento quod Guarentigiam vocant, de ordine Judiciorum, ac de Judiciis, & Tortura tractatus,* qui hodie extant, composuit, in quibus se cum Accursio pro decidendis causis consilium habuisse testatur. Levitatis tamen famam non effugit, quod licentiore habitu, quam profitentis, & Jurisconsulti gravitati conveniret, petulantius uteretur. Versi colores enim, & vario serico virgatas vestes, nec eas talares gerere consuevit.

XXXVIII. Moriens inter alios liberos PETRUM reliquit, qui & ipse jus civile professus Regii in D. Dominici æde sepultus jacet, a quo *Suzarii* posteri etiamnum *Regii* degunt. De ejus morte, aut sepulchro nihil certi habetur. Cremonenses [3] eum Cremonæ docentem occubuisse ferunt, & in D. Guilielmi templo in suburbiis humatum, quæ postea diruta fuere. In quibusdam annalibus [4] ipsius hoc legitur epitaphium.

Febre carens Febre concutitur,
Per quam Febris Febrem aggreditur.
Letho Febris Febre dirimitur
Dum ipse moritur.

Ipsum duplici febre sublatum significat.

CAP. XLII.

XXXIX. ACCURSIUS *Regiensis.* XL. FRANCISCUS Accursii filius.

XXXIX. SUb idem tempus ACCURSIUS *Regiensis* An. MCCLXXIII. in patriæ suæ Gymnasio jus civile est interpretatus, quem-

[1] *In Carthophilatio Regii. in lib. Magno car.* 301. *&* 306. [2] *Jo. Andr. in addit. ad spec. in proœm. in verb. plurimis.* [3] *Julius Tarrefius de nobilitate, prima parte num.* 109. [4] *Jo. Jacobi Caroldi a secretis Decemvirorum Venet.*

 admo-

admodum in *Regii Tabulario* ſcriptum invenitur. [1] Eo enim anno de ſolvendo ei ſtipendio Prætorem *Zaldum* Cancellarium Piſtorienſem ad Regienſes Decuriones retuliſſe legitur, decretumque fuit, ut CC. libræ illius monetæ ei quam primum repræſentarentur. Patavii etiam profeſſus eſt, & diſputavit. [2] Hujus *Jacobus de Arena* in libello de ceſſione actionum; & *Guilielmus Duranti* ſæpius meminerunt. Illius operum, & obitus nullum monumentum extat.

XL. FRANCISCUS *Accurſii* nuncupatus hujus filius, ut arbitror, eodem, quo *Bartolus*, tempore Bononiæ docuit, & orta ſuper cujusdam legis lectione contentione, Piſas, qui veteres Pandectas inſpiceret, miſerunt. [3] Is enim Accurſii Gloſſatoris filius eſſe non potuit, cui tandiu vivere non licuit ut Bartolum profitentem videret.

CAP. XLIII.

XLI. ROLANDINUS *Romanicius*,

XLI. PRæter *Rolandinum Paſſagerium* alter fuit ROLANDINUS ex *Romanicea familia* & ipſe Bononienſis, eximiusque cauſarum Patronus, qui de *ordine Maleficiorum* utilem tractatum compoſuit, *Dino* Bononiæ docente, & *Gandino* ibidem quæſtionis Judicia exercente, claruit. [4] A Civibus Conſul ad regendam Remp. creatus eſt. E vivis exceſſit An. Salutis MCCLXXXIIII. III. Idus Septemb. & in patria in D. Franciſci templo cum hac inſcriptione humatus eſt.

Domini Rolandini de Romaniciis Doctoris legum, qui obiit Anno Domini MCCLXXXIIII. XII. Indictione, XI. die Septemb.

Ejus filio, qui deceſſit Anno MCCC. ſequens appoſitum eſt epitaphium.

Authore magno Naturæ lege vocato
Patre Rolandino natus proconſule primo
Hunc hic ſcribæ locant, Octobris tertia dena
Mille trecentis cœleſtis prolis ab annis.

CAP. XLIV.

XLII. IPHO *Britannus*, inter divos relatus; munera ejus eccleſiaſtica.
XLIII. ALANUS: de Cauſidicis religione inſignibus.

[1] *In arcula duarum clavium.* [2] *Alb. Gand. de bannitis pro maleficio in fin.*
[3] *Bar. in l. 3. C. de cond. ob. cauſ. dator.* [4] *Gand. in tract. malef. utrum procurat. in mal. inter.*

XLII. Nunc referendus IPHO, quem alii *Yuonem* vocant, genere Britannus. Is solus ex tot clarissimis legum verticibus inter Divos a Clemente VI. relatus An. Salutis M. CCCXLVII. die XIX Maji. [1] Philippo Pulchro in Galliis regnante, claruit. Nobilibus opulentisque parentibus *Heloro Cancieti* filio, & matre *Azone* in pago Martini prope Trecorenses ortus est. Lutetiæ, deinde Aureliæ Juri civili, & Pontificio operam dedit. Domum reversus, cum & doctrina, & vitæ sanctitate celebraretur a quodam Redonensi Archidiacono ecclesiasticis causis judicandis est præfectus. Mox a Trecorensi Antistite accersitus ejus Vicarius est declaratus. In eo officio omnibus gratus adeo pie, integreque se gessit, ut virtute omnes superaverit. Eminebat in eo incredibilis erga pauperes charitas, quos opibus, & omni studio sublevare non destitit. Demum eo officio dimisso ad suam *Lohaneti* ecclesiam se contulit, ubi cilicio, & vilibus pannis indutus, jejuniisque vacans, plerunque solo pane, & aqua vescebatur, quandoque septem diebus solus in cubiculo orationi vacans delituit, quotidie sacra faciebat & semel dum sanctam elevat hostiam, ingens splendor eam circumfulsit. Humi, aut in stratis cannulis cubabat, quandoque solo pane, quem habebat, plures saciavit, & aliquando modicum frumentum in arca relictum ad summum eam implevit.

XLIII. Nepotem habuit nomine ALANUM, qui Aureliæ differuit, [2] & is forte est, qui Decretum interpretatus est. Tandem circiter annum ætatis quinquagesimum VI. Kalend. Decembris, qui ejus dies est natalitius, vita defunctus multis miraculis claruisse dicitur. Ejus imago Florentiæ a *Masucio* egregio pictore viduis, pupillis, & pauperibus circundantibus posita fuit. Alii etiam religione insignes causidici fuere, ut *Sozomenus* tripertitæ historiæ scriptor memorat, qui Aquilinum in causis forensibus socium se habuisse refert, [3] cui cum cibos evomeret, divinitus revelatum est, ut melle, vino, & pipere tinctos cibos comederet, & eo modo sanatus est. *Chrysostomus* [4] quoque Philogenium mirifice celebrat, qui ex patrono causarum insignis vitæ sanctitate Episcopus est creatus.

1 *Card. Baro. in Rom. Martyr. die 19. Maji.* 2 *Henr. Bohe. in c. constitutus 8. X. de in integr. restit. Tiraq. de retract. consang. §. 1. gloss. 9. n. 52.* 3 *lib. 2. cap. 19. Hist. tripert.* 4 *in Orat. de Beato Philogonio.*

CAP. XLV.

XLIV. DINUS ROSSANIUS *Mugellanus* ejus ſcripta & auditores: autor ſexti Decretalium libri; animi mœror.

XLIV. DINUS ROSSANIUS [1] in Mugello agri Florentini caſtro natus omnes, qui ante ſe jus civile profeſſi ſunt, ſuperaviſſe viſus eſt. [2] Tantæ enim doctrinæ fuit, ut eo diſputante tota legalis philoſophiæ ſynodus adeſſe crederetur. [3] Unde in proverbium abiit. Dini diſputatio, qua nihil abſolutius deſiderari poſſe cenſetur. Bononiæ docuit, in Pandectas, & *titulum de Actionibus* ſubtiliter ſcripſit, [4] memorandumque in *Regulas ſexti Decretalium libri commentarium* in lucem emiſit, in quo Canonum peritiam nusquam profeſſus, quæ fere ſola didicerat, Jura civilia citat. Itaque vulgo Pontificiæ legis expers habebatur. [5] De *præſcriptionibus, gloſſis contrariis, ſucceſſionibus ab inteſtato, & intereſſe* opuſcula edidit. Luculenta etiam *reſponſa* poſt ſe reliquit, quæ raro inveniuntur. Inter alios *Cinum*, & *Oldradum* [6] diſcipulos habuit. Demum a *Bonifacio Octavo* vocatus componendo *ſexto Decretalium libro* cum *Ricardo. Petrono Senenſi*, & poſtea Cardinali dignitate honeſtato præcipuam operam impendit, [7] quod opus ita emendatum fuiſſe *Baldus* autumat, [8] ut errorem non habeat.

DINUS, etſi non paucis muneribus donatus, Galeri tamen honore, quem affectabat, & Ricardo datum videbat, fruſtratus, dum revertitur, animi mœrore in morbum incidiſſe dicitur. [9] Alii lento veneno ſublatum ferunt. Deceſſit Bononiæ An. Salutis M CCCIII. Refert *Angelus Ubaldus* [10] ſe audiviſſe Cerdonem, vel, ut alii malunt, virum vitæ ſanctitate inſignem dicere ſolitum, *ſibi in ſomnis viſum fuiſſe Dinum ad inferos damnatum, quod inique conſuluiſſet teſtatorem, qui ſe piæ cauſæ debitorem confeſſus fuiſſet,* ex eo dicto ad ſolvendum non arctandum, ſed verendum, ne illud vere ſomnium fuerit. Ad *D. Dominici* ædem humili quidem, ſed ob viri claritatem notiſſimo ſepulchro humatus fuit, ac prope eum poſtea *Cinus* ejus diſcipulus poſitus.

1 *Bal. in l. 16. §. 1. ff. de uſu. & habitat.* 2 *Joan. Villa lib. 8. cap. 65.* 3 *Cin. in l. 1. ante n. 10. C. de ſent. quæ pro eo, quod intereſt, profer.* 4 *ut ait Cin. in l. 6. C. de ſerv. fugit.* 5 *Jo. And. in tit. de ſucceſſ. ab inteſt. in princ. in addit. ad ſpec.* 6 *Roma. in conſ. CLXXI. Bal. in l. 29. in fin. C. de fideicom.* 7 *Jo. Villa eo lib. cap. 64.* 8 *in l. 19. in pen. col. C. de jur. delib.* 9 *Rapha. Volater. l. 21. anthropol.* 10 *in l. 1. C. de falſ. cauſ. adj. Barb. conſ. 65. vol. 2. Purpura. in l. 3. C. de edend. Deci. in l. 6. de collation. Sylva nuptia. lib. 5. ſub. n. 67.*

CAP.

CAP. XLVI.

XLV. PETRUS de BELLA PERTICA *Sequanus*: errores Canonum.

XLV. PETRUS DE BELLA PERTICA *Sequanus*, vel, ut nunc loquuntur, Burgundus a quibusdam fuisse dicitur. Sed alii probabilius eum Aurelianensem fuisse tradunt. Tolosæ *Jacobum de Ravanis* Gallum audivit, [1] ibidem & ipse professus Anno Salutis MCCC. Romam profecturus Bononiam venit, ubi peregrinus. *Cino*, aliisque magna attentione audientibus, quandam Codicis legem est interpretatus. [2] Erat is ex Bonifacii VIII. decreto Jubileus Annus, quo omnibus Martyrum templa Romæ adeuntibus erratorum venia dabatur, plurimisque ex toto orbe ad Urbem confluentibus, etiam Petrus crimina expiaturus eo se contulit.

Minimum octies infortiatum auditoribus exposuit, [3] & erudita in *Digesta*, *Codicem*, *& institutiones scripta* reliquit, quæ hodie raro, nec illa integra apparent; *Disputationes* etiam numero centum edidit. Subtilis ingenio, sed cervicosus fuit, qui plura contra jus per imperitiam a Pontificibus statuta credere maluit, quam ipsa jura conciliare, & quum quis canonem citabat, solitus est respondere; *Transeat cum erroribus Canonistarum*, in quo a *Fulgosio*, & aliis jure reprehenditur. [4] Aureliæ, ubi etiam ejus ædes pro re memoranda ostentantur, sepultus jacet, sed obitus tempus non visitur. Bellæ Perticæ Abbati *Innocentius III.* scribit. [5]

CAP. XLVII.

XLVI. ALBERTUS GANDINUS Aretinus.

XLVI. ALBERTUS GANDINUS genere *Aretinus*, vel, ut quibusdam in monumentis legi, *Cremensis*, *Joannis Angusciolì Cæsennatis* discipulus fuit. [6] Assessoris maleficiorum officio semper functus, primo *Perusii*, [7] deinde *Florentiæ*, & *Senis* [8] assedit, denique totum vitæ tempus in audiendis, puniendisque reis consumpsit, [9] unde in criminalibus causis princeps appellatur. Bononiæ Judex quæstionis fuit, quem hodie Turoni *Auditorem* vocant. Cum ibi

1 *Cin. in l 3 circa n. 15. C. in quib. caus. in integr. rest. non est necessar.* 2 *Cin. in l. 1. C. de sent quæ pro eo, quod interest, profer. M. CCC.* 3 *Pau. Ca. in l. 41. in princ. & ibi Bal. ff. de legat. 2.* 4 *Fulgo. in l. 9. sub. n 4. ff. de jurisd. omn. judic.* 5 *in c. in causis 30. X. de electio. & electi potest.* 6 *Gandin. de homicid. sub. n. 23. de pœn. reor. sub. n. 44.* 7 *ipse in princ. tract. malefic.* 8 *ipse in ult. R. in tract. de malef. & in tit. de bannitis pro malef. n. 5.* 9 *Bos de delict n. 17.*

 Dinus

Dinus profiteretur, [1] & *Rolandus Romanicius* clientibus patrocinium præstaret, [2] præclarum de *Maleficiis* ex Odofredo, & Guidone Suzario desumptum opusculum composuit. Sed ipse ex pluribus, quæ ex facto vidit, & egit, librum ea diligentia ampliavit, ut magno in usu a forensibus habeatur. Ejus obitus, vel reliquiarum nusquam memoria extat.

CAP. XLVIII.

XLVII. BARTHOLOMEUS A CAPUA *Neapolitanus.*

XLVII. NEapoli ad clarissimam urbem exornandam primus Fridericus II. Cæsar Ænobarbi filius circiter Ann. MCCXL. Gymnasium instituisse dicitur, [3] ubi BARTHOLOMÆUS A CAPUA Neapolitanus Jus civile explicuit. Demum Carolo Martello regnante, Protonotarius creatus in magna existimatione fuit, a Baldoque non semel citatur, [4] & sunt, qui eum virum mirabilem appellant ob insignem eruditionem, & ingenii acumen. Demum Carolo mortuo, orta de regno controversia inter Robertum, & Caroli nepotem, Roberto patrocinatus obtinuit. [5] Obiit Anno MCCCX. & in majore templo marmorea in arca cum hac rudi inscriptione conditus fuit.

Janua legum, vitaque Regum
Mors retrudit terræ omnia sunt quasi somnia cuncta recludit,
Summus, & athleta Regni jacet hic logotheta.
Protonotarius Auxiliarius, atque Propheta
Annis sub mille trecentis bis, & octo,
Quem capiat Deus, obiit bene Bartholomæus.

CAP. XLIX.

XLVIII. RICARDUS PETRONUS *Senensis*: amplissima munera ecclesiastica: de officio Vicecancellarii romani. Compilator sexti Decretalium.

XLVIII. RICARDUS PETRONUS *Senensis* Francisci Accursii sectator, & forte discipulus. [6] Non multo post Neapoli jura civilia docuit. Demum fama clarus *Cardinalis* tituli *Sancti Eustachii*, & *Vicecancellarius* Romanæ Ecclesiæ creatus est, [7]

[1] *Ipse Gandin. in tract. malef. in R. de filio fam. utrum possit accus.* [2] *Gand. in tract. utrum procur. in malef. inter.* [3] *Collenucius l. 4. Histor. Neapolit.* [4] *in l. 13. in fin. princ. C. de judi.* [5] *Afflict in c. 1. de success. feud. sub num. 88.* [6] *Cin. in l. 20. C. de neg. gest.* [7] *Cin. in l. ult. ad fin. C. de feriis.*

quod dignitate, autoritate, & utilitate ferme primarium Romanæ curiæ officium vulgo habetur; Id versatur in expediendis per orbem terrarum diplomatibus, quæ ad res ecclesiasticas pertinent, maximamque scribarum turbam sub se habet. Ricardus eam dignitatem adeptus cum aliis duobus Præsulibus *sextum Decretalium*, velut alter Tribonianus, Bonifacii VIII. jussu compilavit, [1] cujus defuncti memoriam cum Philippus Gallorum Rex, velut *Patareni*, damnari cuperet, ob idque Viennam Synodus a Clemente V. Anno Salutis MCCCXI. indicta esset, Ricardus non minore doctrina, quam constantia mortui Pontificis causam in Regio Senatu egregie defendit, usque adeo ut manus dantes adversarios summa cum laude confutaverit; [2] Bonifaciusque cunctis votis sit absolutus.

Moriens Ricardus testamentum condidit, in quo *Joannem* Fratris filium hæredem instituit, ei descendentes masculos, hisque deficientibus, fœminas, deinde monasteria substituit, ob quod aliquot natæ sunt controversiæ, & in primis dubitatum, *an cum esset Cardinalis testari potuerit*, eamque ob causam insigniorum juris Interpretum responsa emanarunt. [3] Ricardum Genuæ Anno MCCCIV. decessisse in publico instrumento se legisse *Caccialupus* testatur. Sed corruptas tabulas illas fuisse vereor, cum *Joannes Villanus*, qui illis temporibus vixit, tum septennio post Bonifacium, qui proximo anno ante obierat, causam dixisse scribit. [4] Qui vero hunc pro *Ricardo Malumbræ* accipiunt, graviter errant. [5] Post annum igitur MCCCXI. fato functus est. Tumuli locus ignoratur.

CAP. L.

XLIX. JACOBUS de ARENA Parmensis. L. UGOLINUS FONTANA.

XLIX. Iisdem diebus JACOBUS de ARENA Parmensis floruit, quem nonnulli *Bononiæ*, [6] alii *Tolosæ* in Galliis professum fuisse [7] tradunt. Sed ego, restaurato *Patavino* Gymnasio, ac Urbani III. Pont. Max. privilegiis honestato, ibi eum anno MCCC. jus civile professum fuisse invenio, atque hodie in ejus Urbis Jurisconsultorum albo primus reperitur. In Pandectas, & Codicem Justiniani breviter, sed utiliter scripsit, & tanto judicio, ut ejus opiniones ut plurimum ex

[1] *In proœm. sexti §. nos ad apicem.* [2] *Jo. Villa. lib. 9. cap. 22.* [3] *Aret. cons. 36. Alex. cons. 101. in 7. Socin. cons. 49. in p. Corn. cons. 304. in 3. Felin. in c. 21. sub n. 33. vers. propterea ff. de re jud.* [4] *lib. 9. cap. 22.* [5] *Capol. in l. 1. in princ ff. de ædil. edict. sub. n. 5.* [6] *ut ex ejus tract. de positionibus colligitur.* [7] *Jacob. Spiegel.*

mente

mente juris esse dicantur. [1] Opuscula de *Commissariis*, qui ultimarum voluntatum executores vocantur, *de Positionibus, de Expensis, quæ in judiciis fiunt, Sequestrationibus, Excussione bonorum, Exulibus, quos Bannitos appellant, Quæstionibus & Cessione actionis composuit*, quæ etiamnum magno in usu habentur; *Feudorum* item compendium fecit. *Ricardi Malumbræ*, & *Oldradi*, [2] ut infra etiam dicetur, Præceptor fuit. Quo vero anno, aut ubi decesserit, nullibi reperi.

L. Iisdem diebus UGOLINUS FONTANA, & ipse *Parmensis* floruisse dicitur, [3] cujus alia memoria non extat.

CAP. LI.

LI. ROLANDUS PLACIOLA: de translatione academiæ Bononiensis Patavium. LII. FABIUS MAXIMUS a S. URBANO.

LI. CUm non Bononiæ tantum, sed & aliis in locis Gymnasia juris aperta essent, Fridericus II. [4] Cæsar Bononiensibus graviter infensus, quod Entium filium, quem ceperant, sibi restituere noluissent, illorum Academiam Anno MCCXXII. Patavium transtulit. Entius, condito testamento, Bononiæ defunctus apud Dominicanos est humatus, unde apud legum peritos disputatum est, *an tanquam captivus apud hostes testari potuerit.* [5] Sunt, qui vetusta consuetudine Gymnasium Patavii institutum esse credant, [6] quod etsi initio obscurius fuit, paulatim viribus auctum ad summam demum celebritatem pervenit, & An. MCCLXII. alicujus nominis esse cœpit. Quo tempore *Jo. Baptistæ Transalgardi Episcopi Patavini* opera perampla ab Urbano IV. Pont. Maximo privilegia obtinuit. Primus autem tunc cum *Jacobo ab Arena Rolandus a Placiola* Vico Patavino oriundus Anno Salutis MCCC. magna nominis claritate ibi docuisse dicitur. In *feuda* scripsit, & præclarum de *Regibus* opusculum Henrico VII. Cæsari dedicavit. [7] Sunt, qui *Summam Rolandinam* ei ascribant, quæ, ut supra dixi, alterius *Rolandi Passagerii* fuit, qui floruit anno MCCLV.

[1] *Bar. in tractat bann. num. 11.* [2] *Bal de duob. fratri. num. 17.* [3] *Cin. in l. 1. ad fin. C. de adulter.* [4] *de quo plura Jas. c. Alvaro. c. 1. quis dicat. Dux Com. vel Mar. col. 1. Deci. in Auth cassa. col. 1. C. de Sacrosanct. Eccles.* [5] *Jo. And. in addit. ad specul. de instrum. edit. § compendiose. ver. 15. is, qui. Pau. Castr. in l. 8. in fin. princ. ff. qui test. fac. poss.* [6] *Bar. in §. hæc autem in proœm. Digest. Bal. in Auth. habita. C. ne fil. pro patre. Card. Zab. in Clem. dudum 2. de sepultur. Petr. de Anca. & alii in c. cum. de diversis. 2. de privil. in 6. Bal. Cons. 77. in 5. Alex. Cons. 74. n 7. in 4.* [7] *Alvaro. in tit. quis dicat. Dux. Com. vel Marc. in prin. 9. col. verb. quæro qui Regem. & de pace tenenda. in prin. col. 2.*

Cum

Cum vero, extincto Actiolino Patavii Tyranno, Henricus VII. eam Urbem, quæ ad libertatem aspirabat, sibi subjicere conaretur, Rolandus, qui crebris legationibus ad diversos Principes honorifice functus fuerat, clarissimusque Jurisconsultus, & Orator habebatur, cum *Albertino Musato* Poeta celebri ad eum legatus mittitur, quem totis eloquentiæ viribus placare conatus est. Sed cum durum Principem parum a sententia dimovere potuisset, civium decreto ad Clementem V. professus est, qui autoritate sua sævum hostem averteret. Mira ingenii dexteritate, splendidisque verbis adeo Pontificis animum sibi conciliavit, ut unum ex opulentioribus Sacerdotiis, quas Abbatias vocant, optandi jus habuerit, sed ipse magna modestia mediocre Sacerdotium elegit, interrogatusque a Clemente, cur opulentius non petiisset; Respondit *Frater meus, pro quo postulo*, non est pluris. Id fuit circiter annum MCCCX.

Guidonem filium vivens amisit. Sunt, qui ipsum Friderici III. tempore vixisse falso opinentur. [1] Is enim An MCCCCXL. imperavit Ejus mortis dies ignoratur. In albo Jurisconf. Patavinorum primus post *Jacobum ab Arena* circiter an. Sal. MCCC. hodie descriptus invenitur. Sepultus est in patria extra templum D. Antonii in Gentilitio Sepulchro, ubi hæc epitaphia leguntur.

Rolandus de Placiola Patavino Vico pater Guidoni filio cariss. juveni Mausoleum, & sibi, & suis.

Additum præterea hoc Distichum.

Hunc statuit poni tumulum mors atra Guidoni,
Cui stans sede Throni superi det gaudia doni.

In base sculptum est.

Rolando, & Aycardæ indolis optimæ Rolandinus Placiola filiis sarcophagum.

Supra pynnaculum sepulchri est hoc scriptum.

Præter amare *Deum, cum cætera deleat ætas,*
Hic sere, quod plena post modo falce metas.

LII. Eo tempore FABIUS MAXIMUS a S. URBANO Collegii Jurisconsultorum Patavinorum leges composuit, cujus in D. Antonii Peristylio hæc extat memoria.

Fama, fides, gravitas, celebres in honore labores
Archetypos post hunc solicitate viros,

1 *Alvaro. in loco prædicto.*

Blandus is orator, vates Doctor quoque legum
In cunctis Fabius Maximus actor erat.
Virgo parens capias animam, Deus optime parce.

CAP. LII.

LIII. OLDRADUS DE PONTE *Laudensis.* Clari JCti illius ævi CINUS, BUTRIUS, RICARDUS SALICETUS, LUPUS CASTELLIONEUS, JOANNES ANDREA.

LIII. OLDRADUS DE PONTE *a Laude* Pompeja *Dini* [1] discipulus primo Bononiæ, deinde Patavii circiter Annum MCCCX. tanta & ipse cum laude professus est, [2] & disputavit, ut *pater legum* sit appellatus. [3] Postea Romam ad jus docendum conductus præclara in jus civile *commentaria* edidit. Mox Advocatus Consistorialis electus clara nominis fama causas egit, & luculenta responsa in vulgus emisit. Continet hic ordo decem gravissimos Jurisconsultos, qui innumeris privilegiis donati, soli Clientum, qui in Consistorio litigant, causas defendere consueverant. Sed hodie decrescentibus negociis in Senatu fere otiosi apud alios Romanæ curiæ Judices mercede patrocinium præstant.

Etsi plurimas causas magna cum laude tutatus sit *Oldradus*, ea tamen præcipue illustratus est, quam coram Roberto Rege Apuliæ in Urbe Avenioni pro Thoma defuncti Principis primogenito egit, pro quo S. Severini Comitatum evicit. Apud Joannem XXII. Pontificem in magna dignitate fuit, cujus opera in componendis arduis Reip. negociis usus esse dicitur. [4] Plus tamen doctrina, quam moribus claruit, quem fama est, prævaricatum clientes prodidisse; re detecta, eum Pontifex in Senatu velut perfidum graviter reprehendit, [5] quam ob rem ille ex animi mœrore morbo contracto occubuit, [6] circiter an. Salutis MCCCXX. quo tempore CINUS, BUTRIUS, & RICARDUS SALICETUS in jure Civili, LUPUS vero CASTELLIONEUS, & JOANNES ANDREÆ in jure Pontificio celebrantur. [7]

Plura scripsit, quæ interierunt, solum extat doctissimum responsorum volumen, ex quo non pauca *Joannes Andreæ* sibi ascripsit in

[1] *Bal. in l. 29. in fin. C. de fideicom.* [2] *Alber. in l. 1. §. 3. ff. de dolo malo. & in l. 7. ff. de stat. homin.* [3] *Pau. Castr. in l. 15. ff. de adquir. vel omitt. hered.* [4] *Alber. Ros. in l. ult. sub n. 8. C. de jurisd. omn. jud. & alii.* [5] *Pau. Ca. in l. 17. C. ex quib. caus. inf. irrog.* [6] *Pau. Ca. in l. 1. in fin. C. de advoc. divers. judic.* [7] *ex subscriptione ultimi cons. Oldradi.*

addi-

additionibus, quas ad ſpeculum edidit. Ego ipſum paulo poſt annum MCCCX. Patavii docentem in ejus Urbis Juriſconſultorum albo ſcriptum legi. Inde Avenionem conductus ad jus civile docendum ibi deceſſit An. MCCCXXXV. VI. Idus Aprilis, & ante hoſtium templi Prædicatorum humatus duo habuit epitaphia, primum vetuſtate corroſum legi non poteſt. Alterum admodum rude ita ſe habet, quod tamen in ſecundo verſu vix legi potuit.

Hic jacet Oldradus Dominus de Ponte vocatus
De laude natus laus hujus & ab omnibus notus
Fuit in jure Doctor eximius vere pro cujus
Anima quisque Deum velit orare.
Qui obiit Anno MCCCXXXV. Die Lunæ Idus menſis Aprilis ſexto.

CAP. LIII.

LIV. ANDREAS CIAFFI. LV. FRANCISCUS TIGRINI *filius, Piſanus.*

LIV. ANDREAM CIAFFI filium, ſive, ut aliis placet, cognomento *Zaffum*, gente *Piſanum* circiter annum Salutis MCCCXX. in patria docuiſſe conſtat, quo tempore primum Academia erecta fuiſſe dicitur. Sed ejus ad poſteros nihil præter opuſculum de *Gerundiis* pervenit; *Bartolus* tamen ſe ejus commentaria evolviſſe teſtatur. [1]

Eodem tempore floruit FRANCISCUS TIGRINI *filius* & ipſe *Piſanus* vir omnium integerrimus, [2] & eruditiſſimus, qui *Baldum* erudiit, [3] ac omnia ſingularia in jure memoria tenuit. [4] Primo in patria, deinde *Perufii* [5] profeſſus plura, ſed confuſe, ſcripſit. Ex quibus *Bartolus*, qui tum Piſis jus noſtrum juvenis circiter Annum MCCCXXXV. interpretari cœpit, tacito autore, non pauca ſibi attribuit, [6] & multum ex ejus laboribus creviſſe exiſtimatus eſt.

Si vos non vobis mellificatis apes.

Tantum tamen Bartolo Franciſcus tribuit, ut Patriæ Rector de ambiguis quæſtionibus eum ſæpe conſulere non erubuerit. [7] Ejus obitus dies, aut cinerum locus ignoratur.

[1] *In l. 8. §. 6. ſub. n. 9. ff. de novi oper. nunciat.* [2] *Bal. in c. 1. §. 1. in fin. Epiſcop. vel Abbat.* [3] *Bal. in c. 1. §. Vaſſall. feudum. ſi de feud. fuer. controv. inter dom. & vaſall.* [4] *Bal. in d. §. Vaſſall. Soc. conſ. 10. ſub n. 25. in p.* [5] *ipſe conſ. 152. inter conſ. Bar.* [6] *Ang. in l. 18. ff. de ſolution.* [7] *Bar. in l. 29. nu. 9. ff. de hered. inſt.*

CAP. LIV.

LVI. RICARDUS MALUMBRÆ *Cremonensis*, invidia aliorum erga Ricardum: de dialecticis subtilitatibus in jure. De ALBERICO ROSATA.
LVII. NICOLAUS MALUMBRÆ.

LVI. FOecundissima eorum temporum ætas RICARDUM quoque MALUMBRÆ *Cremonensem* protulit, qui a *Jacobo de Arena* institutus tantæ in jure civili eruditionis habitus est, ut tum nemo in Italia doctior crederetur. [1] Sed æmulorum invidia, quæ Illustres viros semper insectatur, pravæ religionis apud Clementem V. Pontificem insimulatus Bononiam, ubi tunc JACOBUS a BELUISIO, *Butrigarius*, & RAINERIUS *Forolivienfis* profitebantur, relegatus fuit. [2] Universus Jurisconsultorum Bononiensium Ordo pro eo apud Pontificis legatum pœnam deprecatus non modo nihil impetravit, sed graviter etiam reprehensus est, [3] quod iniqui hominis in causam defendendam suscepisset. Postea vero restitutus Patavii, quo antea a Friderico Ænobarbo Bononia Gymnasium translatum fuisse supra memoravimus, magna nominis celebritate circiter Annum MCCCIX. docuit, [4] ob insignemque doctrinam pater legum vocatus Equestri & Palatina dignitate donatus fuit.

Plura scripsit, quorum rara est copia. Discipulum habuit ALBERICUM ROSATAM. Irridere consueverat illos, qui arte sophistica, ac dialecticis subtilitatibus a forma, substantiaque arguentes jura docebant, quem ritum a *Jacobo de Ravanis*, & aliis ultramontanis Doctoribus emanasse ferunt; laudabat autem, ut ex puris legum fontibus, atque adeo vivis rationibus quisque institueretur, ut *Albericus Rosata* ejus discipulus testatur, [5] Perspicuitate, facilitateque docendi a *Cino* laudatur. [6] Venetias ad Reipublicæ leges condendas evocatus ibi decessit Anno Salutis MCCCXXXIV. & ante templum D. Jo. Pauli prope januam cum hac inscriptione humatus fuit.

Vas juris, legumque jubar sine compare Doctor
Militis, & Comitis merita ratione cathedræ
Dotatum titulis Ricardus prole Malumbra
Malleus ens umbræ, patriæ decus, atque Cremonæ
Qui gratus Venetis jacet hic, sed nuncia laudis
Vivet fama viri nullam peritura per ævum.

[1] *Bal. in l. 14. C. de Episco. & Cleric. Ancara. in consf. 248.* [2] *Bar. in l. 11. ff. de testam. tutel.* [3] *Jaco. Butrig. in d. l. 14. C. de Episc. & Cler. Sylva nupt. lib. 1. num. 72.* [4] *Cin. in l. 3. in fin. C. de bon. matern.* [5] *Alber. in princ. Digestor.* [6] *in loco supra dicto.*

Obiit

Obiit anno Domini MCCCXXXIV. Bartholomaei Malumbrae nati Pientiss. instauraverunt MDXXVIII.

LVII. Alius fuit NICOLAUS MALUMBRÆ Patavii ad D. Augustini Aquilonarem Portam in sublimi arca humatus cum hoc carmine.

Edite nobilibus celse Nicolae Malumbris
Urbe Cremonensis solers utriusque professor
Juris causidicus doctissime strenue fautor
Justitiæ vivas oro per secula felix.

Cremonæ *Ricardi Malumbræ* domus adhuc hodie pro re insigni spectatur, & Ricarda familia ob tanti viri memoriam celebratur. [1]

CAP. LV.

LVIII. JACOBUS A BELUISIO *Aquensis.*

LVIII. SUnt, qui inter Azonis discipulos JACOBUM A BELUISIO [2] *Aquensem* ponunt, quod ipse in Libello sibi falso ascripto se ejus discipulum profiteri videatur. Verum *Jacobus* Bononiæ cum *Jacobo Butrigario*, & *Rainerio* e Foro Livii circiter Ann. MCCCXXX. Jus civile docuit, [3] ut Azonem, qui centum, & triginta annis ante decesserat, videre non potuerit. Constat præterea, eum *Joannis Andreæ*, qui obiit An. MCCCXLVIII. temporibus vixisse, cum se mutuo citent: [4] & Bartolo, cum Doctor creatus est, recitandam assignavit *l. illud ff. quod met. causa.* Neapoli quoque docuit, ubi tum Gymnasium florebat. [5] Feudorum libros octies est interpretatus; [6] Unde in illo tractatu auctoritate longe alios superat; [7] *in feuda, & novellas Justiniani constitutiones,* aliasque legum partes non contemnenda commentaria reliquit, *Libellum* quoque *de excommunicato,* aliumque *de primo, & secundo Decreto*, in lucem emisit. *Brocardis* etiam; quorum auctorem Pyleum fuisse diximus, mirum in modum delectatus esse dicitur. [8] Postremo *praxim Judiciariam in criminibus, & librum quæstionum composuit*, quarum partem Perusii, ubi docuisse fertur An. Salutis MCCCXIV. disputavit. [9] De ejus obitu, & tumulo nihil certi habetur.

1 In actione 2. 2 ipse in princ. 1. & 2. Decret. testatur. 3 Bar. in l. 11. n. 2. ff. de testam. tutel. Bal. in cons. 142. vol. 4. 4 Jac. in §. quibus. in Auth. quib. mod. natur. effic. sui. seu Nov. 89. Jo. Andr. in c. sine culpa 23. de reg. jur. in 6. 5 Paris de Pute. de sindica. post princ. 6 Bal. in proœm. feudor. 7 Sylva nup. lib. 5. sub. n. 69. 8 Bal. in §. ult. de feud. Marchiæ. 9 Signor. de Homo. Cons. 114. in fin.

CAP. LVI.

LIX. JACOBUS BUTRIGARIUS, **ejus ſcripta, ſingularis docendi methodus.** LX. BARTHOLOMÆUS BUTRIGARIUS.

LIX. CUm *Jacobo de Beluiſio*, & *Rainerio Foroiivienſi* JACOBUS BUTRIGARIUS *Bononienſis* illo aliquanto junior, hoc vero ſenior Jus civile circiter An. MCCCXXX. Bononiæ docuit, [1] ubi inter alios *Bartolum* erudiit. [2] Super ea Pandectarum parte, quam *Digeſtum vetus* appellant, & *Codice* bis ſcripſit, unde vetus, & nova ejus lectio olim reperiebatur. Alium prӕterea in titulum de *Actionibus commentarium*, *de Dotibus*, *Oppoſitione compromiſſi*, *Teſtibus*, *& Renuntiationibus juris civilis* tractatus, quamplurimasque diſceptationes tanta eruditione ventilatas edidit, ut *juris Lumen* a nonnullis fuerit vocatus. [3] Interpretatus legem, [4] quæ communes nummos pro dimidia habita ratione ad numerum vult dividi, joci cauſa cum auditoribus in forum ſe contulit, ibi dimidiam ficuum, quæ caniſtro continebantur, ab anu mercatus, medios fructus ſcindere finxit, reclamante muliere, quod non dimidia corpora, ſed ficuum medietatem ad numerum vendidiſſet. Hæc inquit, *anus legis quam explicui, nunc praxim oſtendit;* [5] idem & *Bartholomæum Socinum* poſt multos annos feciſſe ferunt. Veterum opinionum defenſor gloſſas ſemper tuebatur. [6] Mortis, aut ſepulchri *Jacobi* memoria non extat.

LX. Ex Butrigariis alius eodem tempore claruit nomine BARTHOLOMÆUS, quem tum juvenem, verum magnæ ſcientiæ Doctorem *Joannes Andreæ* appellat, [7] ſed quam cum *Jacobo* affinitatem habuerit, non conſtat. Nec quicquam ejus operum ad nos pervenit.

CAP. LVII.

LXI. LAMBERTINUS RAMPONUS *Bononienſis.* **LXII.** FRANCISCUS RAMPONUS. **De** JOANNE PLEONE **Arimenſi. De** BENEDICTO **a** PLUMBINO.

LXI. INterpretantibus Bononiæ Jus civile Martino Syllimani, & Dino, LAMBERTINUS RAMPONUS *Bononienſis* [8] & ipſe in

1 *Bar. in l. 11. n. 27. ff. de teſtam. tutel. Bal. in conſ. 142. vol. 4.* 2 *Bar. in l. 1. C. de pœn. jud. qui male judic.* 3 *Bal. in conſ. 498. vol. 2.* 4 *l. 13. §. ult. ff. de reb. cred.* 5 *Fulgo. & Jaſ. in d. l. 13. §. ult. ff. de reb. cred. Jaſ. in l. 15. ſub. n. 22. verb. S. ſpeciale. eod. tit.* 6 *Fulgoſ. in l. 3 ſub n. 9. de off. prætor.* 7 *Jo. And. in addit. ad ſpecul. in tit. de accuſat. §. ſequitur. verſ. quod ſi bannitus in magna additiq. in 3. par.* 8 *Cin. in l. 7. §. in bis. C. de præſcr. 30. annor.*

patria

patria professus non pauca in leges scripsit, quæ hodie nusquam extant. Ac diu Patroni causarum officio functus in foro clarissimus evasit, [1] profundæque scientiæ vir est existimatus; [2] *Cino*, quem erudierat, legum Tyrocinium deponenti Jurisconsultorum stemmata tradidit. [3]

LXII. Hunc secutus est FRANCISCUS & ipse RAMPONUS, qui Patavii, Pisis, & Bononiæ docuit, ac circiter An. M.CCCC. floruit, antequam *Baldus* decederet, cujus etiam responsis quandoque subscripsit. [4] Patavium An. M.CCCCIV. ad Jus civile explicandum cum JOANNE PLEONE *Ariminensi* conductus est, qui primus Ferrariæ cum BENEDICTO A PLUMBINO docuisse dicitur, uterque postea Patavii docuit, ut ex ejus civitatis Jurisconsultorum albo deprehenditur.

CAP. LVIII.

LXII. CINUS SIGISBULDUS Pistoriensis; de academia Perusina. Judicium Cini de jure pontificio. Historia de miraculo D. *Nicolai*. De imagine Cini, ejus sepultura & epitaphio. LXIII. CINUS THEBALDUS: de academia florentina.

LXII. CINUS SIGISBULDUS, quem alii *Sinibaldum* [5] cognominant, *Francisci* filius gente *Pistoriensis* circiter An. MCCC. Bononiæ sub *Francisco Accursii*, *Dino Rossano*, & *Lambertino Rampono* legum studiis operam dedit. [6] Mox Martino Syllimani assistente, dum ibidem Tyrocinium deponeret, de ususfructus materia examinatus a Rampono Præceptore insignia accepit; [7] sunt, qui eum pro rudi primo reprobatum, ac post aliquot annos inter Jurisconsultos receptum fuisse affirmant, quod nusquam scriptum legi. In prima juventute *Ludovico Allobrogi* Romæ Senatorem agenti assedit, [8] deinde Bononiæ professus Justiniani Codicem Anno Salutis M.CCC. explicari cœptum III. Idus Junii, quo D. Barnabæ memoria colitur, biennio perfecit. *In primum Pandectarum librum, & aliqua etiam in secundum, & duodecimum & ad tit. si ex nox. cau. & in tit. de reb. cred.* scripsit.

Cum vero jam ante annis LXXX. Gregorio IX. auctore Perusii

[1] *Jo. Anar. in c. si pater 1. de testam. & ult. volunt. in 6.* [2] *Bar. in l. 1. n. 9. C. de sent. & interlocut.* [3] *Cin in l. ult. C. de usufr.* [4] *Cons. 421. vol. 3.* [5] *Raph. Volaterr. l. 21. anthropol.* [6] *Cin. in l. 1. C. de sent. quæ pro eod. quod inter. l. 1. §. primum. C. de rei uxor. actione.* [7] *Cin. in l. ult. C. de usufr.* [8] *Cin. in l. 1. num. 10. C. qui bon. ced. poss.*

Aca-

Academia instituta esset, ubi suo ære splendidum Gymnasium Sapientiam vocatum *Petrus Capoccius Romanus Cardinalis* extruxerat, [1] eo *Cinus* est vocatus, ad quem audiendum cum plurimis aliis Anno MCCCXXIII. Bartolus commeasse dicitur. In dicendo perspicuus lulenta commentaria in Jus civile edidit, & ea tanta eruditione referta, ut in illis ingenium suum se perfecisse *Bartolus* dictitaret. [2] Jus Pontificium *velut a legum expertibus, vel (ut ipse ajebat) ambitiosis hominibus, qui secularem jurisdictionem usurpare affectabant*, conditum arroganter neglexit; Unde ejus interpretes tanquam rudiores subsannans contra se maxime irritavit; [3] Quin etiam jus ipsum civile profitentes, qui Canonum auctoritate nituntur, apud mendicantes mendicatum ire dictabat. Joannis tamen Andreæ [4] familiaris habitus est. Maternis Rhythmis supra modum delectatus ea lingua dulci stilo condita carmina post se reliquit.

Francisco Petrarchæ, Joanni Boccaccio, & Guidoni Cavalcanti arcta amicitia conjunctus cum ipsis semel utinum iter fecit. Aquilejensis Archipræsul, qui ibi tum degebat, Illustres viros benigne excepit, & ut suum in illos studium significaret, eorum effigiem in D. Nicolai sacello, quod majoris templi maximæ aræ cohæret, depingi jussit. Pictor, qui tum eum locum præclaris Sanctissimi illius viri gestis exornabat, in insigni historia cujusque vultum expressit. Mutuo enim quosdam aureos ab hebræo rusticum accepisse ferunt, [5] qui se intra paucos dies restituturum ante aram D. Nicolai juravit. Cum vero debitam pecuniam se solvisse perfide contenderet, causa ad Prætorem est delata, deficientibus testibus rustici juramento postridie litem decidi placuit. Is in perforato baculo debitum aurum callide inclusit, & in judicium venit. Jurare jussus inscium hebræum rogat, ut donec chartæ manum imponat, fustem illum teneat; Eo cum inclusa pecunia tradito tamquam creditori hac astutia cum satisfecisset, se aureos restituisse juravit; Mox recepto Scipione reversus perfidiæ pœnas luit. Somno enim victus humi procubuit, & rotis plaustri frumento onusti transeuntis attritus est, totusque sanguine aspersus conspicitur, effractoque baculo, auro effuso dolum omnibus patefecit. Humi prostratum, & ob perfidiam punitum admirabundus hebræus socio digito ostendit, & si illum D. Nicolai precibus a mortuis susci-

1 *Platina in Gregorio 1. Petrus Capoccius Card. Rom.* 2 *Bal. in c. 1. §. vasallus. 11. si de feud. fuer. contro. inter domin. & agnat.* 3 *Abb. in c. ult. X. de foro compet. & in c. super literis. 20. X. de rescript.* 4 *in l. 28. C. de pact.* 5 *in vita S. Nicol.*

tatum

tatum vidiſſet, nomen Chriſtianum ſe profeſſurum vovit. Quod cum ſtatim ſecutum eſſet, votum ſolvit. Ob hoc factum tribunal erectum apparet, in quo juvenis Jurisconſ. ſedet, qui cucullum variis pellibus ſuffultum gerens Prætoris partibus fungi videtur. Intra judicii ſepta ad ſiniſtram ſenex macilentus cum rotundo pileo variis pellibus circundato ſpectatur. Is eſt Cinus pro Judicis aſſeſſore depictus. Petrarcha, qui mira elegantia ſuos amores deſcripſit, cum altero ad dextram ſcribæ officio fungitur. Extra ſepta pro ruſtico Boccaccium poſuit, qui contra religioſos, atque adeo amicos agreſtis fuit. Hebræum vero Guido Cavalcans referebat, ut ſub homine Florentino ejus urbis cives notarentur, quos tum, Judæorum exemplo, fœnerari fama percrebuerat. Vera cujusque imago expreſſa adhuc hodie *Utini* viſitur, Cino ſequens carmen appoſitum fuit.

Ore lepos, cerebro Pallas, ſpectatur ocellis.
Lætus amor, Cine gloria magna togæ.

Quinquagenarius apparet ore rubicundo, mento raſo, inferiore labio prominente, & facie illiberali. Purpureum pileum variis pellibus circundatum gerit, ac veſtem coccineam, quali graviores Senatores Venetiis utuntur. Staturæ fuit admodum proceræ. [1] Vulgo ferunt eum deceſſiſſe Bononiæ, ubi juxta præceptorem *Dinum* in ſimili, quo ille, id eſt, humili ſepulchro condi voluit. Utriusque epitaphium obtritum legi non poteſt. Sed verum eſt, ipſum in Templo majori patriæ in Mauſoleo, quod *Andreas Piſanus* ſculptor eximius elaboravit, conditum fuiſſe; Ipſe alte, ex ſuggeſtu docere viſitur, Auditores ex Subſelliis alii grandiores, alii exigui, prout ab eo diſtant, dicentis verba excipiunt; conſtatque eum anno ſalutis MCCCXXXVI. die XXIII. Decemb. in patria teſtatum fuiſſe, & ſe in Eccleſia majori Piſtorii humandum reliquiſſe, cui cives ſequens Epitaphium poſuerunt.

CINO EXIMIO JURISINTERPRETI BARTOLIQUE PRÆCEPTORI DIGNISSIMO POPULUS PISTORIENSIS CIVI SUO B. M. FECIT. OBIIT AN. MCCCXXXVI.

Franciſcum ex *Minio* filio præmortuo nepotem poſt ſe hæredem reliquit, filias vero *Lambardaſiam*, cui dotis nomine 500. florenos aureos legavit, & *Beatricem Arrigo Gorii* filio nuptam, *Joannam Schiatæ Lanfranchi*, & *Mantam* Marci uxores. *Margaritam* vero *Lanfranchi*

1 *Bar. in l. 1. n. 2. ff. de jurisd. omn. judic.*

T filiam

filiam conjugem habuit, quemadmodum ex ejus teſtamento *Piſtorii* reperto conſtat.

LXIII. Alius fuit CINUS THEBALDUS Marci Juriſconſulti filius & ipſe *Piſtorienſis Decretorum Doctor*, qui Florentiæ, ubi Ann. MCCCVIII. Academia publica erecta fuerat, Jus Pontificium docuiſſe dicitur, [1] ſed nihil poſt ſe ſcriptum reliquit.

CAP. LIX.

LXIV. NICOLAUS MATTARELLUS. LXV. THOMAS FORMAGINUS.

LXIV. BOnoniæ *Cino*, & *Joanne Andreæ* profitentibus, [2] NICOLAUS MATTARELLUS *Mutinenſis* An. MCCCXIV. Patavii docebat; ubi diu Jus civile interpretatus, [3] etiam quæſtiones diſputavit; [4] poſtea *Bononiæ*, deinde Piſis leges explicuiſſe dicitur, in quas etſi multa ſcripſit, nihil tamen reperitur. Ferunt eum poſtremo prætorem Lucæ jus dicentem in magiſtratu deceſſiſſe.

LXV. Eodem tempore THOMAS FORMAGINUS *Bononienſis* [5] jus civile docuit. [6] Celebris Doctor fuit, ſed alia ejus non extat memoria.

CAP. LX.

De multiplicato numero legentium. De Antagoniſtis. LXVI. GUILIELMUS a CUNIO. LXVII. BELTRANDUS de MONTE FAVENTINO.

CRescente Interpretum multitudine, ad continendos in officio profitentes bini, aut plures ejusdem lectionis Interpretes eſſe cœperunt, qui easdemmet leges eadem hora docebant, ut ea æmulatione incitati in explicandis juribus diligentiores fierent, & eruditioribus lectionibus ad ſe auditores allicerent. Hi non improprie ANTAGONISTÆ dici poſſent, vulgo CONCURRENTES vocantur, qui primum in Italia, deinde in Galliis inſtituti fuiſſe dicuntur, ubi GUILIELMUM a CUNIO, & BELTRANDUM de MONTE FAVENTINO Gallum Toloſæ poſt Annum MCCCXL. inter ſe certaſſe invenio. [7] Sed hic uſus hodie in ſola, ut arbitror, Italia permanſit.

[1] *In ſubſcriptione poſt conſ. ult. Oldradi.* [2] *Jo. And. in addit. ad ſpecul. in tit. de confeſſ. §. ſequ.* [3] *Cin. in l. 1. col. 9. poſt n. 15. C. de ſent. quæ pro eo, quod intereſt, profer. & in l. 1. an. n. 2. C. de confeſſ.* [4] *Jo. And. in addit. ad ſpecul. de locato. §. id videndum. in ver. prim.* [5] *Alberi. Roſa. in dictiona. in verb. niſi 2.* [6] *Fulgo. in l. 14. de juriſdict. omni. judic.* [7] *Bar. in l. 1. §. 13. n. 12. ff. de var. & extraord. cognit.*

LXVI.

LXVI. GUILIELMUS A CUNIO Flaminiæ oppido quod hodie dirutum est, oriundus aliquandiu in Aurelianensi Academia docuit, & *in Pandectas, & Codicem* Justiniani scholia scripsit, *ac de Muneribus, & Securitatibus* libellos composuit.

LXVII. BELTRANDUS vero etiam in Montis Pessulani Narbonensis Galliæ urbe, ubi Placentinus Glossator professus fuerat, Jura civilia est interpretatus. Demum ob præclaram, insignemque doctrinam Cardinalis creatus est. [1] Excessit anno salutis MCCCXLVIII. [2] quo funesta peste in Europa sæviente, etiam *Joannes Andreæ* diem suum obiit.

CAP. LXI.

LXVIII. JOANNES FABER Burdegalensis. LXIX. BARTHOLOMÆUS A NOVARIA.

LXVIII. SUb id tempus in iisdem Galliis claruit JOANNES FABER a *Monte Dulsi Burdegalensis* ex provincia *Aquitania Angolimensis*, vel, ut ipse scribit, [3] *Engolismæ* diœcesis. Eum aliqui *Joannem Fabri*, velut ejus filium, nominant, sed ipse Fabrum se appellatum fuisse scribit, [4] quod fabricandi arte delectatus sæpius ædificando operam ei dederit. Ubi primum laurea donatus est, XIII. annis in foro causas egit. [5] Deinde jus civile interpretatus præclara in Institutiones scripta reliquit. Codicem quoque Justiniani scholiis quibusdam illustravit, quæ a brevitate *Breviarium* appellavit. Ob eximium ingenii acumen *Subtilis* est vocatus. [6] Flavo colore, [7] quod Gallorum proprium est, ipse se fuisse scribit. Constat eum tempore Bartoli, quem citat, vixisse.

LXIX. Inter alios discipulum habuit [8] BARTHOLOMÆUM A NOVARIA, qui & ipse ad Institutiones commentarium edidit, quod nominis similitudine decepti impressores falso Bartolo adscripserunt. Nec obitus, nec sepulchri aliqua ejus memoria apparet.

CAP. LXII.

LXX. RAINERIUS ARSENDUS. De Gymnasio Patavino restaurato. De De Rainerii autoritate apud Carolum V. LXXI. ÆGIDIUS MANDELBERTUS.

[1] *Alber. in l. 4. ante n. 6. ff. de offic. assessor.* [2] *Bar. in d. l. 1. §. 13. n. 12.* [3] *in proœm. Instit. in verb. Flavius.* [4] *in §. 30. Inst. de rer. divisione.* [5] *ipse in §. ult. Inst. quib. ex caus. manum. non licet.* [6] *Caccialu. de modo stud. s. docum.* [7] *ipse in proœm. Inst. in verb. Flavius.* [8] *Bar. in §. 8. Inst. quibus mod. jus patriæ potest. solvit.*

LXX. RAINERIUS ARSENDUS *Forolivienſis* primum Romæ ſacri Palatii Auditor fuit, deinde cum *Jacobo a Beluiſio*, & *Butrigario* Bononiæ, poſtea Piſis magna cum laude docuit. Cum vero Obertinus III. Carrarius circiter annum MCCCXXX. Patavii [1] Gymnaſium jam intermiſſum inſtauraſſet, ab eo ſexcentorum aureorum ſtipendio, quod tum magnum habebatur, ad docendum conductus fuit. [2] Bartolum diſcipulum habuit, & poſtea Antagoniſtam, ſeu Concurrentem, [3] cui ſuperſtes fuit, & ſubtiles in jus noſtrum interpretationes, quæ nusquam extant, fecit. Statutorum materiam cum jam annis XXX. profeſſus eſſet, explicuit. [4] Auditor etiam ſacri Palatii fuit, ac Caroli Cæſaris, Boemiæque Regis ſupremus Conſiliarius. Ravennæ diu habitaſſe, & multa ibi prædia acquiſiviſſe dicitur.

Fridericum, & Arſendinum filios habuit ambos Jurisconſultos. Is veſtigia patris ſecutus, & ipſe Patavii circiter annum MCCCXL. profeſſus ſæpe a Franciſco pro ineunda pace Venetias, & poſtremo ad Pontificis legatum Bononiam pro ope contra Venetos impetranda miſſus eſt. Poſtremo Bononiæ docuit, publiceque diſputavit. [5] Obiit Rainerius Patavii Anno Salutis MCCCLVIII. [6] & apud D. Antonium cum hoc Epitaphio humatus eſt.

Livia, quam genuit Rainerius alma quieſcit
Hoc ſaxo legalis apex, venerabile numen
Legibus in mundo. Juris ſummusque Monarcha.
Fidum conſilium dubiis rationis amicus,
Hoc pereunte perit legum veneranda poteſtas,
Virtus ſtrata jacet cœlo viduata paterno.
Huc huc verte oculos lachrymans hic ſponte queraris
Plus ſtudioſa patrem, quia vix hanc paſſa ruinam
Heu tantum ſæclo damnum relevare futuro
Compos eris, Natumque ſilens Arſenda propago.

LXXI. Eodem tempore ÆGIDIUS MANDELBERTUS *Cremonenſis* jus Pontificium Patavii interpretabatur, CARLINUS vero ejus frater civile, qui poſtea in foro Romano cauſarum patronus magni nominis fuit. [7]

[1] *Bar. in l. 4 ante n. 4. ff. de hæred. inſtit.* [2] *in Chronicis Patavinis.* [3] *Jaſ. in l. 9. in princ. ff. de juſt. & jur.* [4] *Bar. in l. 9. ff. de juſt. & jur.* [5] *Pau. Ca. in l. 1. §. 4. ff. de acq. vel omit. poſſ.* [6] *Nelus de S. Gemin. in tractat. bannito. in ult. par. n. 12.* [7] *Alber. in l. 9. ff. de reg. jur.*

C AP.

CAP. LXIII.

LXXII. THADÆUS PEPULUS: de divitiis *Romæi Pepuli* male conquisitis, ejusque fatis: de turbis Bononiensibus.

LXXII. INter opulentiores Italiæ cives habitus est ROMÆUS PEPULUS, qui annuum reditum viginti millium florenorum habebat ex fœnore quæsitos, [1] itaque timens, ne hæredes de male quæsitis vexarentur, centum millia florenorum Ecclesiæ reliquit, quæ dolo deprehenso eum sepultura non est dignata. [2] *Romæus* igitur, dum vixit, opibus potens, velut Bononiæ Princeps cuncta regebat. Quare *Beccatelli*, aliique nobiles indignati, populari tumultu, ipsum cum pluribus ejus sectatoribus, quorum nonnulli jurium Doctores erant, urbe expulerunt anno qui fuit salutis MCCCXXI. [3] Is Cæsennam profectus suo ære, amicorumque auxilio CCCC. equites contraxit, quorum auxilio Bononiam ingressus statim a populo ejectus exulare coactus est. Ejus tamen potentiam veriti Bononienses *Bertrandum Poggettum* Cardinalem Pontificis legatum, qui in Italia pro Ecclesia bellum gerebat, in urbem receperunt, qui primum omnes cum Romæo in exilium actos revocavit, [4] cum vero etiam iniquis oneribus cives affligeret, qui Gibellinæ factionis erant, auctore *Brandalisio Gozadino*, eum urbe ejecerunt. Ita in libertatem restituti, arcemque demoliti in se arma temere converterunt. Dum enim potentissimus quisque Principatum urbis affectat, mutuis cladibus plurimi sunt cæsi, & plus MDCCC. cives solum vertere coacti. Demum anno salutis MCCCXXXV. THADÆUS PEPULUS Romæi filius [5] eximius Jurisconsultus *Obicii Atestini* auxilio *Brandalisio* expulso primum populo est præfectus. Deinde post biennium An. MCCCXXXVII. VII. Idus Junii urbis dominatum arripuit, ac ut se hostibus formidabiliorem faceret, Florentinis conjunctus DCCC. milites civium impensis penes se aluit.

Vir insignis sapientiæ plures in se conflatas conjurationes prudenter extinxit, ac nonnullis supplicio affectis, & aliis exilio mulctatis, omnem adversariorum conatum elusit. [6] Adversus etiam Benedictum XII. qui Avenione sibi dira minabatur, magna cum auctoritate non modo se defendit, sed ei postremo cum incredibili omnium ad-

[1] *Joan. Villan. lib. 9. cap. 131.* [2] *Ang. in l. pen ff. de hær. inst.* [3] *Jo Villan. lib. 9. cap. 131.* [4] *Bar. in l. 11. ff. de decurio. & in l 1. C. de his. qui in exili dati. lib. 10.* [5] *Imo. in l. 82. col. 2 ff. de cond. & dem.* [6] *Jo. Vill. lib. 11. cap. 69.*

miratione conciliatus eſt: Cum Pontifice ab initio fuit, ſed poſtea, ut imperium tueretur, ad Cæſarianos declinavit. Juſtitiæ, æquitatisque amator Romæum patrem, quod contractus de fœnore ſuſpectos celebraret, ſæpe, reprehendit, [1] & factus Princeps, etſi ſtudiis quibus juvenis mirifice deditus erat, incumbere non potuit, occurrentes tamen controverſias ſecundum jus decidi præcepit. [2] Demum cum XII. annis pacatam civitatem rexiſſet, circiter annum MCCCXLII. vel, ut alii volunt, XLVII. decedens opulentum Bononiæ imperium JOANNI & JACOBO *filiis* reliquit. [3] Hi ab *Aſtorgio* Pontificis copiarum Imperatore circumventi, & in urbe obſeſſi, poſt triennium, quam imperare cœperant, Bononiam *Joanni Mediolani Archipræſuli*, & *Principi* 10. millibus aureorum florenorum vendiderunt. Humatus eſt *Thadæus* in templo D. Dominici in marmoreo Mauſoleo, quod *Jacobus Lanfrani Venetus ſculptor* eximius anno MCCCXLVII. elaboravit. [4]

CAP. LXIV.

LXXIII. SIGNORINUS HOMODEUS. De LUDOVICO BOLOGNINO, PETRO BESUTIO, CHRISTOPHORO CASTELLIONEO. LXXIV. BARTHOLOMEUS GLORIA Patavinus.

LXXIII. FErtiliſſima eadem tempora SIGNORINUM HOMODEUM *Mediolanenſem* eximium Juriſconſultum protulerunt, quem alii *Signorolum* vocant. Sed in *albo Patavinorum Juriſconſ.* legitur *Signorinus*. Is *Rainerii Arſendi* Forolivienſis diſcipulus, ac poſtea eques, & Comes Palatinus creatus eſt, quo tempore inter profitentes celeberrimus habebatur. Anno MCCCXL. cum Vercellis profiteretur, publice diſputavit, utrum *Doctor Equiti ſit præferendus*, [5] de quo etiam nobilem tractatum conſcripſit, quem deinde LUDOVICUS BOLOGNINUS ſplendidis declamationibus illuſtravit. Alia poſt ſe præclara *reſponſa* reliquit; in hoc tamen nota non caruit, quod Præceptori Rainerio, quem debebat honorem, non detulit. [6] Vercellis, [7] Bononiæ, [8] Patavii, Parmæ, ubi in Juriſconſ. albo adhuc ſcriptus reperitur, jus civile eſt interpretatus; deinde a *Galeacio* Vi-

1 *Imo. in d. l. 82. ff. de cond. & dem. col. 2.* 2 *Jaſ. in l. 1. n. 101. ff de leg. 1. Bar. in l. 17. n. 15. ff. de injuſt. rup & irrit. teſtam.* 3 *Matth. Villan. lib. 1. cap. 56. & ſequentib.*
4 *Georgius Vaſarus de vitis Pictorum in Auguſtino Senenſi. part. 1.* 5 *Signor. conſ. 23.*
6 *Raine. in conſ. ult. quod eſt inter conſilia Signoroli.* 7 *Ut ipſe ait in l. 69. §. 3 ff. de leg. 2.*
8 *Alber. in R. de verb. oblig.*

ceco-

cecomite peramplo ſtipendio conductus Ticini docuit, poſtea a *Ludovico Principe Achajæ* cum PETRO BESUTIO Taurinum conductus ibi profeſſus eſt, donec ipſe Princeps occubuit; & cum ejus ſucceſſores ad ſtipendium illis perſolvendum teneri negarent, CHRISTOPHORUS CASTELLIONEUS ipſis ut debitam pecuniam perſolverent perſuaſit. [1]

Poſtremo Vercellas an. MCCCXLV. ad jus docendum vocatus pluribus annis profeſſus ibi occubuit, & in D. Pauli periſtylio humatus luculentum epitaphium, quod, exeſis vetuſtate literis, legi non poteſt, promeruit. Certum eſt, ipſum ultra an. ſalutis MCCCLXII. ſupervixiſſe, ut ex ejus reſponſis liquet. [2] Uxorem habuit nomine Aquiliam, quæ peſte infecta cum vellet teſtari, juſſit ſe in viam publicam deferri, ut legitimum ad ultimam voluntatem condendam numerum teſtium inveniret. [3] *Alius* ex Homodeis non multo poſt & ipſe Ticinenſi in Academia claruit. Tempus ejus mortis, & ſepulchrum ignoratur.

LXXIV. Poſt *Signorinum* BARTHOLOMEUS GLORIA *Patavinus* jus civile Patavii docuit.

CAP. LXV.

LXXV. MATTAGNANUS ACTIOGUIDUS Bononienſis. LXXVI. GABRIEL OSELETTUS Mutinenſis. LXXVII. THOMAS FORMAGINUS Bononienſis.

LXXV. LXXVI. SIgnoroli contemporanei fuere MATTAGNANUS ACTIOGUIDUS *Bononienſis* & GABRIEL OSELETTUS *Mutinenſis*. Ille eximiæ ſpei juvenis in ipſo ætatis flore, dum annum XXV. ageret, tum primum creſcente Bartolo deceſſit. Ita factum eſt, ut plura ſcribere non potuerit. Non paucas tamen diſputationes reliquit, quæ & ipſæ vetuſtate periere. [4]

GABRIEL quoque etſi libellum de *forma*, multaque alia in jus edidit, nihil tamen ejus ad nos pervenit, præter hæc duo carmina, quæ de humano partu in utero formando compoſuit, [5] ea velut non inconcinna ſubjiciam, ut appareat illum Poeticam attigiſſe.

Sex in lacte dies, ter ſunt in ſanguine terni.
Bis ſeni carnem, ter ſeni membra figurant.

De eorum obitu, aut reliquiarum loco nihil habetur.

[1] *In conſ. 4.* [2] *conſ. 187.* [3] *Fulg. & Jaſ. in l. ult. col. 3. C. de teſtam.* [4] *Caccialup. de mod. ſtud.* [5] *Alber. Roſa. in l. 7. ff. de ſtat. hom.*

LXXVII.

LXXVII. His superfuisse creditur THOMAS FORMAGINUS *Bononiensis* interpres juris eximius. [1]

CAP. LXVI.

LXXVIII. ALBERICUS ROSATA.

LXXVIII. IN fœcundissima illa virorum Illustrium ætate, etiam ALBERICUS A ROSATA Bergomi pago oriundus claruit, qui adeo obscuris natalibus fuit, ut nec gentis nomen tulerit, ingenio tamen, & eruditione veram nobilitatem sibi comparavit. Patavii *Ricardum Malumbræ*, & *Oldradum a Ponte* eximios viros audivit, [2] deinde lauream assecutus totum foro se tradidit. In patria, & Curia Romana patroni officio diu functus eam sibi famam acquisivit, ut vulgo *magnus Practicus* vocaretur, [3] cui uni Mediolanenses plusquam alii Jurisconsulto tribuebant. [4] Demum a *Joanne Novariensi* Episcopo, & *Luchino Vicecomite* Mediolani Principe ad Benedictum XII. Anno Salutis MCCCXL. Legatus missus turbulentæ contentioni interfuit, quam Ludovicus Cæsar cum Pontifice de Principis potestate habebat. [5] Patriæ Jus municipale ex Decurionum mandato correxit. [6] Ac postremo, relictis negotiis, in Pandectas, & Codicem erudita commentaria ex antiquorum glossematis, & Præceptorum, aliorumque doctissimorum lectionibus collecta conscripsit, quod opus ordini Jurisconsultorum Bononiensium dedicavit.

Tantam laudem promeruit, ut multis ex obscura vetustate in lucem prolatis *fidelis antiquitatis* observator sit appellatus, [7] & summo apud omnes eruditos in honore habeatur. Statutorum etiam præclarum opus, & locupletissimum rerum omnium *Dictionarium* edidit, quod apud jurium studiosos magno in pretio extitit. Id prius in duo diviserat, alterum Cæsarei, alterum Pontificii juris, quæ postea in unum volumen commodius redacta fuere; unus de *Testibus* liber ejus nomine circumfertur; Sed an ipse illius operis auctor fuerit, dubitatur. In *Dantis* quoque *Aligerii comœdiam commentarium* scripsisse fertur. Uxorem habuit, & tres filios, quibus cum anno Jubileo MCCCL. Romam petiit, & veniam erratorum obtenturus Apostolo-

1 *Alber. in l. 5. col. 2. C. ad L. Jul. majest.* 2 *Alberi. in princ. Dig. & in l. 1. de novo. Cod. compon.* 3 *Fulgos. in consil. 155.* 4 *Jas. in l. 1. in princ. post. n. 8. ff. de nov. oper. nunciat.* 5 *Albe. in l. 10. n. 5. C. de Sacrosanct. Eccl. in l. 3. n. 6. C. de quadrien. præscript.* 6 *Alber. in l. 1. C. de novo Cod. compon.* 7 *Jas. in l. 4. §. 1. post. num. 47. de verb. obligat.*

rum

rum limina sex diebus visitavit, [1] & domum rediit. Mox obiit anno uno ante Bartolum MCCCLIV. humatus est Bergomi in Suburbio D. Catharinæ in sacrario Sancti Nicolai ad levam ingredientibus apud Benedictinos, ei hoc carmen candido in marmore vetustis litteris incisum fuit.

Hic jacet in arca legum qui jam fuit arca.
Claret lecturis, quas fecit corpore Juris,
Atque aliis multis, quibus in scribendo refulsit.
Hic de Roxiate Albericus, gloria morum,
Tempore non parvo miseros relevare minister
Virginis obsequio, prece, cujus cœlica sumpsit.

CAP. LXVII.

LXXIX. BARTOLUS A SAXOFERRATO, an spurius? præcox ingenium. De *Rainerio Arsendo*: fortunæ vicissitudines: fontes suæ scientiæ: indefessa diligentia: antinomiarum conciliandarum studium: autoritas apud Hispanos: vituperationes; contentio cum Baldo, brevitas, obscuritas, memoriæ infirmitas, docendi & scribendi methodus, sobrietas, dicta, privilegium legitimandi a Carolo IV. concessum, insignia, matrimonium & liberi. De JOANNE BAPTISTA ALFANO. NICOLAUS ALEXANDER *Nepos Bartoli.* TINDARUS Pronepos. De BONACCURSIO. Obitus.

LXXIX. BARTOLUS *Sentini*, quod Umbriæ oppidum, nunc *Saxoferratum* vocant, natus est anno MCCCXIII. quem plerique quod ejus gentis nomen non legatur, Spurium incerto patre natum esse autumant. Sed ego, eum ex *Severorum* familia, quæ adhuc Sentini Bartolo progenitore gloriatur, fuisse in vetustissimo Codice inventum audio, & ex ejus testamento, quod mihi *Amplissimus Cardinalis Alciatus* exhibuit, ipsum ex *Francisco Bonaccursio* patre natum deprehendi, qui apud Portam S. Susanæ nuncupatam in vico D. Mariæ de Francolinis habitabat. A Religioso Minorita *Asisinate* nomine Petro, qui Venetiis Pietatis hospitii, ubi expositi infantes educantur, erigendi auctor fuit, prima literarum rudimenta plane puer exhausit, [2] felicemque ingenii indolem nactus vix pubes graviora studia tentare ausus est; Si quidem XIII. ætatis anno Perusium profectus a *Cino* in Jure civili institui cœpit, ex cujus lectionibus judicium

[1] *Alber. in dictionario. in verb. jubileus.* [2] *Bar. in l. 132. ff de verb. oblig.*

U se

ſe perfeciſſe dictitabat. [1] Inde Bononiam profectus *Jacobum Butrigarium*, & *Rainerium Arſendum Foroliviensem* audivit, ubi ſexto anno poſtquam legibus operam dare cœperat, publice diſputando de jure reſpondit. [2] Deinde anno ætatis XXI. non ſine omnium admiratione lauream accepit, [3] anno MCCCXXXIV. XXVII. Septembris, quis eum infulis Juriſconſ. exornaverit, non conſtat; in quadam tamen juris interpretatione, [4] quæ *Raineio* attribuitur, ſcriptum reperitur. *Vado ad induendum me, ut vadam ad conventum D. Bartoli de Saxoferrato.* Is creditur *Rainerius Arſendus* fuiſſe, qui pretioſiorem veſtem ſe induiturum ſignificat, qua ad celebritatem aliquam euntes eo tempore uſi fuiſſe videntur.

Factus Juriſconſultus primo *Tuderti*, deinde *Piſis* aſſedit. [5] ubi rebus capitalibus Præfectus, cum reum, qui leve furtum in extranea regione commiſerat, præcipiti ſententia condemnaſſet, omnium in ſe odium concitavit. Quare ad evitandam populi invidiam in *ſemotam* Villam receſſiſſe fertur. Inde *Piſas* ad docendum vocatus, ubi an. MCCCXXXIX. probante Benedicto XII. Pontifice Gymnaſium erectum fuerat, [6] anno ætatis XXVI. Jus civile profiteri cœpit, [7] poſtea Peruſium conductus tanta nominis claritate docuit, ut undique ad ſe audientes attraxerit, [8] & *ſummus Interpres* ſit appellatus. Patavii etiam, & Bononiæ profeſſus fuiſſe videtur. [9] *Rainerium* præceptorem Concurrentem habuit acerrimum, [10] & veſpere SIGNOROLUM HOMODEUM. [11] Bis ſingulis diebus mane, & veſpere docere [12] & XIII. pluresve leges, vel paragraphos uno die abſolvere conſueverat, ita ut ſingulo anno dimidiam Pandectarum partem explicuerit. [13] In docendi munere magnam ei famam comparavit, quod opiniones laicis gratas, id eſt, ut noſtri interpretantur, ad naturalem ſenſum accendentes tenuerit. [14] Nec parum a *Franciſci Tigrini Piſani* commentariis adjutus fuiſſe creditur, quæ enim ab eo inordinate ſcripta fuerant, Bartolus digeſta pro ſuis publicavit. [15]

[1] *Bal. in c. 1. §. Vaſſallus. 11. ſi de feud. fuer. controv. inter dom. & agnat.* [2] *Ang. in l. 1. §. pueritiam 3. ff. de poſtul.* [3] *Bar. in d. l. 132. ff de verb obl.* [4] *l. 12. ff. de injuſt. rupt & irrit teſt.* [5] *Bal. in l. 1. n 29. C. de his, qui accuſ. non poſſ.* [6] *Raph Volat. Geograph. lib. 5.* [7] *Bart. in l. 15. in fin. ff. de uſurp. & uſucap. quam primo anno legit.* [8] *Bald. in d. l. 1. n. 29 & Paul. Caſtr in l. 6. C. de impub. & aliis ſubſtit.* [9] *Bart. in conſ. 198. ad fin.* [10] *Jaſ. in l. 9 in princ. ff. de juſtit. & jur.* [11] *Præpoſit. Alex. in c. 2. in fin X de donat. inter vir. & uxorem.* [12] *Bart. in l. 3. ante num. 13. C. de edend.* [13] *Bart. in l. 3. §. 1. n. 2. ff. de operis novi nunciat. ubi dicit, Dixi heri in l. 1. §. 1. ſup. eod.* [14] *Bald. in c. 1. de ſucceſſ. feud.* [15] *Ang. & Pau. Caſtr. in l. 18. ff. de ſolut.*

Jus

Jus civile incredibili diligentia interpretatus est, usque adeo ut in brevi duarum paginarum commentario quinque annos quandoque consumpserit; [1] Ut scribendo ociosus vacaret, dum Bononiæ profiteretur, in amænum prope urbem collem, qui Sanctus Victor vocatur, per multos dies secessit; Nulla re magis, quam studio se delectari dicebat; [2] Unde cum ex difficili ægritudine conualesceret, animum nisi legendo, aut componendo nunquam exhilarare potuit. Pluribus itaque opusculis, responsisque editis, quo occubuit anno, cum Perusii vacaret, ad Litus Tiberis egressus est, ibi fluminis anfractus, alluviones, insulasque contemplatus, *Guidone Perusino* Theologo, Geometraque adjuvante, nobilem *Tiberiadis* Libellum composuit. [3] In solvendis antinomiis, & distinctionum fœdere conciliandis juribus adeo excelluisse existimatur, ut omnium Interpretum Princeps habitus, *Juris speculum, & lucerna*, [4] veritatisque amator [5] sit nominatus, cui primæ inter veteres Juris interpretes tribuuntur, quemadmodum *Joanni Andreæ* inter antiquorum canonum professores. [6]

Id etiam supra alios præcipuum habuit, ut in tot & tam variis commentariis, quos edidit, raro sibi contrarius reperiatur; mira brevitate usus plus tacendo, quam loquendo dixisse fertur. [7]

In ea denique apud Hispanos existimatione fuit, ut in diversis Doctorum sententiis eam partem prævalere decreverint, *pro qua Bartolus stetisset*, quod olim de *Papiniano* lege cautum fuit. [8] Alii ejus opinionem semper prævalere affirmant. [9] Veronæ quoque statutum est, *neminem ibi Jurisprudentum Collegium posse ingredi*, *qui Bartoli commentaria non habuisset, quæ in decidendis causis maxime necessaria esse crediderunt*. Ad Henrici VII. Constitutiones, præclaras glossas edidit, quæ legi ipsi præstare feruntur; [10] In his enim mature locutus mirifice excelluit, [11] unde solidæ doctrinæ genere delectati FRANCISCUS ALBERGATUS, & BARBATIUS non pauca illis adjecerunt. [12] Circumferuntur & ejus nomine super Institutionibus quædam commentaria, sed ea *Bartholomæi a Novaria* esse verisimilius est, quem Institu-

1 *Pau. Ca. in l. 4. C. de in integr. rest. minor.* 2 *Bar. in præfatio. trium libr. Cod.* 3 *Bar. in princ. tract. Tiberiad.* 4 *Ang. conf. 15.* 5 *Roma in conf. 480. & in conf. 469. & alibi. late Sylv. nupt. lib. 5. sub n. 25. ver. & nunc veniendo.* 6 *Barba. in R. C. qui admitt. ad bon. poss. sub n. 134.* 7 *Brunus de stat. exclud. fæm. art. 11. q. 2. col. 3. verb. & ex prædictis.* 8 *l. 1. de resp. prudent. in C. Theodos.* 9 *Sylva nupt. lib. 5. sub. n. 25.* 10 *Jo. Igne in disp. an Rex Franciæ recognosc. Imperator.* 11 *Socin. in conf. 275. in .. Caccialu. de modo condendi.* 12 *Caccial. in l. 1. C. de summa Trin. Felin. in c. Rodulphus 35. col. 12. X. de rescr. sub. n. 19.*

tiones interpretatum fuiſſe conſtat. [1] Is enim ſe *Joannis Fabri* diſcipulum fuiſſe profitetur, [2] quem Bartolus nunquam audivit, ſed ſimilitudo nominis, quod dimidium pro voluminis auctore in fine libri ſcriptum erat, impreſſorem decepit, ut cum Bartolum eſſe crediderit; [3] commentarius quoque a 35 titulo usque ad finem Codicis Juſtiniani Bartolo adſcriptus *Comitis Peruſini* eſſe fertur, ab illius enim ſtylo longé diſtant. Non deſunt tamen, qui eum *Sophiſticum*, [4] & *mollem, ac ineptum Legulejum* [5] per contemptum vocaverint, quod ſolus quandoque in opinionibus inventus ſit; Saturnini Jurisconſulti exemplo, *Saturninus* a *Baldo* eſt appellatus. [6] Ingenio quoque tantum quandoque transgreſſus eſſe fertur, ut quid diceret, non animadverterit. [7] Nec ſolum contra aperta jura reſpondiſſe, ſed & ea perperam quinque expoſuiſſe a *Baldo* diffamatus eſt, [8] qui ſemina ab eo jacta ſe ſequi, & ſarculo male ſata extirpare dicebat; Sed modeſtiores ejus verba a ſe non intelligi malunt fateri, quam tantum virum inſcitiæ arguere, [9] & adeo obſcurus quandoque fuit, ut a nonnullis teutonice locutus fuiſſe dicatur. [10] Memoriæ infirmæ fuit, qui cum aliquid commentabatur, leges in promptu habere non poterat, & ab aliis eas accipere cogebatur, & multas *Franciſcus Tigrinus Piſanus* ejus amiciſſimus ſuggeſſit. [11] *Nicolai* quoque *Mattarelli*, atque aliorum veterum ſententias quandoque ad verbum deſcriptas ſibi impudenter attribuiſſe dicitur, [12] & ipſe, ubi plenius loquitur, ſæpe deſeciſſe arguitur. [13] In quibus cauſis conſilium ab eo petebatur, negocium cum Mercatoribus, quos alicujus judicii noverat, conferre ſolitus eſt, & ſecundum eorum opinionem ſæpe reſpondebat. [14]

Plurimorum tamen conſenſu principem in explicandis Juribus locum aſſecutus eſt, ut eo majorem autoritatem nemo adhuc obtinuerit; unde Judicum Romanæ Rotæ ſententiis ſaltem in Cæſareis

[1] *Ang. Aret. in §. 9 ſub n. 10. Inſt. de oblig. quæ ex d lict. naſc. Caccial. in l. 9. col. ff. de juſt. & jur. Laur. Rodulph. de uſur.* [2] *in § 8. Inſt. quib. mod. jus patr. pot ſolv.* [3] *Al. in rub. ff. de oper. nov. nunc. ſub n. 22. & in conſ. 125. ſub n. 6. l. 7.* [4] *Sign. Homod. in conſ. 252. & apol. in cautel. 245.* [5] *Bal. in conſ. 477 l. 1.* [6] *Jaſ. in l. 14. ſub n. 7 ff. de reb cred. Sen. Bal. in l. 1. ſub n 3. C. de SS. Eccl.* [7] *Pa. ca. e Jaſ l. 27. C. de pact* [8] *in conſ antep. in c. Bal. de præſc. car. 80.* [9] *Bol. in Auth. habita. 35. ne fil. pro pat. 591. nup. l. 5. ſub n. 25.* [10] *Alex. in l 6. §. 1 ad fin. ff. de re jud. Sylv. nupt. in loco ſupr. cit* [11] *Ang. & Caſtr. in l 18 ff de ſolution.* [12] *Bal. in l. verum. in fin. ff de hæred. petit. & in l. 8. C. de impub. & aliis ſubſt. ſub n. 43.* [13] *Raph. Cuma. in l. 12 §. 1. ff. de acquir. vel amit. poſſ.* [14] *Tiraq. in xi. leg. Connub. n. 5. Aut. Corſet. ſingular. 269. in verb. teſtam. Abb. in c. ad noſtram. 3. X. de conſuet.*

urbi-

urbibus eum poſtponendum non eſſe aliqui affirmant. [1] *Dinum*, *Cinum*, *Petrum a Bella Vertica*, cum *Jacobo Butrigario* omnes ſimul ſcientia a Bartolo ſuperatos eſſe *Tindarus* ejus pronepos contendit, [2] & nihil boni ignoraſſe dicitur. [3] Luculento ordine uſus eſt poſt theoremata praxim ponere ſolitus; [4] quam in juventute contra reos ſeveritatem induerat, vix unquam dimittere potuit, plura enim adverſus ſontes rigide ſcribens, quos dicto perdere non potuit, calamo extirpare conatus eſt. [5] Eoque modo cauſa fuiſſe dicitur, ut innumeri ejus autoritate immerito ſupplicio afficerentur; ob id & alia ex abrupto dicta aliqui illius animam apud inferos torqueri nimis audacter dixerunt. [6]

Mathematicam, hebraicasque litteras non multo antequam decederet, attigiſſe creditur, ut doctrinam acquireret, magna ſobrietate uſus eſt, qui ne ſuperfluo cibo ſe oneraret, appenſis panis, & potus unciis vivere conſueverat. [7] Unde præter legum peritiam admirabili prudentia præditus nulla divini numinis gratia caruiſſe dicitur. [8] Quædam dicta frequenter in ore habuit, ut illud, *Omnia ſciri expedire*, *Nec bonum eſſe ſarcinatorem*, qui *clavos facere neſciret*. [9] A Peruſinis ad Cæſarem Carolum IV. Boemum Piſas Legatus miſſus eſt, ut quædam contra ipſos ab anterioribus Principibus decreta aboleret, & alia inſuper eisdem privilegia concederet, quæ omnia privilegio bulla aurea inſignito aſſecutus [10] honoris gratia obtinuit, ut ipſe & liberi jurium Doctores ſuos Auditores, qui Spurii eſſent, natalibus poſſent reſtituere [11] Ab eodem etiam gentilitiis purpurei leonis duplici cauda ſalientis inſignibus eſt donatus. [12]

Peruſii *Pellina* Bonarelli filia uxore ducta, plures liberos ſuſcepit, *Franciſcum*, pro quo Bal. conſuluit, [13] & *Aloviſium*, quos hæredes reliquit; *Filias Sanctam* Ranno Nulio, *Paulam* Nicolao Alexandro Peruſino conjunxit, *Franciſcam* Guilielmo Celolo patri Salluſtii Juriſconſulti [14] & *Nellam* JO. BAPTISTÆ ALFANO Peruſino Juris-

[1] *Corn. in conſ. 332. l. 1.* [2] *De teſtib. variantib. c 9.* [3] *Panthal. de Crem. in l. 2. ſub n. 9. C. de reſcind. vendit.* [4] *Fulgo. in l. 3. §. 2. ff. commodati. Alc. X. in l. 22. § 5. ff. ſol. matr.* [5] *Barba. in c. 11. X de foro compet.* [6] *Alex. in l. 6. ff. ad Leg. Pomp. de parric. in appoſtil. ad Bar. Sylv. nupt. l. 1. ſub n. 70 Rol. a Val. conſ. 97. ad fin. in 3.* [7] *Rom. in ſing. 703. incip. Quero a te.* [8] *Caccial. in l. 9. in 6. q. prin. ff. de juſt. & jur.* [9] *Ang in l. 9. §. 5. in fin. ff. de damn. infecto.* [10] *Bar. in extravag. ad reprimendum, in ver. reges.* [11] *Bar. in l 29. §. 8. ff. de liber. & poſthum. in l. 1. §. 4. in prin ff. ad S tum Trebellian.* [12] *Bar. de inſign. & armis. in prin.* [13] *in conſ. 132. l. 5.* [14] *Ang. Are. §. ult. Inſt. ad SCtum Tertulli. in §. 28. Inſt. de action.*

consulto & professori, CCCCLXXX. aureorum florenorum dote constituta, nuptui locavit. Is, vivente adhuc Socero, præclarum de *Arbitris* opus edidit. Ex eo natus esse dicitur NICOLAUS ALEXANDER, qui & ipse Jurisconf. libellum de *Substitutionibus* composuit. [1] Ex Nicolao genitus est TINDARUS & ipse etiam Jurisperitus, qui luculentum de *Testibus* opusculum fecit, proavique responsa eo, quem habemus ordine collocavit. [2] *Petrum Franciscum* fratrem habuit, cujus prædefuncti filiæ Nisæ centum aureos florenos legavit; & alium nomine BONACCURSIUM, cui Doctoratus insignia tradidit extatque adhuc ob eam rem ab illo tum habita oratio, & alia, qua *Joannem* cognatum iisdem ornamentis honestavit; solebat autem in his orationibus a lege, aut canone aliquo auspicari. [3]

Adhuc juvenis 46. vel, ut alii scribunt, 44. [4] ætatis anno immatura morte ereptus Perusii in Alfanorum ædibus defecit anno salutis MCCCLV. XIII. Julii, & in Minoritarum D. Francisci templo, ut ipse testamento jusserat, primum humi sepultus est, deinde ab atnepote *Alfano* pro insigni templi columna in marmoreo sarcophago cum hac inscriptione est collocatus, OSSA BARTOLI. Alii eum anno ætatis 50. & salutis MCCCLVII. die XII. Julii decessisse ferunt, [5] qui si supervixisset, mirifice jus Pontificium illustraturus credebatur. [6] Ei statua Tolosæ ante Hospitium *D. Jacobi Gallico* disticho subscripto apposita hodie manet Nonnulla volumina, quæ ejus fuisse dicuntur, in Cænobio Montis Murcini prope Perusium pro re memoranda ostentantur. [7]

CAP. LXVIII.

LXXX. JACOBUS PALLIARENSIS; de Academiæ Bononiensis eversione, de Academia Florentina & Senensi, nec non Pragensi & Lipsiensi.

LXXX. TUmultuantibus ob Guelforum, & Gibellinorum factiones in Italia populis, Clemens V. Pontifex anno Salutis MCCCVI. *Neapoleonem Ursinum* Cardinalem ad sedandas turbas cis alpes legatum misit. Is exules restituturus Bononiam venit, ubi suspectus civibus factus non sine corporis periculo ejectus fuit. Hac contumelia ac-

1 *Socin. in l. 1. in prin. 43. col. ff. de vulg. & pupil. substit. sub num. 36.* 2 *Socin. in conf. 93. post n. 27. vol. 4* 3 *Ang. in l. 41. ff. de servitut. urban. prædior.* 4 *Tindarus de testib. c. 9. num. 3.* 5 *Sylv. nupt. lib. 5. sub n. 25. vers & nunc. veniendo.* 6 *Barba. in c. etsi clerici. 4. in princ. X. de judi. & in c. qualiter. ad fin. eo tit.* 7 *Guiliel. Ponta. in l. divortio. col. 11. post num. 20. ff. solu. matr.*

census Legatus eam Civitatem Academiæ jure privavit, & illos, qui eo studiorum causa profecti fuissent, diris subjecit. [1] Eam ob rem deserto Bononiensi Gymnasio, alibi disciplinarum studia florere cœperunt. Ac primo Florentiæ, deinde Senis anno MCCCXX. publicæ Academiæ sunt institutæ, ut quibusdam in annotationibus Pius Pontifex scriptum reliquit. Alia vero in quibusdam vetustis annalibus Senensis Gymnasii origo narratur, quam etiam *Petrus Ancaranus* se audivisse, narrat. [2] Fertur enim Bononiæ anno MCCCXXI. Mense Aprilis studiosum ex Tarraconensi Hispaniæ parte, quam Cataloniam vocant, oriundum ob stuprum in vincula conjectum, & capitis supplicio affectum, id reliquis Academicis durum visum, ut qui vim non intulerat, ultima pœna plecteretur. Itaque in unum coacti se Bononiam relicturos jurarunt, nec unquam, nisi sumpto de severo Prætore supplicio, reversuros.

Dies erat Veneris, quo capitali pœna affecto Catulano, omnes cum Gymnasiarchis Forum Cornelii se contulerunt. Inde ad diversas Italiæ urbes, ut exciperentur, litteris missis alicunde optatum responsum expectabant. Aliis cunctantibus Senenses nuntio accepto statim Senatum convocant, a quo juvenes recipi decretum est, continuo *Tantileum Guidum, & Simonem Jacobi Tondi* Legatos ad scribendas conditiones Forum Cornelii miserunt. Summa conventionum fuit, *ut Senenses sex millia florenorum studiosis ob redimendos eorum libros oppigneratos persolverent, ac cum universa supellectile suis sumptibus in urbem conveherent, Gymnasiarchis trecenos annuos florenos persolverent. His, qui disciplinis vacarent, per annum, & quatuor menses gratuito ædes, Gymnasia vero perpetuo præstarent. In omni artium genere suo impendio professores exhiberent atque a Summo Pontifice Senis Doctores creandi privilegium obtinerent. Iisdem denique privilegiis ibi Academici gauderent, quibus Bononiæ potiebantur.* Die 17. Kal. Junii scriptis pactionibus læta juventus Senas ingressa a Civibus immenso gaudio gratulantibus excepta fuit.

Instituto itaque Gymnasio, primi ibi FRIDERICUS PETRUCCIUS Jus Pontificium, & JACOBUS PALLIARENSIS, quem falso alii *Joannem* nominant, Jus civile docuere. Is postea Perusium vocatus *Baldum* discipulum habuit, [3] qui non pauca a Præceptore mutuatus esse dicitur. Plura responsa, & commentaria scripsit, quæ hodie non

[1] *Joan. Villa. lib. 8. cap. 85.* [2] *in proœm. 6.* [3] *Bal. in c. Vasallus. 1. si de feud. fuer. controv. inter dom. & agna. Pau. Ca. in l. 30. in fin. prim. C. de inoff. testam.*

extant;

extant; præcipua ejus laus eſt, quod in eruendis legum ſenſibus plurimum verſatus eſt; [1] cum ſciret præſtare ruſtica quam urbana prædia poſſidere, [2] & Catonianam cenſuram eſſe melius arare, quam verrere, eam notam evitavit, emendiſque tantum agris intentus nullas ædes proprias unquam habuit, ſed in conductis ſemper habitavit. [3] In patria defunctus in D. Franciſci æde in marmoreo ſepulchro vetuſtate exeſo cum ſequenti, ſed rudi, Epitaphio in quadrata tabula inciſo ſepultus fuit.

Legibus invicti cinerem Doctoris arentem
Anxie carcer habes, liberam tenet æthera mentem
Nomen ei Dominus Jacobus Palliarenſis
Doctrinis pollens miranda corona Senenſis
Marmore ſi preſſus cogitur terreſcere tantus
Fertur in exemplar lachrymoſum dogmate planctus.

Dies obitus non apparet. Cæterum Senenſis Academia non multo poſt deſtituta atque iterum reſtituta non ſemel intermiſſa fuit. [4] Sub hæc tempora circiter annum MCCCLX. Wincislaus, qui & Carolus Imperator, atque Boemiæ Rex, celebrem artium Liberalium Academiam *Pragæ* inſtituit, [5] ubi profeſſores tantum Teutonici per multos annos docuerunt; id ægre ferentes Boemi doctrina Huſſitarum imbuti primum argutiis dialecticis illos vexare cœperunt, mox a Wincislao Caroli filio Cæſare obtinuerunt, ut in eo Gymnaſio ritu Pariſienſi omnia explicarentur, & eo ordine traderentur. Quod ad ſui invidiam factum Teutonici cernentes ea contumelia commoti Præceptores, & diſcipuli jurejurando ſe obſtrinxerunt, ut inde diſcederent. Nec multo poſt ſupra duo millia *Lipſiæ*, quæ civitas eſt Miſniæ trium dierum itinere Praga diſtante, conſedere, ibique novam Academiam erexere, itaque libere Boemis Gymnaſium patuit.

CAP. LXIX.

LXXXI. NICOLAUS SPINELLUS: de ſchiſmate in eligendo Pontifice temporibus Urbani VI. de Nicolai liberis, de Collegio Spinellorum
LXXXII. ANDREAS RAMPINUS Eſernitanus alias dictus ISERNIAS.

1 *Alex. in l. 8. in fin. ff. ſolut. matr.* 2 *Ang. in l. 1. C. de debit. civi. lib. 11.* 3 *Ang. in l. ult. §. fin. autem legata. C. de bon. quæ liber.* 4 *Card. in Clen. dudum. verſ. ab olim. n. 17. q. 16. de ſepult.* 5 *Æneas Sylvius in hiſtoria Boemica. cap. 33. & 34.*

LXXXI.

LXXXI. DUo alii ex Regno Neapolitano eadem ætate floruerunt NICOLAUS SPINELLUS Neapolitanus, qui in Patria, & Patavii circiter ann. salutis MCCCL. professus in XII. Codicis Justiniani libros, & Institutiones, & magnam [1] Pandectarum partem luculenta scripta reliquit, eximiusque legum Interpres habitus *magni textualis* cognomentum promeruit. [2] *Raphaelem Fulgosium* discipulum habuit, quem Doctorem increpabat, quod non nisi x. Digestorum libros prælegeret, cum ipse 24. explicaret. [3] Aliquandiu in *Joannis Galeacii Vicecomitis* consilio fuit, pro quo magni ponderis causas egit. [4] Equestri dignitate honestatus Siciliæ Cancellarius creatus est, ac demum *Jojæ Comes* factus [5] in *Joannæ* Regis Roberti filiæ consilio fuit, & tunc orti schismatis auctor. Decesserat Gregorius XI. qui Avenione Romam sedem retulerat; quare cum ex XVII. Cardinalibus quatuor tantum Itali essent, veritus Populus Romanus, ne Gallus Pontifex crearetur, iterumque Avenionem Sedem referret, Italum efflagitabat. Metu itaque perterriti, ut ferunt, Purpurati, *Bartholomæum* Neapolitanum Barensium Archipræsulem armorum metu Pontificem declarant, qui Urbanus VI. est dictus. Alii, expressa conditione, creatum volunt, eaque illius juramento confirmata, ut suo loco, & tempore Pontificatui renunciaret. Ad eum salutandum *Nicolaus* a Joanna missus est, qui simultates cum eo habuerat; cum vero in aula cum aliis Proceribus invitatus cœnaret, ab Urbano ob contumeliam ex altiore loco surgere, & in inferiore accumbere jussus paruit. Sed Neapolim reversus hanc Reginæ cujus legatus fuerat, non suam fuisse injuriam; & cum metu, sub conditioneque creatus Pontifex diceretur, Joannæ suasit, ut Fundos Purpuratis concederet, ubi libere alium eligerent. Eo igitur coacti, qui contra Urbanum erant, *Cardinalem Gebennensem*, qui Clemens VI. est nuncupatus, creaverunt, [6] ortumque schisma annis XL. permansit. Sed *Baldus* luculento responso probat, electionem Urbani nullo justo metu factam validam fuisse, nulliusque conditionis meminit. [7] Alii ferunt ab *Ottone* Duce Brunsuicensi Nicolaum Romam perductum, ut juribus persuaderet Pontifici ad regnum Trinacriæ tradendum Marchioni Montisferrati, cui illius regni puella hæres desponsa fuerat, & nullis ver-

1 In Infortiatum. *2 Caccialu. de mod. stud. docum. 5. Roma. in Auth. similiter. C. ad L. Falcid. Jas. Inst. de action. in princ.* *3 Fulgos. in proœm. Dig. sub n. 15.* *4 Bal. in cons. 147. col. 4. lib. 2.* *5 Bal. ibidem.* *6 Pandulph. Collenitius. lib. 5. historiæ Neapol.* *7 in R. C. si quis aliquem testa. probi.*

bis, aut juribus Urbanum flecti potuisse. Quare illi aversus Nicolaus adversarios Cardinales ad alium declarandum Pontificem impulit. [1]

Cæterum *Nicolaus* Patavium ad jus civile docendum se contulit, ubi post biennium decedens circiter annum MCCCLXXX, duos filios post se reliquit LUCAM primogenitum, qui in patris hæreditate successit, & BELFORTEM Episcopum Catanensem, qui anno MCCCCXXXIX. Patavii collegium studiosorum instituit, quod *Spinellorum* vocatur. Ex Luca natus est *Antonius Galeacius;* Filiam quoque Nicolaus *Bartholomæam* suscepit *Jordani Ursini* Cardinalis matrem, & *Joannis* uxorem, & *Gasparam*, ac *Nutam*, quæ omnes nobilibus, Illustribusque viris nupsere.

LXXXII. Alter ANDREAS RAMPINUS *Esernitanus*, quem ISERNIAM vocant, & ipse Reginæ Joannæ XI. a consiliis existens, [2] in Regio Senatu jus dixit. Tantæ auctoritatis fuit, ut Regni Neapolitani *Jurisconsultorum Evangelista* vocetur. [3] Alii *aurigam in Feudis* interpretandis appellant. [4] Jason *summum feudistam*. [5] Certe tantæ auctoritatis fuit, ut in causis decidendis in Regno Neapolitano ejus opinio, & præcipue in feudis cæteris prævaleat, [6] ejusque verba perpendenda non percurrenda esse, *Matthæus Afflictus* putat. [7] Dum nocte ex castello novo domum iturus exit, ab irato *Barone Gallo*, contra quem sententiam protulerat, ante portam Petruciam occisus immatura morte occubuit. Parricida velut perduellionis reus, quod Reginæ Consiliarium occidisset, damnatus est, [8] bona ejus publicata, & mille aurei homicidæ percussori sunt promissi. Præclara in usus feudorum, & Regni Siciliæ Constitutiones commentaria edidit, quæ penes jurium studiosos magno in pretio habentur. Nullum ejus Epitaphium, aut mortis tempus invenitur. Uxorem habuit nomine *Burlescam Roiafoliam*, ex qua Filiam suscepit in Sulmone oppido nuptam.

CAP. LXX.

LXXXIII. BALDUS UBALDUS Perusinus. Francisci Ubaldi filii. Baldi Præceptor Bartolus: veterum modus creandi Doctores. Disputationes cum Bartolo: corruptæ leges. LXXXIV. PETRUS BELFOR-

[1] *Alber. Crantzius lib. 10. cap. 11. de Saxoniæ reb.* [2] *Juli. Clar. §. læsa majest. ver. quæro etiam. in l. 5. sentent.* [3] *Thom. Gram. in voto. 30. n. 16.* [4] *Soci. cons. 4 in fin. lib 3.* [5] *in cons. 64. lib. 3.* [6] *Afflic. deci. 398.* [7] *in c. 1. n. 26. de vassallo. qui contr. const. lota. Roll. a Vall. cons. 64. n. 32. in 2.* [8] *Paris de Puto. in tract. sindica. car. 6 de excessib. Consiliarior. in fin.*

TIS.

TIS. LXXXV. FRANCISCUS ALBERGOTUS Aretinus. LXXXVI. PHILIPPUS CASSOLUS. LXXXVII. CHRISTOPHORUS CASTELLIONEUS. LXXXVIII. ZENOBIUS Tiphernis Episcopus. LXXXIX. FRANCISCUS Baldi filii.

LXXXIII. EX *Francisco Ubaldo* Perusino Medicinæ, & Artium Doctore, ac quorundam castellorum Comite, tres felici prole filii omnes clarissimi Jurisconsulti prodiere, BALDUS, ANGELUS, & PETRUS, qui sub iisdem Præceptoribus militarunt. BALDUS primo *Jacobum Palliarensem*, a quo plura mutuatus est, deinde *Franciscum* Tigrini Pisanum virum, & doctrina, & vitæ sanctitate insignem, postremo *Bartolum* audivit, quem multum ingenio suo contulisse testatur, [1] cum a Doctorum latere nunquam discederet. [2] Adolescens præstanti indole primum ingenii felicitatem ostendit anno xv. cum adhuc caput ob teneram ætatem cuculla, ut moris erat, nondum tegere cœpisset. Opinioni enim Bartoli adeo argute contradixit, ut ille argumenti acumine perterritus respondere non potuerit, commendatoque juvene tempus ad solvendum petiit, & sequenti mane respondit. [3] Deinde XVII. annum ingressus solenni interpretatione difficillimam legem publice Baldus explicuit; [4] Unde fabulosum est, quod vulgo fertur, Baldum quadragenarium ad legum studia accessisse, & Bartolum illi dixisse, *Tarde venisti Balde*, hunc autem respondisse, *Citius recedam.* [5] In jure Pontificio *Fridericum Petrucium* Senensem Canonum Interpretem habuit. [6]

Cum vero ad eam eruditionem pervenisset, ut sibi Tyrocinium deponendum esset, Anno Salutis MCCCLXXXVIII. IV. Kal. Julii sequentibus verbis a Bartolo præceptore Lauream accepit. *Deus*, inquit, *sapientissimus, & gloriosissimus tuam illustret rationem, declaret intellectum, ut scias obscura interpretari, ligatos solvere, veritatem colere, ac dicere, & fluat* [7] *tibi Deus divitias abundantes, & gratiam cognoscendi. Dirigat te Deus, in omnibus dubiis, instruat in perplexis, foveat in longioribus, vehat in omnibus viis tuis vehiculum, cui nihil est difficile, nihil impossibile.* [8] Hæc etsi rudius composita subjeci, ut veterum orandi usum ponerem.

1 *Bal. in c. 1. §. Vassallus. 11. si de feud. fuer. contro. inter dom. & agnat.* 2 *Bal. ibidem.* 3 *Pau. Ca. in l. 27. §. ult. ff. de inoff. testam.* 4 *illa fuit l 8. ff. de eo, quod certo loc. dari oport. Ang. in l. 1. §. pueritiam ff. de postul. Felin. in R. de magistr.* 5 *Tiraquel. in præfat. de jure primig. n. 102. & n. 206. Jas. in l. 2. §. 43. ff. de orig. jur.* 6 *Bal. in l. 49. §. 1. post n. 5. C. de Episc. & Cler.* 7 *Actuum 23.* 8 *Bal. in l. 1. in fin. C. si quacunque prædit. potest. vel ad eum pertinent.*

Doctoris dignitatem adeptus Bononiæ quæstionem illam, ante etiam Senis a se disputatam, defendit, *An statui possit, ut non nisi ad Judicem loci statuentium possit provocari;* In qua disputatione opposuit se illi *Bartolus*, & certamine ab hora XVI. usque ad XXI. protracto, Bartolus tandem victus discessit. [1] In foro etiam Advocati officio functus cum eodem sæpius contendit. [2] Inter alia acerrimam cum Bartolo de varia unius legis lectione contentionem exercuit. [3] Cumque inspectis Pandectis Pisanis, Baldum non paucos Codices corrupisse deprehensum esset, publice traductum patria excessisse ferunt, [4] & abeuntem Scipionis Africani verba protulisse, *Ingrata Patria ne ossa quidem mea habebis*, ac in voluntario exilio senem defunctum fuisse; Alii, ut candente ferro in fronte inureretur, damnatum, & a Bartolo ob egregiam doctrinam defensum fuisse ferunt, ea id a majoribus se accepisse, *Jason* referebat. [5] Quæ omnia falsa esse, & alii potius evenisse [6] non dubito, cum nulla de hoc certa extet autoritas, & cum Ticini decessisse constet. Ob hanc æmulationem ingratus Præceptori discipulus XLV. annis, quibus Bartolo superstes fuit, conatus est ipsius nomini tenebras offundere, [7] quem ex professo sæpe mordet, [8] nec sine contemptu quandoque nominat, [9] & Judices eum sequentes cœcos vocat. [10] Ubi vero in unum hi duo conveniunt, eorum opinio pro vera habetur. [11] XXI. ætatis anno de *pactis* opusculum Baldus composuit, & alium de *Constituto*, cum esset Collegii Lanificorum Advocatus. [12]

LXXXIV. Docuit in Patria, ubi PETRUM BELFORTEM Cardinalem, qui ad se a Clemente VI. missus fuerat, in Jure civili erudiit, ac deinde in rebus dubiis expediendis consilium non semel præstitit. [13] Demum eidem Pontifici creato, & *Gregorius XI.* vocato auctor fuit, ut ex Galliis, ubi residebat, in Italiam reverteretur. Inter alios ejus Auditores emicuit (LXXXV.) FRANCISCUS ALBERGOTUS *Aretinus*, qui ubique & præsertim Florentiæ, ubi jus professus

1 *Bal. in tract. judiciar. R. de appellat. q. 1. in fin.* 2 *Bal. in cons. CLX. vol. 3.* 3 *Alex. in l. 23. §. ult. ff. solut. matr. n. 4. Bar. in l. 3. C. de cond. ob caus. dator. in l. 7. § ult. ff. de distract. pignor. Ant. Aug. lib. 4. emend. cap. 17.* 4 *Ludo. Gomes. in prin. Inst. de action. post n. 10.* 5 *Sylva. nupt. lib 5. sub n. 25.* 6 *Hostien. in summa de probat. vers. quid debet probari.* 7 *Tindar. in tractat. de testib. in princ.* 8 *Bal. in cons. CCCLXXVII. lib. 4* 9 *Tiraq. de retract. conventio. §. 4. gloss 6. n. 12.* 10 *in cons. 486. l. 3.* 11 *Tiraq. in loco prædicto.* 12 *Bal. in cons. 400. in subscriptione. vol. 3.* 13 *Platina in Gregorio XI.*

est,

eſt, magni nominis fuit. [1] Ibidem Baldo docenti [2] Anno Salutis MCCCLIX. *Landucia* uxor gemellos peperit, quorum alter tantum ſuperſtes fuit. Poſtea Patavium a *Franciſco Carrario* vocatus eſt circiter an. MCCCLXXVIII. [3] ubi dolore pedum correptus alium ſibi in lectionibus coactus eſt ſubſtituere. [4] Tandem in patriam revocatus inde diſceſſit [5] an. 1389. 3. Novemb. Cum vero *Galeacius* Vicecomes Barnabæ frater Ticinenſem Academiam per multa ſecula intermiſſam reſtituiſſet, plurimos magni nominis viros amplis ſtipendiis ad docendum eo conduxit, inter alios (LXXXVI.) PHILIPPUS CASSOLUS, & *Baldus* Patavio evocati ibi Antagoniſtæ fuere. [6] Baldo, qui corpore exiguus erat, ubi primum gymnaſium ingreſſus eſt, ad puſillam hominis ſtaturam ab auditoribus acclamatum fuiſſe dicitur,

Minuit præſentia famam.

Ab illo vero opportune reſponſum,

Augebat cætera virtus.

Quo dicto, omnibus ſui admirationem injecit. At PHILIPPUS, qui, ut memoria cæteris antecellebat, ita ſuperbo titulo *Doctorum Doctor* vocabatur, ingenio fretus, ſe ex omnibus ultimarum voluntatum quæſtionibus ex tempore reſponſurum profeſſus eſt. Statuta ad dicendum die, cum in magna expectatione eſſet, ſurgens Baldus interrogavit, *Ubi in jure cautum reperiretur, parem non eſſe ejus, qui non vult, ei, qui non poteſt, conditionem.* Ad primam interrogationem hæſitante *Philippo*, cum Baldus de propoſita quæſtione legem oſtendiſſet, magnam gloriam retulit. [7]

LXXXVII. Philippo defuncto, CHRISTOPHORUM CASTELLIONEUM, quem docuerat, Concurrentem habuit, [8] tanta ipſorum docentium ſolicitudine, ut Auditores precibus peſſimo exemplo ambire non erubuerint. Ac tum primum Ticini perniciosæ prænsationes detectæ fuiſſe dicuntur; [9] Eum tamen Baldus in cauſa propria, cum ſuæ conſcientiæ diffideret, conſulere conſuevit. [10] Diu in ea Academia profeſſus Baldus amænum collem extra urbem incoluit; Unde mula vectus ad Gymnaſium ire conſueverat. Domus vetuſtate vitiata adhuc hodie pro re memoranda oſtentatur.

[1] *Pau. Ca. in l ult. in fin ff. ad S tum Vellejan.* [2] *Bal. in l. 12. in 2. lectura. ff. de uſufr. & quemadm. quis utat. fru.* [3] *Bal. in l. 3 in fin. C. de edend. in 2 lectu.* [4] *Bal. in l. ult. ff. de aqua pluv. arcend.* [5] *Bal. in l. ult. in fin. C. de indi. vid. toll.* [6] *Jaſ. in l. 3. in 3. col. in prin. C. de hæred. inſtituend.* [7] *eſt l. 101. ubi Pau. Ca. hoc tradit. ff. de cond. & demonſt.* [8] *Jaſ. in l. 41. §. 2. ſub n. 17. ff de vulgar. & pup. Subſtit.* [9] *Porti. in §. 5. 6. Inſt. de ſuſpect. tutor.* [10] *Chriſto. Caſtellio. conſ. 296. & 297. inter conſ. Bal. lib. 1.*

Ingenio acutiſſimus duabus tantum horis ſingulis diebus ſtudiis operam dediſſe fertur, [1] præterquam ubi rem difficilem aliquam præ manibus haberet, quod mihi veriſimile non videtur, cum juveni plurium reminiſcendi artem efflagitanti, ut ſtuderet, ter replicaverit, ea reſponſione non niſi longo ſtudio rerum memoriam acquiri ſignificans. Quin etiam cum peregre profectus ſolitæ lectioni incumbere non poſſet, *quot gradus equus ambulabat, tot leges ſibi excidere querebatur*, quæ omnia longis eum lucubrationibus uſum fuiſſe arguunt. Deinde credendum non eſt tantam legum peritiam paucis horis comparari potuiſſe.

De jure reſpondendo immenſam pecuniam coëgit, qui ex ſolis *ſubſtitutionum* ſpeciebus plus quindecim millia aureorum lucratus fuiſſe traditur. [2] Aliunde præterea ex innumeris aliarum ſucceſſionum, criminumque cauſis, & contractibus peramplas opes accumulavit. Ab Urbano quoque VI. *Feſtinam*, quod eſt Eugubii caſtrum, ob inſignem doctrinam obtinuit; ſed cum illud alii Pontifex tradidiſſet, etſi diu Romæ litigavit, ejus nunquam poſſeſſionem habere potuit. [3] Peruſii ad Portam S. Petri habitavit, & prædia habuit in villa Sancti Chriſtophori ſecundum ripam fluvii Tiberis, quorum partem occupavit, quam e libro cenſus eximi *Franciſcus* ejus procurator petiit, ut ex quadam ſcriptura ejus reſponſis inſerta apparet. [4]

Tantæ denique apud omnes exiſtimationis fuit, ut in jure nihil ignoraviſſe crederetur. [5] Cujus opinionis fama cum ad Galeacium perveniſſet, ab eo per jocum interrogatus eſt, *Ubi lex inveniretur, quæ de veſpis, & muſcis loqueretur*, eam oſtendit; Quare omnibus pro maledico ſuæ memoriæ maximam admirationem dedit. [6] Pluribus vero eorum, qui legum tyrocinium deponebant, promotiones ambientibus, cum Baldus dimitteretur, Ticini ſtatuto cautum eſt, *ne quis ſine eo Auſpice Lauream caperet.* [7] Solus denique Decurionum mandato Ticinenſium Statuta condidiſſe dicitur. [8] Bartolo præceptore acutior, ſed non ita veritatis amator habitus eſt. [9] Cum parum ſibi conſtans ſæpenumero contrarius reperiatur, id tamen non levitate, ſed

[1] *Sever. in l. 38 ff. de cond. indeb. in princ.* [2] *Cuma. & Alex. in R. ff. de vulga. & pupill. ſubſtit. in prin.* [3] *Pau. Ca. in l. 11. n. 3. C. de legib.* [4] *ante conſ. 310. in 3.* [5] *Jaſ. in l. 67. §. 1. ff. de verb. oblig. plura Sylva nupt. l. 5. ſub n. 25. verſ. etſi contra. Jaſ. in l. 40. n. 12. ff. de reb. cred. in l. 99. n. 3. ff. de verb. oblig. in l. divortio §. 1. in 3. not. ſol. matrim.* [6] *Petr. Lesnaud. in tract. de Doctor. & eorum privil quæſt. LXII.* [7] *Porci. in §. 15. Inſt. de excuſ. tutor.* [8] *Cur. juni. in conſ. 5. n. 12.* [9] *Pau. Ca. in l. 3. in fin. C. ſi adver. rem jud.*

ingo-

ingenii ſubtilitate eveniſſe *Paulus Caſtrenſis* autumat; [1] Unde illius argutiam in proverbium abiiſſe aliqui aſſerunt; ipſe quoque ſe excuſat, quod intellectus, qui ratiocinatur, non ſemper ſit idem, ſed varius, [2] & Epiſcopo Ticinenſi ſæpe interroganti, *cur toties leges mutarentur*, reſpondit; *Flagrante bello permittitur, quod pacis tempore non licet, ita id juſtum eſſe, quod cuique ſuo tempore expedit, exemplo enim medicorum tempora a legumlatoribus dicebat obſervari.* [3]

Plura etiam in Decretalium commentariis ſingularia, & præter aliorum opinionem nulla lege citata ex ſuo capite protuliſſe dicitur, ac ſi quæ citat, ad rem non faciunt, [4] multa etiam extraneis, & non ſuis locis pertractavit, [5] in neceſſariiſque deficere, ac ſuperfluis abundare arguitur. [6] Unde Herculem laudare fertur, quem nemo vituperat, non facere, quæ omnes efflagitant, ad ea reſpondere, quæ nullus requirit, [7] quandoque etiam nimium ſubtilis ſe ipſe fregiſſe memoratur. [8] Ingeniumque propter rerum copiam quandoque habuiſſe dicitur, inſtar avis in aere volatile; [9] & ipſe ad argumenta ſe fugitive quandoque reſpondiſſe fatetur, [10] & quod audacius loqui conſueviſſet, notatur; [11] ſummam tamen apud Judices autoritatem habet, præcipue ubi neminem invenit ſibi contradicentem. [12] Nemo enim Baldo auctoritate æquari poſſe creditur, [13] neque aliquod dubium eſt, quod ejus dictis decidi nequeat, [14] quippe nihil intactum reliquit. [15] *Quinque reſponſorum volumina*, aliaque opuſcula edidit, ac fere in totum jus civile, & Pontificium ſcripſit. Inter cætera librum compoſuit, quem *peculium* vocavit, & alium de *Illuſtribus utriuſque Juris Doctoribus*, qui impreſſi non habentur. Opuſculum, *Practicam Juris utriuſque ſeu Compendioſam*, inſcriptum, ſunt, qui *Tancredo* adſcribunt, [16] ſed revera Baldi fuit, quemadmodum ipſe teſtatur. [17]

Demum ſenex cum annis 47. profeſſus eſſet in *Feudales libros*

1 In l. 7. C. de in integr. reſt. minor. & in d. l. 3. C. ſi adverſ. rem judicat. 2 in conſ. 99. ad fin. in 2. Bertachi. de Epiſcop. in 2. par. 4. lib. 3 Bal. in l. 1. in princ. n. 8. C. de cad. toll. Jaſ. in l. 8 §. ult. n. 30. ff. de leg. 1. 4 Ale. in l. 18. in 3. col. ver. tang. emt. ff. de acq. poſſ. Ant de Brut. in c. conſultat. col. 11 de reſcr. Cur. ſen. conſ. 76. ante n. 3. 5 Ang. in §. 7. in fin. Inſt. de rer. div. 6 Barb. in c. uno de legatorum. 42. col. pen. X. de off. & pot. jud. deleg. 7 Sylv. nupt. l. 5. ſ. n. 25. ver. et ſi contr. 8 Jaſ. in l. 3. in. prin. C. de edendo. 9 Bar. in c. plerumque 23. in prin. X. de reſcript. Alex. conſ. 132 in 4. 10 in l. 1. §. nuncia. in fin. ff. de oper. nov. nunc. 11 Bar. in c. juravit. 6. col. 18. X. de probation. 12 Jaſ. in l. 1. n. 102. de leg. 1. & in l. 12. §. 1. n. 17. ff. de acq. poſſ. 13 Deci. in conſ. 283. 14 Catel. in 2. p. memorial. in verb. jus dicendi nullum. in fin. 15 Jaſ. in l. 3. de leg. 1. 16 Ang. Are. de maleſi. ver. ex interu. 17 in eo lib. in R. de juriſdict. & q. 1. de appella. in fin.

commen-

commentaria emisit. [1] Sed etsi diutinæ lectioni, & scribendo assidue intentus erat, humanus tamen & facetus hilari vultu semper fuit; [2] pauperibus sæpe convivia ex jure, & carnibus bovillis facere consuevit, & cum ei amicus dixisset; *Si cer' 'um, Balde, accipies, quid tanta juris copia facies?* ab hoc obsonio præstando postea abstinuit. [3] Cum diu docuisset indignum virtute sua exitum sortitus est. Habebat in deliciis catellum, quem secum Tridentum attulit; Is, piperato jure absorpto, rabiosus effectus colludenti Baldo dente labrum transfixit. Morbus per membra sensim effusus diu latuit, donec ad intima præcordia penetrans, omni spe salutis abrupta, Baldo aquæ tremorem injecit. [4] Defunctus est anno Salutis MCCCC. IV. Kal. Maji, post se relictis (LXXXVIII.) ZENOBIO *Tipherni Episcopo*, & (LXXXIX.) FRANCISCO filiis utrisque Jurisconsultis. In templo D. Francisci sacrario humatus cum hoc carmine per multos annos jacuit.

Vita, labor studii, divini cultus amoris,
Artes maturæ Regis Fulgentia dicta
Legalis normæ pastorum Cœlica Jura
Ornant Baldi animum, quæ pandit dogmate clara.
Quis quia nunc linquit mortalis pondera carnis
Dulcia jam gustans Auctoris pascua summi.
Clauditur hic Baldus Francisci tegmine fultus,
Doctorum Princeps Perusinaque editus arce
Qui obiit Anno MCCCC. Die XXVIII. Aprilis in Aurora.

Inde juxta summum altare ejus ossibus translatis in alio saxo hoc scriptum fuit.

Baldus editiorem locum sortitus hic octo, & decem supra centum annos obdormiuerat MDXIX.

CAP. LXXI.

XC. ANGELUS UBALDUS Perusinus de ALBERTO GUIDELOCCIO. ALEXANDER filius Angeli. ANGELUS filius Alexandri nepos Angeli, ALEXANDER & ÆNEAS filii Angeli nepotis, ANGELUS Alexandri filius. de JOANNE RICCIO.

XC. BAldi germanus frater ANGELUS sub iisdem Præceptoribus, quibus & ille, operam Juribus dedit. Et cum 20. annum

1 *Bal. in præf. feud.* 2 *Tindar. in tract. de testib. in prin.* 3 *Bar. in c. cum omnes 6. X. de constit. Jo. Lecici tr. de jure primig l. 2. q. 3. n. 12.* 3 *Matthiol. in lib. 6. Dioscor. c. 36.*

agerct,

ageret, in foro pro Clientibus patrocinari cœpit, & in 24. anno factus Jurisconsultus in patria docuit, [1] & Romæ, [2] mox Florentiæ. [3] Sedebat Romæ *Urbanus VI.* cum eo *Angelus* venit, Pontifex, non ut alios, ad pedis, sed ad pacis osculum eum admisit, ut insignis viri doctrinam honoraret. Deinde Patavium ad Jus civile interpretandum cum ALBERTO GUIDELOCCIO Perusino circiter annum MCCCLXXXVI. vocatus, [4] in illud *præclara commentaria*, eruditumque *Responsorum volumen* reliquit, *quæstiones* & *de Sequestro*, aliaque opuscula ad Jus pertinentia in lucem emisit; perquam tenui memoria fuisse fertur. [5] Sed acri, & solido judicio præditus a *Joanne Pyrrho* inter Triumuiros Juris prudentiæ cum *Bartolo*, & *Paulo Castrensi* connumeratur. *Bartholomæus a Cassaneo* [6] refert, *Angelum* vere *Angelum* fuisse, quem Judices sequi debent. Nam propter veritatem, & æquitatem, quam præ oculis habuit, *Doctor est Judicum* dictus, apud quos magnam habet auctoritatem. [7] Denique *pater practicæ* vocatur. [8] Quandoque tamen sibi contradixit. [9] Anno ferme 17. Patavii professus, demum Florentiæ, ubi eodem, quo *Baldus*, anno decessit, & in Patriam relatus in majorum sepulchro in eadem æde D. Francisci conditus fuit. Sunt, qui eum Patavii exulasse credunt, [10] quod verum non puto. Ibi enim, ut dictum est, docuit, & aliquot quæstiones disputavit; inter quas insignis est secunda, cui occasionem dederunt miracula ab Imagine D. Virginis edita quæ splendidissimo illius civitatis Palatio affixa erat. Is fuit Doctor opulentissimus, qui Cœnobium monialium ædificavit in via aggeris, ubi nunc D. Hieronymi religiosi a *Fesulis* habitant, id fuit anno MCCCC. *Angelus* reliquit post se ALEXANDRUM *filium*, qui & ipse acutissimus legum interpres fuit. Ex eo natus est ANGELUS primi nepos & ipse Jurisconsultus, qui Equestri dignitate donatus, & Comes Palatinus creatus diu Patavii, & Perusii docuit. Deinde a Sixto Pont. Max. Romam accitus in Pontificali curia Advocati officio functus est. Demum Perusii senio confectus, dum ibi doceret, circiter an. MCCCXC. decessit. Is *Cornei* familiaris fuit. [11] Ex eo ALEXANDER, & ÆNEAS

[1] *Ang. in l. 1. §. pueritiam. ff. de postulando.* [2] *Ang. in cons. 300. ad fin.* [3] *Ang. in l. 2. §. ult. & ibi Fulgo. ff. si ex noxal. causa. agatur.* [4] *Ang. in l. falsus, C. de fur. & in qu. incip. renovata guerra. quæ est quæst. 8. in fin.* [5] *Alcia. in oratio. quam habuit Avinioni.* [6] *cons. 53. n. 9.* [7] *Merz. in epitome fideicom.* [8] *Calca. cons. 16. n. 46.* [9] *Ari. Pinel. in l. 2. p. 2. c. 4. n. 64. C. de rescind. vendit.* [10] *Troilus Maluetius de oblationibus. n. 3.* [11] *Corne. cons. 137. in prin. lib. 3. & cons. 12. lib. 4.*

Jurisconsulti progeniti omnes in majorum sepulchro sunt tumulati, præter Æneam, cui in editiori D. Francisci loco monumentum cum hac inscriptione positum fuit.

Memo. Æter.

Æneæ ex Claro stemmate Ubaldeo Jurisconf. scientia, usu, & auctoritate insigni. Conjux & filii dederunt tumulum, & lachrymas, annum agenti LX.

Sub effigie muro affixa subjectum est

Legum imago.

Ex Alexandro natus est ANGELUS Avi nomen referens, qui mane Jus civile ordinarie Patavii docuit, [1] tempore *Angeli* senioris JOANNES RICCIUS Florentiæ floruit. [2]

CAP. LXXII.

XCI. PETRUS UBALDUS Perusinus: jus pontificium profitetur. XCII. MATTHÆUS Ubaldus, de ejus gentilitiis insignibus. Filii PETRUS & BALDUS. Baldi filii NICOLAUS, MATTHEUS & SIGISMUNDUS.

XCI. TErtius ex *Francisci Ubaldi* Liberis PETRUS & ipse eosdem, quos fratres, Præceptores habuit; ac Jus Pontificium in Patria est interpretatus. [3] Sed ne a fratribus separaretur, hic inter Civiles professores insertus est. Eruditos in lucem tractatus emisit, *de permutatione beneficiorum, de Canonica, Episcopali, & parrochiali, & de collectis.* Alius etiam de duobus fratribus liber reperitur, quem ego alterius Petri ex filio *Matthæo* ejus nepotis esse suspicor, cum ibi [4] Petri avi meminerit. Plurima etiam *Responsa* conscripsit, [5] diuque in foro versatus maximam praxim est assecutus, omnibus fratribus superstes. [6] Perusii in majorum sepulchro, quod in D. Francisci æde sub terra effossum est, conditus fuit.

XCII. Post se MATTHÆUM filium virum in disciplinis eruditum, ac Equestri, Palatinaque dignitate honestatum reliquit, qui a *Brachio Fortebrachio* Perusii Tyranno ad Constantiæ Concilium missus gentilitiis insignibus a Sigismundo Cæsare donatus est. *Hæ erant duæ fasciæ nigræ in aureo scuto transversæ. His adjuncta est galea cum æthiopis capite, quod aureo sudario involutum duplici diademate in humeros,*

[1] *In conf. 71. Alex. de Nev.* [2] *Sali. in Auth. Novissima. in fin. C. de inoff. testam. in conf. 78. inter conf. Ange.* [3] *Matth. Affli. de jur. prot. in §. 4. n. 8. 4. not.* [4] *in fin.* [5] *Corn conf. 336. col. 2. volum. 1.* [6] *in tract. de cano. Episc. in prin.*

ros, sparso altero aureo, altero argenteo, cingebatur. [1] Ex eo PETRUS Juris utriusque Interpres, qui Doctor *veritatis vocatus*, libellum *de duobus fratribus* promulgavit a *Corneo* sæpe citatur [2] & junior BALDUS descenderunt. His Sigismundus Cæsar cum ab Eugenio IV. coronatus est, Perusium profectus gentilitia Stemmata, quæ patri donaverat, confirmavit. Hic Baldus tres filios insignes genuit, NICOLAUM in Curia Romana causarum Judicem (nunc Auditorem vocant) qui *de Successionibus intestati* duo opuscula composuit, & cum in Galliam Nuntius destinatus Cardinali dignitate honestandus esset, veneno sublatus est, & Romæ in Aracœli sepultus.

Alter fuit MATTHÆUS Perusii Juris civilis professor, qui de *Servitutibus* librum edidit, & Romæ Rotæ Decanus simul Perusinus, & Nucerinus Episcopus est declaratus, & in fratris sepulchro conditus est; cujus *Corneus* non semel meminit. [3] Tertius SIGISMUNDUS ipse quoque Jurisconsultus & Romæ consistorialis Advocatus fuit. Unde inclyta gens *Ubalda* Jurium *alumna* fuisse videtur, & digna, cujus arbor subjiciatur, quæ fœcunda prole tot Illustres viros continuo ordine protulit.

FRANCISCUS UBALDUS Artium, & Medicinæ Doctor Perusinus

BALDUS. — ANGELUS J.C. professor. — PETRUS.

ZENOBIUS, J.C. — FRANCISCUS, J.C. — ALEXANDER, J.C. profess. — MATTHÆUS, Eques.

ANGELUS, J.C. professor. Eq. & Com. — PETRUS, J.C. profess. — BALDUS.

ALEXANDER. — ÆNEAS. J.C. — NICOLAUS. J.C. — MATTHÆUS. — SIGISMUND.

CAP. LXXIII.

XCII. PHILIPPUS CASSOLUS Regiensis: de Gymnasio Ticinensi.

XCII. Ticinense Gymnasium a Carolo Magno [4] institutum bellorum injuria diu destitutum fuerat; Cum vero *Galeacius* Vicecomes cum Barnaba fratre Insubribus imperaret, ab altero Caro-

[1] *Petr. de Ubal. in tract. de duob. fratrib. in 11. par. principa. q. 11.* [2] *In conf. 46. conf. 86. conf. 94. vol. 1. conf. 102. vol. 3. conf. 29. vol. 4.* [3] *Conf. 31. in prin. lib. 1. conf. 16. in prin. & conf. 183. lib. 3.* [4] *Card. in Clem. 1. n. 15. q. 5. de magistr.*

lo IV. Cæſare obtinuit, ut intermiſſa Academia renovaretur. Quare Bibliothecam omnium diſciplinarum Codicibus refertam *Franciſci Petrarchæ* conſilio, Ticinenſi in arce inſtruxit, & eruditiſſimos quosque profeſſores peramplis ſtipendiis invitavit: Inter alios PHILIPPUM CASSOLUM *Jacobi* filium *Regienſem* conduxit, [1] cujus ob inſignem memoriam ea nominis celebritas erat, ut ambitioſo nomine omnium ſui temporis *Doctorum Doctor* vocaretur. [2] Cum ibi aliquandiu docuiſſet, inde Patavium vocatus, poſt paucos annos rurſus Ticinum rediit, [3] ubi *Baldum* Antagoniſtam habuit. Et ut erat nimium gloriæ avidus, ingenio, & memoria fretus ſe de quibusque ultimarum voluntatum dubiis ex tempore publice reſponſurum profeſſus eſt.

Clarebant ibi tum CHRISTOPHORUS *Caſtellioneus*, & JOANNES *Homodei Mediolanenſes*, uterque *Raphael*, *Petrus Ferrarius Ticinenſis*, & alii, qui veniente ſtatuta ad differendum die cum univerſa juventute ad certamen confluxerunt. Omnibus in magna expectatione detentis Baldus interrogavit; *Ubi jure deciſum reperiatur, ſubſtitutum alteri in Legato ita demum ſuccedere, ſi ille relictum repudiaſſet, non autem ſi aliter defeciſſet.* Ad inopinatam quæſtionem percuſſus Philippus obmutuit. Tum Baldus, lege, quæ prima fronte id velle videbatur, oſtenſa, jam conſternatum adverſarium, & pudore confuſum reliquit, ut *Paulus Caſtrenſis* teſtatur, qui geſtæ rei ſe interfuiſſe refert. [4] Id evenit anno MCCCXCI. quo Philippus ob eam cauſam libellum de *Teſtamentis*, & *Succeſſionibus* compoſuit, qui ſolus ex ejus operibus hodie non inutilis conſervatur. Nonnulla etiam ejus reſponſa extant: [5] eundem *famoſiſſimum legum Doctorem* appellat Baldus. [6] Fuit etiam Camerarius Apoſtolicus nec non & Illuſtriſſ. Comit. Virtutum Conſiliarius. [7]

Uxorem habuit *Catherinam Anguſſolam* Placentinam, ex qua nullam prolem ſuſcepit. *Thadæum*, & *Maphæum* fratres hæredes inſtituit, hujus liberis maſculis bona quæ Papiæ, Placentiæ, & Bononiæ habebat, prælegavit. Ex reditibus trium millium florenorum, quos Venetiis habebat, tres Jurium ſtudioſos Regienſes ali mandavit, quod nunquam effectum habuit, occupatis enim ab Ottone III. Parma, &

[1] *Bald. conſ. 311. vol. 4. in ſubſcriptione conſilii.* [2] *Pau. Caſt. in l. 101. ff. de cond. & dem.* [3] *Jaſ. in l. 3. C. de hæred. inſtituend.* [4] *in d. l. 101. ff. de cond. & dem.* [5] *ut inter conſ. Bal. in conſ. 137. lib. 2. cui ib. Docto. ſubſcripſerunt.* [6] *Conſ. 105. in prin. vol. 3. ubi conſ. 110. eſt ejusdem Philippi.* [7] *Idem conſ. 311, vol. 4. in ſubſcript. Conſilii.*

Regio,

Regio, Maphæus ab eo custodiæ traditus ea pecunia, & aliis bonis venditis, redimi coactus est. Decessit *Philippus* an. Salutis MCCCXCI. die XI. Septembris, cadaver Placentiam deferri, & in Sacello S. Joannis Prædicatorum, quod ipse construxerat, sepeliri præcepit.

CAP. LXXIV.

XCIII. JOH. LUDOVICUS LAMBERTACIUS Patavinus. XCIV. ANTONIUS a S. ANGELO Patavinus: de Academia Lipsiensi.

XCIII. UBaldis florentibus, JO. LUDOVICUS LAMBERTACIUS *Patavinus* an. Sal. MCCCLXXXIV. Doctor creatus, [1] primum in docendo Patavii locum obtinuit. Eloquentia pro eorum temporum conditione insignis habitus *plurium constitutionum Collegii Jurisconsultorum Patavinorum*, quæ hodie quoque extant, autor fuit. Obiit an. M.CCCC. quo & Baldus in Patria decessit. Ejus marmoreum sepulchrum cum imagine templo domus Dei affixum est, cui hoc inscriptum est carmen, quod obscure ejus obitus diem continet. M. CCCC.

Ecce Ludovici Lapis hic tegit ossa Joannis,
Protulit insignis quem Lambertacia proles,
Quique utriusque tulit Doctor diademata Juris,
Orator mirus, facundo Tullius ore
Occubuit prima geminos qua luce subintrat
Sol decies octo post annos lustra ducenta.

Lustra enim ducenta, & decies octo, seu octuaginta MCCCC. annos efficiunt. Decessit vero die 12. Maji, quo sol Geminos ingreditur.

XCIV. Eo tempore ANTONIUS a S. ANGELO *Patavinus* in Patria vespere Jus civile interpretatus An. MCCCCXI. decessit. Sub hæc tempora Lipsiæ, quod est Misnæ oppidum florens, erectum est gymnasium; cum enim hæreticorum pertinacia Pragæ, quæ metropolis est Bohemiæ, quotidie excresceret, Teutonicos inde ejecere. Quare anno Salutis MCCCCVIII. Doctores, & auditores ad duo millia Lipsiam emigrarunt. [2] Inde illa celebris cœpit esse Academia.

[1] *In Albo Doctor. Patavii.* [2] *Albert. Cranz. lib. 11. c. 8. Saxon. Histor.*

CAP. LXXV.

XCV. LUDOVICUS A SARDIS. XCVI. JOH. PETRUS FERRARIUS Papienſis.

XCV. LUDOVICUS A SARDIS *Ferrarienſis* ſub id tempus Bononiæ docuit, qui tractatum de *Naturalibus liberis, & legitimatione, & ſucceſſione eorum* compoſuit; nec parum a Cæpo [1] commendatur.

XCVI. Floruit & iisdem diebus JOH. PETRUS FERRARIUS *Papienſis* Auguſtini filius; Is libellorum formulam, quæ *practica Papienſis* vocatur, magno forenſium commodo anno MCCCC. compoſuit, quo Manfredum filium ſuſcepit, [2] & Baldus deceſſit. Dies eorum mortis incertus eſt, nec ullum monumentum videtur.

CAP. LXXVI.

XCVII. RICARDUS SALICETUS Bononienſis. De SALVANO Bononienſi. Deditio urbis Bononienſis.

XCVII. GEns *Saliceta* Bononiæ nobilis fuit, in qua *Cantalinus* vir probitate, & divitiis clarus celebratur. [3] Hinc ortus RICARDUS SALICETUS *Bartholomæi* patruus, & Præceptor Bononienſis, cum in Patria docuiſſet an. MCCCLX. Patavium ad Jus civile explicandum conductus eſt, quo tempore SALVANUS & ipſe *Bononienſis* Jus Pontificium ibidem interpretabatur. Vercellis etiam aliquandiu docuiſſe fertur. [4] Cum poſtea in Patriam remeaſſet, evenit, ut ab *Aſtorgio* Pontificis Copiis præfecto *Joannes, & Jacobus Pepuli Thadei* filii gravi bello premerentur, qui, deſperata ſalute, clam de alienanda in Joannem Mediolani Archipræſulem civitate cogitarunt. Sed civibus, qui Florentinorum imperium accipere affectabant, ſatisfacere ſimulabant; Quare negocio urbis proceribus, & Ricardo commiſſo, anno MCCCL. ſplendidiſſimam Legationem Florentiam deſtinant.

Ubi eo perventum eſt, Ricardus, qui ad orandum electus erat, ut eorum temporum uſus ferebat, his verbis exorſus eſſe dicitur. *Domine, cum tribularer, clamavi ad te*, [5] longaque oratione Florentinos, ad ſuſcipiendos in fidem ſuam Bononienſes, exhortatus nihil egit. Pepuli enim tribus ſibi retentis caſtellis *S. Joanne*, *Nonantula*, *& Cre-*

[1] *In Cautel.* 38. [2] *in proem Practi. Pap.* [3] *Sali. in l.* 11. *ad fin. C. ſi cer. pet.* [4] *Cagno. in proem. Digeſt.* §. *hac autem n.* 194. [5] *Matth. Villa. lib.* 1. *cap.* 65.

valcore

valcore, ducentis millibus aureorum florenorum Patriam Joanni Vicecomiti vendiderunt, falsaque Legatione Florentinos eluserunt. Sed non multo post *Jacobus* proditionis insimulatus, bonis omnibus ademptis, cum liberis captus in Cremonæ Arce custodiæ traditus est. *Joannes* reliquum vitæ tempus, tenui stipe a Vicecomite accepta, transegit. *Ricardus* vero, dum Mediolano in Patriam Legatus revertitur, Placentiæ morbo correptus decessit. Ex his, quæ scripsit, nihil apparet.

CAP. LXXVII.

XCVIII. BENEDICTUS CAPRA Perusinus. XCIX. BENEDICTUS BARZUS a Piumbino. C. BENEDICTUS PETRUCIUS Senensis. CI. MICHAEL REPRANDUS Marosticensis.

XCVIII. Isdem diebus circiter an. Salutis MCCCC. duo Benedicti floruere, alter cognomento CAPRA *Perusinus* vir acerrimo judicio, Veritatis amator vocatus,[1] cujus laudatissima extant *Responsa*. Is Corneum discipulum habuit, [2] & in Patria in D. Augustini æde sub humo marmorea ejus effigie sepulchro imposita conditus est.

XCIX. Alter BENEDICTUS BARZUS a *Plumbino* descendit, quod oppidum ex Populoniæ ruina extructum est, ubi olim Portus Trajanus fuit; locus hic Pisani agri quondam censebatur, & ob id Benedictus Civis Pisanus habitus est; Baldi discipulus fuit, ac primum in Patria, deinde Senis, [3] mox Florentiæ, Ticini, Perusii, & Bononiæ, postremo Patavii professus est, ubi libello de *discussionibus*, & aliis non paucis in Jus nostrum compositis, excessit e vita anno Salutis MCCCCX. Pridie Idus Martii. Humatus est in templo Eremitanorum cum hoc rudi carmine.

Corpus humo, cœlis animam, famamque dedisti
Laudibus, & legum Benedicte Monarcha fuisti,
Nominis effectu radians virtutis imago,
Pisanus Civis Plumbini clara propago,
Omnibus Italiæ studiis tua lectio fulsit,
Publica dum legis hic tibi te Libitina revulsit,
Martia tunc orbi lux bis septenna nitebat,
Mille quater centum bis quinque annosque movebat.

1 *Socin. in conf. 92. ad n. 8. vol. 1.* 2 *Corne. in conf. 181. vol 2. & conf. 197. ante n. 2. vol. 1.* 3 *Jas. in l. 15. nu. 175. & sub nu. 284. & 285. ff. de usurp. & usucap.*

C. Alius

Alius BENEDICTUS HENRICUS a *Plumbino* Pisis in æde D. Nicolai sepultus esse videtur, sed is ab eo, quem describimus, diversus est.

Quo tempore *Barzus* Patavii docebat, ibidem (C.) BENEDICTUS PETRUCIUS *Senensis*, & (CI.) MICHAEL REPRANDUS *Marosticensis*, qui an. XXX. professus est, Jus civile interpretabantur.

CAP. LXXVIII.

CII. BARTHOLOMEUS SALICETUS Bononiensis. CIII. JACOBUS PIGNA. CIV. GILLIOLUS CAVITELLIUS Cremonensis. CV. PETRUS ANCARANUS. CVI. ANTONIUS BUTRIUS. CVII. JACOBUS SALICETUS.

CII. BARTHOLOMEUS SALICETUS, Ricardi ex fratre nepos, [1] qui cum *Joanne Lignano* Bononiæ profitente floruit, [2] ann. Salutis MCCCLXXIII. factiosorum armis cum aliis civibus expulsus Patavium concessit, [3] ubi a *Francisco Carrario II.* exceptus per quadriennium magna nominis celebritate Jus civile docuit. Sed alii eum velut factionum Principem Patavium relegatum, & in urbe docere prohibitum in Suburbiis Jura interpretatum fuisse ferunt, ut ipse se tacito alii evenisse prodit. [4] Inde ope suorum in Patriam revocatus est, quo tempore ob pestiferum Benedicti Antipontificis schisma intermissis gymnasiis tota Italia vexabatur. Sed non multo post ob funestas Guelforum, Gibellinorumque factiones rursus Patria ejectus Ferrariam secessit, [5] ubi in Alberti Atestini familiaritatem insinuatus Principi Literarum studioso persuasit, ut Academiam publicam institueret. Id cum ex Bonifacii IX. diplomate anno MCCCXCI. obtentum esset, ipse primus Ferrariæ Jus civile profiteri cœpit, atque ejus etiam civitatis Jura municipalia condidit. Eodem post aliquot annos ad Jus Pontificium explicandum, quod tum (CIII.) JACOBUS PIGNA docebat, [6] (CIV.) GILLIOLUS CAVITELLIUS *Cremonensis*, (CV.) PETRUS ANCARANUS, & (CVI.) ANTONIUS BUTRIUS conducti esse feruntur, cum *Theodorus Gaza* ibi Gymnasiarcham ageret.

[1] *Salicet. in l. 13. in 6. q. C. de non num. pecun.* [2] *Salic. in l. 1. ante n. 14. C. de sum. Trin. & fid. Cathol.* [3] *in Chron. Patav.* [4] *in l. 5. ff. de serv. export. & Felin. sub n. 4. in c. Rodulphus 35. X. de rescript. & Barba. in c. Rainaldus 18. car. 6. col. 4. ver. pro certa. X. de test.* [5] *Barba. in c. Rainaldus 18. X. de testam. col. 59.* [6] *Salicet. in Auth. maximis C. de nuptiis.*

Com-

Commentaria, quæ in *Justiniani Codicem* anno MCCCLXXXII. Menſe Majo inchoaverat, [1] XVIII. annis perfecit, [2] quæ vero impreſſa ſunt, eo dictante, ſcholaris Regienſis ſcripſit. [3] RAPHAELEM FULGOSIUM, [4] & JACOBUM ALVAROTUM [5] diſcipulos habuit. Magno ingenii acumine prædítus Auditoribus plerunque cogitandi occaſionem præbuit, ſæpiusque novas opiniones eſt ſecutus, [6] etſi non deſunt, qui aliorum recitatorem nihil ex ſuo unquam addere falſo aſſeverant. [7] Tanti denique nominis fuit, ut *Juris Monarcha* vocaretur. [8]

Cum vero diu Ferrariæ profeſſus fuiſſet, denuo in Patriam remeavit, ubi non multo poſt plane ſenio confectus occubuit anno MCCCCXII. Die XXVIII. Decembris. In æde D. Dominici apud aram majorem cum hoc rudi carmine jacet.

Hoc tumulo legalis apex dulciſſimus ore
Et Patriæ lux alma ſuæ pietatis amator,
Juſtitiæque ſacræ clypeus, baculusque cadentis,
Qui juvenis multoque etiam venerabilis ævo
Edocuit, ſuperavit eum, nec pœna laboris
Scribendo, & pariter Juris nucleando tenebras
De Saliceto requieſcit Bartholomæus.

Obiit MCCCCXII. Die XXVIII. Menſis Decembris.

CVII. Fuit & JACOBUS SALICETUS *Juriſconſ.* cujus extat Reſponſum CXLIII. interea, quæ a *Jo. ab Imola* ſunt conſulta; aliis etiam ſcripſit; [9] ſed an is ſit Bartholomæi filius, vel nepos, aut alius fuerit agnatus, ignoratur.

CAP. LXXIX.

CVIII. LUDOVICUS CORTUSIUS Patavinus: ſcripta: teſtamentum ridiculum: de inſtituto Collegio. De ejus filio JOANNE patre GUILIELMI, ALOUISIO, & ROGERIO JCtis, & ejus nepotibus.

CVIII. LUDOVICUS CORTUSIUS *Patavinus* circiter an. MCCCLXXX. Doctor creatus magnum nomen in utroque Jure explicando Patavii nactus eſt, ac præter *commentaria*, quæ ſatis luculenta in

1 *Salice. in princ. Cod.* 2 *Salice. in l. ult. C. de jur. delib.* 3 *Salice. in l. 34. in fin. C. de donat.* 4 *Fulgoſ. in conſ. 96.* 5 *Alvaro. in procem. feudo.* 6 *Alex. in conſ. 134. in fin. vol. 1.* 7 *Aug. Arimi. in addit. ad Ang. Areti. de maleſ. in verb. ejus bona publicamus. ſub. n. 3.* 8 *Cuma. in conſ. 138. hoc maxi.* 9 *Conſ. 7. Cuman.*

matutinas Juris civilis lectiones edidisse fertur; *Legum indicem*, quod vulgo *Repertorium* vocant, composuit. Id ego in manibus habui, quod est velut *Alberici Rosatæ* Dictionarium, sed non ita locuples, itaque aliis postea luculentioribus compositis, frequentari desiit. Uxorem duxit, cum dote libr. mille, *Antoniam Zacam*, ex qua *Coronam Bonam* filiam suscepit, & antea *Dorotheam* illegitimam habuerat. Demum testamento, quod præter aliorum consuetudinem condidit, vulgo risum exhibuit. Ennii enim exemplo, præcedentibus quinquaginta musicis, & tibicinibus, ac citharis 15. quibus singulis dimidium aureum legavit, funeris sui lætam pompam celebrari voluit. Splendidum etiam eo die convivium parari, & uxorem vestibus rubeis indui jussit. Duodecim quoque virgines versicoloribus ornatas, feretrum subire, ac modulata voce, constituto dotis præmio, canere voluit Hæredem, nisi hæc servari curavisset, bonis privavit. Voluntas in controversiam revocata cum pro variis consultorum opinionibus a quibusdam damnaretur, [1] ab aliis reciperetur, [2] ex facto tandem observata fuit. [3] Ego id testamentum legi, in quo centum tantum musicos funus præcedere jussit, (quod nobis ad cœlum migrantibus sit lætandum) & nigris vestibus famulos indui. Nec alia, quæ narrant Doctores, in eo continentur. Collegium, in quo octo legum studiosi degerent, instituit, quod effectum non fuit. JOANNEM enim filium post se infantem reliquit, ex quo GUILIELMUS, ALOVISIUS, & ROGERIUS Jurisconsultus prodiere. Ex *Guilielmo* JOANNES, ex *Alovisio* FRANCISCUS & UBERTINUS exierunt. Ludovicus centum funalibus incen[illegible], & aliis 20. Clero Patavino donatis, in D. Sophiæ templum elatus est; Celebrem pompam fecerunt adhibiti omnium ordinum Religiosi, præter Eremitanos, quos occultam ob causam exequiis interesse prohibuit. Excessit e vivis anno gratiæ MCCCCXVIII. XVI. Kal. Augusti, cui hoc inscriptum est carmen.

Astra Ludovicus scandens hoc marmore clausum
Me liquit bustum carcer & hujus eram
Cognomen Patavii concessit Cortusiorum
Stirps, legum, & canonum dilucidavit opus

1 *Jas. in l. apud Julia. §. ult. n. 6. ff. de leg. 1.* 2 *Roma. in l. 1. col. 6. ff. de verb. oblig. Alex. in l. 22. §. 7. ad fin. ff. solut. matr. Tiraq. de nobilitat. c. 31. n. 525.* 3 *Paul. Cast. in l. pen. ff. de cond. instit. in l. 5. C. de his. quib. ut indign. Jas. in l. 9. sub. n. 4. C. qui testam. facer. poss. Baptista Fulgosi. l. 7. c. 8.*

Ambo-

Amborum miranda jura volumine parvo
Stant alphabetico nomine nota suo
Ergo Galasiæ radiat in Zona Mariæ
Funde preces pie.

CAP. LXXX.

CIX. CHRISTOPHORUS CASTELLIONEUS Mediolanensis. CX. RAPHAEL CUMANUS. CXI. FULGOSIUS. CXII. JOANNES CASTELLIONEUS Episcopus Vincentinus. De CELESTINO IV. Pontifice.

CIX. FLorente jam Ticini Academia, Galeacii Vicecomitis industria CHRISTOPHORUS CASTELLIONEUS *Mediolanensis* eo studiorum causa profectus Baldum audivit, miraque ingenii felicitate supra quam dici possit, doctrina eminens Præceptoris Antagonista factus est. [1] Longo rerum usu, & fama Baldus clarebat, hic vero acumine excellens *subtilitatum Princeps* meruit appellari, qui, non paucis majorum erroribus detectis, plures suo & germano sensu leges illustravit. Confluentibus igitur ad utrumque auditoribus, cum eruditione pares haberentur, infamibus precibus, atque adeo pretio discipulos impudenter ambire cœperunt. [2] Quod etsi Ticini tum primum evenit, prius tamen Bononiæ auditum fuerat. [3] Non multo post Taurini, deinde Parmæ, ubi adhuc in Jurisconsultorum albo descriptus invenitur, tum Senis, ac iterum Ticini docuit.

CX. Multa scripsit, quæ uterque RAPHAEL CUMANUS, & (CXI.) FULGOSIUS intimi ejus discipuli inter se divisisse, & tacito autore, suis nominibus publicasse feruntur. Nonnullos etiam libellos & præcipue de *duello* scripsit. Tanta fuit eruditione, ut vulgo *alter Scævola* vocaretur. Palatinam, seu Comitis [4] dignitatem assecutus in Joannis etiam Galeacii Insubrium Ducis consilio fuit. Decessit Ticini an. salutis MCCCCXXV. III. Idus Maji, quo Ascensus Domini memoria agebatur, & in templo D. Thomæ in D. Catherinæ sacello prope aram majorem cum hoc Epitaphio humatus fuit.

Hic jacet Clarissimus Jurisconsultorum ætatis suæ Princeps D. Christophorus de generosa progenie Castellion. Comes atque J. DD. secundi Mediolani Ducis Consiliarius. Qui Papiæ, Taurini, Parmæ, ac Senis primam

[1] *Jas. in l. 41. §. 2. sub. n. 25. ff. de vulg. & pup. subst.* [2] *Porci. in §. 5. Inst. de suspect. tutor.* [3] *gloss. in l. 1. §. 7. ff. de offic. præfect. Urbi.* [4] *in Fulg. cons. 54. in subscriptione.*

cathedram tenens legum Monarcha scribebatur. Ejus anima die XIII. Maji anno MCCCCXXV. in festo Dominicæ Ascentionis, hic dimisso carnis onere, cum Christo in cælum ascendit.

CXII. Ex hac familia JOANNEM CASTELLIONEUM *Vincentiæ* Episcopum fuisse *Blondus* [1] in Italia illustrata, & *Cæpola* [2] scribunt. Nos VINCENTIUM Decreti interpretem in hac gente floruisse supra diximus. Sed & prius COELESTINUS IV ex Castellionea familia Pont. Maximus declaratus fuerat.

CAP. LXXXI.

CXIII. PETRUS MATTESILANUS Bononiensis. CXIV. FLORIANUS a S. PETRO. CXV. MATTHEUS MATTESILANUS.

CXIII. Quibus diebus *Petrus Ancharanus*, & *Antonius a Butrio* Boniæ Jus Pontificium docebant, PETRUS quoque MATTESILANUS *Bononiensis* ibidem florebat, qui præter alios (CXIV.) FLORIANUM a S. PETRO discipulum habuit. Parmæ etiam docuit, ubi adhuc Jurisconsultorum albo scriptus manet.

CXV. *Petri* agnati MATTHEUS vestigia secutus *Antonii Butrii* discipulus fuit, & singularia quædam ab Interpretibus dicta in unum collegit, ac in nonnullas Pandectarum partes [3] *commentariis* editis, *de Successionibus* opusculum, de *Interpretatione legum*, de *Electione verioris opinionis*, *de Contrarietatibus Bartoli*, *&* *Extensione* libros composuit. De die obitus eorum, aut sepulchro nihil constat.

CAP. LXXXII.

CXVI. RAPHAEL RAIMONDUS Comensis. CXVII. BENEDICTUS RAIMONDUS. CXVIII. URBANUS VIGNATUS Venetus.

CXVI. Duo ejusdem nominis Jurisconsulti arctissima vitæ necessitudine conjuncti fuisse dicuntur, RAPHAEL RAIMONDUS *Comensis*, quem *Cumanum* vocant, & FULGOSIUS *Placentinus*, qui cum *Christophorum Castellioneum* audivissent, luculentissima ejus commentaria suppressa inter se divisisse creduntur, ac dum Patavii profiterentur, alter, quæ ad matutinas, alter, quæ ad Vespertinas lectiones pertinent, parum grato in Præceptorem animo, sibi impudenter attribuisse; [4] uterque eorum, quod ob nimium ingenii acumen

[1] *In Italia illustrata in Lombardia. region. 7.* [2] *De simulat. contract. in 6. casu prim. sub n. 100. & Præpos. Alex. in prælud. feud. col. 8. vers. Quærit hic D. Marti.* [3] *in lib. de appellat. & alibi.* [4] *Jas. in l. 1. ff. de pact.*

arc-

a receptis opinionibus recesserit, non multum æquitati favisse videtur. [1] Anno Salutis MCCCCXX. crescente in Italia peste, docere desierunt, quemadmodum *Alexander Tartagnus* annotavit. [2] Cum in eodem Patavino gymnasio diu docuissent, in eadem etiam Urbe sepulchrum meruere. Sed quo anno decesserint, non constat. Cumanum tamen anno MCCCCXXIV. Patavii professum fuisse, ex ejus responsis liquet, cujus JO. FRANCISCUM CAPILISTIUM concurrentem fuisse, plerique autumant, qui ad synodum Basiliensem a Venetis missus amplis a Sigismundo privilegiis honestatus fuit.

CXVII. Moriens *Raphael Raimondus* filium nomine BENEDICTUM reliquit, qui & ipse per XXX. annos tum Bononiæ, tum Patavii docuit; & Patavium an. MCCCCXLVII. ad jus civile explicandum conductus est, cum ibi (CXVIII.) URBANUS VIGNATUS *Venetus* extra ordinem profiteretur, qui postea Episcopus Sibenici fuit. Conditus est Raphael in templo D. Justinæ ad dextrum latus sacelli D. Prosdocimi cum hoc carmine, quod ego legi, postea alio translatis reliquiis, abrasum fuit.

Raphael hic situs est antiqua ab origine patrum,
Qui quondam gemini gloria juris erat.
Hunc Raymonda domus, hunc Comum patria luget,
Hunc sibi præreptum flet studiosa cohors.
Flet semper, quoniam talem vix prisca tulerunt
Sæcula, nec similem forte futura dabunt.

CAP. LXXXIII.

CXIX. RAPHAEL FULGOSIUS Placentinus. CXX. NICOLAUS SPINELLUS. De corona, quam Sigismundus gessit nondum ea a Pontifice cinctus.

CXIX. RAPHAEL vero FULGOSIUS genere *Placentinus* tam acris ingenii fuit, ut primo anno, quo juri cœpit incumbere, intra domesticos parietes jura interpretari, & disputare ausus fuerit; [3] infirmus tamen memoria fuisse fertur; [4] præter *Castellioneum* etiam (CXX.) NICOLAUM SPINELLUM Præceptorem habuit, a quo reprehendi solitus est, quod decem tantum singulis annis Pandectarum libros exponeret, cum ipse XXIV. solitus esset interpretari. [5] Uxo-

[1] *Barba. in c. Raimundus. in 6. col. de testam.* [2] *Hieronym. Prævidellus de peste. parte ult. cap. 21.* [3] *Fulgo. in l. 38. n. 3. ff. de jurejur.* [4] *Alcia. in oratione, quam habuit Avenioni.* [5] *Fulgo. in proem. ff. sub. n. 15.*

rem duxit Papiensem ex Nobili *Becariorum* familia, qua sine prole defuncta, partem dotis se lucratum dicit, [1] postea *Joannam Nicellam* Placentinam Joannis filiam uxorem habuit.

Constantiæ Synodo interfuit, ubi plura exorta dubia decidit, [2] ac mite ingenium, prudentiamque ostendit. Inter alia cum semel Sigismundus Cæsar Constantiæ festo Nativitatis in Templum quintam lectionem decantaturus venisset, coronam, qua nondum a Pontifice cinctus fuerat, gessit, tumultuantibusque Præsulibus, consultus, an id facere posset, suasit, ut quiescerent, & tempori inseruirent, quod etiam actum fuit. [3]

Primo Ticini docuisse creditur, deinde cum Raimondo Patavii, ubi in via, quæ a foro ad Moletrinarum pontem ducit, habitavit, ubi nunc, splendido extructo ædificio, Mons pietatis exercetur; *Petrumque Aluarotum*, & *Jo. Franciscum Capilistium* concurrentes habuit. Sunt, qui eum ab initio Cumanum discipulum habuisse velint, quod mihi non constat. Nepotem habuit, qui contra consilium suum litigare voluit, & succubuit. [4] Præclara in *jus nostrum commentaria*, & *Responsorum volumen* reliquit. An. Salutis MCCCCXX. crassante in Italia peste, non docuit, erat tunc partem Codicis a titulo de pignoribus usque ad finem interpretaturus, quam omittere est coactus. [5]

Humatus & ipse est Patavii in D. Antonii templo insigni loco cum hoc Epitaphio.

Fulgosius Raphaël virtutum jaspis utroque
Jure stupor tantus & fama, quantus & orbis
Scriptis morte vacat, tam parvo clauditur antro,
E meritæ perdigna gerens cognomina laudis
Fulgosius Raphael clauditur hoc tumulo,
Consuluit nemo melius, fulsitque docendo
Cæsareas leges, juraque Pontificum.
Claruit eloquio, quem blanda Placentia forma
Et genere insignem, mente piumque tulit.
Corpus hic in pace quiescit.

1 *In l. 1. & ibi Jas. in 2. lectura sub n. 60. C. de sum. trinit. & fid. Cathol. Rolla. a Valle. de lucr. dot. q. 13. n. 3.* 2 *in l. 3. n. 9. ff. de offic. prætor. in l. 5. n. 15. de jurisd. omni. jud.* 3 *Fulgo. in l. 1. ff. de off. Præf. Aug.* 4 *Fulgo. in l. 19. C. de transact Jas. in cons. 219. col. 3. in 2.* 5 *Hieronym. Prævidellus de peste. parte ult. cap. 21.*

CAP.

CAP. LXXXIV.

CXXI. JO. FRANCISCUS CAPILISTIUS: Origo vocis Capillistii. **CXXII.** FRANCISCUS CAPILISTIUS. **CXXIII.** GABRIEL CAPILISTIUS. **CXXIV.** JO. FRIDERICUS CAPILISTIUS. **CXXV.** BARTHOLOMEUS CAPILISTIUS.

CXXI. CAPILISTII ante *Transagaldi* vocati a *Carroto*, qui Caroli Magni Tribunus militum fuit, nomen sumpsisse dicuntur. Is enim transversam Zonam auream, quam vulgo Listam nominabant, de militum more cum gereret, *Capilista* vocatus est, & inde Transagalda familia hoc cognomentum tenuit, ex qua ortus JO. FRANCISCUS CAPILISTIUS præclarum ingenium nactus, ubi lauream adeptus est, tanta felicitate in Patria Jus civile profiteri cœpit, ut *Jacobo Saliceto*, & *Raphaeli Fulgosio*, & *Paulo Castrensi* concurrens adjungi promeruit. Demum anno MCCCCXXXI. ob schisma Basileam Concilio indicto, [1] primo pro Venetis, mox pro Eugenio III. qui Synodum detrectabat, honorifica legatione functus est, ubi a Sigismundo Cæsare Equestri, & Comitis dignitate honestatus Jus creandorum Doctorum, aliaque perampla pro se, & posteris privilegia obtinuit. Postremo a Senatu Veneto ad Ludovicum Principem Mediolani ob fines ponendos, & firmandam pacem missus pro voto rem confecit. In cathedra cum legem recitaret, quæ humanam fragilitatem mortis cogitatione turbatam memoria plures res minus consequi posse refert, [2] repentino morbo correptus expiravit.

CXXII Decessit anno MCCCCLIX. tribus post se filiis relictis, RAPHAELE Canonico Patavino, GABRIELE, & FRANCISCO. Is poetica delectatus eximius etiam Jurisconsultus evasit. Quadraginta annis in Patria utrumque Jus professus *Joannem Bertachinum Firmanum*, [3] & *Jo. Baptistam a Sancto Blasio* discipulos habuit. At (CXXIII.) GABRIEL & ipse Jurisconsultus, & Eques cum Romæ per aliquot annos Senator fuisset, etiam Bononiæ summa cum æquitate Prætorem egit, ubi Illustrium virorum, qui ibi jacent, monumenta excepta scriptis mandavit.

Floruere in hac familia & (CXXIV.) JO. FRIDERICUS magnus Juris interpres, & *Doctor veritatis* appellatus, & (CXXV) BARTHOLOMEUS, qui cum annis XXIII. in Patria Jus explicuisset, senio confectus obiit an. MDV. omnes in templo D. Antonii in majorum se-

[1] *Plati. in Euge 4.* [2] *l. 8. vers. ac cum humana fragilitas. C. qui testam. fac. poss.*
[3] *Bertachi. de Gabellis.*

pulchro

pulchro conditi fuere. Qui vivunt non pauci Equites, & Jurisconsulti hodie Nobilem hanc familiam honestant.

CAP. LXXXV.

CXXVI. FLORIANUS a S. PETRO. CXXVII. JOAN. a S. PETRO.

CXXVI. FLORIANUS a S. PETRO, quod est Castellum in agro Bononiensi, *Petri Mattesilani* discipulus cum *Bartholomæo Saliceto* in Patria Jus civile docuit, quo tempore ibi etiam *Petrus Ancharanus, & Antonius a Butrio* [1] jus Pontificium interpretabantur. [2] Plura in aliquot Pandectarum partes erudite scripta reliquit. Hic *Antonium a Prato veteri*, & *Alexandrum Tartagnum*, *Angelumque Aretinum*, cui legum tyrocinium deponenti lauream dedit, & *Joannem ab Annania*, [3] omnes clarissimos, postea Interpretes, discipulos habuit. Defunctus in patria in D. Dominici peristylio in eodem, ubi *Dinus* & *Cinus* humati fuerant, sepulchro conditus est. Ejus obitus dies nescitur.

CXXVII. JOANNEM fratrem habuit & ipsum clarissimum Jurisconsultum. [4]

CAP. LXXXVI.

CXXVIII. LUCAS de PENNA.

CXXVIII. IN Galliis eodem tempore LUCAS de PENNA *Tolosanus* enituit, qui in Patria Jus civile professus postremos tres Codicis libros luculenter est interpretatus, & præclara adhuc hodie ipsius Commentaria visuntur. De ejus tumulo, aut die mortis nihil ad nos pervenit.

CAP. LXXXVII.

CXXIX. JACOBUS ISOLANUS Bononiensis, Cardinalis. CXXX. ANTONIUS ZELANA.

CXXIX. JACOBUS ISOLANUS *Bononiensis* magna nominis claritate in Patria docuit, & cum (CXXX.) ANTONIO ZELANA, qui postea Cardinalis fuit, publice disputavit. [5] Primo Equestri dignitate donatus, mox ob insignem doctrinam a Joanne XXIII. qui ad componendas seditiones Bononiam venerat, inter Cardinales receptus fuit. Quando decesserit, vel ubi jaceat, nunquam audivi.

1 *Ant. a Butr. conf. 31.* 2 *patet ex conf. 101. quod est inter conf. Fulgo.* 3 *Barbat. in conf. 64 n. 86. lib. 2.* 4 *in subscript. conf. 359. Petr. de Ancar.* 5 *Jas. in l. 29. in prin. n. 31. ff. de lib. & posthum. inst.*

CAP.

CAP. LXXXVIII.

CXXXI. JOANNES ab IMOLA; etymologia vocis IMOLA. De Doctoribus nostris Bononiensibus: de singulari diligentia.

JOANNES ab IMOLA absque familiæ nomine tantum a loco, ubi natus est, cognomentum retinet; Id oppidum olim Forum Cornelii fuit, quod ab Antiocho Narsetis Præfecto solo æquatum, deinde a Clephe Longobardorum Rege instauratum a colle, ubi arcem ejus nominis habebat, *Imola* est appellatum. [1] Cum nulla igitur gentis memoria extet, ex infima plebe Joannes fuisse existimatur. Primo Perusii ab *Angelo Ubaldo* est institutus. [2] Deinde Bononiam studiorum causa profectus in jure civili *Franciscum Ramponem* celebrem Jurisconsultum, [3] & *Benedictum a Plumbino* [4] audivit. In Pontificio vero ab *Antonio a Butrio*, [5] & *Petro Ancharano* [6] est eruditus. Laurea accepta, cum Patavii profiteri cœpisset, tanti nominis fuit, ut omnes sui temporis Jurisconsultos superaverit. Unde a *Nicolao Attestino* Ferrariam ad illustrandam eam Academiam An. MccccII. conductus est, ubi jus civile per aliquot annos docuit. Inde Bononiam vocatus eam Academiam plane destitutam restauravit.

Condiderant paulo ante statutum Bononienses, *quo exclusis peregrinis Professoribus, solos cives docere volebant.* Cum vero studiosi viros fama celebriores in alias Academias sequerentur, illud gymnasium minus frequentabatur. Quare damnoso Decreto revocato, aliquem insignem Doctorem acciri placuit. Excellebat tum supra alios *Joannes*, qui amplo stipendio Bononiam vocatus, primus Leoninum statutum rupit, & eam Urbem discentibus replevit. Sed non diu tanto honore, ut aliqui volunt, gaudere potuit, siquidem una lectione habita, mox decessisse dicitur, quod Ego falsum esse existimo, cum Ludovicum Pontanum, & alios ab eo Bononiæ institutos fuisse inveniam; Inter alios *Alexandrum Tartagnum* civem suum *Marianum Socinum*, [7] & *Angelum Aretinum*, qui postea clarissimi evasere, discipulos habuit.

Multo ad acquirendam doctrinam studio opus esse dictitabat, & ipse a *Francisco Murcia* quondam interrogatus, *An multum in discendo elaboraret*, respondit, *Se nocturnis vigiliis, matutinisque studiis non*

[1] *Blond. lib. 8. Decad. 1.* [2] *Imo. in l. 1. §. 2. ff. de verb oblig.* [3] *Imo. in l. 33. in fin. prin. ff. de donat. Jas. in l. 40. ff. de pact. in fin.* [4] *Imo. in l 1. in prin. ff. de verb oblig.* [5] *Imo. in l. pen. §. 1. ff. de publ. judic.* [6] *Imo. in l. 2. in prin. ff. de verb. oblig.* [7] *Marian. Soci. in c. qualiter. 17. n. 45. X. de accusat.*

contentum etiam ſtatim poſt ſumptum cibum, ac plerunque in ipſo prandio, poſthabita ſalutis cura, jurium lectioni vacaviſſe; Quin etiam, ne tempus tereret, ex libro menſam ſæpiſſime ſe feciſſe memorabat, non ob id tamen evitare potuit, quin de jure quandoque interrogatus obmuteſceret. [1] Tanta eruditione in utrumque jus ſcripſit, ut ejus opiniones velut ſano judicio firmatæ plerunque recipiantur, & gravis Bartoli cenſor exiſtimetur.

Flagrantibus forte ædibus, exuſta bibliotheca, omnia commentaria amiſit, quæ, iteratis laboribus, magna ex parte reparavit. [2] Doctiſſima etiam Reſponſa reliquit. Obiit Bononiæ non multo ante *Paulum Caſtrenſem,* ut quidam autumant, anno Salutis MCCCCXXXVI. XII. Kal. Martias, [3] cui in æde D. Dominici hoc erectum eſt monumentum.

D. M. S.

Joannis de Imola Pontificii Cæſa. quæ Juriſconſulti oſſa in ſuppoſito Gariſendorum ſepulchro quieſcunt. Mimus Gariſendus legum & ipſe interpres Æmiliæ ſuæ conjugi fecit.

CAP. LXXXIX.

CXXXII. PAULUS a CASTRO, ratio diſcendi jura. CXXXIII. ANGELUS Caſtrenſis. CXXXIV. NICOLAUS Caſtrenſis. CXXXV. LAURUS PALLATIOLUS Patavinus. CXXXVI. PETRUS BARBOBUS. CXXXVII. FRANCISCUS PORCELLINUS. CXXXVIII. REPRENDINUS ORBATUS.

CXXXII. PAULUS a CASTRO olim Faliſcorum oppido oriundus vir & ipſe infimæ conditionis fuit, ut nec familiæ nomen habuerit. Cum igitur ob tenuem fortunam ſe ſuſtentare non poſſet, apud Baldum ſcribæ officio functus eſſe dicitur. Certum eſt, eum cum filiis Baldi in eodem ſubſellio juris diſciplinam fere ab initio Digeſtorum auſpicatum eſſe, & quæ ſubtiliora audiverat, domum reverſum ſcriptis mandaſſe; [4] a Chriſtophoro Caſtellioneo [5] etiam multa edoctus, & aſſiduis vigiliis ipſe indefeſſus tantam doctrinam adeptus eſt, ut nemo jura acutius penetraſſe exiſtimetur, quæ pura, ac perſpicua interpretatione declarans ſuo nitori plane reſtituit. Cum

1 *Roma. in ſing. 262. Jaſ. in l. 2. ſub. n. 6. C. de edendo.* 2 *Imo. in l. ult. ante n. 10. ff. de hæred. inſtit.* 3 *Marian. Soci. in c. qualiter. 17. n. 45. X. de accuſat.* 4 *Pau. Caſtr. in l. 1. §. 2. in fin. ff de edendo.* 5 *Pau. in l. 2. §. ult. n. 5. ff. de verb. oblig.*

ob

ob inopiam, librorum multitudinem ſibi comparare non poſſet, legibus ipſis ſemper inhærens candidam hanc eruditionem acquiſiviſſe creditur.

Lauream Avenioni ſumpſit, ubi in palatio Epiſcopi ſuper *prorogatione Juriſdictionis* diſſeruit, contra quem octo, pluresve Prælati ſunt argumentati, deinde in ſcholis ſummo mane usque ad veſperam cum aliis diſputavit, unde magnam gloriam retulit, [1] & ibi per annos octo reſidens plura, & ferme 137. Reſponſa ab eo ſeparatim collecta dedit. [2] Mox *Franciſci Zabarellæ* Cardinalis, & Florentiæ Archipræſulis Aſſeſſor fuit, cujus nomine, quod cauſas cognoſceret, & audiret, ejus Auditor vocabatur. [3] Poſtea ab eodem Florentiam Vicarius miſſus ſpiritualibus negociis decidendis præfuit. Demum *Petra Florentina* uxore ducta, in Florentiæ gymnaſio magna cum laude docuit, ejusque Reipublicæ jura municipalia, & Senatum reformavit. [4] Inde Senas, mox Bononiam vocatus cum *Joanne ab Imola*, & CATONE SACCO, cum quo etiam ſolemnius diſputante acriter diſſeruit, [5] Jus civile profeſſus eſt. [6] Avenioni quoque per aliquot annos docuit. Poſtremo Patavium conductus an. MCCCCXXXI. ANGELUM PERILLIUM, cujus aliquot extant opuſcula, & *Jo. Franciſcum Capiliſtium* concurrentes habuit, [7] ibique *Antonium a Prato*, & *Jo. Baptiſtam de S. Blaſio* Patavinum erudiit.

Celebrata *reſponſa* edidit, & *commentaria* adeo luculenta, ut totum jus noſtrum illuſtraſſe videatur, primumque poſt *Bartolum* plurium conſenſu locum obtineat, quos cum *Angelo Ubaldo*, Joannes Pyrrhus Juris prudentiæ Triumviros nominat. De eo vulgatum eſt proverbium, *ſi Bartolus non fuiſſet, ejus locum Paulus tenuiſſet.* Quibusdam tamen nimis promptus in reſpondendo fuiſſe videtur, [8] ſed ipſe timidius ſe reſpondere dicebat, ac reformidare, ne contra conſcientiam conſuleret; [9] Quare eum virum maturi capitis *Felinus* appellat. [10] Cum diu docuiſſet, valde decrepitus deceſſiſſe fertur. [11] Anno Salutis MCCCCXX. craſſante in Italia peſte, Gilium filium amiſit, unde per multos dies docere deſiit, & alia Italiæ gymnaſia ſunt

1 *Pau. Ca. in l. 1. C. de jurisd. omn. judic.* 2 *Pau. Caſt. ante conſ. 335. vol. 1.* 3 *Pau. in Auth. ad hæc. ante nu. 3. C. de judic.* 4 *Pau. Caſt. in l. 1. ſub n. 4. C. de inoff. dotib.* 5 *Pau. in l. 29. §. 10. ff. de lib. & poſthum. inſt.* 6 *Pau. in l. 26. ante n. 6. C. de inoff. teſtam.* 7 *Fortun. in l. 29. §. 5. ſub n. 4. ff. de lib. & poſthum. inſt.* 8 *Alex. in l. 33. ante n. 12. ff. ſolut. matr. Sylva. nupt. lib. 5. ſub. n. 27.* 9 *in conſ. 121. col. 2. verb. verum licet. lib. 1.* 10 *in conſ. 42. n. 11.* 11 *Corne. conſ. 304. ſub. n. 19. lib. 3.*

intermissa, quemadmodum *Alexander Tartagnus* ejus discipulus annotasse fertur. [1] Erectum draconem pro familiæ insignibus habuit, & Patavii in ædibus e regione Servitarum habitavit, quæ etiam hodie ab ejus posteris tanti viri nominis hæredibus possidentur.

CXXXIII. ANGELUM filium & ipse Jurisconsultum post se reliquit, qui an. XL. in Patavino gymnasio an. MCCCCLXXXIV. primo Jus Pontificium, [2] deinde civile docuit, & Equestri dignitate honestatus, & Advocatus consistorialis est declaratus. Is moriens post se *Lucam* filiam reliquit, quæ *Antonio* ex Capitibus *Vaccæ* nupsit, & (CXXXIV.) NICOLAUM canonicum Patavinum, & eximium Jurisconsultum, qui Bononiæ, Ticini, & in patria magna cum laude Jus Pontificium docuit, æneasque effigies Avo, & Patri in Servorum æde cum splendidis titulis collocavit.

Suscepit & filiam Paulus nomine *Franciscam*, quam *Ludovico Calciæ* artium, & medicinæ Doctori nuptui locavit, quæ, nulla prole suscepta, decedens anno MCCCCXCII. *Nicolaum*, *&* *Luciæ* liberos hæredes instituit. Defunctæ amitæ Nicolaus Patavii in D. Julianæ templo monumentum erexit. Sunt, qui *Paulum* cum LVII. annis docuisset, non multo post *Ioannem ab Imola* decessisse affirment. Sed Ego minimum triennio eum Imolæ superstitem fuisse invenio. Ipse annis XLV. se docuisse scribit. [3] Defunctus Patavii in Servorum æde humatus est cum hoc monumento, quod avo *Nicolaus Patavinus* canonicus erexit.

Paulus de Castro Iurisconsultus disertissimus maximæ auctoritatis apud omnes habitus, quod Florentia testatur, cujus jus municipale innovavit, Et in ea conjugatus Petræ uxori Vicariatus officium in spiritualibus Roma. Pont. decreto exercuit. Ubi etiam in Bononiensi, & Patavino gymnasio publice profitendo floruit, æternamque sibi gloriam comparavit, relinquens consiliorum & in Jure volumina plurima edita, quæ inter manus versantur. Et ipsius Angelus filius clarus ingenio amborum jurium tenens vestigia XL. annos Patavii Jura docuit. Eo quod Nicolaus Canonicus Paduanus, qui ab iis processit, utranque & ipse parentum virtutem adeptus hoc immortalitatis opus illis consecravit MCCCCXCII.

Humi vero hæc leguntur.

Paulo de Castro Avo, & Angelo Patri Comiti Pal. utri. Jur. Doctoribus,

[1] *Hieronym. Providellus de peste, parte ult. c. 21.* [2] *Alex. de Nevo. in cons. 97. in subscriptione.* [3] *in l. 15. in fin ff. de neg. gest.*

bus, & in Orbe Monarchu Nicolaus de Castro utri. Jur. Doct. Canonicus Paduanus Aplic. Cubicul. & Comes Palatinus fieri fecit MCCCCXCII.

Pauli Castrensis imaginem, ut vulgo ferunt, Cæsennæ in Prætorio *Jacobus Rosellus* an. MCCCCXXXV. ibi Prætor, mandantibus Sigismundo, & Pandulfo Malatestis ejus urbis Principibus, depingi curavit. Effigies hodie quoque extat. Senior spectatur, colore fusco, ac vultu macilento, naso aquilino, & ut tunc moris erat, mento raso. Vestem gerit purpuream, cum amplis manicis ad talos demissis, variis pellibus suffultam. Pileum habet purpureum cum fascia ejusdem coloris in humero pendente, quali utuntur Religiosi vulgo Jesuitæ nuncupati. Ipse ante beatæ Virginis imaginem ad dexteram in genua procumbit. Ad sinistram tres rosæ visuntur, quæ *Rosellorum* familiæ sunt insignia. Ego eam ipsius Roselli imaginem esse existimo. Hæc tamen vulgi opinionem secutus scripsi, & quod vultus, quo Paulus Castrensis pingitur, ei sit similis.

CXXXV. Eodem tempore Patavii Jus civile docuit LAURUS PALLATIOLUS *Patavinus*, qui plura erudite scripsit, inter quæ eminet interpretatio statutorum fœminas, stantibus masculis, excludentium.

CXXXVI. Post Paulum Castrensem Patavii PETRUS BARBOBUS cognomento *Sonzinus* anno MCCCCLIV. Doctor creatus Jus civile XXVIII annis, & (CXXXVII.) FRANCISCUS PORCELLINUS per annos XXXVIII ambo Patavini vespere interpretati esse dicuntur. *Sonzinus* in Digestum vetus, & 6. Codicis librum scripsit. Honorifice a *Cepola* in responsis citatur.

CXXXVIII. REPRENDINUS quoque ORBATUS & ipse Patavinus in eodem gymnasio per annos XXIV. post eos Jus civile explicuit, ut ibi posita inscriptio dicit.

CAP. XC.

CXXXIX. CATO SACCUS Papiensis. CXL. SACCUS GUALTERIUS. CXLI. JACOBUS PUTEUS Alexandrinus.

CXXXIX. CATO SACCUS *Papiensis* cum Ticini aliquandiu docuisset, postea Bononiam conductus est, quo tempore ibi *Paulus Castrensis* docebat, quo cum etiam certamen inivit, [1] Sed Paulo Patavium profecto, Cato quoque Ticinum reversus est, ubi *Ja-*

[1] *Pau. in l. 29. §. 10. ff. de lib. & posthum. inst.*

ſonem circiter annum MCCCCLXV. diſcipulum habuit. Nec multo poſt defunctus cum hoc brevi, ſed ſcito, Epitaphio humatus fuit. *Reliquum Catonis.* Hunc *Blondus* cum *Silano Nigro* celebrat. [1]

CXL. Antea alter SACCUS GUALTERIUS Ticini floruerat, quem Baldus ibi docens in cauſa propria conſuluit, cum ſuæ conſcientiæ non confideret. [2]

CXLI. Eodem tempore claruit JACOBUS PUTEUS *Alexandrinus*, [3] qui & ipſe Jaſonem inſtituit. [4]

CAP. XCI.

CXLII. THOMAS DOCTIUS Senenſis.

CXLII. NUllus veritati propius acceſſiſſe, nullusve ſuis temporibus dilucidius THOMA DOCTIO *Senenſi* docuiſſe cenſetur, ob id *Doctor verus*, [5] aut *veritatis*, & *Clarus* cognomento dictus eſt. Bartholomæi Socini præceptor fuit. [6] Deceſſit in Patria anno MCCCCXLI. cui ad portam Cœnobii D. Franciſci in marmorea tabula muro affixa hoc monumentum poſitum fuit.

Domini Thomæ Doctii, & hæredum ſuorum.

CAP. XCII.

CXLIII. ANGELUS PERILLIUS Peruſinus. CXLIV. JOANNES PORTUS Vicentinus.

CXLIII. DUo eodem tempore ambo Peruſini in Patria, diverſis tamen horis, docuerunt ANGELUS PERILLIUS Veſpere, & JOANNES PETRUCII filius a *Monte Sperello* mane, & uterque *Jo. Baptiſtæ Caccialupi* Præceptor. Angelus cum aliquandiu in Patria profeſſus eſſet, Romæ Advocatus Conſiſtorialis factus eſt. Mox Patavium conductus *Pauli Caſtrenſis* concurrens fuit. Ibi anno Salutis MCCCCXXXI. opuſculum de *Suitate*, & alterum de *Societate* atque *aliquot in jus civile commentaria* compoſuit. Demum Peruſium reverſus, dum ibi Interpretis officio fungitur, obiit anno Salutis MCCCCXLVI. & in templo S. Mariæ novæ ſub humo conditus fuit. Nemo eo Patavii ſubtilius docuiſſe, aut acrius diſputaſſe dicitur.

[1] *In Italia illuſtrata in Lombardia. regio 7.* [2] *in conſ. 295 cum trib. ſeqq. lib. 1. inter conſ. Baldi.* [3] *Jo. Anto. Rube. in conſ. 125. ante nu. 3.* [4] *Jaſ. in l. 1. in prin. ſub n. 20. ff. de oper. nov. nunciat.* [5] *Socin. in l. 102. ſub. n 88. ff. de cond. & demonſt.* [6] *Socin. in l. 10. poſt num. 9. C. de pact.*

CXLIV. Sub id tempus JOANNES PORTUS *Vicentinus* pluribus annis Patavii Jus docuit.

CAP. XCIII.

CXLV. JOANNES A MONTE SPERELLO. CXLVI. MATTHEUS FRANCISCUS.

XCV. JOANNES ex familia *Nobilium* [1] a MONTE SPERELLO, qui est in agro Perusino pagus, ex patre *Petrucio* Nobili viro natus professor doctissimus evasit. *Baptistam Caccialupum*, *Ludovicum Romanum*, & *Philippum Corneum* instituit. Aliqua ab imperito, ac inepto Præceptore accepta se vix sexagenarium dedifcere potuisse dictitabat, & ob id eruditum Doctorem semper eligendum esse monebat.

Ob generis nobilitatem ordinis Perusinorum Jurisconsultorum Princeps factus diu etiam in Patria Rempublicam administravit; filiam *Philippo Corneo*, Juvenis virtutibus illectus perampla cum dote nuptui locavit, ex quo tres masculi, totidemque fœminæ procreatæ fuerunt. Aliquot ejus commentaria in Codicem manuscripta adhuc extant, quæ Ego Patavii vidi. Filium post se reliquit (CXLVI.) MATTHEUM FRANCISCUM Jurisconsultum, qui Florentiæ Capitaneus, & Judex appellationis fuit. Excessit e vivis *Joannes* admodum senex anno MCCCCLXII. nullo de eo Epitaphio superstite.

CAP. XCIV.

CXLVII. LUDOVICUS PONTANUS Spoletanus, studendi jura ratio, professiones, munera, legatio ad concilium Basileense, vituperationes.

CXLVII. LUDOVICUS PONTANUS *Spoleti*, quæ urbs Umbriæ est, humili fortuna natus a puero Romæ educatus est, unde Romani cognomentum tulit. Septem annis in gymnasiis Jurium disciplinæ pertinacissime vacando numquam in ea facultate mutire aut ab aliquo dissentire visus, quod ingenii præstantiæ attribuitur. [2] Perusii a *Joanne Petrucii*, & *Angelo Perillio*, & *Dionysio* singularis bonitatis, & conscientiæ viro [3] institutus, postea Bononiam profectus *Joannem ab Imola* audivit, ibique in severo examine studiorum Tyrocinio deposito lauream accepit; [4] Memoria omnes sui temporis Ju-

[1] *Corne. in cons. 93. sub. nu. 9. l. 2.* [2] *Rapha. Volat. lib. 21. Anthropolog.* [3] *Rom. cons. §. 17. n. 14. ver. Secundo tamen.* [4] *Roma. singu. 262.*

risconsultos antecellens maxima nominis celebritate claruit; Dicendo tamen ineptus adeo infeliciter recitabat, ut præclara quæque in ejus ore sordescerent. [1] Romæ legem quandam [2] tanta hominum frequentia explicuit, quanta alius unquam ab hominum memoria docuerit [3] Inde Senis anno MCCCCXXXIII. cum *Antonio a Prato* veteri professus *Franciscum Accoltum* Aretinum omnium clarissimum interpretem erudiit. Florentiæ etiam Advocati officio functus *Nellum a Sancto Geminiano* adversarium habuit. [4]

Demum Romam profectus ab Eugenio IV. Pont. Protonotarius creatus est; Mox Alfonso Aragonio ob insignem eruditionem maxime carus ab eo cum *Nicolao Cataneo* Basileam ad Synodum legatus destinatur. Conquerentibus vero Aulicis, quod tantæ rei pondus hominibus obscuris natalibus ortis commisisset, in eo negotio *non sanguinis nobilitate, sed doctrina* opus esse Alfonsus respondit. In ea tamen legatione discordes parum Regi, & Synodo profuerunt, ut *Æneas Sylvius* testatur. [5] *Ludovici*, inquit, *Pontani, & Nicolai Siculi bella legatio, & digna tanto principe, nisi discordes animi, & invidia laborantes neque regi neque concilio utiles extitissent. Fuimus & nos Basileæ, notumque nobis est, non minus occupatam fuisse Synodum ad reconciliandos inter se regis legatos, quam ut Bohemos ad Ecclesiæ catholicæ consensum reduceret.* Hæc ille.

Cæterum Ludovicus non diu superstes obiit in ea Synodo sex & triginta horarum spatio a pestilenti morbo sublatus cum vix XXX. ætatis annum ageret, & Cardinali dignitate honestandus esset, ut *Æneas Sylvius* commemorat, [6] cujus verba, quod hominis virtutes exprimant, hic subjicienda esse duxi. *Finitis*, inquit, *Panormitani verbis, Ludovicus Romanus Protonotarius totius humani Juris gnarus assurrexit. Cujus tanta memoria fuit, ut nulli veterum cedere putaretur, sive Simonidem, sive Theodectem, sive illum. qui a Pyrrho missus ad Senatum venit, Cyneam, sive Carneadem Sersphium, Metrodorum, Hortensium, sive qui horum ultimus fuit, Lucium Senecam de dignitate memoriæ commendemus; Erat enim memor omnium, quæ ipse unquam aut legisset aut audivisset, nec oblitus erat eorum aliquid, quæ ipse vidisset. Nec ut cæteri Jurisconsulti principia legum in disputando allegabat, sed quasi Codicem legeret, sic textum memoriter referebat.*

1 *Alcia. in oratio. quam habuit Avinioni.* 2 *fuit Auth. similiter. C. ad L. Falcid.* 3 *Roma. Singu.* 33. 4 *Jas. in l.* 9. § 8. *n.* 22. *ff. de reb. cred. si cert. petat.* 5 *de dictis. & factis Alfonsi Regis. lib.* 2. *c.* 11 6 *De gest. Basil Concilii. lib.* 1.

Vir

Vir non Roma tantum sed cœlo dignus, & cui nemo mortalium comparandus videretur, non admirationi, sed stupori futurus omnibus populis, si, ut æquum videbatur, ætatis tempora duplicasset. Sed invidit Fortuna Italiæ, nec tantum scientiæ lumen crescere passa est: immisit pestiferum morbum, virumque vix XXX. *egressum ætatis annum abstulit, nec plus horis sex, & triginta sinit ægrotare. Visusque non transitus ille hominis, sed furtum. Quis enim virum adeo juvenem, adeo robustum, tam brevi morula extirpari putasset? Sed fuit mors damnosior morte cujusvis. Regis, quippe quod Regi hæres succedit in Regno, viro autem adeo docto nullus superest in literis hæres; Sed dum Cardinalari vir benemeritus manet, apud Chartusiam sepelitur.* Hæc Æneas Sylvius de viro illustri retulit.

Nota tamen non caruit, qui in novis opinionibus somnia fingere dictus, ea vetustorum auctoritatibus, quæ raro inveniantur, comprobare nititur. [1] Sunt & qui eum avaritia ductum consuluisse dicunt. [2] *Commentaria in Pandectas & Codicem* reliquit, *Responsorum volumen unum*, *Singularium* item *unum*. Ejus responsis in definiendis negotiis sæpius Pontifex usus esse dicitur, & inter quatuor primos consulentes a *Gallesio* ponitur. [3] Vir facetus fuit, & plerunque scommatibus delectatus cum semel litigiosus quidam simis naribus, hircinaque barba illi sæpe molestus duos venatorios canes millis ornatos donavisset, interrogaretque *an valeret*, Ludovicus, *gratiis actis, se valere* respondit; Tum ridens, *Tu vero*, inquit, *num tuum gregem tutum, abductis canibus, reliquisti?* Quo dicto ad caprinum hominis vultum alludere voluit. Florentiæ a rustico pro indocto est dimissus, quod requirenti interlunii diem dicere nescivisset. [4] Patre, & Fratre superstite, decessit Basileæ, ubi apud Carthusianos cum hoc Epitaphio sepultus fuit.

Anno Domini MCCCCXXXIX. Reverendus in Christo Pater Dn. Ludovicus Pontanus de Roma utriusque Juris Doctor egregius S. Sedis Apostolicæ Protonotarius, cujus anima requiescat in pace. Amen.

Reperitur & aliud Epitaphium in eundem ab *Ænea Sylvio* conscriptum, quod ita se habet.

Si mille, aut totidem rapuisses usque virorum
Pestis, adhuc poterat parcere sæva tibi.

[1] *Alex. in l. 22. §. 5. n. 4. ff. solut. matrim. Sylv. nupt. lib. 5. sub. n. 62.* [2] *Claud. Seisel. in l. 36. ad fin. ff. de verb. oblig. Cardi. Alban. cons. 24.* [3] *de exercit. jur. prud. lib. 1. sub. num. 25.* [4] *Roma. singu. 52.*

Vivens, quo nusquam fuerat præstantior alter,
Extinctum potius reddas iniqua lues.
Quem fletis leges, quem fletis jura, sacrique
Nunc Canones, obiit, quem coluistis herus.
Hic vos ornarat, vestras ubicunque fuerunt
Solverat ambages, nunc sine voce jacet.
Heu voces, heu verba viri divina memorque
Ingenium, quovis nunc tua multa fama est.
Heu Romane jaces, quo nec Romanior ullus
Antefuit, quo nec forte futurus erit.
Te Pater & charus ratur modo vivere frater
Heu quantos gemitus ille, vel ille dabit.
Te Roma atque omnis plorabit Hetruria, teque
Tota petet lachrymis Itala terra piis.
Te nunc Concilium, te nunc ululatibus unum
Ipsa quoque extinctum queritat Ecclesia.
Heu vanas hominum mentes, heu pectora cæca
Cuique dies certum est fata dedisse suos.
Et nos cum Superi statuent, veniemus ad illos
Nemo parum vixit, cui bona vita fuit.

CAP. XCV.

CXLVIII. PETRUS PHILIPPUS CORNEUS Perusinus. De CORNELIOLO. Cornei Præceptores, modus respondendi, munera, legationes, continentia & sobrietas, matrimonium, liberi.

CXLVIII. PETRUS PHILIPPUS CORNEUS natus est Perusii ex nobilissima Corneorum familia, quam a Corneliis Scipionibus Romanis fluxisse Perusini autumant, & corrupto vocabulo pro *Cornelii Corneos* appellatos. Ex his CORNELIOLUS fuit, qui egregium *Agriculturæ* opus post se reliquit. Petrus vero Philippus domi sub privatis Præceptoribus in Grammaticæ & Rhetoricæ studiis feliciter eruditus, cum XII. ætatis annum excessisset ad Jus civile discendum se contulit, omnibusque domesticis deliciis posthabitis, tam pertinaciter ei incubuit, ut cibo, & somno parcissime uteretur, nec nisi summum quinque horis quiesceret, vixque propinquorum increpationibus, & conviciis a lucubrationibus abstrahi poterat. Per se vero nisi audiendi, aut cum æqualibus, vel Præceptoribus differendi gratia,

gratia, domo exire nunquam consueverat. Ob hæc tantam in omnium animis de se spem concitavit, ut crebri de illo in tota urbe sermones sererentur. *Benedictum Capram*, [1] & *Joannem Petrucii Sperellum*, qui tum mane magna nominis celebritate prælegebant, attente audivit, quem, dum arduas, ac difficiles quæstiones semper modestus proponit, admirabundum sæpius reliquit. Denique præclaris his virtutibus ita sibi conciliavit, ut ejus filiam perampla cum dote uxorem promeruerit. Vespere ab *Ibone* Perusino eruditus, [2] tandem Jurisconsulti insignia est adeptus.

Cum vero in patria profiteri cœpisset, ad eam nominis celebritatem pervenit, ut vulgo *subtilis Doctor* vocaretur. Veterum, ac recentiorum Juris Interpretum, quantum nullus ante se, copiam habuit. Sacris etiam literis, historiis, Poetis, aliisque scriptoribus frequenter utebatur. Nullo usus amanuensi, quos celeriter dictata tardius excipere quærebatur, sua manu descripta consulentibus Responsa reddebat. Vox ei in docendo exigua audientium auribus influebat potius quam insonabat. Cæterum pronuntiatio sedata erat, & jucunda, gravis oratio, & venusta; tanta vero rerum copia, & varietas, ut quæ dicebat, non ex libris habuisse, sed ipse protinus peperisse crederetur.

A multis undique gymnasiis expetitus, accersitusque fuit. In primis Dux Ferrariensis crebris literis, nunciisque solicitatum tandem Ferrariam attraxit. Sed cum ejus absentia Perusinum gymnasium destitueretur, paulo post indignabundus Sixti Summi Pontificis literis revocatus in patriam reverti coactus est. Sed non multo post perturbatus seditiosorum factionibus Perusii, a Florentinis Pisas [3] amplo stipendio conductus ibi triennio docuit. Inde efflagitantibus Perusinis per eundem Pontificem rursus domum retractus est; ubi prope solus ex omnibus Italiæ, & Transalpinorum locis consultus Responsa dedit. Inter cives vero magna æquitate lites composuit.

Honorificis ad Summos Pontifices, Florentinos, aliosque Principes legationibus functus Curiæ etiam in Patria præfuit. Irasci in tota vita raro visus est. Amicis, aut affinibus gratuitam semper consulendo aut patrocinando operam præstitit. Ab aliis, quod sponte offerebatur, accepit. Sunt tamen, qui eum valde facilem ad consulendum fuisse asserunt. [4] Statura fuit perbrevi intra justi hominis

1 *Corne. in conf.* 197. *ante n.* 2. *lib.* 1. 223. *in fin. &* 271. *sub n.* 10. *lib.* 4. 2 *Corne. in conf.* 206. *n.* 16. *l.* 3. 3 *Corne. in conf.* 294. *lib.* 1. 4 *Rui. in l.* 1. *ff. solut. matr.*

trientem; forma tamen corporis egregia, atque amabili, nigris oculis, lucentibus, & præcipue vegetibus, valetudine firma, quam sobrietate tuebatur, ut bis, terve summum in tota vita languorem contraxerit, in quo nec Medicorum cura magnopere indiguit. In rebus venereis, & voluptatibus continentissimus fuit. Professus annis quinquaginta decessit, annum agens LXXIII. integris sensibus, & vigentibus, adhuc superstite uxore, & liberis sex, quorum tres masculi fuere. PETRUS *Paulus*, JULIUS CÆSAR, & CAMILLUS. *Commentaria in Codicem, & Responsorum volumina* quatuor reliquit.

CAP. XCVI.

CXLIX. MARTINUS GAZATUS Laudensis, ejus scripta.

CXLIX. EAdem ætate MARTINUS GAZATUS, vel, ut alii *Carcetus* laude Pompeja oriundus emicuit. Docuit Ticini, & Senis, & præter *commentaria de Privilegiis, & Rescripto libellum, duos de Cardinalibus, de Dignitate* alium composuit; *casus, quibus Pontifex non dispensat,* recensuit. *De Principibus, eorum Legatis, Consiliariis, Confœderatione*, & *Conventionibus*, *Officialibus*, *Castellanis*, *Castris*, *& Milite* disseruit. *De fisco quoque, Monetis, & Bello, de Repressaliis, Primogenitura, & Legitimatione* scripsit, dum Ticini anno MCCCCXLIV. profiteretur. De *crimine* item *læsæ Majestatis* opusculum edidit, & omnia fere brevibus quæstionibus complexus est. Verum ex his aliquot libros ei ascriptos fuisse suspicor.

CAP. XCVII.

CL. FRANCISCUS PLACENTIUS Cremensis.

CL. SUb id tempus etiam FRANCISCUS PLACENTIUS *Cremensis* Senis docuit, ut ex ejus patriæ historiis constat, & ex ipsius Singularibus deprehenditur, [1] quæ ibi auditoribus dictasse videtur. Lucæ præterea jus dixisse creditur. [2] Alia de illo memoria non extat.

CAP. XCVIII.

CLI. GEORGIUS LAMPUGNANUS; tumultus Mediolanenses.

CLI. PRætermittendus non est GEORGIUS LAMPUGNANUS, qui iis temporibus Ticini docuit, felicior, si se turbis populari-

[1] *Singulari* 81. [2] *idem in Singula.* 97.

bus

bus non immiſcuiſſet. Deceſſerat *Philippus Maria* Dux Mediolani, apoplexia correptus anno humanæ ſalutis MCCCCXLVII. Alfonſo Aragonum Rege hærede inſtituto; populus ad libertatem aſpirans XII. viros, qui Remp. adminiſtrarent, elegit. Georgius magnus libertatis aſſertor, ac Democratiæ ſtudioſus Philippi teſtamentum dilaniavit. Sed cum Civitas inconſtans, Nobilibus dejectis, ex ima plebe XII. Viros ignobiles legiſſet, qui magiſtratum gererent, hi Patritios, quos multis modis offenderant, ſuſpectos habentes, ſeptem ex illis primarios, & opibus claros, & quosdam alios fraude interemptos necaverunt; inter eos fuit Georgius, quem legatum ad Fridericum Imperatorem auxilium imploraturum mittere ſimulant, & in itinere *Modoeciæ* captum necarunt. Hunc exitum Georgius habuit popularis libertatis ſtudioſus. [1] Populus fame laborans arreptis armis, plebejos magiſtratus in vincula conjecit, & urbem Franciſco Sfortiæ eam obſidenti tradidit.

CAP. XCIX.

CLII. RAPHAEL ADURNUS Genuenſis. Turbæ Genuenſes.

CLII. PAulo meliorem fortunam expertus eſt RAPHAEL ADURNUS, qui & ipſe Juris Ticini Interpres popularibus Genuæ factionibus ſe immiſcuit. Tenebatur ea Civitas a Philippo Sfortia Mediolanenſium Duce, cujus prætorem Opicinum Olgiatum Franciſcus Spinula patriæ libertatis cupidus necavit, & octo Capitaneos, qui Remp. adminiſtrarent, creavit. Sed non multo poſt Thomas Fregoſius, illis ejectis, Urbis dominium arripuit, & ſe Ducem creavit, [2] cui cum Baptiſta frater ſucceſſiſſet, Jo. Antonius Filiſcus, & Raphael, Thoma in carcerem conjecto, Fratrem ejus Baptiſtam principatu deturbarunt, & libertate patriæ reſtituta, item octo Capitaneos Remp. adminiſtraturos inſtituerunt, quorum unus *Raphael* fuit. Sed hujus quoque ſtatus is pertæſus, gentilibus ſuis, & Spinularum primoribus in ſuam ſententiam pertractis, collegas ſuos magiſtratu abdicavit, & Ducis inſignibus aſſumptis, ſupra duos annos Patriæ Principem egit, quo tempore autor fuit pacis inter Genuenſes, & Alfonſum Regem Aragonum his conditionibus ineundæ, *ne hinc inde ablata reſtituerentur, ne alterutrius hoſtes reciperentur, commeatuve adjuvarentur, Genuenſes Regi quotannis, dum viveret, honoris gratia pateram auream donandam*

1 *Æneas Sylvius in Hiſto. Europæ. c. 49.* 2 *Æneas Sylvius epiſt. 3. lib. 1.*

Neapolim mitterent; [1] Sed mox Genuensium navi, quæ de Chio Insula Genuam petebat, ab Alfonsi militibus capta, pax irrita fuit. Demum *Raphael*, a Barbana gentili, & patruele dominio dejectus in ordinem est redactus, & in privata vita extinctus. [2]

CAP. C.

CLIII. JOH. CHRISTOPHORUS PORCIUS Papiensis. CLIV. HIERONYMUS TORTUS.

CLIII. Iisdem diebus JO. CHRISTOPHORUS PORCIUS *Papiensis Raphaelis* Cumani auditor claruit, qui in prima juventute commentarium in Institutiones a Jasone in lucem emissum, & locupletatum scripsit: Ticini docuit, ubi præmatura morte præreptus aliud in lucem emittere non potuit.

CLIV. Eo tempore Ticini HIERONYMUS TORTUS Jus civile explicuit, qui postea defunctus anno MCCCCLXXIX. in æde D. Jacobi Minoritarum observantium apud Lancellatum Decium humatus fuit.

CAP. CI.

CLV. ANTON. a PRATO VETERI Florentinus. De FRANCISCO ARETINO, de VINCENTIO PALEOTO, de PAULO ARETINO, de libro feudorum in ordinem redacto, de BARTHOLOMEO BARATERIO. CLVI. ANTONIUS a PRATO.

CLV. ANTONIUS a PRATO VETERI agri Florentini celebri oppido oriundus a *Floriano* a S. Petro Jus civile audivit. [3] Mox Senis, dum ibi D. Bernardinus concionaretur, circiter an. MCCCCXLIII. cum *Ludovico Romano* professus fuit. [4] Sequente anno Bononiam conductus FRANCISCUM ARETINUM instituit, [5] & VINCENTIUM PALEOTUM, qui mane Jus civile Bononiæ docuit. [6] Palatinam dignitatem, & Patriciam a Cæsare obtinuit. Indicem ad Bartoli, & Baldi opera locupletissimum fecit, & quæ pro memorandis a Bartolo dicta sunt, collegit. Patavii etiam mane, & vespere professus *Pauli Castrensis* concurrens fuit, ut ex albo Patavinorum Jurisconsultorum deprehenditur, quo tempore PAULUS ARETINUS ibidem Jus civile docebat.

[1] *Æneas Sylvius in hist. Europæ. cap. ult.* [2] *Æneas Sylvius in hist. Europæ. cap.* 48.
[3] *in conf.* 133. *vol.* 4. *inter conf. Alex.* [4] *conf.* 49. *n.* 6. *&* 15. *inter conf. Alex. vol.* 4.
[5] *Aret. in l. qui testamento in fin. prin. ff. qui test. fac. poss.* [6] *in conf.* 54. *in fin. &* 65. *inter conf. Alex. lib.* 4. *in subscriptione.*

Librum

Librum Feudorum antea confusum, nullo addito eo, qui nunc est, ordine, in compendium redegit, & in septem partes, ac XXVII. titulos digessit; Id opus Friderico Cæsari dedicavit, quod receptum Imperator publicis in Gymnasiis explicari præcepit. [1] Eundem librum postea BARTHOLOMÆUS BARATERIUS *Placentinus*, qui diu professus Ducis Mediolani, ac Ferrariæ Senator fuerat, in brevius compendium contraxit, ac Philippo Mediolani Duci obtulit, qui in ejus bibliotheca conseruatus nunquam in lucem prodiit; Sunt, qui Antonium, quod Bononiæ docuerit, eam patriam habuisse autument, [2] quod Ego non affirmo. Ejus obitus, aut sepulchri nullum monumentum extat.

CLVI. Alius fuit ANTONIUS A PRATO, qui de secundis nuptiis scripsit, Francisci Gallorum Regis Cancellarius.

CAP. CII.

CLVII. ANGELUS GAMBILIONUS, ejus Præceptores, fata Nursiæ perpessa, CLVIII. BENEDICTUS BARZUS Perusinus.

CLVII. DUos sub idem tempus conspicuos viros Aretium Hetruriæ civitas protulit, *Franciscum Accoltum*, & ANGELUM GAMBILIONUM, qui Bononiæ *Joannem ab Imola*, & *Florianum a S. Petro*, 3 Patavii *Raphaelem Fulgosium*, & *Cumanum*, ac *Paulum Castrensem* audivit. 4 Perusii vero sub *Onuphrio Bartholino* est eruditus. 5 Demum ad doctrinæ maturitatem provectus, an. Salutis MCCCCXXII. Idibus Januarii Bononiæ, orante *Joanne Vascono* a Floriano Præceptore, legum facultatis insignia accepit. Ita depositis jurium rudimentis, in prima juventute Perusii, 6 deinde in Urbe Castelli, & Romæ assessor fuit, ubi etiam Senatoris locum tenuit. 7 Mox Nursiæ, quæ Umbriæ est civitas, quæstoris officio, (ipsi Collateralem vocabant) functus est, & pro eorum civium more, qui Judices pro re minima vexare feruntur, magistratu abdicatus peractæ administrationis reus factus est, & cum plura ei crimina objicerentur, in carcerem conjectus integro anno sub custodia fuit. Interea solicitatis pluribus Italiæ Jurisconsultis, cum etiam Collegia pro eo scripsissent, capitale

[1] *Jas. in proem. feudor.* [2] *Jas. in proem. feudor.* [3] *Aret. in §. 6. Inst. de nupt.* [4] *Aret. in §. ult. Inst. de testam. in l. 1. §. 3. ff. quæ sent. sine appell. rescin.* [5] *Aret. in §. 2. & 7. Inst. quib. mod. test. infirm.* [6] *Areti. in §. ult. ante n. 5. Inst. de test.* [7] *Aret. in l. 1. ff. a quib. appell. non licet, & Inst. de perpet. & tempor. action.*

suppli-

ſupplicium, quo omnium opinione plectendus erat, [1] feliciter evaſit.

Tanto liberatus periculo, relictis magiſtratibus, ad docendum ſe contulit. Ac primo Ferrariam, ubi *Borſius* diu intermiſſam Academiam renovaverat, conductus [2] magna nominis claritate Inſtitutiones eſt interpretatus. Poſtea Bononiam vocatus anno Salutis MccccXLI. titulum de *Actionibus* toto anno explicavit, [3] quo expleto diebus feſtis explicandis *appellationum Juribus* vacavit, & præclarum *criminalium* librum edidit. *Alexandrum Tartagnum*. [4] *Bartholomæum Cæpolam*, [5] ac *Paridem de Puteo* Auditores habuit. [6] Rurſus Ferrariam profectus [7] ibi anno Salutis MccccXLV. ultima Inſtitutionum parte expoſita, [8] etiam de *Teſtamentis* opuſculum compoſuit.

Exercendo corpori adeo deditus fuiſſe dicitur, ut extra mænia ſæpius diſcipulos ad currendum provocaverit, & cum ſemel pedum velocitate alios anteverteret, in ipſo curſu ab Hercule Ateſtino non ſine rubore deprehenſus fuiſſe dicitur. Ferrariæ mortuus, & in Carmelitarum templo conditus hoc monumentum habuit.

Angeli Gambilionis de Aretio perſpicacium ingeniorum alumno oriundi perplexarum legum enodatoris, interpretisque fama noti ſuper æthera, ſummis, ac infimis gratiſſimi, integritate, comitate, gravi genere, divitiis bono modo partis ingenua liberorum ſobole ornatiſſimi, viridi ſenecta, religioſiſſime extincti oſſa hic molliter quieſcunt.

Quo tamen anno obierit compertum non eſt.

CLVIII. Eo tempore BENEDICTUS BARZUS *Peruſinus* Ferrariæ Jus civile ordinarie interpretabatur, qui luculentum *Guarentigiæ*, ut volunt, opuſculum compoſuit.

CAP. CIII.

CLIX. FRANCISCUS ACOLTUS Aretinus, ejus Præceptores, acumen in reſponſionibus, diſcipuli, commendatio vitæ modeſtæ. CLX. BENEDICTUS ACOLTUS.

[1] *Paris. de Put. in tract. de Syndicat. de offici. Syndicatorum. in fin.* [2] *Aret. in prin. inſtitu.* [3] *Aret. Inſtit. de actio. in prin. & in §. ex malefic. in 2. col. in prin.* [4] *Alex. conſ. 26. vol. 7 & in l. 41. ff. de pœn. in appoſtil. ad Bar.* [5] *Cæpo. in Auth. ſed novo jure. C. de ſerv. fugit.* [6] *Paris. in tract. de Syndica.* [7] *Angel. Aret. in proem. Inſt. §. 2. Inſt. de bon. poſſ. §. 10. Inſt. de hær. inſtit.* [8] *Aretin. Inſtit. de lege Aquil. in prin.*

CLIX. OMnium ſui ſeculi Juriſconſultorum longe Princeps habitus eſt [1] FRANCISCUS ACCOLTUS patre Michaele genitus, patria *Aretinus* qui Liberalibus artibus imbutus non ſolum latinis, ſed etiam Græcis literis operam dediſſe creditur, & Joannis Chryſoſtomi in D. Joannem, & epiſtolam primam Pauli ad Corinthios commentaria latina feciſſe, vereor tamen ne is ſit *Accoltus*, cum, quæ in jure ſcripſit, illum ſtylum non oleant, neque ullum ſervent linguæ græcæ veſtigium: Senis ſtudiis circiter an. MCCCCXLIII. dans operam ab *Antonio a Prato veteri*, [2] & *Ludovico Romano*, celebribus Juriſconſultis inſtructus fuit. Inter Juriſconſultos receptus tanto ingenii acumine Senis docuit, [3] ut *ſubtilitatum Princeps*, & *Profeſſorum maximus* ſit appellatus, [4] ac in proverbium Aretini ſubtilitas abierit. Quosque enim legum angulos permeans, cæteris acutius Jura penetraſſe creditus eſt, de quo etiam illud Lucretii, verbis paululum immutatis, dicitur: *Quod genus humanum ingenio ſuperaverit, & omnes reſtinxit ſtellas exortus, ut æthereus Sol.* Diſputando vero præcipue eminebat, cujus ingenii acumini omnes cedere cogebantur; [5] Sunt, qui eum Angelo patre, & ipſe celeberrimo Juriſconſulto natum fuiſſe exiſtiment, quod illum in quodam Reſponſo [6] parentem appellet. Sed Ego honoris cauſa id dictum fuiſſe non dubito. In utrumque Jus ſubtiliſſime ſcripſit, & Reſponſa adeo erudita, & veritati conſona, ut tamquam Evangelia a pluribus teneantur; ea ipſe conſulentibus cum hoc dicto reddebat; *Vinces cauſam;* unde proverbium in foro increbuit, *Eum cauſa caſurum, qui Aretini contra ſe reſponſum habuerit;* idem clariſſimus hiſtoriographus Thucydides de Antiphonte præceptore dictitabat, cuicumque conſilium dediſſet, illum in judicio victorem evaſurum.

Bartholomæus Socinus ſcripſit, [7] Franciſcum Aretinum nunquam aut raro falli, eumque doctrina, ſubtilitate, & conſcientia cœteris antecellere; [8] Alii eum miris laudibus extollunt. [9] In commentariis tamen ingenii acumine ſæpe a receptis ſententiis diſcedit. Et cum ſemel ſtudioſus Mediolanenſis juvenis in diſſerendo ſubtilis Aretini lectioni fervidius incumberet, a Jaſone præceptore laudatus

[1] *Jaſ. in l. 2. col. 3 ff. de jurisd. Felin. in proem. tit. de reſcript. Multa Sylva nuptia. lib. 5. num. 61.* [2] *Aret. in l. qui teſtamento. ff. de teſtam.* [3] *ut in ſubſcriptione ad conſ. 152. inter conſ. Socin.* [4] *Jaſ. ubi ſupra.* [5] *Sylva nupt. l. 5. in loco ſupr. cit.* [6] *Aret. in conſ. 27. in prin.* [7] *conſ. 3. ad fin. verſ. ſed certe. lib. 1.* [8] *conſ. 93. ſub. n. 30. verſ. & hanc opin. lib. 4.* [9] *Tiraq. de legibus connutialib. glo. 2. n. 62.*

eſt, quod eo ſtudio diſcendo ingenium acueret, ſed monitus, ut doctor receptas opiniones ſequeretur, cum laurea donatus, & domum reverſus in cauſa ſibi demandata ſecundum Aretinum contra plurium placita judicaſſet, ſententia a Senatu revocata, ipſe in expenſis litis, velut perperam pronuntiaſſet, eſt condemnatus. Ex eo dedecore contracto morbo, mœrore victus deceſſit. [1]

ARETINUS *Alexandro Tartagno* ingenio præſtitiſſe exiſtimatus eſt, [2] hic enim puris legum fontibus inhærebat, ille vero plus majorum traditionibus nitebatur. [3] *Felinum Sandeum*, & *Bartholomæum Socinum, Carolumque Ruinum* poſtea clariſſimos profeſſores Piſis diſcipulos erudiit. Cum ſuas a Socino opiniones ſtudioſe confutari audiviſſet, eum in D. Franciſci ſacra æde inter deambulandum monuit, *facile eſſe alios reprehendere, ſed paucos, qui recte judicent, inveniri.*

Demum Ferrariam DCC. aureorum ſtipendio conductus fuiſſe dicitur, ubi ſtudioſos ad famam boni nominis conſervandam ſæpe hortatus, cum nihil proficeret, ridiculum commentum excogitavit, ut quam vim maximam habeat exiſtimatio, oſtenderet. Servabant tum nocte in macello diſcerptas carnes lanii, quas Aretinus ſub lucem, miniſtro famulo, effractis capſis, abſtulit. Eo crimine ex ſtudioſorum numero duobus, qui petulantiores credebantur, accuſatis, & in carcerem conjectis, Aretinus apud Herculem Ducem veniam deprecari cœpit, delicti culpam ſibi aſſumens. Sed quo conſtantius ſe facti autorem fatebatur, eo magis qui in vinculis erant, rei credebantur, cum ob viri gravitatem nemo id de eo ſuſpicari auderet. Re demum compoſita, id ſe Aretinus ad demonſtrandam hominis bonæ opinionis auctoritatem feciſſe dixit.

Ipſe etſi humanioribus imbutus diſciplinis, audientes tamen monebat, ne oratorum lenocinio, velut a meretricibus, ſe plus æquo detineri paterentur. Ingenio auſterus, nunquam ultra unum, atque alterum menſem eundem famulum aluit, quod noviter conductos diligentius ſervire dictitaret. Equeſtri dignitate donatus in cælibatu vixit, nec minus ob caſtitatem, quam eruditionem colebatur. Magna parſimonia uſus immenſas opes cumulavit, quas etſi ſtudioſorum Collegio deſtinaſſet, cognatis tamen reliquit.

Sixti Pontificis tempore magna expectatione Romam venit, cum in Juriſprudentia ſui ſeculi Princeps haberetur. Sed paulo poſt

1 *Sylva nupti. lib. 1. ſub. n. 61. ver. amplia tertio.* 2 *Jaſ. in l. 77. ff. de verb. obligat.*
3 *Jaſ. in d. l. 77. in fin. ff. de verb. oblig. Sylva nupt. in loco ſupr. cit.*

ſpe

ſpe fruſtratus diſceſſit. Pontifex enim ſe illum ob virtutem inter Cardinales libenter cooptaturum dixit, niſi tanto viro ſtudioſis erepto magnam orbi injuriam eſſet allaturus. Senio confectus cum laboribus ſupereſſe non poſſet, velut emeritus honoris gratia ſolito ſtipendio fruebatur. Et nonnullas quandoque lectiones, ſed eas effœtas habebat, nunquam tamen Auditoribus ob famam eſt deſtitutus, ſemel vero cum non amplius XL. conveniſſe animadvertiſſet, (Juvenes enim ad ſpectacula confluerant) libro, quem ſecum attulerat, cum ſtomacho in medium projecto, *Aretinum paucis audientibus nunquam Jura interpretaturum* clamavit. His dictis indignabundus diſceſſit, nec unquam amplius docere voluit.

Nullum ejus obitus, aut ſepulchri veſtigium extat. Ejus imaginem in templo D. Franciſci in Sacello Accoltorum Lucas Signorellus Cortonenſis pictor egregius in tabula graphice expreſſit. [1] (CLX.) BENEDICTUM *fratrem* habuit [2] Juriſconſ. [3] qui ad Cardinalem dignitatem eſt promotus.

CAP. CIV.

CLXI. & CLXII. AYCARDINUS & ALVAROTUS. CLXIII. JACOBUS ALVAROTTUS. CLXIV. PETRUS ALVAROTUS. COMES & FRANCISCUS ALVAROTI. JACOBUS nepos Alvaroti.

CLXI. & CLXII. DUo ſingulari concordia fratres utrique magni nominis Juriſconſulti fuerunt, AYCARDINUS, & ALVAROTUS, qui ſicut unanimes vixerunt, ita & mortui commune ſepulchrum cum hoc Epitaphio in D. Antonii templo habuerunt.

Hoc Aycardinus ſitus, atque Alvarotus in antro
Ingentes meritis tam brevis urna capit.

Et paulo inferius.

Hos fratres ex utroque parente nobiles genere de Alvarotis, qui in hoc ſtudio ingenti gloria docuerunt, & unus quondam animus, ita nunc unus tumulus habet. Obiit Aycardinus MCCCLXXXII. die XXVII. Auguſti; Alvarotus vero MCCCLXXIX. die primo Octobris.

Illius docta extabant reſcripta a Grammatico citata. [4] Ex *Alvaroto* (CLXIII.) JACOBUS, & Petrus geniti fuere. *Jacobus* in Jure civili Bartholomæi Saliceti, in Pontificio vero Franciſci Zabarellæ,

[1] *Georgius Vaſarus de vitis Pictorum. parte. 2.* [2] *Aret. conſ. 71. in prin.* [3] *in ſubſcriptione ad Socin. conſ. 151. & ſeq. in p.* [4] *Deciſ. 38.*

 quem

quem etiam compatrem nominat, Auditor fuit. [1] Doctor creatus Florentiæ, & Senis Judicis quæstionum officio functus est. [2] Mox XVI. annis Galliani Ancarani Vicentini concurrens in patria Jus Feudorum magna nominis celebritate explicuit. Ac post XIV. annum, quam profiteri cœperat, luculenta commentaria Patavinæ Academiæ dicata in lucem emisit. Obiit anno ætatis LXVIII. a Christi nativitate MCCCCLIII. ut sequens monumentum in D. Antonii templo Patavii indicat. *Jacobus Alvarotus Alvaroti filius Civi. Pontif. Q. Juris consultus privatim, ac publice clarus in traditionibus feudorum eminentissimus in hoc delubro quiescit. Decessit anno a Christi natali MCCCCLIII. XIV. Cal. Julii.*

CLXIV. PETRUS vero & ipse eximius Juris interpres Raphaelem Fulgosium in matutina lectione explicanda concurrentem habuit, ac per XXX. annos cum Bononiæ, tum in Patria magna celebritate prælegit, cujus etiam scripta non ignobilia extant. Ex Jacobo nati sunt COMES, & FRANCISCUS utriusque Juris Interpretes, & ex Comite JACOBUS nepos Juris Pontificii Interpres, de quo suo loco dicetur. Jacobus senior in sacello D. Jo. Baptistæ humatus est cum hoc Epitaphio, quod postea in ædem D. Antonii translatum fuit.

Amice, qui istac transis, etsi properas, lapis hic te rogat, ut paulisper inhæreas, & hæc scripta legas. Hac in Basilica Beati Jo. Baptistæ sunt Jacobi Alvaroti Patavini sita ossa, qui dum vixit, suo studio, & doctrina post susceptas Doctorales insulas commentarios utiles cum Repertorio in Jus Feudale formavit, eosque venerandæ universitati Juristarum donavit. Volui, ut ista non ignores, & pro anima ipsius ores. Obiit autem die Lunæ XVII. *Junii MCCCCLIII.*

V. F.

CAP. CV.

CLXV. CHRISTOPHORUS NICELLUS Placentinus. De ANTONIO & JO. LUDOVICO filio.

CLXV. CHRISTOPHORUS NICELLUS origine Placentinus Taurini per annos XIII. vespertinas lectiones explicuit, quarum pars in secundam Digesti novi partem manu scripta apud me extat, in qua plures titulos exponit. Loca CCCXXXIII. in quibus Bartolus sibi ipse adversari videtur, notavit, & conciliat. Senatui Ducis

1 *Alvaro. in proem. feudo. col. 2.* 2 *Jacob. Alvaro. in c. 1. in prin. de benef. sine culpa non amitt. & in §. qui vero. de pac. jura. firman.*

Sabau-

Sabaudiæ diu præfuit, ac demum anno MCCCCLXXXII. VIII. Kal. Octobr. decessit, annum agens XCIII. *Antonio,* & *Jo. Ludovico* filiis post se relictis; ille in Placentino gymnasio aliquandiu est professus, & patrem æmulatus CXXI. glossarum conciliationes in lucem emisit. Christophori Alexander non semel meminit. [1] Humatus est Taurini in templo D. Francisci cum hoc Epitaphio columnæ inscripto.

Christophoro Nicello J. U. Doct. Consummatissimo XLII. annis ordinariæ lectionis Interpreti, ac sacrarum audientiarum integerrimo Præsidi Jo. Ludovicus Nicellus F. pientissimus P. vixit annos XCIII. Obiit VI. Kal. Octo. MCCCCLXXXII.

CAP. CVI.

CLXVI. PARIS de PUTEO Neapolitanus.

CLXVI. PUTEI ex Longobardis originem trahere feruntur, qui Alexandriæ a Palea olim primas tenuerunt, sed Gibellinorum factionibus ejecti in diversa Italiæ loca migrarunt; an Paris ex his descendat, mihi non constat. Is patria Neapolitanus Clarissimus Jurisconsultus evasit, ac Ferdinandi Alfonsi filium nothum in prima juventute in Jure civili instituit. Cum vero patre defuncto, regnum in magna tranquillitate teneret, ei Paris author fuit, ut vetustam ejus civitatis Academiam bellorum, ac temporum injuria intermissam restitueret. [2] Quare insignibus viris undique in omni disciplinarum genere conductis, etiam Paris ibi summa cum laude circiter an. MCCCCLXIV. professus est. *De re militari*, de *Ludo*, ac *Syndicatu* scripsit, aliaque opuscula, quorum magna pars desideratur, composuit. In historiis, ac latinis auctoribus maxime versatus est, ut scripta indicant, opus ejus *de Syndicatu* est mirificum, quamquam ordine caret. [3]

CAP. CVII.

CLXVII. JACOBUS, JOANNES, JACOBUS, ANTONIUS, ANTONIUS, CASSIANUS, LUDOVICUS, CAROLUS ANTONIUS, PAULUS PUTEI.

CLXVII. EXpulsis Alexandria Puteis, ut diximus, alii Ticinum, alii Niciam, alii Bugellam in Subalpinos se receperunt. Ex his ortus est Jacobus Simonis filius, qui plura bona tenuit in agro Ponderani, quæ

1 *In add. ad Bart. in l.* 15. §. 26. *& in l.* 18. §. 11. *ff. de damno infect.* 2 *Paris de Syndicat. paulo post princip.* 3 *Boss. de offic. pecun. corru. in prin.*

ab illius loci universitate immunitate sunt donata; is Ticini mane ordinarias lectiones explicuit, cui Joannes circiter an. salutis MCCCCLXX. successit. Eorum Ego manu scripta commentaria legi. Sed Jacobus etiam Ferrariæ Jus dixit. Postea vespere cum *Hieronymo Torto* concurrente docuit Papiæ, ut ex ejus interpretationibus a me visis constat. Uterque erudite, & diligenter, sed pro more eorum temporum breviter, quæstiones discutit, ac præter *Speculatorem*, *Albericum*, *Bartolum*, ac *Baldum*, paucos alios citant.

Alter ejusdem nominis JACOBUS Puteus nostris temporibus Cardinali dignitate honestatus uno tantum voto aberravit, quin Summus Pontifex crearetur. Alii ex hac gente Illustres viri prodiere, ut ANTONIUS BARRI Archipræsul, ANTONIUS, qui Caroli Allobrogum Ducis a consiliis fuit. CASSIANUS Senatus Taurinensis Præses, ejus duo ex fratre nepotes LUDOVICUS EMANUELIS PHILIBERTI Ducis Referendarius, & a Consiliis, ac demum Præses Senatus, & CAROLUS ANTONIUS, qui Rotæ Florentiæ Auditor, postea ibidem Advocatus fisci fuit, & PAULUS Jurisconsultus magnæ spei adolescens.

Sub id tempus Magunti in Germania celebris instituta est Academia an. Salutis MCCCCLX. [1]

CAP. CVIII.

CLXVIII. MATTHÆUS AFFLICTUS Neapolitanus.

CLXVIII. MATTHÆUS AFFLICTUS Nobilis Neapolitanus ex sede Nidi, cum primum creatus est Jurisconsultus circiter annum MCCCCLX. Ferdinando primo regnante, in patria Jus feudorum prælegit, aliasque leges explicuit. Demum in Regium consilium relatus quinque Regum consiliarius fuit, in quo officio causas a Senatu illo decisas in unum collectas edidit, quæ *decisiones Neapolitanæ* vocantur. De jure etiam *Protimiseos* librum admodum utilem, & Forensibus gratum composuit.

Potius laboriosus in scribendo, quam acutus habitus est; Valetudinis adeo prosperæ fuit, ut usque ad extremam senectutem nunquam ægrotasse dicatur, & tres filios post annum sexagesimum procreaverit, [2] cum puellam uxorem sera ætate duxisset, unde juribus

[1] *Alber. Cranz. in Saxonia. lib. 12. cap. 1. in fin.*

[2] *Idem in consilit. post mortem. col. fin. Sylva nupt. lib. 2. sub n. 16.*

non

non admodum postea vacavit. [1] Excessit e vivis annum agens LXXX. circiter annum MDX in æde D. Mariæ Virginis a Monte Neapoli cum hoc Epitaphio, marmoreo sepulchro inciso, conditus fuit.

Matthæus de Afflicto Nobilis Neapolitanus ad extremam senectutem integra & animi, & corporis valetudine pervenit, sub quinque Neapolitanorum Regibus se fidelem Consiliarium gessit. Utriusque Juris peritissimus de Feudis de Regni constitutionibus copiosiss. scripsit, multa scitissima consilia reliquit. Annum agens octogesimum, naturæ concessit.

CAP. CIX.

CLXIX. JABOBUS TORTUS Papiensis.

CLXIX. JACOBUS TORTUS *Papiensis* in patria Jus civile docuit, & inter alios Jasonem erudiit, cujus scriptis ille postea locupletatus fuisse dicitur. Obiit an. Salutis MCCCCLXXIX. Ticini in æde D. Jacobi, quæ est Minoritarum observantium, humatus est, penes quem postea *Lancelotus* Decius situs fuit.

CAP. CX.

CLXX. MICHAEL MILIARIUS.

CLXX. IN foro Julii clarissima gens *Miliaria* a *Milio* gentilitio insigni dicta floruit. Ex ea prodiit MICHAEL, qui anno MCCCCXLVI. Magdaleno Contareno prætori Patavii Judex quæstionum assedit, quo magistratu singulari integritate, atque eruditione functus dignus ad docendum Jus civile visus a Republica Veneta ad illud interpretandum est conductus, cumque pluribus annis egregie docuisset, decedens in sacello ad occasum templi D. Francisci est humatus. Epitaphium ita corrosum est, ut legi non possit. Is Miliariæ familiæ, quæ est Patavii, origo fuit; posteros reliquit, inter quos plures bello, & pace conspicui extiterunt, Aquilamque milio vetusto gentis Insigni addi a Cæsare obtinuerunt.

CAP. CXI.

CLXXI. FRANCISCUS BRADIOLUS. CLXXII. MODESTUS POLENTONUS.

CLXXI. FRANCISCUS BRADIOLUS Juris Pontificii interpres in VI. decretalium scripsisse fertur; filiam habuit Aldam, quam

[1] *Grammati. quæst. 2. sub num. 2.*

(CLXXII.)

(CLXXII.) MODESTO POLENTONO nuptui locavit, qui in humanioribus ſtudiis, & jure eruditus, anno MCCCCXXXV. Juriſconſ. infulis eſt honeſtatus: Mox Jus civile diu eſt profeſſus, interea legationibus functus Equeſtri etiam dignitate eſt decoratus. Valde ſenex deceſſit, & in D. Joannis in Viridario eſt tumulatus, ejus effigies marmore cum ſequente Epitaphio inſculpta cernitur.

Alda matrona pudiciſſima Franciſci Bradioli Juriſconſulti clariſſimi filia Modeſto Polentono marito ſuo defuncto Equiti inſigni, & Juriſconſulto excellentiſſimo Xicconis Polentoni eximii Oratoris filio monumentum hoc faciundum curavit vivens, & ſibi tantum cum communi ara ad Divinum cultum MCCCCXC. Die XIV. *Septemb.*

CAP. CXII.

CLXXIII. ALEXANDER TARTAGNUS Imolenſis, Præceptores, contentio cum Cæpola. CLXXIV. ANTONIUS TARTAGNUS. CLXXV. ALEXANDER, utilitas ſcripturæ in ſtudio juris. Auditores.

CLXXIII. EAdem ætate ALEXANDER TARTAGNUS *Imolæ*, quod olim Forum Cornelii fuit honeſtis ortus natalibus floruit, proavum habuit *Nicolettum*, & *Catherinam* ejus uxorem proaviam, in quam plura munera nuptialia collata, eo defuncto litigioſa fuerunt. [1] Alexander *Joannem* ſuum civem *Imolenſem*, [2] *Ludovicum* Romanum, à quibus plurima mutuatus eſt, & *Joannem ab Anania*, [3] ac *Gaſparem Arengherium* Clariſſimum Bononiæ profeſſorem [4] præceptores habuit; laurea accepta primum Regii lepidi Judex quæſtionis fuit, contra quam civitatem parum amico animo ſæpius conſuluit.

Inde ad Jus explicandum converſus primo Ferrariæ, [5] deinde Patavii profeſſus *Bartholomæum Cæpolam* Veronenſem acerbum concurrentem habuit, [6] cum quo etiam de loco non levem contentionem exercuit. [7] Equeſtri enim, Palatinaque dignitate Cæpola honeſtatus, ſed, ut aliqui cenſent, junior ſibi loco cedendum eſſe arbitrabatur; Contra Alexander ſe ſtipendii amplitudine, uſuque lectio-

1 *Ang. conſ. 339. Alex. in l. pen. §. 1. in fin. ff. ſoluto matr.* 2 *Alex. in conſ. 67. n. 3. vol. 4.*
3 *Alex. in conſ. 51. n. 4. vol. 4.* 4 *Hippo. Marſil. in praxi. in verb. opportune. n. 40.*
5 *Felin. in c. dilecti. 13. in 2. col. ver. amplius. X. de major. & obed. Alex. conſ. 4. ante n. 19. vol. 1.*
6 *Alex. conſ. 3. & 5. in fin. vol. 1.* 7 *Felin. in R. de major. & obed. in 2. col. Nicola. Boer. de ordin. grad. in prima part. n. 17.*

num

num, & ætate extollebat. Quare ubicumque interpretando dabatur occaſio, de loci dignitate diſſerere conſuevit. [1] Ticini etiam docuiſſe fertur. [2] Poſtremo vero Bononiam vocatus circiter annum MCCCCLXI. *Andream Barbatium*, [3] Siculum virum memoria præſtantem, ſed alioqui moribus impotentiorem, lectionis æmulum accepit, quo etſi doctior, vi tamen memoriæ viſus eſt ſuperari. Abſolutiſſimam tamen doctrinam, & magnam in docendo gratiam nactus incredibili nominis celebritate claruit.

Joannis de Anania Archidiaconi Bononienſis natam Uxorem duxit. [4] ex qua ſex filios tres mares ANTONIUM, CAROLUM, & CAMILLUM, & totidem fœminas *Lucretiam*, *Lauram*, & *Nicolam* ſuſcepit. Ex illis (CLXXIV.) ANTONIUS natu major patris veſtigia ſecutus & ipſe Juriſconſultus fuit, ſed ob valetudinem Jurium ſtudia deſerere coactus eſt. Lucretiam Virginio civi Bononienſi ex Magnanorum familia in matrimonio collocavit, a qua genitus eſt (CLXXV.) ALEXANDER ab Avunculi nomine vocatus, qui & ipſe Jus civile veſpere profeſſus eſt.

Alexander Franciſco Aretino ingenii acumine inferior, ſed in volvendis voluminibus laborioſior habitus eſt, qui inquirendis majorum opinionibus intentus plurium ſententias aggregabat, ac ſingula diligenter ſcribendo memoriæ labem mirifice emendabat. Denique doctrinæ adeo exquiſitæ fuit, ut in proverbium profunditas Alexandri abierit; calamo ſe eruditionem ſuam acceptam ferre dictitabat, cujus beneficio velut in memoriæ theſauro omnia conſervare conſueverat; Semel a ſtudioſi adoleſcentis patre interrogatus, qua arte filius in jure ſupra alios erudiri poſſet, *Si*, inquit, *cædatur*, *quandocunque ſine calamo libros verſare inventus fuerit*, tantam diſcendi facultatem in ſcribendo poſitam eſſe arbitrabatur.

Vir graviſſimi judicii *Veritatis pater* appellatus [5] eſt, quam, rejectis cavillationibus, ſequebatur. Dum tamen plura cumulare nititur, confuſo ſæpius ordine, obſcurius ſcripſit. Præter *Juris commentaria, præclara reſponſa*, & magnæ in foro auctoritatis poſt ſe reliquit, a quibus recedere nefas eſſe putatur, ubi contradicentem non habet; [6]

[1] *In l. 15. ff. de vulg. & pup. ſubſtit. in l. 3. ff. de reb. cred.* [2] *Mant. in epit. viror. Illuſtr. in Alexandro Imolenſi.* [3] *Alex. in conſ. 4. in fin. vol. 1.* [4] *Tho. Parpal. in l. 11. in prin. poſt n. 6. ff. ſol. matr.* [5] *Curti. juni. conſ. 139. n. 10. Cagno. in l. 5. n. 49. C. ad SCt. Orſitian. & alii.* [6] *Deci. conſ. 62. n. 2.*

pro his, si pingues causæ fuissent, usque ad XXVIII. aureos exegit, [1] etsi non desunt, qui eum vulgo dictitasse affirmant. *Legibus vacavi, ut scirem, non ut eas venderem.*

Summæ auctoritatis habitus est, [2] nam cognominatur [3] *Aureus Doctor, & immortalis.* [4] Sunt tamen, qui eum quandoque falsum, & iniquum a veritate deviare dicant, [5] & Sophisticum pessimum consulentem, & superstitiosum appellent, [6] & leges pretio fixisse, & refixisse objiciant. [7] Sed ejus virtus obscurari non potest, nam inter quatuor primos consulentes ponitur. [8] Quæ Jasonis nomine in titulum *de Actionibus* commentaria circumferuntur, Alexandri fuisse dicuntur, quod ea sæpe citaverit, [9] sed plurimis additis ea pro suis Jason agnosci fecit.

Vir miræ fuit modestiæ, & ab injuriis maxime alienus, [10] & responsis contra reos edendis abstinere solitus. [11] Statura fuit mediocri, facie oblon a, sed hilari, & jucunda, nigris oculis, & naso aquilino, & ubique gravis. Musica, & venatione quandoque delectatus esse fertur. *Bartholomæum Socinum*, [12] *Jo. Mariam Riminaldum*, [13] *Ludovicum Bolognin:m, Lancellotum, Decium, & Jasonem, & Carolum Rainum* postea magni nominis viros auditores habuit.

Tres filios reliquit, ANTONIUM Jurisconsultum, CAROLUM, & CAMILLUM, & ex eo SCIPIONEM naturalem, sed natalibus restitutum [14] patrem Camilli junioris, quos institutos substituit, ac prioribus sine prole legitima defunctis, inter superstites subortæ sunt lites; [15] anno ætatis LIII. & salutis MCCCCLXXVII. cum annis fere XXX. docuisset, Bononiæ defunctus est, humatus est in æde D. Dominici ad sinistram aræ in magnifico monumento ex candido marmore a Francisco Simonis Florentino egregio sculptore elaborato cum sequente Epitaphio.

Alexandro Tartagno Imolensi legum verissimo, ac fidelissimo interpreti. Q. V. anno LIII. filii pientiss. P. Opt. B. M. Pos. obiit anno MCCCCLXXVII.

[1] *Alex. cons. 55. sub n. 22. lib. 4. Zasi. lib. 1. singul. resp. c. 7.* [2] *Tiraq. in l. 8. in verb. susceperit liberos. n. 72. C. de revoc. donat.* [3] *Marza. cons. 8.* [4] *Jas. cons. 133. in 1. Cur. sent. cons. 42.* [5] *Aposti. ad cons. 36. & ibi in 3.* [6] *Apostil. ad cons. Alex. 139. in 6.* [7] *Hier. Mag. ad cons. 120. Socin. in 1.* [8] *Galle. de exer. Jurisprud. lib. 1. sub. n. 25.* [9] *Ludov. Gome. inst. de actio. in princ.* [10] *Alex. cons. 19. n. 12. lib. 7.* [11] *Alex. d. cons. 19. n. 12. & cons. 188. in princ. lib. 7.* [12] *Alex. in cons. 17. lib. 5.* [13] *Alex. cons. 145. vol. 7.* [14] *Paris cons. 9. in 2.* [15] *Grat. cons. 65. lib. 1. & 136. lib. 2.*

CAP.

CAP. CXIII.

CLXXVI. BARTHOLOMEUS CEPOLA. CLXXVII. ANGELUS CASTRENSIS. CLXXVIII. ANTONIUS ORSATUS. CLXXIX. TURCHETUS ORSATUS. CLXXX. ANTONIUS DANDULUS.

CLXXVI. Ingenii felicitate, & doctrina BARTHOLOMÆUS CÆPOLA *Veronensis* ita præstitit, ut supra omnes sui temporis Jurisconsultos generi humano profuisse judicetur, dum reconditas leges, & incognitas jurium materias illustrat. Bononiæ sub *Angelo Aretino*, *Paulo Castrensi*, [1] & aliis clarissimis professoribus Juri civili operam dedit. Deinde peracto studiorum curriculo, anno salutis MCCCCXLVI. factus Jurisconsultus privato ære Petri Donati Patavii Antistitis adjutus in ea Academia ædilitium edictum diebus festis magno auditorum concursu est interpretatus.

Postea celebrior factus Palatina, Equestrique dignitate est honestatus. Demum altiori, & ordinaria lectione dignatus [2] anno MCCCCLVIII. *Alexandro Tartagno* concurrens datus fuit, [3] qui cum, nulla ætatis, aut amplioris stipendii ratione habita, ob solum honorarium titulum, ambitiosas de loco contentiones exercere non erubuit. *Joannem* etiam *a Prato* concurrentem habuisse creditus est, [4] donec ad Romanam curiam profectus est, ubi Advocati officio functus magnam laudem retulit.

Servitutum, *Usucapionum*, *Simulationisque* contractuum, & alia plura in jure obscura tanta eruditione explicuit, ut per quam necessariæ ejus interpretationes habitæ semper in Forensium manibus versentur. Præclara etiam post se Responsa reliquit. Sed dum captiosas ad illudendas leges cautiones excogitavit, apud graves viros probitatis famam minuit. Librum etiam de *cognoscendis Juris Pontificii voluminum vitiis*, & alium de *Imperatore militum* deligendo edidit. Uxorem nomine *Martham* habuit, quam Patavii cum *Hieronymo* filio amisit. Uterque in medio D. Francisci templo cum hoc monumento humatus fuit.

D. O.
S.

Marthæ Cæpolæ Conserti Hieronymo Filio, Bartholomæus Cæpola Vero. Jur. U. Doct. Eques.

[1] *Capo. in Auth. sed novo jure sub. n. 17. C. de serv. fugitiv.* [2] *idem Cæpol. in cons. 81. inter cons. Alex. Nevi.* [3] *Alex. in cons. 3. & 5. vol. 1.* [4] *in cons. 71. Alex. Nev. in subscr.*

 Aliam

Aliam eum habuiſſe uxorem *Urſulinam Calciam* ſepulchrum in baſilica D. Antonii prope ſacellum Objiciorum indicat. Infra in Scuto decuſſato ſunt duæ Cepæ familiæ Cæpolæ Inſignia, ex ſex dimidiæ Lunæ Calciæ gentis, ut puto, arma cum ſequente Epitaphio.

Urſulinæ Calciæ Ludovici L. L. Doct. Fil. Caſtiſſ. ac integerr. Bartholomæi Cæpolæ Equitis, ac Juris conſulti Clariſſ. Uxoris Sepulchrum. anno Salutis MCCCCLXXXIII. XXIX. Dec.

Ipſe, hac uxore ſuperſtite relicta, obiiſſe dicitur an MCCCCLXXVII. Ex Cæpola Familia *Honofrius* inter Divos relatus fuiſſe dicitur.

Poſt Cæpolam Patavii (CLXXVII.) ANGELUS CASTRENSIS Pauli filius, deinde duo ANTONII utrique Patavini, alter (CLXXVIII.) ORSATUS XXXIV. annos profeſſus demum veſpertinam lectionem in prima cathedra explicuit, alter (CLXXIX.) TURCHETUS eodem tempore docuit. Hic obiit an. MDV. die XIV. Septembris, & in D. Antonii templo in majorum ſepulchro eſt illatus. Profitente Patavii Cæpola, an. MCCCCLXIII. Doctor creatus fuerat (CLXXX.) ANTONIUS DANDULUS *Venetus*, qui cum Angelo Ubaldo Jus civile explicuit, qui etiam Piſis, & Peruſii docuit.

CAP. CXIV.

CLXXXI. JOANNES A PRATO Florentinus: de MARCO filii, JOANNE, HIERONYMO, FRANCISCO Nepotibus.

CLXXXI. JOANNES A PRATO veteri *Florentinus* Patavii Bartholomæi Cæpolæ, [1] vel, ut alii malunt, in matutina lectione Juris civilis *Angeli Ubaldi* Senioris *Angeli* ex *Alexandro filio* nepotis concurrens fuit, veſpere, & mane docuit. Ædes, quæ etiamnum, etſi vetuſtæ, extant, prope D. Matthiam habuit, cum diu profeſſus eſſet, deceſſit, relicto poſt ſe MARCO filio eximio cauſarum patrono, ex quo nati ſunt JOANNES ſacris initiatus, HIERONYMUS Politiorum literarum peritiſſimus, & FRANCISCUS.

CAP. CXV.

CLXXXII. JOANNES BAPTISTA CACCIALUPUS. CLXXXIII. ANTONIUS CACCIALUPUS.

CLXXXII. JO. BAPTISTA CACCIALUPUS a S. Severino Campaniæ oppido *Joannem Petrucii* Peruſinum, & *Angelum Perilium*

1 *In conſ. 71. & 81. inter conſ. Alex. Novi. in ſubſcriptione.*

audi-

audivit. Legum vero Doctor declaratus Senis mane ordinariam Juris civilis lectionem magna nominis claritate professus, [1] Anno Salutis MCCCCLXIV. nobilem de *Pactis* libellum, deinde *de Transactionibus*, *&* *Ludo*, *de Advocato & Debitore*, *de fuga suspecto*, *& Modo studendi* opuscula composuit. Demum primus Advocatus [2] in curia Romana, quam Consistorialem vocant, alia *de Ecclesiarum unionibus*, *Pensionibus*, *& Feudi cognitione* conscripsit. De ejus obitu, aut Epitaphio nihil mihi compertum est.

CLXXXIII. Filium habuit ANTONIUM Jurisconsultum, in quo sibi bene placuisse scribit. [3]

CAP. CXVI.

CLXXXIII. ANDREAS BARBATIUS Siculus, Præceptores, concurrentes, matrimonium, modus respondendi. De HIPPOLITO MARSILIO. CLXXXIV. JOANNES SADOLETUS Mutinensis.

CLXXXIII. CAccialupi contemporaneus ANDREAS BARBATIUS *Siculus* Bartholomæi filius, [4] vir memoriæ singularis, quæcunque legerat, mente retinere videbatur. Anno Salutis MccccXLVIII. Bononiam profectus sub *Joanne ab Imola*, & *Joanne Anania* utrique Juri ea ingenii felicitate operam dedit, [5] ut transacto biennio publice de jure differuerit. Demum lauream adeptus prius Ferrariæ, [6] deinde Bononiæ primo Jus Pontificium, [7] mox civile magna nominis celebritate docuit, in quo *Alexandrum Tartagnum* concurrentem memoriæ præstantia, [8] sed non judicio superavit, cum receptas, ac veras opiniones ampliandæ famæ studio impugnare conatus sit, qua in re delirasse dictus est. [9]

Ad eam denique fortunam provectus est, ut nobilissimam ex Pepulorum familia uxorem nomine *Margaritam* perampla dote accepta duxerit. Verum cum minus res perpenderet, minorem apud eruditos autoritatem habuit. Et quibusdam quandoque illum extollentibus *Franciscus Aretinus* vir gravissimus eum paleæ ignem futurum, idest, breve lumen habiturum dixit. Ambitione quoque per-

[1] *Ut in subscriptione ad conf. 152. inter conf. Socin. lib. 1. & alterius post lectiones Soci. ff. ad Sct. Trebell.* [2] *Soci. in l. 12. §. 3. in fin. ff. de legat. 1.* [3] *de pensionibus. q. 17. in fin.* [4] *ipse in conf. 66. in fin. inter conf. Calcan. in subscriptione.* [5] *Barba. in c. Raynaldus. 18. col. 83. X. de testam.* [6] *Barba. in conf. 51. circa fin. vol. 1.* [7] *Barba. in conf. 63 in fin. lib. 1. & conf. 64. in fin. inter conf. Alex. lib 4. & 66. inter conf. Calcan.* [8] *Sylva nupt. lib. 5. sub. n. 27. Alci. lib. 10. parerg. c. 16* [9] *Felin. in c. cæterum. 3. col. 8. X. de rescript. Sylva nupt. lib. 5. n. 28. Tira. de præscr. §. 1. ver. 28.*

ditus, & jactabundus [1] non modicam ingenii levitatem ostendit, qui laudis cupidus confluentes ab extremis orbis partibus Bononiam studiosos de fama in extraneas gentes de se sparsa avidissime percunctabatur. In cæteris etiam parum prudens, a discipulis quandoque elusus, non semel risum excitavit, Ad nocturnas enim umbras maxime pavidus a notissimis se manes defunctorum effingentibus nonnunquam exterritus fugit. Prædicentibus demum primarii Jurisconsulti obitum Mathematicis, de vita solicitus, velut brevi moriturus, cum amicis mœstus esse cœpit. Defuncto postea *Alexandro Tartagno*, id ægre tulit, quod ille ex eventu hominum opinione doctior haberetur.

Præter *Juris commentaria quatuor Responsorum volumina* post se scripta reliquit, pro quibus, si opulentæ causæ fuissent, XXX. aureos exigere consueverat, [2] sed inconsulte quandoque respondisse, ac plura falso recitare deprehendi, HIPPOLYTUS MARSILIUS ejus discipulus refert, [3] unde, etsi copiosissimus fœcundum ingenium ostendat, sæpe *paralogizare* dicitur. [4] A *Laurentio Calcaneo* laceratur, ut verbosus, & veritatis immemor, & quod membranas pauperibus, viduisque vendat. [5] *Felinus* quoque eum furti arguit, [6] sunt etiam, qui de ejus animi interitu dubitent. [7] De *præstantia Cardinalium* Bessarioni tum Bononiæ Legato dicatum circiter annum salutis MCCCCLIV. non inelegans opusculum edidit, cui aliud de *Legatis a latere* adjecit.

Si ingenio temperasset, cui plus nimio indulsit, inter doctissimos Juris interpretes annumeratus fuisset, utpote qui singularis memoriæ, & excellentis ingenii fuit, cum paucis admodum datum sit, ut utroque valeant, & memoria, & ingenio, & ut scribit Hieronymus [8] *illum ingeniosum, sed obliviosum, hunc memorem, sed tardi vidimus ingenii.* [9] At *Barbatius* tantum memoria valuit, ut de quacunque re ex tempore disserere auderet, & posset; [10] calamo memoriam auxit, cui nunquam parcendum esse dictitabat. [11] Minimum quadriennio *Alexandro* supervixit. [12]

1 *Maleret. de elect. Sylva nupt. lib. 5. n. 28. Pirr. de donat. conjugum car. 2.* 2 *Alex. cons. 55. sub. n. 22. vol. 4.* 3 *in l. 1. §. 27. col. 9. in fin. ff. de quæstion.* 4 *Socin. in cons. 131. col. 7. Sylva nuptial. lib 5. n. 28.* 5 *in cons. 1. in prin. Zosius lib. 1. singul. respon. c. 7. n. 11.* 6 *in c. postulasti. 27. X. de rescript.* 7 *Suarez. tit. de las arra n. 40.* 8 *in primo adversus Pelagium Dialogo.* 9 *Hæc de Barbatia Tiraq. de præscript. §. 1. gloss. 4.* 10 *Alci. lib. 10. parerg. c. 16.* 11 *Sylva nupt. lib. 5. sub. 25. verb. etiamsi esset opin. Felin.* 12 *Barba. cons. 86. in fin. lib. 4.*

CLXXXIV.

CLXXXIV. Decedens JOANNEM SADOLETUM *Mutinensem* Jacobi Cardinalis patrem, qui antea Ferrariæ docuerat, [1] cathedræ successorem habuisse fertur; superstite uxore, & liberis post se relictis, Bononiæ obiit, & apud S. Petronium cum hac inscriptione est humatus.

Andreæ Barbatiæ Siculo Maximo Juris utriusque Monarchæ Equiti aurato hic molliter agentis Suav. Conjux D. Margarita de Pepulis, & pia in parentem proles hoc S. opus B. M. F.

CAP. CXVII.

CLXXXV. PETRUS FRANCISCUS RAVENNAS: de artificiali memoria.

CLXXXV. PETRUS FRANCISCUS RAVENNAS omnes, quot unquam legerim, artificiali memoria superavit, in qua ita se exercuit, ut non modo universos Jurium Codices memoria teneret, sed vel minimæ glossæ recordaretur; idque sæpius interrogatus cum magna omnium admiratione præstitit. Ejus artis etiam librum edidit. Ferrariæ, deinde Patavii anno MCCCCLXXIV. Jus civile interpretatus est, & in universum annos XXX. docuit. Sunt, qui eum Fori Cornelii Episcopi fuisse autumant, quod Ego non affirmo. Ejus obitus, aut sepulchri, quod sciam, nullum monumentum erat.

CAP. CXVIII.

CLXXXVI. JOANNES BAPTISTA a SANCTO BLASIO.

CLXXXVI. JOANNES BAPTISTA a SANCTO BLASIO *Patavinus* ab anno MCCCCLVII in patria Juris civilis interpretationem auspicatus per annos XL. docuit, quibus præclara Juris monumenta emisit, ac præter egregia commentaria, varios etiam legum tractatus composuit, quorum plures perierunt, alii adhuc conservantur.

Inter cætera *Jurium Interpretum catalogum*, *de Contrarietate Juris civilis, & canonici*, *de Privilegiis dotalibus*, *de Arbitro, & arbitratore*, *de Correlativis*, *de actionibus* anno ætatis suæ XXI. adhuc tyro composuit. Scripsit & *super decretis*, & *R. Decretalium varias legum interpretationes*, *Arborem Institutionum Justiniani*, *Indicem ad Responsa Angeli Ubaldi*, *& plura*, *quæ non extant*.

[1] *In cons. 53 in fin. inter cons Alex. lib. 4.*

Demum

Demum dum Dominico Trivisano Brixiæ Prætori M. Antonii Ducis patri assedit, repentina apoplexia correptus statim occubuit anno MCCCCXCII. Idus Februarii. Uxorem prius hæredem instituerat, Paulo, & fratre de Sartis a Vico Peraghæ Brixiæ propinquis substitutis. Ejus sepulchrum in æde D. Agathæ cum hoc elogio visitur.

Baptistæ Blasio Patavino Pontificii, Cæsareique Juris consultissimo Prætorio Assessori æquissimo MCCCCXCII.

CAP. CXIX.

CLXXXVII. FRANCISCUS CURTIUS Senior Papiensis de familia Curtiorum: de ALBERTO BRUNO JCto insigni.

CLXXXVII. CURTIORUM familia olim Mediolani nobilissima fuit, si quidem dissidentes a Nobilibus plebei an. MCCII. *Lancionum Curtium* virum Nobilem ad reprimendam adversariorum audaciam Ducem elegerunt, qui & manu, & consilio promptus sociorum armis Nobiles, ædibus incensis, urbe expulit. At illi amicorum auxilio patriam per triennium obsederunt. Demum, pace inita, captus Lancionus, & indigne tractatus urbe ejicitur, lege condita, *ut ipse, & agnati Mediolano, ejusque agro perpetuo exularent,* quare Ticinum concessit. Ex eo prognatus Gualterius anno MCCCXVIII. Mediolani Prætorem egit. Ex eis ortus FRANCISCUS *Ticini* magna cum laude Jus civile mane docendo, majorum nomen pristino nitori restituit.

Jasonis æmulus ad invidiam ejus, qui spurius erat, multa contra nothos congessisse, & audientibus inculcasse fertur. [1] Et cum semel coram Francisco Sfortia Mediolani Duce diversas partes tuendo contenderent; *Mirari se*, Dux inquit, *quod una justitia existente, convenire non possent*, Tum Curtius pro suæ causæ justitia mille aureos sponsionis gratia obtulit. At facere Jason; *Duobus*, inquit, *aureis conductus mille ambiguæ aleæ committere non debes, cum scire debeas, nullam in Advocatos de alieno altercantes executionem dari*; [2] *Quare sicut hac in re non magnum præ te fers* judicium, *nec Jus causæ te satis discernere ostendis.* Ad hæc subridens Sfortia nullam sponsionem fieri voluit.

Responsa post se Curtius reliquit minus solidis argumentis quandoque confirmata, & non spernenda in matutinas lectiones commentaria. Inter alios ALBERTUM BRUNUM insignem Jurisconsul-

[1] *In l. 31. ff. de jurejur. Sylva nupt. lib. 3. sub. n. 15.* [2] *Alvar. in lib. de duello. cap. 40.*

tum

tum discipulum habuit. [1] Vita functus est in patria pridie Kal. Julii MCCCCXCV. Bernardino filio post se relicto, in templo D. Francisci prope tumulum Baldi ei hac carmen appositum fuit.

Sacrarum Interpres legum sanctissimus olim
Franciscus patriæ gloria magna suæ.
Quem probitas, quem cana fides, pietasque decorum
Fecerat, hoc positum marmore corpus habet.
Obiit an. MCCCCXCV. Die xxx. Junii
Bernardinus Curtius gratus fieri jussit.

CAP. CXX.

CLXXXVIII. JOANNES MARIA RIMINALDUS. Riminaldorum & Marcellorum origo. LUDOVICUS BOLOGNINUS, Bononiensis, BULGARINUS Senensis, JOH. LUCAS Pontremolensis, ARNANUS Genuensis, COSMUS PASETTUS, Ferrariensis.

CLXXXVIII. RIMINALD[illegible] genus ab Arimin[illegible] ii multis ab hinc [illegible] Ferrariæ sedem locav[illegible] [illegible]inem trahit. Is a patria, depravato [illegible]abulo *Riminus* vocatus posteris *Riminorum* cognomentum dedit. [illegible] postea cursu temporis *Rimin[illegible]* sunt appellati. Hujus frater M[illegible]LUS & ipse Venetias larem transtulit, a cujus nomine *Marce[illegible]* ius liberi nuncupati inter illi[illegible] Reip. nobiles patritios relati fuere Utramque gentem ab iisdem fratribus descendere eadem Riminaldorum, & Marcellorum familiaria Insignia arguunt; qui utrinque undam per cæruleum campum currentem pro familiæ ornamentis gerunt. Ac multos per annos alteri ab alteris vicissim hospitio excepti inter se cognationis jura ag[illegible]verunt.

Ex Riminaldorum progeni[illegible] anno Salutis MCCCCXXXIV. natus JO. MARIA magnam indolis sp[illegible]m præ se tulit, qui humanioribus literis imbutus sub *Alexandro Tartagno* Bononiæ Juri civili feliciter incubuit. [2] Lauream adeptus publice profiteri cœpit, atque anno redempti orbis MCCCCLXXIII. ordinariam lectionem assecutus, [illegible]ere per XXIV. annos in Ferrariensi Academia primum locum [illegible]uit, per id tempus *Ludovicum Bologninum* Bononiensem, *[illegible]lg[illegible]um* Senensem, *Jo. Lucam* Pontremolensem, qui postea Regii Episcopus fuit,

1 *Alb. Brun. de statut. exclud. fœm. 6. articulo 5 q. 2. q. prin.* 2 *Alex. in con[illegible]. 145. lib. 7. & 80. in prin. lib. 5.*

 [illegible]rna-

Arnanum ex Nobilibus Genuensem, & *Cosmum Pasettum* Ferrariensem concurrentes habuit, quibus summa cum laude certavit, eruditaque in Jus civile commentaria reliquit.

Nec minus in responsis, præstandoque in foro clientibus patrocinio valuit. Sed præcipue luculenta pro Constabilibus Ferrariensibus adversus Caprianos Mantuanos de opulenta hæreditate contendentibus obtenta victoria eximium honorem ei peperit, pro qua ante vesperam usque ad mediam noctem coram Hercule Duce incredibili doctrina perorasse dicitur.

Uxorem ex *Petratis* Nobilibus Ferrariensibus duxit, ex qua plures liberos suscepit, inter quos JACOBINUS & ipse eximius legum Interpres fuit; Alii Attestinorum Principum aulam sunt secuti. Decessit Jo. Maria Idibus Januarii anno Salutis MCCCCXCVII. & insigni funeris pompa elatus in æde D. Francisci apud Minoritas humatus fuit.

CAP. CXXI.

CLXXXIX. JACOBINUS RIMINALDUS ejus eruditio, felicitas in praxi juris. CXC. HIPPOLYTUS RIMINALDUS.

CLXXXIX. JACOBINUS ex *Jo*[illegible]*aria* genitus & ipse in Jure civili docendo, & in foro patrocinando excelluit. Siquidem post varias, extraordinariasque lectiones, demum primum locum in vespertina lectione explicanda magna cum audientium frequentia obtinuit. In perorandis quoque causis non mediocrem gloriam sæpe retulit, sed præcipue cum *Paulum Constabilem* homicidii reum, & vulgi opinione damnatum a morte eripuit, [1] & *Albertum Petratum* consobrinum de eodem crimine accusatum defendit. Mediolanum quoque conductus a Bivilaquiis ibi castrum a Triulciis repetentibus eam causam singulari gratia, & eruditione defendit, insignemque victoriam reportavit. Præterea inter Alfonsum, & Fridericum illum Ferrariæ, hunc Mantuæ Duces quandam de aquis controversiam magna prudentia cum ingenti civium commodo composuit.

Vita splendidus passim hospitibus ædes aperuit, ac doctos viros pra[illegible]tim in humanioribus literis versatos apud se habere consuevit. Suorum integritate, & religione clarus, sacerdotes probitate conspicuos, quibus cum quotidianas horas recitabat, apud se liberaliter aluit.

1 *Rimin. in consf.* 243.

Lucre-

Lucretiam Martinengam Brixianam uxorem habuit, ex qua *Jo. Mariam* ob robur corporis, & armorum peritiam Equestri dignitate honestatum, & *Herculem* secundo genitum suscepit. Patris commentaria in *Digestorum πρῶτα* in lucem emisit, *ac Responsa*, quibus & sua adjecit, quæ impressoris negligentia plerunque autoris nomine carent, plura editurus, nisi morte præventus ad huc juvenis decessisset. Prope parentem tumulatus jacet.

Ex ejus fratre natus *Hippolytus* laudatissima professione patruum, avumque imitatus mane diu Jus civile, deinde Pontificium defuncti *Prosperi Pasetti* doctissimi viri loco docuit, eruditaque in Institutiones, & Codicem commentaria edidit.

CAP. CXXII.

CXC. ALEXANDER ab ALEXANDRO Neapolitanus Studiis humanioribus, juri & praxi invigilavit.

CXC. ALEXANDER ab ALEXANDRO *Neapolitanus* ex Antonio, qui in patria mane magna nominis celebritate docuit, [1] & postea Regio consilio Viceprotonotarius præfuit, descendere creditur, [2] sed etsi Alexander Jurisconsultum professus, plus tamen politioribus delectatus amœnioribus studiis operam dedit. Juvenis Romæ *Franciscum Philelphum* Tusculanas quæstiones M. Tullii Ciceronis interpretantem audivit. *Nicolai* quoque *Perotti*, & *Dominici Calderini*, qui Martialis apophoreta magna æmulatione in Romano Gymnasio explicabant, admodum familiaris fuit. Relatus inter Jurisconsultos, & Romæ, & in patria causas sæpe defendit. Demum relicto foro humanioribus studiis se tradidit, donec Protonotarii Regni locum tenuit, in quo officio magna cum laude se gessit circiter anno MCCCCXC.

Genialium dierum libros sex admodum eruditos, & antiquitatibus refertos post se reliquit. Quandoque suspectus fuit, quod fide careant, quæ adducit. Verum *Andreas Tiraquellus* luculento commentario opus illustravit, ac veris autoritatibus comprobavit. Scribit Alexander se Romæ in ædibus umbrarum illusionibus famosis habitasse, & in agro Vaticano prædiolum habuisse. Ejus mortis nulla, quam sciam, memoria extat.

1 *Jas. in l. 31. sub. n. 80. in repet. ff. de jurejur. Afflict. decis. 295.*
2 *Thom. Gram. quæst. 2.*

CAP. CXXIII.

CXCI. JOANNES PLATEUS Bononienſis.

CXCI. EX Familia *Franciſci Plateæ*, qui ex ordine Minoritarum Luculentum de *Excommunicatione* tractatum edidit, JOANNES patria *Bononienſis* deſcendit. In Inſtitutiones, & poſtremos tres libros Codicis, & quædam alia ſcripſit. Bononiæ apud Sanctum Petrum cum hoc elogio humatus eſt.

D. O. M. Q.

Viator ſi cupis ſcire quis ſim, Joannes Plateus Pontificii, Civilisque Juris cultor, & ſcriptor. Monumentum vetuſtate corruptum deſtructum renovatur. Decreto Cardinalis Juliani Rever. Bonon. Epiſcopi ac principis, virtutum, bonorumque virorum fautoris, Concives mei, rogatos vos volo, ut pacem habeatis, Deum timete, doteque illi honorem, Juſtitiam colentes per adverſa, proſpera, & bene erit. Procurante Franciſco Guidiccione Cardi. famil. An. Salutis MD. II. Kal. Feb.

CAP. CXXIV.

CXCII. JOANNES BERTACHINUS Firmanus.

CXCII. JOANNES BERTACHINUS patria Firmanus, quæ eſt Urbs clariſſima Piceni, Patavii *Jo. Franciſcum Capiliſtium*, & *Antonium Roſellum* in Jure Pontificio [1] audivit. Laurea donatus in prima juventute an. ſalutis MCCCCLXV. Senis *Joanni* Aceto Equiti ejus urbis Prætori, & compatri aſſedit, [2] mox ipſe Tolentini Prætor fuit, ubi Muſarum non expers in Natalem Domini, quum eo die ſacris intereſſet, ſine calamo decaſticum non ineruditum compoſuit; [3] copioſiſſimo etiam indice edito, maximum Juris ſtudioſis commodum attulit. Librum quoque *de Epiſcopis*, & alium de *Vectigalibus*, ſeu, ut ipſe appellat, *Gabellis* edidit, quod opus *Cæſennæ*, dum vectigalium controverſiis decidendis præeſſet, compoſuiſſe fertur. [4]

Aſſedit Præfecto Florentiæ, qui Capitaneus vocabatur anno MCCCCLXX. quo ipſe ſcribit [5] terræ motu civitatem fuiſſe concuſſam; In urbis Capitolio Senatori latrunculator aſſedit, ubi aliquos ca-

1 *Bertachi. de Epiſt. lib. 2. q. 25.* 2 *ut ipſe ait in verb. teſtes deponunt. verb. teſtes per eadem verba.* 3 *Bertachi. in verb. Chriſti in Natalem.* 4 *Jo. Bertachi. in verb. poſitionibus reſponſio qualis 3. & de gabellis in prin. & fin.*
5 *in verb. terræmot.*

pite

pite damnavit. [1] Phani quoque Fortunæ jus dixit [2] Ob opera, quæ edidit, demum promeruit, Advocatus Consistorialis creari. Ejus obitus, aut sepulchri vestigium, quod sciam, non extat.

CAP. CXXV.

CXCIII. BALDUS BARTHOLINUS.

CXCIII. BALDUS BARTHOLINUS Francisci Colæ dicti filius [3] Perusinus ad alterius Baldi discrimen *Novellus* cognominatus diu in patria docuit, mox Pisas honesto stipendio conductus vespertinas lectiones explicuit. Demum jussu Pontificis in Patriam revocatus luculentum *dotium* tractatum anno Domini MCCCCLXXIX. perfecit. Filium nomine Marianum habuit, [4] qui vivente patre eodem an. Laurea donatus Romæ sacri Palatii Auditor creatus est. Baldus & ipse Advocatus Consistorialis fuit, nullaque obitus memoria relicta, decessit.

CAP. CXXVI.

CXCIV. BARTHOLOMEUS SOCINUS Senensis. Doctores a quibus institutus. Patavii & Pisæ, Pistorii, Ferrariæ, Bononiæ jus docuit. Consilium abeundi Patavium periculosissimum. Ejus ingenium & scripta. Chartarum & aleæ ludo deditissimus. Matrimonium.

CXCIV. BARTHOLOMÆUS SOCINUS Mariani filius Senensis ingenii acumine nemini secundus natus est an. MCCCCXXXVI. VIII. Kal. Aprilis, ac primum græcis, latinisque literis imbutus, demum ad Jurium studia se contulit, in quibus patrem, ac *Thomam Doctium* in Patria audivit; Deinde post triennium quam legibus operam navare cœpit, Bononiam profectus ab *Alexandro Tartagno, & Andrea Barbatio*, ac postremo a *Francisco Aretino* Pisis est eruditus: quorum doctrina excultus eo provectus est, ut patrem superaverit. Crebris disputationibus, quibus mirum in modum delectabatur, celebris evasit. Et cum semel in patria juvenem publice differentem acriter urgeret, cum patre, qui illius partes defendendas susceperat, aliquandiu, modeste tamen, contendit, donec nutu silentium imperanti parenti cessit. Ferunt Marianum e gymnasio discedentem Thomæ Doctio, *alisque dixisse filii ingenium sibi placuisse, ejusque nomen quandoque illustre futurum.*

[1] *Bertach. in verbo Sacrilegium* 17. [2] *Bertach. de Gabellis. ad fin. q.* 31. *n.* 37.
[3] *Corne. in conf.* 271. *sub n.* 10. *lib.* 4. [4] *Socin. in conf.* 2. *sub n.* 10. *lib.* 3.

Exinde Bartholomæus magna cum laude Patavii, Bononiæ, & Senis publice disseruit, ubi, patre insignia tradente, legum tyrocinium deposuit. Itaque declaratus Jurisconsultus in Patria primum Institutiones, deinde extra ordinem, ac postremo matutinas lectiones ordinarias est interpretatus. Exinde clarior factus cum *Jo. Baptista Caccialupo*, & *Prosdocimo Comite* anno MccccLxxiv. Pisas conductus magna nominis celebritate docere cœpit. Ibi primum *Lanceloto Decio* Concurrens datus matutinam lectionem professus est, quo tempore ibi *Franciscus Aretinus*, ob summam hominis auctoritatem, solus vespere interpretabatur. Post quartum vero annum cum *Baldo Novello*, *Bartholino*, *Hieronymo Zanetino*, & *Puccio* deponendi tyrocinii *Philippo Decio* Magister fuit.

Cætero translato post aliquot annos *Pistorium* gymnasio, cum ibi aliquandiu docuisset, Pisas reversus Aretino Præceptori defuncto cum *Baldo Novello* in vespertina lectione suffectus est, Philippumque Decium ejusdem lectionis interpretationem affectantem ad Jus Pontificium docendum compulit. Omniumque denique sui temporis Interpretum clarissimus effectus [a] Borsio Ferrariam advocatus cum Riminaldo mane docuit, magnamque cum Felino familiaritatem contraxit; Ibi quadriennio expleto, postea Bononiæ professus est, atque inde a Laurentio Medice cum mille aureorum honorario ad vespertinam lectionem interpretandum Pisas est revocatus; quo cum non multo post ad matutinam lectionem explicandam eodem stipendio Jason Mainus conductus esset, Socinus parem ferre non poterat. Itaque primo submissis auditoribus, qui cum Jasone differerent, ipse velut ex tempore occurrens cum eo acriter certare cœpit, continuatisque per multos dies contentionibus, plerunque superior discedebat.

Fama rei Florentiam perlata, Laurentius ut disputantes audiret, Pisas venit. Ibi cum acrius urgeretur Jason, nec facile evadendi locum inveniret, ad evitandum adversarii argumentum falsam legem sibi finxit, quo a Socino cognito, aliam & ipse oppositum dicentem sibi commentus est, quærentique Jasoni, *ubi Jus illud inveniretur*, respondit, *Prope illud, quod mihi mox citasti.* Itaque fraude intellecta, non sine magna Laurentii voluptate diremptum est certamen, quod ultra horam vespertinæ lectionis eo die protractum fuisse ferunt; & quandoque tanta animi obstinatione a matutinis lectionibus incipientes eo

[a] *Socin. conf. 46. n. 2. lib. 3.*

usque

usque disputationes protraxisse dicuntur, ut a conflictu discedens Socinus, veniente hora, cathedram ascendere coactus fuerit Sed Jasone postea Ticinum revocato, ipse quoque oblato sibi Patavii ampliore stipendio ante conventionis tempus clam discedere constituit.

Itaque libros cuppis, in quibus Luca sibi vina mittebantur, conditos ante Urbe emisit, Mox ipse sabbatho sero migratus a famulo Florentino apud Cos. Urbis est accusatus, qui hominem in itinere deprehensum in vincula conjecit, & Florentiam transmisit, ibi cum in Senatu de imponenda *ob Stellionatum* pœna disputaretur, non defuit, qui eum criminis læsæ Majestatis insimulatum severa sententia capite plectendum esse diceret. Sed Laurentius vir mitioris ingenii, *Si hunc*, inquit, *perdiderimus*, *ubi alium Socinum inveniemus?* Itaque per certos dies ad carceres est condemnatus. Interea cum de eo pristino loco, & dignitati restituendo tractaretur, ipse se in vinculis sui juris non esse, nec quicquam de se disponere posse respondit. Quare primum leviori custodiæ traditus, mox per Palatium, ac demum per urbem vagari permissus donec plene in libertatem restitutus est, nunquam contractum firmare voluit. Liberam igitur sui potestatem nactus chirographo se stipendio, & tempore a Florentinis diffiniendo Pisis professurum promisit; Quare illi in singulos annos mille ducatorum per triennium salarium constituerunt. Interea absentis loco *Philippus Decius* suffectus fuerat, qui, illo redeunte, ad pristinum locum rediit; Triennii vero tempore elapso, Bononiam conductus est, ubi inter alia consultus, quid illi agendum esset, cui accepta sine cautione pecunia negabatur, pugione opus esse bis repetiit; Itaque consultor debitorem domi conventum, stricto gladio, se jugulaturum minatus, nisi depositum restitueretur, pecuniam recepit. Re in vulgus sparsa in proverbium abiit, *Socini consilio opus esse*, *ubi crediti veritas probari non potuisset.* Inde Patavium vocatus [1] an. MCCCCXCVIII. cum paucis annis ibi docuisset, rursus Bononiam rediit.

Vir hilari vultu, facetiis etiam oblectabatur; & forte cum individuorum materiam interpretaretur, dum in forum ambulat, in ficus venales incidit, quorum dimidia empta singulos per medium dividere cœpit, reclamante vero ad factum venditrice, eas pro individuis a muliere haberi auditoribus significavit, sed id multis annis antea a *Jacobo Butrigario* factum fuisse memorant, [2] sed quando in hoc incidimus,

1 *Socin. conf. 61. in prin. lib. 3.*
2 *Fulgos. in l. 13. §. ult. & ibi Jas. qui & in l. 15. sub n. 22. ff. de reb. cred. si cert. petat.*

mus, non omittam vetus esse proverbium σηςα μέριζε i. ficum secare, tractum a duobus fratribus tanta animi obstinatione bona dividentibus, ut minima quæque velint dividere, & ficos etiam partiantur, de quo Martialis. [1]

Sed ut ad Socinum revertamur Alchymistam plurimum auri pollicentem facete elusit, cum pro responso ducentis aureis acceptis severiorem conquirendi auri artem invenisse ostendit. Acutissima commentaria, & Responsa condidit. Liber *Regularum* sub ejus nomine editus est, quod cum rescivisset, excandescens, illud suum opus non esse juravit, injuriarumque se contra impressorem actione usurum minatus est. [2] Primum etiam & secundum *Responsorum* ipsius volumina, eo inscio, edita fuere. [3] Angelo Politiano valde familiaris ita ab illo observabatur, ut alter Papinianus appellaretur, [4] ejus auxilio nitorem suum quandoque juribus restituit. Summus veritatis cultor, & ab omni mendacio alienus fuit, qui Philippo Decio infensus, quod in fratris gratiam auditores abstraheret, ejus tamen ingenium, & doctrinam semper commendavit.

Vir acris judicii fuit, quo nemo acutius legum difficultates soluisse creditus est, ut *Socini solutiones* proverbii vice in studiosorum ore versarentur, ob ingeniique subtilitatem sæpe contra receptas a majoribus sententias consuluisse a Decio redarguitur; [5] Illiberalibus vero moribus insignem doctrinam maculasse dictus est, qui chartarum, & aleæ ludo supra modum deditus, non modo debitis lectionibus quandoque auditores fraudasse, sed insomnes etiam noctes turpiter egisse dicitur. Eo vitio paternis opibus consumptis, & universa, quam docendo, & de jure respondendo plurimam coegerat, pecunia effusa, ad extremam inopiam deductus est, usque adeo ut nec quod funeri suppeteret, post se reliquisse dicatur. Eam ob caussam semper egens undique pecuniam avarius conquirere cogebatur. Quin etiam prævaricationis notatus est, qui pro utraque parte, mutatis tantum litigantium nominibus, consuluisse deprehenditur, quod Bononiæ docenti occultis verbis Decius objecit; [6] quum ipse studiis occupatus ludere non poterat, alios prope ludentes libenter audiebat, & ubi pinguem victoriam, aut perplexum eventum esse sentiebat, videndi cupidus, ut se expectarent, increpabat.

1 *Lib. 5. epigramma. In Calliodorum. epigram.* 38. 2 *Sylva Nupt. lib.* 4. *sub n.* 100. 3 *Boer. deci.* 7. *col.* 3. 4 *lib.* 5. *epist. ult. in fin.* 5 *in cons.* 171. *sub num.* 3. 6 *in l.* 8. *sub. n.* 4. *C. de impub. & aliis subslit.*

Splen-

Splendide vero, & magnifice ſemper vixit, lautaque & argentea ſupellectile uſus. Ludovicam Orlandinam uxorem habuit, ex qua plures liberos mares, & fœminas quinque omnes nuptui locatas ſuſcepit; Sed aliis amiſſis, ſolum Franciſcum ex Scipione filio nepotem poſt ſe reliquit. Memoriæ imbecillitate bis inter orandum excidit. Primo cum anno MCCCCXCII. a Republica Senenſi Alexandro VI. Pont. Max. ſuæ civitatis nomine gratulatum miſſus in prima prope oratione, quam illi Angelus Politianus dictaverat, defecit, quod ubi Pontifex deprehendit, manum ſublevans ſatis ſibi notam viri virtutem eſſe dixit, eumque Advocati Conſiſtorialis titulo honeſtavit. Idem iterum illi Venetiis contigit, ubi dum apud Auguſtinum Barbadium Reipublicæ Principem dicere conatur, excidentibus quæ antea excogitaverat, nihil exprimere potuit.

Cum diu docuiſſet, demum a gravi catarrho faucibus obſeſſis inſtrumento linguæ privatus per triennium facultate loquendi caruit. Quare a Mariano, & Alexandro fratre nepote Senas deductus dandis reſponſis vacavit. Demum obiit in patriæ Suburbio a partu Virginis MDVII. & cum inſumptis in aleam opibus funerari non poſſet, publico Senenſium ære elatus in Obſervantiæ templo extra urbem in majorum ſepulchro conditus fuit. Aliqui ipſum ſibi funeris pompam fieri prohibuiſſe ferunt.

CAP. CXXVII.

CXCV. JASON MAINUS ex concubina natus. De ANTONIO ORSATO, JOANNE CAMPEGIO Bononienſi. De pretio magno Reſponſorum. Ampliſſima Jaſonis munera: cœlibatus, ſimultas cum *Philippo Decio*. *Franciſco Curtio*; plagia commiſſa, ingenii conditio; de communibus opinionibus. CXCVI. PAULUS ORIANUS Brixienſis. CXCVII. BARTHOLOMÆUS URBINUS Paternus.

CXCV. ANdreotus *Mainus* ob crimen Mediolani patratum a Philippo Maria Vicecomite in exilium actus Piſaurum ad Galeacium Malateſtam oppidi Dominum venit, ubi ex ancilla Annete concubina anno humanæ ſalutis MCCCCXXXV. JASONEM *filium* ſuſcepit, [1] is, parente in patriam reverſo Mediolanum deductus præceptoribus in bonis artibus traditus eſt erudiendus. Sed velut ex concubina natus, paulo ſordidius, quam Ambroſius, & alii legiti-

1 *Rip. in c. inter cæteras 4. in prin. X. de reſcript.*

mi fratres, educatus eſt, & ab immiti Pædagogo duriſſime tractatus. Exinde Ticinum ad Jus civile perdiſcendum a parente miſſus primo anno in peſtilenti chartarum luxu adeo miſere deperditus eſt, ut omni conſumpta ſupellectile etiam jurium volumina in membranis magno pretio deſcripta vendere cogeretur, ad extremamque inopiam deductus vili veſte, & tonſo capite, quod deformi tinea obſitum erat, omnium ſordidiſſimus incedebat.

Verum a parente opportune correptus ad eam vitæ frugem ſe reformavit, ut cum æqualium admiratione a *Hieronymo Torto*, [1] *Jacobo Puteo*, *& Catone Sacco Papienſi* eruditus brevi inſignis evaſerit. Poſtea Bononiam profectus etiam *Alexandrum Tartagnum Imolenſem* incredibili ſtudio audivit. [2] Inter alia a patre teſtamento notatus eſt, in quo filio mulo mulam legavit. Nec ſimplici legum facultate contentus humanioribus literis usque ad Poeticas compoſitiones ſe inſtruxit. Dignus cathedra viſus anno MCCCCLXXI. Ticini primo *Inſtitutiones* interpretatus quædam Chriſtophori commentariis addidit, Philippumque Decium in ea lectione auditorem habuit; Exinde alias Juris partes ibidem usque ad annum MCCCCLXXXVI. explicuit, quo Patavium magno honorario mille ducatorum aureorum ad rationem ſolidorum 24. pro ducato, & ex lectis ejus Codicillis perſpexi, vocatus, ibi cum ANTONIO ORSATO veſpertinas lectiones magna nominis fama per triennium profeſſus eſt, & cum ſibi ſalarium augeri poſtea petiiſſet, diſcedens JOANNEM CAMPEGIUM ſucceſſorem habuit. Inde Piſas majore ſtipendio conductus, cum *Bartholomæo Socino* easdem, ut quidam ferunt, mane Juris civilis lectiones explicuit, ſed eos æmulos, non Concurrentes fuiſſe invenio.

Primus ex noſtris Jurium Interpretibus mille aureorum ſalarium obtinuit, cum antea ducentis, aut ſummum trecentis aureis docerent; [3] primus etiam 50. 100. & amplius aureos pro Reſponſis accepit, cum prius quatuor aureolis honorarentur. Jam vero clariſſimus factus a Ludovico Sfortia rurſus Ticinum anno MCCCCXCI. revocatus usque ad finem vitæ XX. amplius annis veſpertinas lectiones prælegit. Eo ad celebrem hominis famam tria millia auditorum confluxiſſe dicuntur: Inter alios *Jo. Franciſcum Ripam*, [4] *Rochum Curtium*,

[1] *Jaſ. in conſ. 1. lib. 1.* [2] *Jaſ. in l. ult. col. 3. C. de jur. emphyt. in l. 29. C. de inoff. teſtam. in l. 1. ff. de offic. Proconſ. Inſt. de action. in prin. ſub n. 57.*
[3] *Alcia. lib. 5. parergon. c. 26.*
[4] *Rip. in l. 55. n. 120. ff. de leg. 1.*

Clau-

Claudium Seiſſellum, & *Paulum a Monte Pico*, quem poſtea concurrentem habuit, inſtituit. [1]

Luculenta in *Pandectas*, & *Codicem* Juſtiniani commentaria, & *quatuor Reſponſorum volumina* edidit, præter interpretationes ad titulum *de Actionibus*. Oris canore, vocisque decore venuſtus etiam lectionis perſpicuitate diſcentibus erat gratiſſimus, ut clauſo per duas horas Auditorio, quæ explicabat, vel dictabat, magno ſilentio exciperentur.

Sequente vero anno ad Alexandrum VI. Pontificem declaratum a Ludovico Sforcia cum Hermete Sforcia Ducis fratre, Jo. Franciſco Severino, & Franciſco Sforcia, Nicolaoque Corrigio gratulatum miſſus, luculentam orationem habuit, ac primas tunc temporis inter Oratores partes obtinuit. In celebrandis quoque nuptiis, quas Maximilianus Cæſar cum Ludovici ex fratre nepote contraxit, ingenti Aulicorum applauſu oravit. Quare auro, argentoque donatus, & Equeſtri, ac Palatina dignitate honeſtatus, Cæſariſque patritius factus, lætus in Patriam rediit. Anno etiam MCCCCXCV. quo *Ludovicus Sfortia* Mediolani Dux creatus eſt XVII. Kal. Maji, ſplendidam orationem habuit, & ejus Senator, ac Patritius eſt declaratus. [2] Inter hæc accidit, ut quadam Lippientium, ac prope cæcutientium oculorum caligne teneretur, quare ultra novennium a docendi munere ceſſavit. [3] Cum vero Ludovicus XII. Gallorum Rex, ſubactis Liguria, & Inſubribus, Mediolano potitus eſſet, Jaſonem per multos proceres, ac Cardinales viros, ut ad jus interpretandum reverteretur, fruſtra ſolicitavit; Tandêm Rex ipſe multis adhortationibus ad priſtinum munus ſuſcipiendum impulit, & cum *Ticinum* veniſſet, eum audire voluit.

Die dicta, Jaſon aurea veſte indutus Regem ad gymnaſium deduxit. Ubi eo ventum eſt, Rex eum, velut Præceptorem, præire juſſit, quod eo in loco profitentibus Regiam poteſtatem inferiorem eſſe diceret. Comitati Ludovicum fuerant quinque Cardinales, & centum proceres, qui cum aliis ſubſellia implevere. Jaſon Equeſtrem dignitatem ob ſpectatam in prælio virtutem a Principe collatam adverſus aliorum ſententiam ad liberos tranſire ſuſtinuit; deſcendentem e cathedra Rex amplexus Piopera caſtello Regia liberalitate donatum dimiſit; In domeſtico vero colloquio ab eodem interrogatus

1 *Paul. de Monte Pico in l. 34. §. 7. ſub n. 41. ff. de leg. 2.* 2 *Paul. de Monte Pico in. d. §. 7. ſub n. 41.* 3 *Jaſ. conſ. 93. l. 3.*

Jason, *cur nunquam uxorem duxisset*, *Ut tua*, inquit, *amplissime Rex*, *opera Julius Pontifex me ad purpureum Galerum promovere possit*. Hoc responso animi quidem secretum ostendit, sed nunquam voti compos factus est.

Castrum vero Pioperam Rex in Feudum Jasoni, dum viveret, cum multis prædiis, & proventibus concessit, hoc animo, ut Jura profiteri teneretur, nisi valetudine esset impeditus. Verum cum Ludovicus cognomento Maurus ex Germania, ingenti conflato exercitu, reversus a Ludovico Rege profligatus, captusque fuisset, Dominus a Corcu regiæ domus magister Jasonem Castro spoliavit, etsi post acquisitum Castrum semper docuit. Jason amicorum opera a Rege litteras impetravit, ut sibi ablata restituerentur, sed nuntius pugnis, & calcibus percussus pene cæsus est, Litteræ in terram projectæ, & conculcatæ fuere. CL. aureos in hanc causam frustra impendit, cum nec obolum ex Castro unquam perceperit, quam historiam ipse in quodam responso, seu epistola *Guidoni Rupforti Galliarum Cancellario* missa explicat, [1] quæ anno M. D. contigisse dicuntur. Ipse tamen postea usque ad annum MDXI. docuisse reperitur.

Non multo ante Jason controversiam passus fuerat pro perticis tribus agri, quas in Placentino territorio a Bartholomæo Burgo emerat, cujus fratres vi pacti eas redimere volebant. Jason, edito responso, [2] se a conventione illa liberum esse tuebatur. Quid secutum sit, nescitur.

Jasonis nominis invidia exagitatus *Philippus Decius* ipsum usque ad insanas cavillationes nunquam insectari destitit. In tantum denique odium prorupere, ut semel in angiportu obviam facti, cum de loco contendere cœpissent, etiam lapidibus se se incessisse ferantur. Cum *Francisco* quoque *Curtio* non leves contentiones Jason exercuit, quem olim coram Sfortia Mediolani Duce eludere conatus est. Cum enim gravi in causa pro diversis partibus patrocinarentur, mirari se Sfortia dixit, tantos viros contrarias sententias tueri, necesse enim esse ex uno scripto jure alterius tantum causam justam esse; Tum Curtius. nisi pro se judicatum fuisset, se mille aureos sponsionis causa depositurum promisit, Cui Jason, tu audes in dubio litis eventu mille jacturam facere, cum scias, in Advocatos de alieno litigantes nullam executionem fieri. Hinc ergo quia levis judicii te hominem osten-

[1] *In conf. 93. seu pen. lib. 3.*
[2] *Conf. 216. lib. 2.*

dis,

dis, nec principalis causæ Jus potes discernere. Arrisit Dux, & nullam sponsionem faciendam judicavit.

Aliorum etiam laboribus Jason libenter fruebatur, siquidem commentarium *in titulum de Actionibus ab Alexandro Imolensi* scite elaboratum sibi adscripsisse, & in lucem edidisse, fertur. [1] *Hieronymi Torti Papiensis*, qui cum *Jacobo Puteo* in Patria vespertinas lectiones paulo ante explicuerat, & aliorum scriptis locupletari voluit; Bononiæ quoque dum ibi *Bartholomæus Socinus*, deinde *Carolus Ruinus* profiterentur, auditores aluisse dicitur, qui eorum descriptas lectiones ad se referrent, id & ejus commentaria ostendunt, & *Ruinus* sæpe publice deploravit, qui, mutata per indignationem sententia, surreptas opiniones confutare consueverat.

Jason non multum ingenio acutus ob hæsitationem indecisos quandoque articulos reliquit, nec semel male percepta aliorum argumenta recitat, ac in referendis receptis opinionibus, quæ *Communes* vocantur, nonnunquam decipitur. Vir alioqui laboriosus, & in cumulandis aliorum dictis diligens, [2] quicquid enim legebat, scriptis mandabat, unde a solo *calamo Juris studiosum adjuvari dictitabat, & se, quantum studebat, tantum scribere referebat.* [3] Nullum præterea sibi tempus ad expoliendas lectiones, nisi quadragesimæ, quum jejunabat, sufficere dictitabat. [4] Alexandrum Tartagnum est æmulatus, lucido vero ordine, perspicuaque ac solida doctrina Jura interpretatus plurimum studiosis profuisse visus est. Linteo capiti obvoluto, etiam meridie occlusis fenestris ad accensum lumen elucubrare consueverat, ne cœli claritate mentem evagari sineret. Consultoribus onerosus in hoc laudem meruit, quod si causa excidissent, extortam pecuniam se restituturum pollicebatur, in quibusdam tamen minus recte consuluisse arguitur. [5]

Nobile Ticini ædificium extruxit cum turribus in summis angulis inversis, quod patrem suum nolle mentitum esse diceret, qui filio in prima juventute ad vitia declinanti sæpe per iracundiam objiciebat, eum turrim conversis in cœlum fundamentis fabricaturum. Quo dicto, id ædificii genus, quod ad declarandam nobilitatem fiebat, Jasonem nunquam facturum significabat; portæ vero ædium

[1] *Apostil. ad cons. 62. & 163. Decii.* [2] *Hieron. Butigel. in l. 1. §. 3. n. 9 ff. de verb. oblig.*
[2] *Sylva nupt. lib. 5. sub num. 25. verb. etiamsi esset opin. felyni.* [3] *Sylva nupt. lib. 5. sub num. 45. Quomodo judicandum.*
[4] *Marca. cons. 1. fol. 10. & 12. in princ.*

hanc sententiam inscripsit. [1] *Virtuti fortuna comes*, quod antea *Cicero*, [2] *& Livius* [3] de A. Sempronio loquens, & alii dixerant. [4] Perampla etiam prædia in Placentino comparavit.

Gallis Mediolano armis Hispanorum expulsis, *Jo. Jacobi Triulcii Gallorum* fautoris bona obtinuit, sed illis Francisci I. virtute reversis, ea amisit, senio confectus Eques, & Ducis Mediolani Consiliarius creatus a docendi munere vacasse videtur. [5]

Ferunt eum senio confectum delirasse, & sæpe a *Com. Hippolyto* ex fratre nepote pugnis cæsum fuisse. Obiit Ticini anno M.D.XIX. XI. Kal. Aprilis ætatis LXXXIV. Polydamante filio naturali post se relicto, qui & ipse Jurisconsultus Genuæ Prætor fuit, & Ambrosio fratre, ex quo Thomas natus est. Sepultus est in suburbano D. Jacobi templo cum hac inscriptione.

Jason Mainus Jurisconsultus Eques, & Comes, quisquis ille fuerit, hic requiescit.

Sed & aliud non inelegans in hæc verba extat Epitaphium.

Quis jacet hoc, hospes, tumulo? quis? summus Jason,
Ille ne Phryxeæ vellere dives ovis?
Clarior hic illo longe est, quis nam oro Mainus
Excellens Juris gloria Cæsarei.
Non fuit hoc Juris quisquàm consultior alter,
Qui extinctum posset reddere Jus melius,
Sed tamen hoc summi vetuit mens Dia Parentis
Cæsaribus cupiens usque favere suis.
Te audiit, o nimium fælix, qui Jura legentem,
Damnantemque acri plurima judicio.
Nec tamen infælix tua qui monumenta revolvit
Et memori condit lecta, fovetque sinu.
Et quamquam obloqueris plebs invida solus Jason,
Hic legum nodos difficiles solvit,
Amborum sic fama omnem vulgata per orbem,
Ille nitens belli laude, sed iste togæ.

CXCVI. Post Jasonem Patavii an. MCCCCLXXXVIII. PAULUS ORIANUS *Brixiensis*, & (CXCVII.) BARTHOLOMÆUS URBI-

[1] *Sylva nupt. lib. 4. sub n. 168.* [2] *De senectute.* [3] *lib. 4. decad. 1.* [4] *Bar. in l. 3. ff. de offic. prætor. in repet.* [5] *Paul. a Monte Pico in d. l. 34. §. ult. sub. n. 41. ff. de leg. 2.*

NUS

NUS *Paternus* per annum XXV. sunt professi; is octuagenarius anno MDXXVIII. die VII. Augusti decessit.

CAP. CXXVIII.

CXCVIII. FRANCISCUS MALCHIOSTRIUS Parmensis.

CXCVIII. DOcebat eo tempore Patavii Jus civile FRANCISCUS MALCHIOSTRIUS *Parmensis*, qui an. Salutis MDVII. occisus in D. Antonii æde cum hoc Epitaphio conditus fuit.

Francisco Malchiostrio Jurisconsulto Parmensi Clarissimo in Patavino gymnasio publice profitenti sicarii manu crudeliter extincto Brocardus Malchiostrius frater mœstiss. MD. VII. Die.

CAP. CXXIX.

CXCIX. JOANNES SADOLETUS: ejus scientia juris: celebres filii; epitaphium. DE JULIO & JACOBO SADOLETIS.

CXCIX. JOANNES SADOLETUS *Mutinensis* Ferrariæ per plures annos magna cum laude, & honestissimo stipendio professus est, [1] dum ibi *Ludovicus Bologninus*, *Albertus Bellus*, *Dominicus a Massa*, & *Albertus a Leutis* celeberrimi viri [2] Jura civilia interpretabantur, & apud Herculem illius civitatis Ducem gratia, & auctoritate plurimum valuit. Bononiam deinde vocatus ibi diutius docuit, ac defuncto *Andreæ Barbatio* suffectus fuisse dicitur. Multa in leges scripsit, sed pauca quædam in *titulum de Confessis* sola in lucem prodierunt. Tantæ fuit memoriæ, [3] ut quam plurimos versus, vel semel auditos statim referret, qua in re non dissimilem habuit filium JULIUM [4] nomine, qui quæcunque audierat, legerat, aspexerat, ea semel notata semper postea proferre solitus erat. Habuit præter hunc JACOBUM filium *Episcopum Carpentoractensem*, qui ob eximiam doctrinam, & morum probitatem a Paulo III. Pont. Max. in amplissimum Cardinalium Collegium ascitus fuit. Obiit Joannes in patria, & ad templum civitatis maximum elatus in exteriori illius pariete forum versus humatus est cum hoc elogio.

Joanni Sadoleto Jacobi filio Juris utriusque scientia omnibus plane antecellenti, memoria incomparabili, ingenio præstantissimo, fide, religione,

[1] *Ant. Florebel. in vita Jacobi Sadoleti Card.* [2] *Bologni. inter cons. Alex. lib. 4. cons. 53. in subscriptione.* [3] *Lil. Greg. Giral. in histor. poeta. Dial. 7. fol. 283.* [4] *Jacob. Sadol. Card. in Epistolam D. Pauli ad Rom. comment. lib 2. in prin.*

tem-

temperantia supra vel eximiam laudem, ad usque dies extremos incolumitate perpetua, & integra provento, Jacobus Sadoletus ob pietatem, ac reverentiam, & quod ex eo nihil unquam adspexit, quod imitando non optime, ac temperatissime se gereret, caro apud cives, memorato apud exteros, optimo patri vita functo benemerenti, e Franciscæ Malchiavellæ ejus unicæ uxori matri suæ carissimæ viventi, & sibi fecit. Vixit pater annis LXXI. & obiit de anno MDXI.

Locus decreto Collegii Sacerdotum datus, Senatu, populoque Mutinensi procurante.

CAP. CXXX.

CC. LUDOVICUS BOLOGNINUS Bononiensis: ejus emendationes Pandectarum, lectiones, scripta.

CC. LUDOVICUS BOLOGNINUS *Bononiensis* ingenii elegantia omnes sui temporis Interpretes visus est superasse, qui quantum illa secula patiebantur, a barbarie discedens bonas literas excoluit. Inter alios *Alexandrum Tartagnum* præceptorem habuit. [1] Deinde anno MCCCCLIX. [2] inter Jurisconsultos receptus, primus Pandectas ex Florentino Codice emendare conatus est, diuque liber ille pro expurgato Cæsennæ est conservatus.

Cum annis aliquot in patria docuisset, postea Ferrariæ matutinam lectionem explicuit, [3] ubi *Abbatis Panormitani* responsa antea non visa in lucem emisit. Non multo post inde Bononiam reversus alia *Joannis ab Anania*, non paucis ex suo additis, in medium jurium studiosis protulit; Responsa etiam *Joannis ab Imola* purgavit. Luculentum de *Indulgentiis* librum composuit, & alii, quem de *Successionibus ab intestato* antea *Mattesillanus Bononiensis* ediderat, non pauca adjecit.

Equestri honore exornatus apud Innocentium VIII. Pontificem, quem affinitate contingebat, decidendis causis præfuit. Postea in Caroli VIII. Gallorum Regis consilio, ut quidam ferunt, detentus, [4] pro Ludovico Sfortia Mediolani idem munus obivit. Deinde Florentiæ V. vir Juri dicendo præfectus ibidem etiam Prætorem egit. Ac postea ab Alexandro VI. Pontif. Senator Romanus, & Advocatus Consistorialis creatus illustri dignitate functus est. Demum a Julio

[1] ipse in repert. cons. Alex. ad 5. vol. in prin. [2] Bolo. in add. ad Matte. de success. ab intesta. in 3. artic. princ. sub n. 12. [3] ipse in cons. 53. in fin. inter cons. Alex. lib. 4. in subscriptione. [4] in inscriptione cons. Jo. ab Imola.

II. Pont.

II. Pont. Patriæ Senator declaratus ad Ludovicum XII. Gallorum Regem Legatus est missus, inde Romam reversus, cum peractæ legationis rationem reddidisset, dum in Patriam revertitur, itineris laboribus quassatus Bartholomæo filio post se relicto, anno salutis MDVIII. & ætatis LXI occubuit. Præclaram bibliothecam D. Dominici religiosis, & arcam, quam aperiri prohibuit, testamento reliquit, Bononiamque delatus cum hac inscriptione conditus fuit.

Omnia bona mecum porto, vix sola fama remanet,
Mox Reliquum Ludovici Bolognini.

Ibidem supra portam sacrarii.

L. L.

Ludovico Bolognino Jurisconf. ac Equiti, qui cum Bononiæ, Florentiæ Jura interpretatus, & ab Innocentio VIII. Pont. & Carolo VIII. Gallorum Rege Ludovico Mari Sfortia Insub. Duce ad respondendum de Jure accitus, Florentiæque litibus judicandis V. Vir, & Prætor. fuisset, ab Alexandro VI. Pont. Senat. Roman. Design. & a Julio II. Pont. XL. Viratum adeptus, & ab eo Legatus ad Ludovicum XII. Francorum Regem legationem retulisset, Bononiam rediens anno LXI. ætatis MDVIII. Florentiæ obiit. Bartholomæus Eques, & Senat. Bonon. Fil. Patri Jo. Maria Eques patruo F. CC. MD.LIII.

CAP. CXXXI.

CCI. HIPPOLYTUS MARSILIUS *Bononiensis.*

CCI. HIPPOLYTUS MARSILIUS *Bononiensis, & Felini Sandei* discipulus in patria explicandis criminalibus vacavit in quibus multa scripta reliquit, sed plurimum juri dicendo operam dedit, qui per annos XXII. tribunalibus præfuit, & Vicarium Ducis Mediolani egit, [1] ac Vallis Luganæ Præfectus, seu Capitaneus fuit. [2] Natura gutturosus, ut id vitium tegeret, prolixam barbam semper aluit, contra cœli quoque gravedinem, ut se muniret, petasatus incedere consuevit. Excessit e vivis circiter annum MDXXV. cum jam ferme annum LXXX. attingeret, Scipione filio post se relicto. Humatus est in æde D. Dominici cum hoc Epitaphio. *Hippolyto Marsilio Jurisconsulto Scipio filius Patri benemerito posuit. Vixit an. LXXIX.*

1 *Marsil. in singu. 190. in Rub. de fidejuss. n. 49.* 2 *Hippo. de Marsf. in R. de probat. col. 68.*

CAP. CXXXII.

CCII. SECUNDINUS NATTA. CCIII. HENRIETUS NATTA. CCIV. JOANNES BAPTISTA NATTA. CCV. GEORGIUS NATTA.

CCII. NATTARUM familia Casali Sancti Evasii per multa secula celebris fuit, & insignes Jurisconsultos habuit, quorum primus (CCII.) SECUNDINUS fuit, cujus erudita Responsa legi. Sed præ cæteris (CCIII.) HENRIETUS avus Marci Antonii [1] enituit, qui an. MCCCCXLVI. factus a consiliis *Marchionis* (CCIV.) JOANNES Montis ferrati pro eo a Philippo Vicecomite principatu ejecto plurimum laboravit. Quare in pristinum Imperium restitutus Henrieto Tongum Castrum ob benemerita donavit. [2] Is (CCV.) GEORGIUM genuit, [3] qui eruditum de Statutis fœminas excludentibus tractatum edidit, & SECUNDINUM Marci Antonii patrem, & JO. BAPTISTAM [4] celeberrimos Jurisconsultos, GEORGIUM, THOMAM, & OCTAVIANUM viros bonis artibus imbutos.

GEORGIUS an. MCCCCLXXV. Ticini Jus Pontificium docuit. Is Astæ cum habitaverit, pro ejus Cive habitus est. MARCUS vero ANTONIUS Astæ genitus sub *Curtio* Juniore [5] per quadriennium *Philippo Decio*, & *Jasone* in jure Ticini est eruditus. Creatus Jurisconsultus in Monteferrato cum *Rollando a Valle* Senatoria functus est dignitate. [6] Semper cælebs fuit, luculentaque in jure Responsa edidit, in quæ FRANCISCUS BECIUS Casali Senator summaria composuit, & dum describebantur, aliqua furto subtracta, & alieno nomine publicata fuere. Librum etiam *de Passione Christi*, & alium *de Pulchro* composuit. Bellorum vero tumultibus recedere coactus Ticinum concessit, ubi extra ordinem tractatum *testamentorum*, singulari audientium gratia, explicuit. [7] Ejus opinio quandoque tanquam Saturnina, idest, singularis arguitur, [8] & aliqua ejus Responsa ab aliis suo nomine edita reperiuntur. [9]

[1] *Nata. conf. 522. n. 28.* [2] *Nata. conf. 522. n. 28.* [3] *Georg. Nata. de statuto exclud. fœm. in 5. q. 3. q. prim.* [4] *Nata. conf. 611. n. 6. & 679. in fin.* [5] *Nata. conf. 599. in fine.* [6] *Roll. conf. 13. n. 51. & 61. lib. 3. Decis. 3. Pedam. in fine, & 142. sub n. 33.* [7] *Nata in l. 21. §. 1. C. de testam. in princip.* [8] *Roll. conf. 96. ad fin. in 2.* [9] *Nata. conf. 284. est conf. 12. Sylvan. item conf. 358. est conf. 86. Sylvan. item conf. 364. est conf. 100. Sylvan.*

Uberti-

Ubertinus Sapiens J. C.

Henricus J. C. Consiliarius Marchionis Montisferrati.

Georgius J. C. Canonum Interpres. | Secundinus

Hector. | Jo. Bap. J. C. | M. Antonius J. C.

CAP. CXXXIII.

CCVI. JOANNES CAMPEGIUS *Bononiensis*, de Patre BARTHOLOMEO CAMPEGIO. CCVII. HIERONYMUS RUTIGELLA. CCVIII. PETRUS ANDREAS GAMMARUS Bononiensis; quinque filii Campegii, LAURENTIUS, ANTONIUS MARIA, THOMAS, BARTHOLOMEUS, MARCUS ANTONIUS, CAMPEGII.

CCVI. JOANNES CAMPEGIUS *Bononiensis* anno partæ Salutis MCCCCXLIX. *ex Bartholomæo Jurisconsulto*, *&* *Paula* ex nobili *Cavalcaboum Cremonensi familia* natus est. De BARTHOLOMÆO patre libet hoc recensere. Cum is Canetulorum factionis haberetur, quæ tunc cum Bentivolis de primatu certabat, eo funesto Civitati Bononiensi die, quo *Annibal Bentivolus* a Canetulis interfectus fuerat, etiam ab hostibus laude dignus est judicatus, siquidem a Bentivolæ factionis hominibus morte Annibalis cæde Baptistæ Canetuli vindicata, ejusque domo igni combusta, cum victores per Urbem discurrerent, in domos civium adversæ factionis sævierunt, & supra LX. domos direptas solo æquarunt. Cum vero in Bartholomæi, qui tunc temporis a civitate aberat, domum irruerent, ac signifer etiam ad eam depredandam substitisset, ab universis repente acclamatum est, *Vir probus est*, *neminem læsit*, *ejus salva intactaque domo relicta*, *ad alias transeamus*. Quod procul dubio maximum ejus viri summæ integritatis, & innocentiæ indicium fuit.

Sed nec in exilio, quod tunc ipse voluntarium suscepit, singularis hominis virtus latere potuit. Is enim a *Ludovico* Mantuæ Marchione perbenigne acceptus cum annuo stipendio secreto ejus consilio adscriptus est; a *Philippo* quoque *Maria* Mediolanensi Duce, apud quem Reipub. Bononiensis Oratorem egit, annuo stipendio CCC. aureorum donatus est. Favebat enim *Philippus Maria* Canetulæ factioni, cum Venetis, ac Florentinis Bentivoli adhærerent. Ex Bartholomæo natus est JOANNES *Mantuæ* Annum XIV. egressus humani-

 niori-

nioribus literis ab optimis Præceptoribus est eruditus, mox paternos lares patris jussu repetens, Bononiæ primum sub Alexandro Imolensi, deinde Pisis sub Francisco Aretino Juri Cæsareo, & Pontificio operam dedit, tantique nominis evasit, ut nondum Doctoris infulis insignitus ad Jus profitendum eodem tempore a Pisanis, & Papiensibus postularetur. Prætulit tamen Papiense gymnasium Pisano, cum ob aeris salubritatem, tum etiam persuasus ab amico Paterno *Thoma Theobaldo* Bononiensi, qui postea Dorotheam filiam ei despondit.

Erat tunc Thomas a consiliis Galeatii Sfortiæ Ducis Mediolanen. quem locum & sub Philippo Maria Vicecomite, & Francisco Sfortia habuit; præter hæc ab ipso Philippo Maria ad Reges Gallorum, & Neapolis, ac Burgundiæ Ducem Orator destinatus, insuper Cremonensi, & Astensi Civitatibus præfectus fuit. Joannes igitur annos amplius decem Papiæ Jus Cæsareum cum (CCVII.) HIERONYMO BUTIGELLA in maxima Auditorum frequentia professus est, cujus percelebri fama adducti Veneti longe majori stipendio ad matutinas lectiones explicandas Patavium conduxerunt. Cum Urbi appropinquaret, ob excellentem eruditionem, & nominis celebritatem a Magistratibus, quod nisi Regibus, & summis Principibus dari consueverat, ac gymnasiarchis, & omnifariam professoribus, ingentique hominum frequentia itum est obviam, ut nulla hominum memoria professorem honorificentius acceptum viderit Patavium, ut auctor est *Sabellicus.* [1] Ibi per decennium jus Cæsareum tanta apud omnes gratia, & existimatione docuit, ut præstantissimos ea memoria Jurisconsultos, *Bartholomæum Socinum*, & *Jasonem Maynum* majores natu, & nominis celebritate, & honorario æquaret.

Cum deinde Veneti Jasoni concurrenti majora, quam Joanni stipendia constituissent, ipse, qui superiorem ferre non poterat, discessit, atque Bononiam summis civium precibus efflagitatus concessit, quo cum magnus Auditorum numerus se contulisset, & qui Patavii remanserant, ingenti ejus desiderio tenerentur, Venetos non auxisse salarium poenituit. Quare eodem, quod Jasoni, qui jam ab ipsis discesserat, honorario præstituto, Patavium revocarunt. Ad eum deducendum gymnasii Rector, & cum eo circiter quinquaginta legum studiosi Bononiam concesserunt. Post annos quinque stipendium, quod ante octingentorum aureorum erat, ad mille adauctum est, quod ei primum concessum, & Jasoni prius negatum fuerat.

[1] *lib. 7. Exemplorum c. 5.*

Decem

Decem annis in prima cathedra ibi Jus Cæsareum professus a civibus suis, quod ante renuerat, se in patriam retrahi permisit, ubi omnibus honoribus, & magistratibus maxima cum laude functus est. Julio II Pontifici Maximo, ad quem Bononiensium Orator iverat, usque adeo gratus fuit, ut ejus consilio post ejectos Bentivolos in constituendis magistratibus, moderandisque legibus municipalibus, & nonnullis vectigalibus partim tollendis, partim minuendis usus fuerit. Maximam etiam erga Patriam benevolentiam ostendit, cum anno MDIX. excitata seditione, Bentivolensium impulsu Mariscotorum domus conflagravit, atque direpta est. Cum enim tanti sceleris auctores pœnam formidantes civitatis portam occupassent, concursantibusque Bentivolorum asseclis, ad quinque millia armatorum numerus crevisset, Urbis Gubernator Laurentius Fliscus tunc Brugnatensis postea Montis Regalis Episcopus, & alii magistratus valde metuebant, ne Bentivoli revocarentur, & ingruente nocte, adaucto malorum numero, direptiones, & incendia multiplicarentur. In eo discrimine Joannes Campegius salubri consilio auctor fuit, ut, venia accepta, seditiosi arma deponerent. Illi quatuor ex ditioribus Civitatis fidejussores efflagitarunt, qui impunitatem a Pontifice approbatum iri promitterent, inter eos Joannes Campegius spopondit, qui mali præscius eam fidejussionem sibi, aut suis quandoque exitio futuram prædixit, pro Patria tamen, & civium salute se periculo committere non recusavit. Julius magistratuum precibus, his, qui cum Bentivolis conspiraverant, exceptis, aliis ignovit, habitaque de multis quæstione, non pauci perduellionis accusati, & exules facti; & aliqui etiam ultimo supplicio affecti fuere. Proinde restitutis a Gallorum exercitu Bentivolis, a fidejussoribus, quos ad proscriptorum damni restitutionem teneri affirmabant, magnam pecuniam extorserunt; Joannes vero, qui accersitus a Mantuæ Marchione, ut litem inter nonnullos consanguineos arbiter componeret, absens erat, litem in dies protrahebat. Demum ex animi mœrore gravi ægritudine contracta, Mantuæ decessit. Cæterum adversarii moræ impatientes simulatam ægritudinem dictitare, expectari tempus, quo Julius Pont. ejectis rursum Bentivolis, Bononiam reciperet. Itaque impetu facto triduo ante quam decederet, ejus ædes diripuerunt. In eo tumultu etiam ejus scripta periere, quibus, tanquam alienis plumis, se alii exornasse crediti sunt. Extant tamen antea *de Dote*, ac nonnullis aliis in publicum editi tractatus, quos adhuc junior, tum *Campezium* se appellans, in lucem emiserat.

 Deces-

Decessit dysenteria annum agens LXIII. Fuit procera statura, læta facie, & aspectu venerando; summa in eo facundia, sonoraque ac composita vox admirabilem auditoribus, ac maxime gratum reddebant, unde ejus collegæ, omnibus fere ad Campegium confluentibus, destituebantur. Nec parvæ apud Senatum Venetum auctoritatis fuit, cujus consilio in pluribus usus esse dicitur. Divitias, quo facilius parare potuisset, eo laudabilius contempsit, ut dici de eo possit, quod de Ennio scribit Cicero. *Vir haud magna cum re, sed fidei plenus.* Venetias sæpius adiit, ut in gravibus, difficilibusque causis patrocinium susciperet, sed non nisi per publicas literas accersitus. Quem noverat jus non fovere, nullo præmio induci potuit, ut ei consilium, patrociniumve præstaret. Dicere namque solitus est, *Judicem, qui iniquam sententiam tulisset, excusari, si juxta ejus consilium tulisset, se vero in culpa futurum, qui perperam consuluisset, ac Deo rationem redditurum.* Splendidi, cultique habitus nimis studiosus habitus est, ut per contemptum in certaminibus ab adversario Jasone quandoque *Jognna* vocaretur; Dicere consueverat, docentis officium esse circa quotidianas difficultates versari, easque ita claro & aperto dicendi stilo explicare, ut sensum etiam imperiti penetrare possint. [1]

CCVIII. PETRUM ANDREAM GAMMARUM a Casali Bononiensem discipulum habuit, qui de *Extensionibus* tractatum edidit. Filios quinque reliquit LAURENTIUM, qui Patavii primum, ac deinde *Bononiæ* per decennium Jus Cæsareum, & *Pontificium* explicuit. Hinc Romam profectus Rotæ Pontificiæ Auditor a Leone X. Pont. Max. factus est, pluribusque legationibus functus ab eôdem sacro Cardinalium Collegio est cooptatus. Præter hunc ANTONIUM MARIAM optimum Senatorem suscepit, qui in patria sua omnes magistratus, & legationes obtinuit; Et THOMAM, qui & ipse Jus Pontificium Bononiæ interpretatus, deinde Episcopus Feltrensis factus plures legationes obiit, ac optimus vir judicatus nonnullis civitatibus præfuit, Cancellariamque Apostolicam per decennium rexit, & omnium fratrum superstes fuit, qui annum agens LXXXI. an. M.DLXIII. decessit; Penultimum procreavit BARTHOLOMÆUM, qui stipendia militaria sub Carolo V. cum honore meruit; Et ultimum MARCUM ANTONIUM *Episcopum Grosetanum* frugi, & integræ vitæ hominem.

[1] *Pet. And. Gan. de extensionib. in prin.*

CAP.

CAP. CXXXIV.

CCIX. BULGARINUS Senensis.

CCIX. BULGARINUS ex Nobili Bulgarinorum familia an. MCCCCLII. Senis natus omnium sui temporis Jurisconsultorum Clarissimus evasit. Cujus ingenii acumen, & absolutum judicium admiratus BARTHOLOMÆUS *Socinus* dictitabat, *Bulgarinum, nisi a Bartolo præventus esset, Bartolum futurum.* Eum vero auditorem habuerat, [1] & optime norat. Pisis, & in patria docuit, quo cum olim magnæ eruditionis Jurisconsultus ejus audiendi gratia venisset, se ad Bulgarini auditorium ab hospite deduci postulavit. Discipuli, qui hominis adventus causam ante cognoverant, re composita, ad alium Doctorem omnes comitati peregrinum adduxerunt, qui cum docentis doctrinam famæ minime respondere cognovisset, postridie ad alium se duci petiit. Auditores, ut iterum de hominis judicio periculum facerent, cæteris, ut pridie ad concurrentem euntibus, hominem ad Bulgarinum deduxerunt. Is ubi profitentis eruditionem, & docendi subtilitatem perspexit, in media lectione illum Bulgarinum, quem quærebat, esse exclamavit.

Quadragesimum vero quintum annum agens ab Hercule I. Atestino peramplo stipendio ad *Ferrariense* Gymnasium invitatus, ubi etiam in ejus Principis consilio futurus erat, in ipsa itineris expeditione morte præventus occubuit. Dum enim calamo aurem scalpit, cubito in proximum parietem impulso, cerebrum transfixit. Id fuit anno MCCCCXCIV. Aliqui cum in quodam furoris actu se gladio transfixisse ferunt. Ejus aliquot erudita in Jus civile commentaria exacto judicio conscripta extant, ejusque opiniones non semel *Carolum Ruinum* sibi attribuisse tradunt.

CAP. CXXXV.

CCX. LANCELLOTTUS DECIUS. CCXI. PHILIPPUS DECIUS. CCXI. PETRUS VINCENTIUS Romanus. CCXII. PAULUS STAGNATUS. CCXIII. FRANCISCUS SODERINUS. CCXIV. ABBAS ROSANUS. CCXV. ROBERTUS STROTIUS Florentinus. CCXVI. ANTONIUS COCCUS Florentinus. CCXVII. ANTONIUS MALEGONELLA. BERTUCIUS BAGAROTUS, ANTONIUS FRANCISCUS, JOANNES CAMPEGIUS Bononiensis, CHRISTOPHORUS ALBERICUS Papiensis, CAROLUS RUINUS Regiensis. ANTONIUS BUGOS. HIERONYMUS BUTIGELLA. fata Philippi Decii.

[1] *Socin. conf.* III. *l.* I.

CCX.

CCX. DECIORUM nomen ex Decio Mediolani pago, quem vulgo Dexium vocant, originem habuit, qui inde Mediolanum concedentes a loco, unde venerant *Decii* vocati fuere, Atque ibi ultra CCC. annos cum dignitate vixerunt. Ex his natus est TRISTANUS LANCELLOTI, & *Philippi* pater, qui ferme toto vitæ tempore in Francisci Sfortiæ filiorum obsequio aulicam vitam duxit. LANCELLOTUS primogenitus Alexandri Tartagni discipulus fuit. [1] Mox factus Jurisconsultus Ticini, ac Pisis magna nominis claritate Jus civile professus est. Demum Papiæ an MD. moriens in æde D. Jacobi Minoritarum observantium humatus hoc Epitaphium habuit.

Hic jacet Lancellotus Decius in Ticinensi Gymnasio interpres.
Prope Hieronymum Tortum situs est.

CCXI. PHILIPPUS vero an. MCCCCLIV. ad Ticinensem portam in Urbicula ex amica spurius natus est, [2] quem ad Sfortiarum obsequia destinatum pater politioribus literis erudiri curavit. Interea peste Mediolani crassante, ad fratrem Ticinum secessit, cujus exhortationibus anno ætatis XVII. primo *Jurium Institutionibus* sub *Jasone Mayno*, mox cæteris Legum partibus sub *Jacobo Puteo* operam dare cœpit, quos argumentis quandoque exagitavit, atque æstuantes reliquit. Fratri quoque assiduis interrogationibus molestus non semel cum objurgatione rejectus est. Quare eo relicto, quoscunque alios de occurrentibus dubiis consulere maluit, tantumque diligentia effecit, ut secundo studiorum anno, inconsulto fratre, propositiones publice disputandas ediderit. Quod cum intellexisset, illum temerarium appellare, & graviter increpare cœpit, cui Philippus, Sapientis, & non stulti opus se aggressum esse respondit, nec prius, quam periculum fecisset, inscitiæ arguendum esse. Impugnanti vero problemata Lancelloto tanto acumine argumenta rejecit, ut admiratus coram astantibus se brevi ab illo superatum iri prædixerit; Veniente ad disserendum præstituta die, omnibus satisfecit, & magnam ingenii famam retulit.

Sequenti anno fratrem Pisas amplo stipendio a Florentinis vocatum secutus alia ibi quoque disputanda proposuit, quæ *Baldo Novello, Bartholomæo Socino, Philippo Corneo,* & *Hieronymo Zanetino*, & *Felino Clarissimis* professoribus præsentibus, magna cum laude defensa sustinuit. (CCXI.) Æmulum tum habuit PETRUM VINCENTIUM

[1] *Lancell. in l. 9. col. 4 & 5. ff. de just. & jur.* [2] *Gomes. in regula de trien. poss. q. 2.*

Roma-

Romanum, qui poſtea *celeberrimus Juriſconſultus* Romani Palatii Quæſtor, (nunc *Cameræ Auditorem* vocant) creatus fuit, cum quo aſſiduis diſputationibus ſe quotidie exercebat.

CCXII. Evenit forte per eos dies, ut PAULUS STAGNATUS *Siculus* Piſis Inſtitutionum profeſſor in patriam reverteretur, qui ad Lancellotum amicum clam Tyrones ſubmittere conſueverat. Ne eo igitur auxilio privaretur, illi Philippum quam primum ſufficiendum curavit, quod ob famam ingenii juvenis jam tum effuſam, Puccii Juriſconſulti opera, a Laurentio Medice Rempublicam Florentinam regente, facile obtinuit. Quarto itaque ſtudiorum anno & ætatis XXI. XL. florenorum (hi quaternas ejus monetæ libras æquabant) ſtipendio ad *Inſtitutiones* explicandas conductus eſt. Cum igitur ob hoc munus legum tyrocinium deponendum eſſet, Baldo Novello, Bartolino, Bartholomæo Socino, Hieronymo Zanetino, & Puccio, a quo Inſignia accepit, auſpicibus uti voluit, ubi vero profiteri cœpit, auditorum frequentia, docendique acumine Concurrentes facile ſuperavit.

Inter certandum, ut ſolet, Antagoniſta per contumeliam fratrem, qui forte aderat, ſtolidum appellavit: Cui Philippus, *Hujus*, inquit, *ingenii partem ego occupavi, tu vero, qui fratres ſapientes habes, prudentia ab illis ſpoliatus inſanus reliqueris*. Quo aculeo plauſu ab aſtantibus exceptus eſt, quod opportuno ſalſoque reſponſo petulantis injuriam repreſſiſſet; plura alia, quæ provocatus perlepida dicteria, jocoſaque ſcommata inter diſputandum dicebat, ſæpius excepta pro jucundis vulgo recitabantur. Ad eum certantem non eruditi tantum, ſed & imperiti ad hominis nomen exciti concurrebant.

CCXIII. Lectionis Inſtitutionum inter alios concurrentem habuit FRANCISCUM SODERINUM, qui deinde *Epiſcopus Volaterranus*, ac demum Cardinalis creatus fuit. Non multo poſt vero extra ordinem Juris civilis interpretandi munus LX. florenorum honorario conſecutus maximam nominis celebritatem eſt adeptus. Cum enim *Franciſcus Accoltus Aretinus*, qui tum veſpere ſolus ordinarius erat Interpres, ſua, quam ſummam habebat, auctoritate ſolitum docendi ordinem prætermitteret, ac duobus continuis annis acquirendæ hæreditatis tractatum proſequeretur, Philippus leges explicari conſuetas enarrando omnium gratiam promeruit.

Sed cum tenui ſtipendio ſe ali apud gymnaſii Præfectos quæreretur, *Alomanusque Renutius* inter illos ſenior eum bono animo eſſe

jussisset, quod bene apud se audiret, Philippus, *Malem*, inquit, *ut sinistram de me opinionem haberetis*; Illis responsi novitatem mirantibus, & rationem perquirentibus, *Si de me*, respondit, *prava concepta esset opinio, detecto errore, amplius stipendium sperare possem, sed cum bene audiens parvo adhuc digner honorario, nihil mihi spei reliquum esse potest.*

Contigit interim Academiam Pistorium transferri, ubi, Bartholomæo Socino auctore, adolescens Florentinus novas opiniones disputandas proposuit, quas Laurentius Puccius, postea creatus Cardinalis, a Philippo instructus acriter impugnavit, ac postridie ejus diei ab eodem in problemata conversas ab utraque parte intra octo dies ipse inter discentes, & Philippus inter Doctores sustinendas promulgavit. Ea res in aliorum professorum invidiam facta tragædiam aliquam excitatura esse credebatur. Ob id *Rainerius Guicciardinus* Gymnasiarchus, pœna carceris Philippo indicta, eum ultra progredi prohibuit; Alias tamen postea in templo S. Michaelis in Burgo, Francisco Aretino, Bartholomæo Socino, Felino, Lancelloto fratre, & Hieronymo Zanetino astantibus, summa cum laude disputavit.

In primo conflictu ab hora XVIII. usque ad noctem protractum est certamen, in quo sex adhuc Auditores dum ultro, citroque ictus ingeminant, quisque ferme horam consumpsit. Prior argumentatus est JO. BAPTISTA CANCELLARIUS Pistoriensis, postea professor egregius, omnium postremus NICOLAUS ALVAROTUS *Florentinus* ejus concurrens in pugnam descendit. Qua ad obscuram noctem protracta, Philippus rem memoratu dignissimam aggressus cum quatuor suppositis XLVI. argumenta sibi objecta, mira facilitate, & ordine, velut ex scripto recitavit, singulisque duas, aut tres solutiones applicans usque ad tertiam horam noctis, magna cum admiratione, audientes nullo tædio affectos detinuit. Inde magno comitatu velut triumphans domum deductus est. Secundum certamen totidem horis eodem in templo cum argumentorum repetitione non minore gloria inivit. In quo cum NICOLAO GAMARINO ARETINO, qui postea Romæ Auditor creatus est, conflixit.

Cæterum cum FRANCISCO ARETINO jam senio confecto, qui ob summam auctoritatem solus vespere docuerat, BARTHOLOMÆUS SOCINUS successisset, Philippus omni conatu ad eam lectionem adjungi quærebat ac jam obtinuerat, nisi Socino discessum minante, ne primario professore Academia privaretur, remotus esset. Ob id Philippus in Jure Pontificio Felino sibi amicissimo concurrens datus est, quod

quod Socini Lancelloto infensissimi arte factum fuisse creditum est, qui illum in eo Jure parum versatum ratus a Felino Canonum peritissimo longe superatum iri censuerat. Hæc res Felino molesta fuit, qui totus Decretis Pontificum traditus, in arduis Juris civilis articulis hæsitabat. Philippo quoque id displicebat, quod amicissimi hominis familiaritate cariturus erat, cui non solum verbis, sed etiam scriptis, quæ, postea orta rixa, prolata sunt, Juris nodos quandoque aperuisse ferebatur.

Cum ad lectiones ventum esset, Philippus, qui plures veteranos sibi devinxerat, duplo Auditorum Felinum superavit. His accessit, quod *in Probationum* titulo, quem tum interpretabantur, quamplures quæstiones publice disputandas proposuit. Felinus primo se certaturum promiserat, sed cum ad confligendum sibi minus paratus videretur, mutata opinione, non venit; ubi vero magna cum laude Decium pugnasse sensit, relicto docendi munere, circiter annum MCCCCLXXXIII. ex abrupto Romam profectus inter Romanæ curiæ Auditores ab Innocentio VIII. est designatus. Causa discessus cognita, Præfecti gymnasii, ut Felino satisfacerent, Philippum per literas increpatum sequenti anno, qui in eorum erat arbitrio, dimiserunt.

Novo igitur profitentium albo Pisas delato, ubi se præteritum *Decius* vidit, a *Socino*, quicum reconciliatus fuerat, missionis causam intellexit. In eo colloquio joci gratia Socinus, *Plus mihi*, inquit, *Philippe, debes quam omnibus amicis, qui dum te deprimere studeo, altius extuli.* Cui Decius, *Gratum quidem mihi hoc beneficium fuit, sed nullam tibi ejus gratiam habeo, quod præter opinionem tuam id successit.* Cum nullam igitur in Pisana Academia spem amplius haberet, Triconiensis Senarum Episcopi opera facile obtinuit, ut eo conduceretur. Cæterum *Antonius Bernardi*, & alii Gymnasii Præfecti a Laurentio Medice hoc nomine reprehensi, Philippum Florentiam profectum, ut stipendium exigeret, severa fronte monuerunt, ut Pisas repeteret; Ille se dimissum cum Senensibus jam convenisse, respondit; Sed cum residuum salarium retineretur, librique ac reliqua supellex exportari prohiberentur, Pisas reverti coactus est. Idem tamen, quod Senenses promiserant, salarium ei est constitutum, hoc addito, ut biennio elapso, auctis pristino honorario florenis centum, Socini concurrens esset; Ita enim Felino, & Decio satisfactum iri Præfecti crediderant.

Socinus, qui tum Senis erat, ubi Decium sibi adjunctum intelligit, statim si id fiat, se Pisas non reversurum, Præfectis significat, qui,

mutata voluntate, Philippo rescripserunt, revertente Socino, liberam sibi abeundi facultatem dari, sin minus, velut obligatus, adhuc ibidem profiteretur. Venit per id tempus forte Pisas Laurentius Medices, a quo, narrata facti serie, consilium postulavit. Ille, ut erat ingenio mitis, porrecta manu, aureum Jurisconsultis dari solitum petiit. Decius longe majus honorarium ipsi deberi dixit, quod in incertum litis eventum Jurisperiti respondeant; At ipse si ejus causæ patrocinium suscepisset, exploratam sibi victoriam promitti. Tum ridens Laurentius Philippum hortatus est, ut rei exitum expectaret.

Interea veniente Pisas Socino, postridie Philippus Senas profectus in Juris Pontificii lectionem (CCXIV.) ABBATEM ROSANUM concurrentem longe superavit. Felinus vero cum nullis precibus Pisis retineri potuisset, rogatus, ut dignum sui successorem nominaret, Philippum cæteris prætulit, quod magnam illi apud omnes auctoritatem comparauit. Actum est etiam cum Felino, ut in itinere, cum Senas pervenisset, Decium ad redeundum Pisas induceret, quod ille omni usus industria impetrare non potuit. Cæterum Socino Pisis, & Bulgarino Ferrariæ profitentibus, cum Illustribus Doctoribus Senensis Academia destitueretur, Decius ad matutinam Juris civilis sedem translatus amplius aliis tum ibi docentibus salarium habuit.

Non multo post ab Alexandrino Episcopo, qui tum in Romana curia Auditorem agebat, & Lancelloto fratri a puero admodum familiaris Mediolani fuerat, per literas Romam invitatus, eo profectus est circiter an. MCCCCXC. & ab Innocentio VIII. Romanæ Curiæ Auditor designatus ab eodem Alexandrino Antistite primos sacrorum ordines accepit, sed spurius inventus eum honorem assequi non potuit, [1] qui non nisi legitime natis patet. Alii vero ejus natales celantes rem aliter narrant. Cum Tristanus pater, & Lancellotus frater factum non probarent, & ipse in canonicis horis quotidie recitandis tædio afficeretur, relicta Roma, iterum ad Senenses remeavit, ipse tamen nihilominus se Rotæ Auditorem appellare consueverat, quo titulo ab irato Julio II. per literas interdictus postea abstinuit.

Inter hæc cum optimates, qui Senis exulabant, ejectis popularibus, Rempub. occupassent, cum illis reversi Doctores genere nobiles Decio juniori, & peregrino viro amplum stipendium invidere cœperunt. Quare ille ad evitandum odium cum CCCCL. florenorum ho-

[1] *Gomes. in reg. de trien. possess. q. 2.*

nora-

norario Pisas est reversus. Ibi eum omnes concurrentem recusare, hominem, ut maledicum, malisque artibus Auditores captantem criminari. Tandem interpretando Juri Pontificio vespere præfectus (CCXV.) ROBERTUM STROTIUM *Florentinum* Archipræsulis Pisani vices gerentem Antagonistam habuit, cum quo de *Præbendis* tractatum est auspicatus. Mox ad matutinam ejusdem Juris sedem translatus (CCXVI.) ANTONIUM COCCUM *Florentinum* ob veterem æmulationem durum adversarium concurrentem invenit. In ea contentione ita se exagitarunt, ut nec fœdis scommatibus præter omnem gravitatem abstinuerint. Subinde ad Juris civilis matutinam lectionem transiens FRANCISCO PEPO & JO. VICTORI SODERINO adjunctus fuit. Cum vero Jason ad eandem interpretationem conductus eum concurrentem recusaret, quod Cives concertare non deceret, ad pristinum Juris Pontificii locum rediit.

Interea Socini, qui Patavium fugere tentaverat, & Florentiæ in custodia tenebatur, loco successit. Sed eo liberato rursus ad matutinam Juris civilis lectionem reversus, *Joannem Medicem* Cardinalem designatum, qui postea Leo X. Pont. fuit, Episcopum Pampilonensem, *Cæsarem Borgiam*, *Joannem Rubeum Remolinum* non multo post Cardinalem declaratum auditores habuit. Cæterum Caroli VIII. Gallorum Regis adventu Pisis in libertatem restitutis, cum Gymnasium Pratum translatum esset, Socino Bononiam profecto, ANTONIUS MALEGONELLA eximius Advocatus suffectus fuit; Sed vir lectionibus insuetus brevi id munus relinquere coactus est. Itaque Decio DCC. Florenorum stipendio honestato, quod nullus antea Pisis obtinuerat, civilis vespertinæ lectionis interpretatio est demandata.

Verum in eo munere haud diu permansit; Academia enim ob pestem Florentiam translata, cum etiam difficultas rei pecuniariæ supervenisset, Patavium ad Jus Pontificium primo loco interpretandum DC. aureorum honorario anno M. D. II. cum jam XXVII. annis docuisset, profectus est, quod nulli antea ibi docenti contigerat, BERTUCIOQUE BAGAROTO concurrens datus; Cum vero is se removeri obtinuisset, ANTONIUM FRANCISCUM, cognomento Doctorem, collegam habuit, in quem Auditorii frequentia, & eruditione superatum semper amicissimum se gessit. Inter cæteros *Jo. Baptista Pallavicinus* Genuensis tum Protonotarius, qui postea Cardinalis Cavallianensis fuit, Episcopus Foscarinus, HIERONYMUS JUSTINIANUS aliique nobilissimi viri eum audierunt.

Docebant tum Patavii mane Jus civile JOANNES CAMPEGIUS *Bononienſis*, CHRISTOPHORUS ALBERICUS *Papienſis*, & veſpere CAROLUS RUINUS *Regienſis*, qui, velut primarii profeſſores, cum de gymnaſii more diſputantibus ſtudioſis circa primam propoſitionem ſuam opinionem dicere tenerentur, Decius crebros cum ipſis conflictus habebat, & præcipue cum Ruino, cui facile in iram erumpenti objiciebat, quod ex parvo igne ad magnum calorem traheretur. Frequentantibus autem ſtudioſorum certamina Præfectis urbis, ob eorum præſentiam quemlibet etiam claudicantem equum ad currendum incitari dicebat.

Cæterum poſt paucos annos Ludovicus Gallorum Rex Decium, velut ſubjectum, Ticinum revocat, ſed Venetis eum dimittere recuſantibus, Regius Orator maximam in Senatu contentionem exercuit, quod admiratus *Joannes* Bernardi Oricellarius, qui ibi pro Florentinis Legatus aderat, ſe ingentem ob unum hominem inter Excelſos Principes ortam altercationem vidiſſe Florentinis relaturum dixit. Demum inſtante Rege dimiſſus ſub finem anni MDV. Ticinum pervenit, ubi Decius quinque Antiſtites, aliosque numero IX. proceres inclytos auditores habuit. Ejus loco ANTONIUS BUGOS Hiſpanus Patavium conductus fuit. [1] Sed cum jam ſeptennio Papiæ Philippus docuiſſet, duorum millium florenorum, quod nullus antea obtinuerat, honorarium eſt adeptus. Aderat ibidem *Jaſon*, qui cum ſæpiſſime altercabatur, cum differentibus nobilibus ſtudioſis aut arguerent, aut ſuas opiniones in medium proferrent.

Interea Ludovicus Gallorum Rex in invidiam Julii II. Pontificis, quem implacabilem adverſarium habebat, Piſas Synodum convocare cupiebat. Et cum *Jaſon*, *Curtius junior*, *Paulus Picus*, *Deciusque* juſtam id agendi cauſam ſubeſſe reſpondiſſent, ſed auctor deſideraretur, Philippus id paucos Cardinales facere poſſe probavit. [2] Pro ejus igitur conſilio Piſas plerisque Præſulibus commeantibus, ipſe etiam eo compulſus eſt proficiſci. Ob eam rem Inferorum pœnis a Pontifice ſubjectus, cum Venetorum, Helvetiorumque exercitus Inſubriam urgeret, prius Aſiam, deinde Albam ſeceſſit. Fortunarum vero non leve diſpendium ſuſtinuit; ſiquidem hoſtibus Ticinum ingreſſis, Cardinalis Senonenſis ædes Decii direptas Altoſaſſo Helvetio

[1] *Deci. in l. 2. ſub n. 10. in ult. lectura ff. de reb. cred.* [2] *in conſ. 151. quod fuit poſtea deletum juſſu ſummi Pontif. Clementis Octavi.*

dona-

donavit; Præter commentaria CCCC. alia plura ex bibliotheca volumina rapta fuisse dicuntur. Ejus quoque filiam annorum x. in D. Andreæ cœnobio inventam rapere voluerunt; Sed precibus virginum flexi CC. aureis spoliatam, atque omnibus bonis denudatam reliquerunt. Ac ne quid ex illius bonis occultari posset, cuncta edicto jussa sunt in publicam deferri.

Philippus in his ærumnis cum in Italia manere sibi tutum non crederet, Gallias petiit, ubi a plurimis Auditoribus benigne exceptus, quasi eorum humeris, Lugdunum est delatus, ab Aulicis etsi parum liberaliter habitus, ab ipso tamen Rege in Narbonensi provincia Gratianopoli cum CCI. aureorum honorario Senator est declaratus. In eodem Senatu erat HIERONYMUS BUTIGELLA, qui & ipse ob Pisanam Synodum a Julio diris subjectus fuerat. Pontifex etsi veniam pollicitus neutri suadere potuit, ut ad se venirent. Lugdunum vero, quo translata erat Synodus, Philippus ex Regis mandato profectus est. Demum Valentiam Auditoribus antea destitutam D. aureorum stipendio conductus, eo ferme CCCC. Auditores attraxit. Cæterum Julio defuncto suffectus Leo x. qui Decii antea Auditor fuerat, eum diris absolvit, & Romam D. aureorum honorario ad Jus Pontificium docendum invitavit. Sed ille Regis offensam veritus eam conditionem non accepit.

Interea Ludovico defuncto, Pisas cum DCCC. aureorum salario an. MDxiv. vocatus, eo a Francisco Regis successore ire non est permissus. Is enim, Insubribus subactis, auctore *Antonio a Prato* Regis Quæstore candidato, eum Ticinum ad Jus Pontificium docendum revocavit. Sed cum promissa pecunia non solveretur, & Mediolanum a Maximiliano Cæsare oppugnaretur, Regium Lepidi concessit. Demum Pisas cum DCCC. aureorum stipendio omnium supremus conductus est, ubi & a Mediolanensi Senatu, & a Bononiensibus, Venetisque mille aureorum annua promissione frustra sollicitatus per multos annos perseveravit, donec ad MD. aureorum honorarium pervenit.

Filiam naturalem in deliciis habuit, quæ citharam edocta, dissimulante patre, minus honestam cum adolescentibus, quos magna etiam pecunia conducebat, vitam egisse dicitur, & cum illis in publico jocari non erubescebat. Vir fuit parvo capite, sed acutus, & Jasonis, aliorumque invidia nimis cavillationibus intentus, & philautiæ indul-

indulgens; [1] Sententias Interpretum distorquet, & quandoque falsa citat, utrobique etiam scenæ servire dictus est. [2] Præclara edidit *Responsa*, quæ passim in forensium manibus versantur. Demum senio confectus memoriæ adeo infirmæ fuit, ut *Joanni Corrasio* insignia Doctorum traditurus defecerit; An. humanæ salutis MDXXXV. & ætatis LXXXI. Die XIII. Octobris Senis moritur. [3] Pisas delatus in magnificentissimo monumento, quod sibi vivens ex candido marmore cum imagine apertum librum tenente posuerat, in *Campo Sancto* positus fuit, in alia ejusdem marmoris tabella hoc sibi ipse Epitaphium inscripserat.

Philippus Decius sive de Dexio Mediolanensis Jurisconsultus celebri fama notissimus, cum primum locum studii in Jure Canonico, vel civili tenuisset, Pisis, Senis, Florentiæ, Paduæ, Papiæ, [4] ac demum ultra montes in Galliam revocatus in Italiam ab Excelsa Florentinorum Rep. postea quam stipendium M. D. aureorum in auro pro lectura consecutus fuisset, de morte cogitans, hoc sepulchrum sibi fabricari curavit, ne posteris suis crederet.

CAP. CXXXVI.

CCXVIII. MARIUS SALOMONIUS ALBERTHISTUS Eques Romanus.

CCXVIII. SUb idem tempus claruit MARIUS SALOMONIUS ALBERTHISTUS Eques Romanus *Jo. Baptistæ Caccialupi* discipulus. Is cum Campaniæ præfuisset, Romam reversus, frequente Auditorio, Jus civile docuit. Celebris factus in Julii Medices Cardinalis, & Procancellarii gratiam in XXII. Cardinalium, ac plurium Antistitum, Jurisconsultorumque conventu, atque omnis generis Doctorum virorum concursu insignem disputationem habuit, [5] quam postea in justam interpretationem redactam eidem Medici inscripsit.

Ejus opera non multo post Pontificalis Auditorii Collegio est aggregatus. Tantumque eo gradu gaudium concepit, ut nihil sibi ad studia opportunius, nihil ad honorem majus, nihil ad ætatem optabilius dari posse gloriaretur. Demum senio fere confectus, cum cau-

[1] *post Imol. cons. 55. n. 56.* [2] *apostill. ad cons. 208. Aucar. Reg. q. 12. in fin. in 2. parte.* [3] *Soci. juni. cons. 127. n. 20. vol. 1.* [4] *Deci. in c. proposuisti 4. ad fin. X. de probat. n. 16.* [5] *Mar. Salo. in l. 29. ff. de liber. & posthum. her. inst.*

sarum

sarum negotiis superesse non posset, relicto foro, Leonis x. hortatu ad explicandos Digestorum libros se contulit; Sed verò eam provinciam aggressus morte interceptus vix primum absolvit. Quosdam etiam tractatus, & commentaria *de Probationibus, ac de Principatu* ad eundem Pontificem volumen, atque alia erudite conscripta reliquit. Decessit in extrema senectute circiter annum MDxxx.

CAP. CXXXVII.

CCXIX. CLAUDIUS SEISSELLUS. JOAN. FRANCISCUS BALDUS *Taurinensis*, BERNARDINUS PARPALEA.

CCXIX. Isdem diebus CLAUDIUS SEISSELLUS ab Aquis Allobrox Antonii filius spurius, & alterius Claudii Equitis, & Subalpinorum pro Duce Allobrogum Præfecti nepos, Jasonis discipulus, Taurini vespere docuit, ubi cum JACOBINUS a S. GEORGIO *Taurinensis* in valetudinem incidisset, anno MCCCCLXXXVII. mane pro eo professus est, cui post sex annos defuncto suffectus magna nominis fama matutinas lectiones interpretatus est, & inter alios JO. FRANCISCUM BALDUM Taurinensem instituit, plurimaque post se scripta reliquit. Interrupta deinde Taurinensi Academia ob bella inter Ludovicum Regem Gallorum, & Ludovicum Sfortiam ingruentia vacavit, & ejus loco BERNARDINUS PARPALEA docuit, quo tempore ipse Regis Gallorum magister libellorum [1] fuit.

Demum Massiliensis Episcopus, [2] ac postremo Taurini Archipræsul creatus religiose vixisse dicitur. Græcarum literarum peritus Thucydidem e græco in latinum vertit, &, ut aliqui autumant, etiam Xenophontis Cyripædiam. Obiit Taurini anno salutis MDxx. Agnete filia naturali post se relicta, quam cum quinque millium aureorum dote Jacobo Titiono nuptui locaverat, & in majoris Ecclesiæ sacrario humatus jacet cum hoc Epitaphio.

Claudio Seyssello Ludovici XII. Franco. Regis a requisit. Magistro, & pro eodem ad omnes fere Christianorum Principes Oratori eloquentissimo, Laudensi Administratori, Massiliæ Præsuli, Taurinorum Archiepiscopo, Ju. consultiss. atque hujus sacelli fundatori collegium Canonicorum Pientiss. Patri. P. Obiit pridie Cal. Junii MDXX.

Septem Parpaleæ felici prole germani fratres fuere, tres Clarissimi Jurisconsulti, & totidem sacris initiati, septimus honeste priva-

[1] *Nicol. Boer. de ordin. grad. ver. fori. sub n. 21.* [2] *Rip. in l. 15. n. 40. ff. de vulg. & pup. subst.*

tus domi vixit. Primus in Subalpinis Ligurius *Appellationum* causas audivit, alter Bernardinus, de quo supra diximus, Senatui Ducis Allobrogum Cisalpes præfuit, tertius *Thomas* Taurini magna nominis claritate matutinas, vespertinasque lectiones Juris civilis explicuit, alii duo Hierosolymitani Equites egregie adversus Turcas sæpius pugnarunt, alius S. Solutoris Taurini Abbas fuit, ex his primus, & ultimus tantum post se sobolem reliquere.

CAP. CXXXVIII.

CCXX. PETRUS THOMASIUS RAVENNAS: DE HIERONYMO BUTIGELLA Papiensi, & JOANNE MARIA RIMINALDO Ferrariensi: de JOANNE MICHAEEL Carrariensi: de VINCENTIO RAVENNA.

CCXX. Inter alios Jurium professores PETRUS RAVENNAS mirifice excelluit, qui ob admirabilem memoriam naturæ miraculum est existimatus; præter multa enim, & innumerabilia, quæ in mente conservaverat, etiam universum Juris civilis opus cum glossis usque adeo tenaciter memoriæ mandaverat, ut singula quinque voluminum legum loca percunctantibus ad verbum fideliter recitaret; Unde Carneadem Græcum, Cyrum & Mithridatem Reges, Simonidem Metrodorum, & ipsum Julium Cæsarem memoria insignes superasse creditus est. Quare a tam præclaro naturæ munere cognomento accepto vulgo *Petrus a memoria* est appellatus.

Hoc precioso thesauro ditatus, omnibus disciplinis exhaustis, quod paucis contigit, encyclopædiam absolvisse visus est. Poeta quoque percelebris, & sua, & aliorum scripta pedestri oratione composita carmine contexuit. Cum vero ad Jus civile animum applicuisset, Alexandrum Imolensem præceptorem habuit. Demum Patavii non sine omnium admiratione Jurisconsultus creatus, ibi Jus Pontificium vespere est interpretatus. Mox Bononiæ, deinde Ticini, Ferrariæ quoque Pisis, & Pistorii a Florentinis congrua mercede accitus docuit ubi a Pistoriensibus civitate, immunitatibus, & peramplis honoribus est auctus.

Demum Witiburgum conductus, confluente ad illud gymnasium studiosorum multitudine, utrumque Jus magna nominis gloria explicuit, ac primum Friderico III. Cæsari, deinde Maximiliano Romanorum Regi carus ab altero Equestri dignitate, ab altero muneribus, & præclaris dignitatibus est honestatus. Bonifacio quoque Marchioni Montisferrati, Eleonoræ Aragonensi Herculis Atteftini conjugi,

jugi, & Egidio Viterbiensi, postea Cardinali creato, aliisque Principibus, atque adeo doctissimis viris gratus extitit. HIERONYMUM BUTIGELLAM *Papiensem*, & JO. MARIAM RIMINALDUM Ferrariensem, atque alios insignes Jurisconsultos, & præcipue in addiscenda memoria discipulos habuit.

Utriusque *Juris compendia* miro ordine, ingenioque atque incredibili brevitate perstricta composuit, in quibus legum summam, glossemata, quæstiones, & apparatus, (ut vocant) Doctorum breviter complexus est. In *feuda* quoque *commentarium*, & utile *Juris alphabetum*, & in quasdam Juris Pontificii constitutiones [1] amplas interpretationes edidit. Sed quod cæteris antecellit, vivens præclarum de memoria libellum emisit, quem *Phœnicem* inscripsit, ut sicut unica ea Avis in mundo reperiri dicitur, sic se memoria unicum fuisse significaret. Ibi regulas ad tenacem comparandam memoriam tradidit, ac multa, quæ ipse memoriter recitavit, ac pro miraculis habita sunt, ordine conscripsit. Ejusdem argumenti alius liber JO. MICHAELIS CARRARIENSIS, nulla Petri habita mentione, circumfertur. Witiburgi obiisse creditur, VINCENTIO filio post se relicto, qui & ipse Jurisperitus in Witiburgensi Academia clarus habitus est.

CAP. CXXXIX.

CCXXI. FORTUNIUS GORZIAS Hispanus. De Collegio Hispanorum Bononiæ condito.

CCXXI. FORTUNIUS GORZIAS *Hispanus Cantaber* tempore Caroli Ruini in Cardinalis Egidii Hispanorum Collegio Jus civile docuit. Demum apud Hispanos in summo Regio auditorio in Regno Navarræ judicavit, elegantemque tractatum *de ultimo fine Juris civilis*, *& Canonici* composuit, [2] & alia in Jus civile commentaria, quæ Bononiæ in memorato collegio fecit.

Fuit hoc anno Salutis MCCCLXV. conditum, quod EGIDIUS ALBORNOTIUS Cordulensis Hispanus Cardinalis Innocentius VI. qui in Galliis residebat, in Italia Legatus testamento hæredem cum amplis reditibus instituerat, & XXXI. studiosos Hispanos ibi ali præceperat, quorum quatuor Theologiam, tres Medicinam, cæteri Jus Pontificium profiterentur. [3]

[1] *in c. inter cetera 6. X. de immunitat. Eccles.*

[2] *Did. lib. 3. vari. resol. c. 1. sub n. 3. Jo. Genes. de gestis Egidii Card. ad finem.*

[3] *Jo. Genes. de gestis Egidii.*

CAP. CXL.

CCXXII. JO. BAPTISTA SFONDRATUS Cremonensis.

CCXXII. GEns Sfondrata Cremonæ nobilis JO. BAPTISTAM habuit Jurisconsultum doctrina, moribus, & eloquentia clarum. Quare a Ludovico, qui Maurus cognominabatur, Mediolani Duce Senator creatus ad diversos Principes pluribus legationibus est defunctus. Tandem annos agens XXXVI. Venetiis ad eam Rempub. Orator profectus decessit, & in templo D. Mariæ Gratiarum in arca atro velluto tecta cum familiæ Insignibus est humatus, illi Epitaphium marmore auro perfuso nigris litteris ita est incisum.

Baptista Sfondratus, quo cive Cremona, quo alumno Ticinum Studiorum parens gloriabatur, quo Senatore Ludovicus Mediolani Dux Principum sapientissimus utebatur, & quem Oratorem Gallorum Rex, Ferrariensis Dominus, Romani Pontifices, Neapolitanorum, & Hispaniarum Reges tam honeste susceperunt, quam virtutis ergo susceperunt, legationibus simul, mortalisque vitæ decorum finem, æternæque initium patriæ veræ redditus fecit.

Baptista Sfondratus Cremonensis Juris civilis, & Pontificii consultus Ludovici Mediolanensium Principis Senator, dum Venetiis Oratorem ageret, vita defunctus corporeum hic pondus deposuit MCCCCXCVI.

CAP. CXLI.

CCXXIII. ULDRICUS ZASIUS. de JOANNE KNAPO, PAULO CITTADINO, GEORGIO FUNXIO Constantiensi JCto. JOANNES ULRICUS ZASIUS. De Academia Friburgensi.

CCXXIII. SEd nec Illustribus legum Interpretibus Germania caruit. Siquidem iisdem temporibus nemini Italorum postponendus ULDRICUS ZASIUS Friburgi claruit. Natus est is Constantiæ ex honestis quidem, sed mediocris fortunæ parentibus. Puer pro ejus ætatis conditione, qua bonæ literæ nondum emerserant, humanioribus studiis incubuit, quæ cum paulatim in dies magis excultiora prodirent, postea in omnibus liberalibus artibus elegantius est institutus.

Interea vero dum adolescit, a sodalibus corruptus solutiorem vitam egit, quod ipse sæpius deploravit; Ubi natu grandior factus est, in numerum Tabulariorum Constantinensis Curiæ receptus aliquandiu in forensibus negociis se exercuit.

Postea

Postea a Friburgensi Senatu accitus, quod Brisgoiæ oppidum est, Archigrammatheus ejus Reipub. creatus est. Sed cum incredibili discendi Juris civilis studio teneretur, relicto eo officio, jam XXX. ætatis annum agens JOANNEM KNAPUM Germanum, & PAULUM CITTADINUM Patavinum, vel, ut alii malunt, Mediolanensem in ea Academia Jura explicantes audire cœpit. Et ut erat laborum tolerantissimus, & insigni memoria, judicioque acri præditus, adjuvante etiam negotiorum, quæ exercuerat, experientia, brevi plurimum profecit. Quare ejus ingenii felicitatem Paulus admiratus eum in ordinaria lectione frustra reclamantibus aliis Juris Interpretibus, adhuc scholarem substituit.

In eo munere cum dicendi facultate, & ornata doctrina excelleret, celebris esse cœpit. Itaque lauream adeptus statim inter ordinarios ejus gymnasii professores adscitus, & docendo, & scribendo clarissimus evasit. Grata oris pronunciatione, compositaque actione in profitendo summam gratiam præseferebat. Liberalis, humanus, affabilis, candidissimique ingenii fuit, qui neminem perstringere, & libenter jocari consueverat.

Cæterum in defendendis opinionibus pertinax, & reprehensionis impatiens, in victu splendidus, & frequentius, ac largius, quam hominis dignitas patiebatur, cum amicis convivari, & compotare solitus deformem corporis pinguedinem, & difficilem podagram contraxit.

Lucubrationes suas Ferdinando Cæsari dedicando inter alia obtinuit, ut a profitendi laboribus immunis solito stipendio frueretur. Eo tamen privilegio, cum per valetudinem licuit, nunquam uti voluit.

Uxores duas habuit, ex quarum prima Joachinum, qui a secretis Ducis Sabaudiæ fuit, & cum argenti fodinas in Subalpinis aperuisset, subortis bellis, cœptum opus persequi non potuit. In Germaniam reversus demum Cæsaris Ferdinandi Consiliarius fuit; Filias vero duas suscepit, *Clementiam* diviti mercatori nuptam, & *Catherinam* in politioribus literis eruditam, quam GEORGIO FUNX Constantiensi Jurisconsulto nuptui locavit.

Senior alteram duxit, ex qua tres filios, & filiam sustulit. Illorum JOANNES ULDRICUS natu major, jam patre mortuo, Patavii a Mariano Socino in Jure civili eruditus Jurisconsultus fuit. *In Pandectas*, & *titulum de Actionibus* post se commentaria reliquit, *de Substitutio-*

tutionibus librum unum, de *Infantibus baptizandis* alium, *Responsorum duo*, & *Feudorum epitomen*. Friburgensis etiam Reipublicæ Jura municipalia condidit. Sunt, qui eum in Christiana doctrina pravas opiniones habuisse ferant, quod scriptis (quod sciam) non manifestat.

Obiit autem Uldricus Zasius anno MDXXXV. VIII. Kalendas Decembris, cum LXXIV. ætatis annum ageret. Elatus magna funeris pompa, & in majore templo sepultus ex decreto Senatus hoc Epitaphium meruit.

Uldrico Zasio Jurisconf. suorum temporum toto orbe celeberrimo hujus Academiæ ornamento singulari, & Reipublicæ Friburgensis in restaurando Jure municipali jam olim strenuam operam navanti, aliisque multis nominibus de se benemerito Magistratus officii memor fieri jussit. Concessit naturæ anno Salutis MDXXXV. VIII. Kal. Decembris.

Fundata est Friburgensis Academia ab Alberto Austriaco circa an. Salut. MCCCCLX.

CAP. CXLII.

CCXXIV. ALBERTUS BRUNUS Astensis.

CCXXIV. ALBERTUS BRUNUS *Astensis* natus est anno MCCCCLXVII. in Castro Aynaldo infans est educatus, [1] & Albæ Montisferrati grammaticam didicit; [2] Taurini vero sub *Jacobino a S. Georgio* [3] per septennium Juri operam navavit, & quinto anno studiorum patrocinari cœpit, & victoriam obtinuit. [4] Inde Ticinum profectus *Jasonem Maynum*, *Carolum Ruinum*, quem etiam in deponendo tyrocinio promotorem habuit, & *Franciscum Curtium* seniorem audivit, [5] quo anno MCCCCXCVI. Juris laurea donatus [6] in patriam reversus est, ubi Argentina Bernardini Colonæ ex Dominis Baldisserii filia uxore ducta, [7] undecim liberos suscepit, quos omnes amisit præter *Jo. Baptistam* Jurisconsultum, & *Isabellam* Antonio Cabaloto nuptam.

Saluciis Vicarium Regis Galliarum Præfecti egit, inde Mediolani Senatoris officio functus est, cum Ludovicus Galliarum Rex Astæ imperaret, cui Consiliarius fuit, mox eundem titulum a Carolo Quinto Cæsare obtinuit; a patriæ Decurionibus ad Maximilianum

[1] *Alb. Brun. de stat. exclu. fœm. 6. arti. q. 28.* [2] *Alb. Bru. de augum. monet. in ult. conclus. in 7. declaratione.* [3] *Brun. cons. 127. in fin.* [4] *Alb. Brun. de stat. exclud. fœm. arti. 6. casu. 4. q. 27. ad fin.* [5] *Alb. Brun. de statut. fœm. exclud. arti. 10. q. 3.* [6] *Brun. de stat. exclud. fœm. 6. arti. membro. 2. q. 5. & cons. 127. col. ult. lib. 2.* [7] *Brun. cons. 12.*

Mariam

Mariam Sfortiam Mediolani Ducem Orator miſſus, ut debitum fidei juramentum præſtaret, ab eodem Senator eſt declaratus. Demum Advocatus fiſci Sereniſſimi Emanuelis Philiberti Ducis Sabaudiæ anno MDXLI. non multo poſt deceſſit annum agens LXXIV. Religioni mirifice deditus Beatæ Virgini opera dedicavit, compoſuit autem *librum Statutorum fœminas* excludentium, alium de augmento monetæ, de Forma & Solennitate Jurium, de Conſtitutionibus, & Conſuetudinibus, de Deterioritate, & Diminutione; duo præterea in materia Feudorum Reſponſorum volumina reliquit.

CAP. CXLIII.

CCXXV. CAROLUS RUINUS Regienſis. CORTESIUS MUTINENSIS. Ruini fervor in diſputando, de FRANCISCO PARMENSI, JOANNE CROTO, JOANNE ANNIBALE, Bononienſi, (CCXXVI.) PETRUS PAULUS PARISIUS Cardinalis.

CCXXV. CAROLUS RUINUS Regii Lepidi ex honeſta familia natus *Corradinum* patrem habuit, qui, alea facultatibus conſumptis, ad extremam inopiam redactus eſt, ut mater ob paupertatem nendo ſibi victum quærere cogeretur.

Cum politioribus literis pro eorum temporum conditione imbutus eſſet, Julii, & Thimothei Zobolorum comes ſtudiorum cauſa Bononiam profectus Juri operam dedit. Itaque alienis opibus edoctus agellum, qui ſibi reliquus fuerat, ut lauream aſſequeretur, vendidit. Sed non multo poſt patruo ſuccedens honeſtius vitam ducere potuit.

Primo Ferrariæ explicandis Jurium Inſtitutionibus præfectus CORTESIUM MUTINENSEM memoria pollentem concurrentem habuit, quem in certaminibus plurimas leges citantem earum verba, ſed non ſenſum tenere dicebat. Mox Ticini, deinde Patavii an. MDII. extra ordinem profeſſus eſt, quo cum primum pervenit, publice diſputandas propoſitiones edidit. Ante alios acrem cum ipſo pugnam *Jaſon* conſeruit, & cum argumenta a Ruino præviſa objiceret, parato adverſario magnam gloriam attulit, ubi certamini finis factus eſt, velut triumphans, ad cœnobium D Juſtinæ, quo diverterat, ab univerſa Academia deductus eſt. Denique aſſiduis lectionibus id ingenii acumen oſtendit, ut circiter an. M.D.v. ordinariam lectionem veſpere explicandam ſit conſecutus.

Erat

Erat tum ex uſu, quemadmodum ſupra memoravi, ut differentibus ſtudioſis in prima propoſitione primarii profeſſores ſuam opinionem declararent; Et cum ſæpe non convenirent, contentioſas diſputationes exercere conſueverant. Interpretabantur tum ibi *Joannes Campegius Bononienſis*, *Chriſtophorus Albericius*, & *Hieronymus Butigella* Papienſes, Jus vero Pontificium *Decius*, quicum Ruinus frequenter confligebat; Et ut erat iracundus, cum facile excandeſceret, dicebat Decius, *ipſum ex parvo igne ad magnum calorem trahi.* Præcipue vero a (CCXXVI.) FRANCISCO PARMENSI concurrente exagitabatur, quo leniter arridente, ad veſanam iracundiam præceps trahebatur. Fuit ille obſcuris natalibus ortus, & cum XII. annis Patavii docuiſſet, a famulo confoſſus occubuit.

Cæterum ex Pincarorum familia uxorem Ferrarienſem nomine *Urſinam* [1] Ruinus duxerat, quæ defuncti fratris hæreditate locupletata, & Patavii dira peſte defuncta per amplas ei opes reliquit. Ex ipſa *Antonium* filium ſuſcepit, & *Juliam*, quam Regii *Jo. Baptiſtæ Faballo* in matrimonio collocavit. Poſtea vero Bononiam majore ſtipendio vocatus magna cum laude ibi docuit; Invidiam tamen evitare non potuit, qua in eum flagrantes nonnulli Interpretes quadraginta viros impulerunt, ut ei JOANNES CROTUS concurrens adderetur. Is in magna erat expectatione, ut Ruinum opprimeret, demum in certaminibus ſuperatus etiam Auditorum numero ſuccubuit, quorum ipſe non amplius XXV. Ruinus autem ſimul DC. habuit. JOANNEM etiam ANNIBALEM *Bononienſem* XI. annis *ἀντίπαλον* habuit, qui cum centum librarum Bononienſium ſtipendio, quo an. XIV. docuerat, contentus non eſſet, indignatus publicas lectiones dimiſit, atque aliquot domi erudire cœpit. [2] Ad eam denique Ruinus nominis claritatem pervenit, ut MCC. aureorum ſtipendium obtinuerit.

Bononiæ aliam duxit uxorem nomine *Clementiam*, ex qua nullam prolem ſuſcepit. Vivens præter *commentarium ad librum primum Legatorum* nihil edidit, ſed eo defuncto, plura, quæ ab audientibus inordinate excepta fuerant, impreſſa fuere. Quinque etiam *Reſponſorum volumina* a *Julio Scarlatino*, diſtinctis tractatibus, ordinata in lucem emiſſa fuere. Inter quatuor primos conſulentes a *Galleſio* ponitur, [3] inſignemque Interpretem *Nata* appellat. [4] Vir acuti ingenii,

[1] *Ruin. conſ.* 159. *lib.* 3. [2] *Joann. Anni. in l.* 55. *num.* 418. *de leg.* 1. [3] *lib.* 1. *de exerc. jurisd. ſub n.* 25. [4] *conſ.* 571.

orisque

orisque pulcherrimi, grata pronunciatione astantium animos mirifice detinebat. Cæterum moribus asperior, & subrusticus, qui præsertim disserendo excandescere consueverat; subtilitatibusque mirifice delectabatur, & aliqui ipsum nimis audacter consuluisse volunt. [1] Discipulos habuit *Andream Alciatum*, *Marcum Mantuam*, *Ludovicum Catum*, *Ugonem Boncompagnum*, qui postea Summus Pont. *Gregorius XIII.* fuit, & alios quam plures, qui gravissimi Professores evaserunt.

Ex infima paupertate amplas opes usque ad summam octuaginta millium aureorum comparuit, & in Patria magnificas ædes extruxit. Senio confectus cum indifficilem ægritudinem incidisset, Bononiæ magno cum studiosorum luctu obiit VII. Idus Aprilis anno Salutis MDXXX. Eo die cum magna imbrium copia ejus cubiculum de cœlo tactum fuit, & universa, quæ in eo erat, consumpta est supellex. Sepultus est in templo Sancti Joannis in Monte supra Portam in arca villoso serico involuta cum sequentibus auro descriptis literis.

Carolus Ruinus MDXXX. Filio ibidem postea humato, additum: Antonius filius MDXXXIX.

Bononiæ successorem habuit PETRUM PAULUM PARISIUM, qui postea Cardinali dignitate donatus fuit.

CAP. CXLIV.

CCXXVII. JOANNES CROTUS, de UBERTINO ZUGARDO Corrigensi.

CCXXVII. JOANNES CROTUS ex Monteferrato ortus apud Taurinenses clarior evaserat. Quare honesto stipendio Bononiam accitus, & Carolo Ruino concurrens additus in magna erat expectione, ut eum superaret, sed in certaminibus victus nominis famæ non respondit paucisque auditoribus conquisitis, inter quos fuit UBERTINUS ZUCARDUS *Corrigiensis*, [2] qui postea Ferrariæ mane docuit, ægre dignitatem sustinuit. *Magdalenam Landam* Bononiensem uxorem duxit, ex qua nullam prolem suscepisse dicitur.

Demum cum ob magnam adversarii celebritatem emergere non posset, clam cum Florentinis convenit, ut Pisis doceret. Certa itaque die, insalutato (quod ajunt) hospite, discedens infaustum iter susceepit; orta enim, ut quibusdam placet, in hospitio inter famulum, & cauponem rixa, percussus intra paucos dies occubuit. Alii vo-

[1] *Phannuc. de inventario, parte 6. sub n. 88.* [2] *Crot. in l. 38. ante num. 122. ff. de cond. indeb.*

lunt, eum Pisas conductum gymnasium illud fere destitutum restituisse, idque ejus Epitaphium demonstrat. Defunctus a pia Conjuge Bononiam relatus est, & in D. Dominici templo cum hoc Epitaphio conditus.

Joanni Croto Monferrato Pontificii, Cæsareique Juris Monarchæ, qui diu Bononiæ floruit in utraque palæstra. Inde Pisas evocatus deserti jam pridem gymnasii instaurato fato concessit, Magdalena Landa Viri B. M. ossa referens ære proprio hoc monumentum faciendum curavit.

CAP. CXLV.

CCXXVIII. De familia BUTIGELLARUM, inter quos excelluit. HIERONYMUS BUTIGELLA: Eximia & divina ejus memoria.

CCXXVIII. BUTIGELLA vetustissima gens Ticini plures insignes viros habuit, quorum præcipui fuere CHRISTOPHORUS, & JO. PETRUS, qui in Patria Jus Pontificium doctissime docuere, & eruditissima scripta temporum injuria amissa post se reliquere. Pro Jo. Petro, procul ab ædibus fratres flagellatos removere cupienti, ut tranquille studere posset, Jason Maynus consuluit. [1] Sed omnibus agnatis excelluisse HIERONYMUS videtur, qui per aliquot annos Jus civile in Patria professus memoria omnes sui temporis Interpretes superavit, cujus vim eximiam publice, universa astante Academia, & magno populi conventu, per triduum ostendit. Ex duodecimo enim Digestorum libro, & aliquot Codicis, ac sexto Decretalium Bonifacii, & juris Institutionibus, Eclogisque ac Georgicis, Sextoque Aneidos Virgilii, Ovidii, Valerii Maximi, & septimi naturalis historiæ Plinii, & aliis quibusdam, quæcunque sibi citabantur, cum præcedentibus, & sequentibus firmiter recitavit. Id, quod vulgo liberare appellabant. Quare magnam memoriæ, nominisque famam adeptus Patavium conductus mane cum *Joanne Campegio* Antipalo ordinarias lectiones magna cum laude explicuit, ubi inter alios *Achillem* Comitem Senensem, & *Marcum Mantuam*, & *Jo. Franciscum Ripam* discipulos habuit. [2]

Cum a Ludovico Gallorum Rege Gratianopoli Senator factus esset, aliquandiu in Galliis Jus dixit: Sed cum Rex Decii, & Hieronymi consilio adversus Julium II. Pont. Max. sibi infestum Pisas Synodum induxisse diceretur, diris damnatus est; impunitatem vero

[1] *in conf.* 218. *lib.* 2. [2] *Rip. in l.* 89. *n.* 72. *ff. de legat.* 3.

pro-

promittente Pontifice, nullis literis, aut blanditiis suaderi potuit, ut ad eum accederet. Demum, Leone rerum potito, Ecclesiæ conciliatus Romæ Jus civile docuit, ubi non multo post an. Salutis MDxv. publico cum luctu decessit, & quod paucis antea concessum fuerat, ex publico illi in templo Minervæ sepulchrum decretum fuit. Ad quod universa Academia, & frequens populus cum celebri pompa deduxit, sequens appositum est Epitaphium.

Hieronymo Butigellæ Papiensi Divini, humanique Juris Interpreti Clariss. cujus virtus illustris post varios adversæ fortunæ casus a Leone X. ex sacro patrum Senatu recognita est, quemve meriti honoris necdum sede potitum ut terris indignum medio ætatis suæ, ac Romanæ spei flore cœlum rapuit. Romana Academia publico luctu, & fratres lapide isthac bene merenti sacrum dicarunt. Anno Domini MDXV. Vixit annos XLV.

Hic gemini Butigellæ jacet præstantia juris.
Cui dedit antiquum docta Papia genus.

CAP. CXLVI.

CCXXIX. ROBERTUS MARANTA Venusinus.

CCXXIX. ROBERTUS MARANTA *Venusinus* anno MDxx. Salerni, &, ut aliqui volunt, etiam in Sicilia docuit, ac inter alia aureum Speculum composuit, quem postea Pomponius filius & ipse Jurisconsf. cum fratribus in lucem emisit. Decem ejusdem *disputationes Salerni*, & alibi defensæ, & aliquot jurium interpretationes extant, quas *Repetitiones* vocant. Ejus mortis, aut monumenti nulla (quod sciam) extat memoria. Salernitanam Academiam illustravit, & ab Anglorum Rege de modo conservandæ bonæ valetudinis consultus plura ad id dogmata carmine exposuit.

CAP. CXLVII.

CCXXX. FABIANUS de MONTE S. SAVINI.

CCXXX. FABIANUS DE MONTE S. SAVINI Advocatus Consistorialis insignem tractatum *de Emptione, & Venditione* edidit; Filium post se Antonium reliquit, qui Cardinalis dignitate honestatus fuit; Et alteri ejus filio natus est JO. MARIA, qui postea Julius III. Summus Pontifex fuit.

CAP. CXLVIII.

CCXXXI. JOAN. FRANC. BURLA *Placentinus*. CCXXXII. ANTONIUS BURGES *Hispanus*.

CCXXXI. JO. FRANCISCUS BURLA *Placentinus* Ticino & ipſe evocatus circiter annum MDXIX. Patavii Hieronymo Butigellæ ſuffectus fuit; Cui ACHILLES Comes Ilcii Senenſis concurrens datus poſt ann. XII. quibus docere cœpit, Salernum vocatus in itinere obiit. At Burla Romam profectus a Clemente VII. ad Carolum V. Cæſarem Legatus mittitur. Sed cum res ex ſententia non ſucceſſiſſent, ex mœrore contracto morbo in Patria adhuc juvenis obiit. Bononiæ etiam profeſſus eſſe dicitur.

Quo tempore *Burla* Patavii profitebatur, (CCXXXII.) ANTONIUS BURGES *Hiſpanus* an. Domini MDVI. ibidem Jus explicuit, qui etiam Salerni, & Ticini docuit.

CAP. CXLIX.

CCXXXIII. VINCENTIUS PALEOTUS Bononienſis, CAMILLUS, ALEXANDER, GABRIEL PALEOTI.

CCXXXIII. VINCENTIUS PALEOTUS nobilis Bononienſis in Patria, & Ferrariæ tempore, quo Hercules primus ibi eam Academiam inſtauravit, mane ſumma cum laude Jus civile docuit. *Joanni Bentivolo*, qui tum Bononiæ dominabatur, ob doctrinam, & ſales, quos opportunos edebat, mirifice carus extitit. Duas uxores habuit, & ex utraque liberos ſuſcepit, ex quibus filiam *Philippo Beroaldo* tum humaniores literas in Bononienſi Gymnaſio profitenti nuptui locavit. Is fere totam ejus vitam, ſoceri manibus debitum munus ſolvens, deſcripſit.

Dyſenteria extinctus in ædem D. Jacobi octo filiorum humeris elatus eſt; Inter quos claruere duo Camilli, alter Juris utriusque conſultus, alter in humanioribus literis peritiſſimus, & ALEXANDER Pontificii, Cæſareique Juris in Patria Interpres, ac Senator; ex quo nati ſunt CAMILLUS, & ipſe Senator, & GABRIEL, qui Jura per aliquot annos Bononiæ profeſſus, & poſtea Auditor Rom. Rotæ creatus ob inſignem doctrinam, & probitatem Cardinali dignitate eſt honeſtatus; ac anno Domini MDXCVII. octogenarius Romæ deceſſit, deinde ejus cadaver Bononiam delatum in Eccleſia D. Petri conditum eſt. Nonnulla ſui ingenii, & pietatis monumenta reliquit, videlicet,

de

de Bono senectutis, Archiepiscopali Bononiensi de Sacri Consistorii consultationibus, de Nothis, ac Spuriis; Avi etiam ejus Vincentii plura in Jus civile scripta extant, & *Responsa* inter ea, quæ ab *Alexandro* edita fuere: Sed ut plenius ejus vita noscatur, Beroaldi verba [1] subjiciam. *Vox facunda Solonis, respicere extremæ jussit spacia ultima vitæ; secundum hanc Solonis sententiam, videtur dici posse beatus Clarissimus Jurisconsultorum, & legalis doctrinæ thesaurus socer meus Vincentius Paleotus, nunquam a me sine honoris præfatione nominandus, qui animi dotibus cultissimus diu inter legales professores obtinuit in hoc gymnasio primatum, inde divitias bona modo partas reliquit luculentas, quales inter fœlicitatis munera numerat Plato, & Metellus expetivit.*

Domus vero Jurisconsulti cum sit oraculum totius Civitatis, janua & vestibulum soceri mei perinde ac alterius Mutii Scævolæ maxima quotidie frequentia consultorum, ac summorum hominum splendore celebrabatur. Principi autem placuisse cum maxima laus sit, summusque honor, socer meus Illustrissimo Principi nostro Jo. Bentivolio adeo carus adeo jucundus fuit, ut sine illo cænare jucunde non posset, ut edulia omnia sine illius condimentis insulsa, ingratique saporis esse viderentur. Erat enim fabulator elegantissimus, ac fandi dulcissimus, quæ cuncta principalis mentis nubila dictorum tempestivitate discuteret, & facetosa urbanitate exhilararet, qui merito vir omnium horarum dici poterat, id quod de Asinio Pollione seriis, jocisque accommode dictum est.

Ad hæc cum omnis beatitas sine sobole manca sit, & mutila, ut author est Aristot. in primo Ethicorum, ex hac quoque parte socer meus fœlix censeri potest, qui cum ex duabus uxoribus primariis fœminis liberos sex & triginta suscepit, undecim superstites reliquit; Et cum meta vivendi homini esse dicatur annus septuagesimus, cumque felicitas sit in felicitate mori, ipse hunc terminum transcendens annos implevit tres, & septuaginta, senioque beatissimo, atque honoratissimo degens nuperrime decessit, alvi profluvio, quod genus mortis sane levissimum est, quo & maximi Romanorum Imperatores obiere; Accessit & hic quoque cumulus consumandæ hominis felicitati, ut feretrum subierint filii octo pientissimi, ut paternum cadaver in ædem D Jacobi ad sepulchrum usque humeris hora vespertina ex ritu priscorum deportaverint, ministerio vespillonum, ac sandapilariorum laudabiliter fungentes, quod uni Metello Macedonico contigisse inter rara felicitatis humanæ exempla memoratur.

Libuit ex amoris affectu, qui potentissimus est, quo socer genero parentis loco est, in hoc diverticulo non minus favorabiliter quam tempestiviter

[1] *In lib. Heptalogi seu septem Sapientibus.*

ter excurrere, ut quem viventem reverenter colui, pieque dilexi, eundem defunctum pro virili parte commendem posteritati, quanquam vivit, vigetque forma doctrinarum, Florent atque in manibus habentur consultissima ipsius responsa. Hæc Philippus Beroaldus.

CAP. CL.

CCXXXIV. BARTHOLOMEUS CHASSENEUS.

CCXXXIV. BARTHOLOMÆUS CHASSENEUS, *Heduus*, nunc *Burgundum* vocant, apud Montem Cinerium celebris causarum patronus inter Regios fuit; Provinciæ suæ consuetudines luculentis commentariis illustravit; librum *Catalogum gloriæ mundi* nuncupatum edidit, in quo de variis rerum generibus differit; sed, ut non semel erravit, a Clarissimis viris acerbissime reprehenditur. Tiraquellus [1] enim, inscitiæ, & furti eum arguit, & librum ipsum cum *titulo putridum, & inelegantem* appellat, ac diversa quandoque respondisse arguitur; [2] egregia etiam post se *Responsa* reliquit, quæ in pretio habentur. Ejus mortis memoria, quod sciam, non extat.

CAP. CLI.

CCXXXV. M. ANTONIUS BAVERIUS *Bononiensis.* De ANTONIO ORSATO.

CCXXXV. MARCUS ANTONIUS BAVERIUS *Bononiensis* floruit circiter annum M. D. docuit in Patria, Pisis & Patavii, ubi vespertinam Juris civilis lectionem secundo loco interpretatus, cum æquis conditionibus nollet aquiescere, anno M.CCCCXCVI. exauctoratus discessit, ejusque loco ANTONIUS ORSATUS, qui postremum ejus lectionis gradum habebat, nullo aucto salario, est suffectus; ad primum ejus lectionis locum *Jason Maynus* cum mille ducatorum honorario est conductus, quemadmodum ego, lectis illorum codicillis, cognovi. M. Antonius Baverius præclara in *Institutiones commentaria, de Virtute juramenti, & Mora* libros post se reliquit. Quando decesserit, aut ubi humatus sit, compertum non habeo.

CAP. CLII.

CCXXXVI. PANTALEO CALDERIUS *Cremensis.* Pantaleo Cremonensium tutelaris.

[1] *c. 31. n. 18. lib. de Nobilitate.* [2] *in conf. 23. n. 13.*

CCXXXVI. CRemenses gravi peste precibus D. Pantaleonis, ut crediderunt, liberati anno Salutis MCCCLXI. eum pro tutelari patrono receperunt, cujus etiam imagine signant, [1] unde multi hoc nomine in eo oppido ob studium, quo erga eum Sanctum sunt affecti, vocantur. Inter quos fuit PANTALEO CALDERIUS, qui factus eximius Jurisconsultus magnæ existimationis in patria fuit.

Evenit autem, ut conspirantibus Cæsare Maximiliano Hispaniarum, ac Galliæ Regibus contra Venetos an. Salutis MDIX. Ludovicus Rex Gallorum plurima Venetis oppida ademerit; Quare Cremam quoque adortus oppidum petiit. Cremenses victori obstare non ausi *Pantaleonem Calderium*, *Jo. Petrinum Lermam*, *&* *Jacobum Zorlam* legatos ad eum mittunt, qui cum Rege pacis leges scriberent, inter alia oppidi administrationem Guelfis committi petierunt, quod primo sine alterius partis præjudicio concessum, postea ratum non fuit, quin Rex oppidum adeptus adeo Gibellinis favit, ut Pantaleonem cum *Jacobo Zorla*, & aliis Gratianopolim relegaverit, qui post aliquot menses Astam translati, & inde Mediolanum, tandem in patriam sunt reversi. Pantaleo, ne Gratianopoli otiosus degeret, ubi juris gymnasium florebat, luculentum commentarium edidit, [2] quod non mediocrem Jurium studiosis opem affert.

CAP. CLIII.

CCXXXVII. NICOLAUS BOERIUS. CCXXXVIII. JACOBUS REBUFFUS.

CCXXXVII. NICOLAUS BOERII filius a Monte Pessulano Galliæ Narbonensis Castro, [3] in Patria Juri Civili, & Pontificio studuit sub Præceptoribus *Vives, & Ancharano Ray*, qui vulgo *le petit Pape* vocabatur, & ab iisdem in utroque Jure gradum Baccalariatus accepit; Inde ob pestem recedere coactus Biturigibus Juris licentiatus est effectus, [4] ubi Advocati officio functus est, mox magni consilii Regis Ludovici, & Burdegalensis ordinarius consiliarius, & postremo Senatus Præses fuit, ubi cum *Bertrando a Casuignes* Domino Stantefortis ibidem Senatore, & jurium professore, nonnullos, qui in Civitate Agenensi anno MDXIII. seditionem moverant, pu-

[1] *ex historiis Cremensium, & ipso authore.* [2] *in l. 2. C. de rescind. vendit.*
[3] *Boer. de sedit. in 1. præmiss. sub n. 30.* [4] *Boer. in addit. ad præfatio. Dini de reg. jur. in 6. & ult. addit.*

nivit.

nivit. [1] Ejusdem Senatus decisiones scripsit, & plura Dini commentario *ad tit. de reg. jur. in VI.* addidit, & librum *de Ordine graduum* composuit, & alium *de Potestate Legati a latere.*

Docuit & in Monte Pessolano (CCXXXVIII.) JACOBUS REBUFFUS, ubi tres postremos Codicis libros est interpretatus. [2]

CAP. CLIV.

CCXXXIX. FRANCISCUS CURTIUS, Junior. De MARCO MANTUA.

CCXXXIX. Alter fuit FRANCISCUS CURTIUS senioris ex sorore nepos, [3] qui in avunculi familiam transiens, ab eoque eruditus, & illius, & sua etiam fama clarus evasit; Pauperrimum patrem, & quatuor fratres habuit, MATTHÆUM, qui in arte Medicina omnibus sui temporis Archiatris excelluit, [4] ROLANDUM, [5] & LUCHINUM viros in agendis causis eximios, quartus, etsi non rudis, fratrum virtutem æquare non potuit. Pater filios Jurisconsultos factos ob inopiam domo ejicere consueverat. FRANCISCUS itaque primo Ticini *Feuda*, de quibus etiam scripsit, interpretatus, postea Mantuæ *appellationum Judex* fuit; Rursus in Patria professus, ad MC. aureorum honorarium pervenit, [6] atque pro summa eruditione obtinuit, ut sine collega, seu concurrente solus interpretaretur. Demum in Francisci Regis Gallorum consilium adscitus est.

Verum occupato, direptoque a Cæsarianis Ticino, captus, bonisque denudatus ob rerum angustiam se redimere non poterat, opportune autem contigit, ut opera Matthæi fratris tum Patavii docentis, eo a Venetis vocatus mille aureorum honorarium consequeretur. Quare promissa salarii pecunia militibus, datisque fidejussoribus se liberavit. In Patavina Academia M. MANTUAM concurrentem habuit; Inter alios *M. Antonium Natam*, [7] *Joannem Nevizanum* Astensem Sylvæ nuptialis auctorem instituit. [8] *Christophori Albanicii* Papiensis, qui ibi profitebatur, [9] filiam sibi desponsatam, orto dissidio, uxorem non duxit. Demum morbo Apoplectico correptus obiit Patavii anno MDXXXIII. die XXVII. Junii, [10] cum annis XL. docuisset, ROLANDO, & FRANCISCO HIERONYMO filiis post se relictis, qui postea & ipsi Jurisconsulti fuerunt.

[1] *Boer in d. præmiss. sub n. 42.* [2] *Guido Papæ decis.* 218. [3] *Curti junior. in cons.* 557. *sub n.* 7. *Nata cons.* 599. *in fin.* [4] *Soci. cons.* 74. *inter cons. Curt. juni. & ipse cons.* 76. [5] *Rip. in l.* 89. *sub n.* 72. *ff. de leg.* 3. [6] *ipse in præfatio. ad Codic.* [7] *Nata cons.* 599. *in fine.* [8] *Sylva nupt. lib.* 1. *sub n.* 202. [9] *Rube Alexandr. cons.* 6. *sub n.* 3. [10] *Soci. juni. cons.* 30. *sub n.* 19. *in* 1.

CAP.

CAP. CLV.

CCXL. JOANNES NEVIZANUS *Astensis*, de FRANCISCO NEVIZANO filio.

CCXL. JOANNES NEVIZANUS *Astensis* avum maternum habuit [1] *Gofredum Montafiæ* Dominum; vir lepidi ingenii fuit, ac semper cœlibem vitam egit; *Librum sylvæ Nuptialis* vulgo notissimum, & erudita *Responsa composuit*, bona in agro Tiliolarum, ubi Domini Montafiæ dominabantur, plura possedit, ob eaque cum *Paulo Visca* Cheriensi diu litigavit, qua lite nondum sopita decessit, *Georgio Comite Montafiæ*, & *Tiliolarum Domino* hærede instituto. FRANCISCUM filium naturalem ex Jacobeta, quam postea nuptui locavit, susceptum reliquit, qui & ipse Jurisconsultus bonis omnibus spoliatus ad extremam inopiam, ac demum insaniam pervenit. Joannes ipse obiit anno MDXL. ut ex testibus coram me examinatis constat.

CAP. CLVI.

CCXLI. JOANNES FRANCISCUS BALBUS, JACOBINUS a S. GEORGIO, JOANNES FRANCISCUS PURPURATUS, THOMAS PARPALEA, CLAUDIUS SEISSELIUS.

CCXLI. JO. FRANCISCUS BALBUS in Avilianæ Ligurum subalpinorum oppido natus, Stephanum patrem, & tres fratres habuit, JO. PETRUM, & NICOLAUM, qui primo patrimonii Caroli Ducis Sabaudiæ, mox ejus Senatus Præses fuit, item JO. BAPTISTAM, qui Legatus apud Carolum Quintum Cæsarem obiit.

Taurini JACOBINUM a SANCTO GEORGIO, JO. FRANCISCUM PURPURATUM, THOMAM PARPALEAM, & CLAUDIUM SEISSELLUM audivit, ubi tyrocinio legum deposito vespertinas lectiones erudite explicuit, ac nobilem tractatum Præscriptionum, & Responsa, quæ non apparent, edidit. Memorati Caroli Ducis Allobrogum Senator fuit, demum, sola filia post se relicta, decessit. Ex fratre *Nicolao* Præside tres nepotes reliquit, CAROLUM Abbatem, *Laurentium* Vernoni Dominum, & GOTTIFREDUM Emanuelis Philiberti Ducis Senatorem. JOANNES Balbus a Philippo Vicecomite ad Alfonsum Regem Aragonum cum *Petracotta* Orator est delegatus, ut illum a bello contra Franciscum Sfortiam gerendo dissuaderent, sed nihil egerunt. Hunc nostri Balbi progenitorem esse non dubito.

[1] *Sylva nupt. lib. 4. sub n.* 111.

CAP. CLVII.

CCXLII. JOAN. FRANCISCUS A RIPA.

CCXLII. DEfuncto Jasoni Mayno JO. FRANCISCUS *Papiensis* in Ticinensi gymnasio suffectus magna & ipse nominis celebritate docere cœpit. Ex nobilibus a *S. Nazario*, qui a *Ripa* cognominabantur, descendit. Hæc familia vetustate, & nobilitate insignis fuit, ut *duo Baldi Responsa* declarant, [1] quæ pro aliquibus ejus gentis edidit.

JO. FRANCISCUS statura pusillus, & ut ferunt, deformis, animi virtutibus corporis parvitatem correxit; *Hieronymus Butigellam, Jasonem*, aliosque audivit. [2] In Patria magna cum laude per aliquot annos docuit. Inde anno MDXVIII. Avenionem amplo stipendio conductus Jus Pontificium, mox Cæsareum profiteri cœpit. Sed cum Ticinensis Academia clariorum Interpretum penuria laberetur, a Francisco Maria Duce Mediolanum accitus in Principis consilium adscitus est, ac Ticinum cum mille aureorum stipendio ad docendum missus.

Cum vero ob Ducis mortem in tota Insubria bellum sæviret, gymnasio destituto, aliquot annis vacavit, donec anno MDXXX. rursus Avenionem eodem stipendio revocatus ad Jus civile explicandum rediit. Sed vix elapso triennio denuo Ticinum retractus anno MDXXXIV. occubuit. Vir fuit acri judicio, subtilis, elocutione facilis, & minime verbosus, & præter legum eruditionem etiam in Dialectica versatus.

Plura in *Jus civile, & Pontificium scripta* reliquit, quibus non pauca Responsa adjecit. *De peste* quoque librum edidit. *Rainerii Gentilis* Jurisconf. & Parisiensis curiæ Senatoris sororem Helenam Gentilem uxorem duxit, ex qua Tranquillum, & Gerardum, & alios quatuor filios suscepit; cum hac memoria Papiæ humatus est.

Jo. Franciscus de S. Nazario a Ripa Jurisconf. primi nominis Senatori Ducis Com. Pal. Helena Gentilis uxor, & sex liberi P.

CAP. CLVIII.

CCXLIII. PETRUS PAULUS PARISIUS Cardinalis: De FRANCISCO SFONDRATO, MARIANO SOCINO, de immani Responsorum pretio.

[1] 272. & 304. *lib.* 5. [2] *Rip. in l.* 89. *sub n.* 72. *ff. de leg.* 3.

CCXLIII. EAdem ætate PETRUS PAULUS *Parisius* Consentinus claruit, qui cum Romæ aliquandiu docuisset, anno MDXXI. Patavium conductus FRANCISCUM SFONDRATUM Cremonensem concurrentem habuit, qui cum Mediolani Senator a Carolo Quinto Cæsare creatus, & Senis Præfectus, ac demum Patriæ Episcopus ad Cardinale fastigium ascendisset, [a] ejus loco MARIANUS SOCINUS anno MDXXXVI. Patavii successit.

At Petrus Paulus ibi aliquot annis professus, mox Bononiæ defuncto *Carolo Ruino* amplo stipendio suffectus fuit. Inter aliosque (CCXLIV.) HIERONYMUM PRIVIDELLUM *Regiensem* magnæ spei juvenem vespertinæ lectionis concurrentem habuit. Ibi quinquennio magna cum laude Jus interpretatus, ingenti coacta pecunia, Cameræ Apostolicæ Auditoris officium emit, docendique munere relicto, Romæ paucis annis commoratus, tandem a Paulo III. Pont. Max. Cardinali dignitate honestatus fuit. Itaque memorandi exempli res visa duos concurrentes ad ejusdem honoris culmen pervenisse.

Vir insigni eruditione fuit, sed sordidior habitus, qui consulentibus singulas Responsorum chartas aureo vendere consueverat, eumque morem pessimo exemplo nonnulli posteriores secuti ad emungendam pecuniam pro Responsis volumina reddere conati sunt. Ejus vero loco Bononiam *Andreas Alciatus* conductus fuit. Docente Petro Paulo Patavii, ibidem Bernardinus Gammarus Bononiensis Jus civile docuit.

CAP. CLIX.

CCXLIV. HIERONYMUS PRIVIDELLUS *Regiensis.*

CCXLIV. HIERONYMUS PRIVIDELLUS *Regiensis Petri Pauli Lapicidæ* filius Bononiæ apud Casales Pædagogum egit, ubi *Carolo Ruino*, quod aliis paucis contigit, admodum familiaris, dum sæpius ab eo ob doctrinam commendatur, notior esse cœpit. Ad eam denique fortunam pervenit, ut nobilium Senatorum, apud quos fuerat, patrocinio Bononiæ primo *Institutiones* interpretaretur, ac denique ipsius *Parisii* concurrens celebre Auditorium habuerit. Sed super omnia eum Henrici VIII. Anglorum Regis suscepta causa illustravit.

Duxerat ille Julii II. auctoritate in uxorem Catherinam Ferdi-

[a] *Bossius de principe n.* 208.

nandi Hispaniarum Regis filiam, & ab Arturo fratre jam defuncto Viro relictam. Sed cum Bollanæ puellæ flagrantissime adamatæ connubium affectaret, matrimonium, quod cum affine contraxerat, velut contra Jus divinum factum, criminari cœpit; Easque nuptias nullius decreto incestas esse desinere potuisse dictitabat. Contra Catherina, ne pudicitiæ notam pateretur, conjugium a Summo Pontifice comprobatum legitimum defendere. Ubi ea res in controversiam venit, undique in Italia doctrina præstantes Advocati sunt conquisiti, & Prividellus, Casalibus faventibus, Regis patrocinium cum CC. annuorum aureorum honorario obtinuit.

Cum vero ante Clementem VII. Pont. orandum esset, Romam missus denos aureos diurnos pro mercede tulit. Demum sententia adversus Henricum lata, Bononiam reversus non diu superstes fuit. Cum enim quendam Regiensem, qui pro tutela corporis Bononiensem a S. Georgio occiderat, reum factum pro patriæ necessitudine acrius defenderet, etiam contumeliis accusatorem oneravit. Verba animo altius insidentia hominem ad facinus impulerunt. Dum itaque Hieronymus ad docendum proficiscitur, a Sicario transfoditur, statim domum delatus, ac nondum vestibus exutus, erumpente sanguinis flumine, inter familiarium manus expiravit. Extremis verbis pie se percussori ignovisse sæpius repetiit. Juvenis ante diem præreptus, si diu supervixisset, magna jam nominis claritate comparata, primum inter Profitentes locum obtinuisset.

CAP. CLX.

CCXLV. GUILIELMUS PONTANUS Perusinus.

CCXLV. GUILIELMUS PONTANUS *Perusinus*, cum diu legum studiis incubuisset, XXXII. ætatis annum ingressus publice in patria profiteri cœpit, deinde vespertinæ lectioni explicandæ præfectus tantam eruditionem ostendit, ut inter clarissimos sui temporis interpretes haberetur. Vir fuit non solum subtilis, sed & maturi ingenii, qui gravi judicio Jurium difficultates solvere consuevit. Cum XLV. annis docuisset, plane senex annum jam agens LXXVII. ultimum vitæ diem clausit, Anno Salutis MDLV. in D. Dominici æde cum hac inscriptione humatus est.

D. Guilielmo Pontano Prob. & Jur. Prud. Præcl. quam an. XLV. summa cum glor. Pub. Prof. est. Vix. an. LXXVII. Ob. M.DLV.

CAP.

CAP. CLXI.

CCXLVI. LUDOVICUS GOZADINUS Bononiensis.

CCXLVI. LUDOVICUS ex nobili *Gozadinorum* familia Bononiæ anno MCCCCLXXIX. natus ubi primum in humanioribus literis est institutus, ad Jus civile se contulit. Lauream adeptus magna celebritate matutinas lectiones explicare cœpit. Redarguitur, quod in eadem causa sibi contradixerit. [1] NICOLAUS GOZADINUS in Castro Bolognesio jus dixisse reperitur. [2] Demum anno ætatis LVII. & Salutis MDXXXVI. decedens apud Servitas humatus a Bononiensi Senatu hoc monumentum promeruit.

Ludovico Gozadino insigni legum Interpreti Senatus Bononiensis. Vixit an. LVII. Obiit anno MDXXXVI.

CAP. CLXII.

CCXLVII. MARIANUS SOCINUS, LANCELOTTUS POLYTUS, ANTONIUS RUBEUS Alexandr. M. ANTONIUS BURGLESIUS, CELSUS SOCINUS, NICOLAUS AB ARMIS, JOH. ANGEL. PAPIUS Solernitanus.

CCXLVII. MARIANUS SOCINUS primi *Mariani* ex Alexandro filio & ex *Laura Aringleria* nepos natus est Senis anno MCCCCLXXXII. VIII. Kal. Aprilis, usque ad pubertatem ut plurimum valetudinarius, ubi ad XIII. an. pervenit, peste, quæ tum dira per Italiam grassabatur, correptus magnum vitæ discrimen subiit, sed pustula sub sinistra ala recisa præter omnium opinionem convaluit.

In humanioribus literis ab ANGELO FUNDO instructus, Jus civile a FRANCISCO TURCO, BERNARDINO BENEVOLIENTE, JO. BAPTISTA SANCTO, SIMONE BORGHESIO, & ANTONIO BONAFRO tum Senis profitentibus per sexennium accepit. Ex his Antonius in Pandulfi Petrucii patriæ imperantis consilio fuit. Mox Bononiæ Bartholomæum patruum audivit, quem cum amissa voce in Patriam deduxisset, ibi publice disputavit, ac depositi tyrocinii insignia a Benafro vice patrui fungente anno ætatis XXI. sumpsit.

Primum Institutiones per quadriennium, ac postea per triennium extra ordinem alias legum partes interpretatus LANCELLOTUM POLYTUM concurrentem habuit, quicum magno studiosorum concursu acria certamina exercuit. Interea Camillam Salvettam Pauli filiam honestissimam matronam uxorem duxit, ex qua decem filios, &

[1] *Soci. juni. consf. 117. in Themate lib. 2.* [2] *Imol. consf. 19.*

tres filias suscepit, quibus, paucis exceptis, superstes fuit. Cum vero altero anno Jus Pontificium, altero Jus civile mane ex ordine docuisset, postremo ad vespertinam lectionem translatus magna cum laude per quadriennium est professus. Exinde Pisas cum CCCL. aureorum stipendio a Republica Florentina conductus, ac postea aliorum quinquaginta honorario auctus HIERONYMO DETTO *Florentino* secum acriter concurrente, ægre Auditorum frequentiam sustinuisse dicitur. Ibi natæ Virginiæ PHILIPPUM DECIUM Lustricum patrem fecit. Post septennium in Patriam revocatus, RAINALDUM PETRUCIUM, qui postea Romæ Rotæ Auditor fuit, & HIERONYMUM VERIUM adversarios habuit. Interea Legatus ex causa publica ad Remp. Florentinam missus, mox a Civibus ad Leonem X. Pont. Max. gratias acturus est destinatus, quod *Joannem Piccolomineum* Senarum Præsulem, & *Raphaelem Petrucium Grossetti* Antistitem Senenses ad Cardinalem dignitatem promovisset. Inde post annum quam in Patriam venit, Patavium vocatus, *Petro Paulo Parisio, & Francisco Sfondrato* concurrens factus, & majorum nomine, & proprio ingenii acumine celebrior esse cœpit. Unde Bononiam discedente Parisio, cum mille aureorum honorario primas tenuit, quo tempore FABIUM ACORUMBONUM EUGUBINUM, qui postea ex Romanæ curiæ Auditore Antistes est creatus, & GASPAREM MALMIGNATUM Lendenaria oriundum Antagonistas habuit.

Cum vero Anno MDXL. Andrea Alciato Ticinum revocato, Bononiensis Academia insignem Interpretem desideraret, Marianus a XL. viris vocatus est. Is cum Jo. ANTONIO RUBEO Alexandrino tum mane Patavii primam sedem tenente turbulentam de loco contentionem exercebat, cum uterque pari stipendio honestatus alterum excedere non posset. Socinus igitur, ut homini secum acerbius agenti superior esset, instanter illius gymnasii Præfectos orare, ut addito vel x. aureorum salario se Rubeo preferant; Illi mille aureorum metam excedere insoliti, Marianum ludificari, dictitare, sibi magni nominis professores non deesse, qui minore pecunia sint docturi. Ubi ille sibi verba dari sensit, Bononiensibus MCC. aureorum honorario se obstrinxit, aliis CC. pro commeatu acceptis, Tabulisque conscriptis, a Gymnasiarchis Patavii majorem, quam sperare poterat, mercedem sibi dari postulat. Cum solitum responsum retulisset, statim producto novi contractus instrumento, *Ego*, inquit, *ex meo sinu MCC.*

MCC. aureos extraho. Nunc expectabo, quos ex vestro Doctores sitis educturi.

Ita Senatoribus dimissis, Bononiam professus, dum vixit, magna nominis fama docuit. Veneti largius stipendium polliciti frustra eum retinere sunt conati; Senenses quoque nisi a Bononiensibus præventi essent, DC aureorum, quod nemini ante fecerant, illi salarium oblaturi erant; Sed Bononiensibus obstrictus contractum revocare non potuit. Ei postea aliorum centum aureorum auctum salarium, immunitasque pro se, & liberis maribus cum Jure civitatis concessa fuit, & locus inter v. vir. litibus judicandis Bononiæ Lælio ejus genero est donatus. Sed cum eo honore fungi impediretur, ejus vice *Leonardus Columbinus* Senensis, qui postea Neapoli DCCC. aureorum stipendio vespere professus est, subrogatus fuit.

Interea Cosmus Florentiæ Princeps Marianum MD. aureorum salario Pisas conducere voluit. Rex quoque Lusitaniæ eum Conimbricam ter millium aureorum annuo stipendio vocavit. Et Epidaurii, nunc Ragusii dicti, duo millia aureorum ei obtulerunt, ut illorum Jura municipalia componeret. A Venetis etiam, & Hercule II. Ferrariæ Principe amplo stipendio invitatus, a Bononiensibus, quibus se obstrinxerat, discedere non potuit. Apud eos Camillam uxorem LXIII, annum agentem amisit, quicum annis XLVI. vixerat.

Postea uxori assuetus parum continenter vixisse dicitur; Unde contracto morbo non semel ægrotavit, ac demum dum præsentaneis remediis sibi mederi conatur, potentium pharmacorum vi oppressus LXXIV. ætatis anno decessit. Germanorum studiosorum humeris in D. Dominici templum est elatus. Ex XIII. filiis, quos suscepit, tantum *Celsus*, *&* *Philippus* superstites fuere. Patavii *Ascanium* XII. annorum puerum, qui ibi in D. Augustini templo humatus est, & Alexandrum amisit.

Is cum CCC. propositiones per quinque dies primo Patavii, deinde in Patria per biduum magna cum gloria sustinuisset, anno MDXXX. sub Philippo Decio Senis Legum Tyrocinium deposuit, ubi cum M ANTONIO BURGLESIO Advocato Consistoriali Institutiones interpretatus, postea Patavii tertium ordinariæ lectionis locum mane supra omnium expectationem sustinuit: Sed subortis cum Antagonistis factionibus, in patriam reversus, vespere HIERONYMO VERIO, & M. ANTONIO BELLARMATO concurrens factus ordinariam lectionem explicuit. Demum nova Maceratæ Academia instituta,

tuta, anno MDXI. quingentorum aureorum ſtipendio ibi profeſſus eſt. Sed ſequente anno concepto ex pilæ luſu frigore v. Kal Majas deceſſit, defuncto Maceratenſes vexillum dedicarunt. Cadaver in Patriam relatum in majorum ſepulchro conditum fuit. Ex eo, & Agnete ex Burgleſia Pandulfi Petruccii Senarum Principis nepte natus FAUSTUS præclari ingenii Juvenis Parentum veſtigia ſecuturus eſſe ſperatur. CELSUS alter Mariani filius Juriſconſ. primo in Patria Inſtitutiones, & Jus civile extra ordinem profeſſus, poſtea patris gratia Bononiæ cum centum aureorum annuorum ſtipendio Juris Pontificii, deinde patre mortuo Juris civilis Interpres factus in eo munere perſeveravit.

Marianus mediocris ſtaturæ fuit. Materna lingua, & Muſica delectatus, quandoque etiam in aleæ ludo ſe detinuit. Vir fuit acutiſſimus, & acris judicii, qui Fulgoſio, & Cumano, plusquam cæteris Interpretibus tribuere conſueverat. Verum memoriæ infirmioris, ut ſæpe ex ſcripto docere cogeretur, & raro extempore de Jure reſpondere poſſet, minus liberalis a Conſulentibus habitus, quibuscum de magna mercede paciſci voluiſſe dicitur. Jo. *Mariam a Monte*, qui poſtea Julius III. Pont. Max. fuit, & ſeptem, qui deinde Cardinales creati ſunt. *Antoniumque Auguſtinum*, & alios clariſſimos viros, & me omnium minimum diſcipulos habuit. Ei hoc monumentum filii poſuerunt.

Mariano Socino juniori Senenſis J. C.

Vixit an. LXXIV. Menſes IV. Dies XXV. Obiit an. MDLVI. D. XIX. Auguſti. Filii mœſtiſſ. Patri Opt. P. P.

Ei NICOLAUS AB ARMIS matutinæ lectionis profeſſor eſt ſubſtitutus, donec JO. ANGELUS PAPIUS Salernitanus vir eloquentiſſimus cum DCCC. aureorum honorario in eo loco eſt ſubrogatus.

CAP. CLXIII.

CCXLVIII. LANCELOTTUS POLITIUS Senenſis. CCXLIX. LANCELOTTUS CALLIAVOLA.

CCXLVIII. LANCELLOTUS POLITIUS *Senenſis* tanta ingenii felicitate enituit, ut in omnibus Italiæ gymnaſiis novas in *Subſtitutionum* tractatu opiniones ſumma cum laude ſuſtinuerit. Exinde Jus civile in Patria interpretatus JO. MARIAM A MONTE, qui poſtea Julius III. Pont. Max. fuit, in privatis ædibus inſtituit. Cæterum vix

vix XXXII. ætatis annum egressus, D. Dominici religionem, quam Observantem vocant, pia deliberatione ingressus est. Id agnati ab eo factum fuisse asserunt, ut votum impleret a matre conceptum, dum Puer in difficili ægritudine periclitaretur. Alii ob ereptam sibi promissam Consistorialis Auditoris dignitatem, quod eum honorem nondum delatum in cujusdam Responsi subscriptione præcipitanter sibi arrogavisset, conceptoque propter illatam contumeliam dolore, ipsum religiosum factum fuisse tradunt.

Cum seculo itaque Jurium studio penitus relicto, Dialecticæ, Philosophiæ, ac Theologiæ disciplinæ totus incubuit, in quibus omnibus sub Ambrosii Catherini nomine, quod sibi sumpto religionis habitu imposuerat, erudita opera edidit, & bis contra *Martinum Lutherum* scripsit. Legum tamen, quibus se impense applicuerat, memoriam semper tenuit. Ac semel Lutetiæ Parisiorum a quodam familiari Jurium studioso ad gymnasium publicum deductus, Interpretem in *Substitutionum* tractatu suam opinionem impugnantem audivit. Juvenis, qui Politium comitatus fuerat, ab eo efflagitavit, ut se tueretur, & recusantem ni id fecisset, se illum pro Politio omnibus publicaturum minatus est. Quare Lancellotus, qui se agnosci nolebat, Gallum professorem, ubi e cathedra descendit, XXII. acutissimis argumentis adeo exagitavit, ut admiratus Doctor exclamaverit, *aut Diabolus es, aut Politius.*

Cum vero adversus BERNARDINUM OCHINUM Apostatam alia scripsisset, a Paulo III. Pontifice Minoris apud Neapolim Episcopus est declaratus. Postea a Julio III. quem, dum profiteretur, apud se discipulum aluerat, Archipræsul Consentinus creatus fuit. Ab eodem Cardinali dignitate honestandus, nisi Diegus Mendocius, qui illius fratrem ultimo supplicio affecerat, verbis Cæsaris, cujus Romæ Legatum agebat, id prohibuisset. Demum Neapoli anno MDLIII. jam septuagenarius occubuit, & apud sui Ordinis religiosos humatus fuit, apud quos XXIX. annis pie vixerat.

Alius eodem tempore claruit (CCXLIX.) LANCELLOTUS CALLIAVOLA Papiensis, qui in Patria, & Valentiæ in Narbonensi Gallia professus magni nominis fuit.

CAP. CLXIV.

CCL. ANTONIUS VIERIUS. CCLI. M. ANTONIUS BELLARMATUS.

CCL. ALii duo Senenses ambo in Jure civili eruditissimi eodem anno obierunt ANTONIUS VIERIUS, dempta legum doctrina, ineptus, ac plane ridiculus, & (CCLI.) M. ANTONIUS BELLARMATUS, cujus aliquæ extant interpretationes. Is in omni disciplinarum genere versatus etiam elegantem Comædiam composuit. Cum in Patria docuisset, demum Pisas vocatus ibi decessit. Anno MDXL. quo & Antonius jam senio confectus Senis occubuit.

CAP. CLXV.

CCLII. FRANCISCUS SFONDRATUS Cremonensis, ejus merita in civitatem Senensem. NICOLAUS SFONDRATUS.

CCLII. EX Jo. Baptista, & Margarita Homodea Triulcia natus FRANCISCUS, qui a Jasone, item Bononiæ a Carolo Ruino in Jure eruditus, postmodum Taurini sub Carolo Allobrogum Duce Jus civile docuit. Cum vero Franciscus Sfortia Dux Mediolani Senatum instituisset, inter alios in eum Franciscum Sfondratum cooptavit. [1] Interea ultro, citroque missus effecit, ut Christierna Regis Daniæ, seu Cimbricæ Chersonensi filia, & ex Caroli V. Cæsaris sorore nata illi Duci nuberet. Eo vero defuncto, Carolus Imperator, ad quem Mediolani imperium erat devolutum, Franciscum Senatorem confirmavit, Vallasinique Baronem, & orientalis ripæ Larii Lacus comitem creavit. Demum tumultuante Repub. Senensi, ejus urbis moderatorem fecit. [2] Is ea ingenii dexteritate illius populi motus, discordiis sedatis, compescuit, ut *Senensis civitatis pater* fuerit appellatus, & civis creatus. Annam Antonii Vicecomitis, & *Magdalenæ Trivultiæ* filiam uxorem duxit, ex qua NICOLAUM, postea Gregorium XIV. Pont Max. & Paulum Cardinalis tituli Sanctæ Ceciliæ, & Francisci Ducis patrem suscepit. Mortua vero conjuge, Romam a Paulo III. Pont. Max. vocatus, & in Germaniam Legatus missus non multo post Cardinali dignitate est honestatus, mox Cremonæ Episcopus declaratus, ubi cum an. Sal. MDL. prima sacra celebrasset, non multo post decessit anno ætatis LVI. Humatus est in Ecclesia Cathedrali cum sequenti epitafio a piis filiis posito.

Franciscus Sfondratus hic quiescit Baptistæ illius F. qui, & Senator, & Consiliarius Ludovico Sfortiæ valde carus fuit, ob multas nobiles legationes, quas missu ipsius obivit ad omnes, & Reges, & Illustres Reipub. &

[1] *Boss. de Principe numero* 208. [2] *Boss. de Principe n.* 208.

ob

ob admirabilem intelligentiam Juris a Carolo Allobrogum Duce Senator creatus est. Posteaque a Francisco II. Insubrum Duce in ordinem Senatorum Mediolani adscriptus, in ea dignitate a Carolo V. Imp. cum in ipsius ditionem civitas rediisset, retentus fuit, auctusque consiliarii gradu. Mortua vero uxore Anna Vicecomite lectissima fœmina, ab eodem summa cum potestate Senas missus est, ut eam Rempub. discordiis vexatam, consilio suo regeret. A quibus ob egregia ipsius merita, civitate donatus est, & pater patriæ appellatus. Postea Romam a Paulo III. Pont. Max. evocatus in Germaniam paulopost missus fuit, ab eodemque in amplissimum Cardinalium numerum cooptatus ad Carolum Imp. magnis de rebus legatus est, ornatus demum a sapientissimo, acerrimique judicii se ne omnibus honoribus, quibus summi antistitis persona decorari potest, mortem obiit anno MDL. Cremonæ Patriæ Episcopus, Nicolaus, & Paulus eximia pietate præditi filii hoc monumentum posuerunt. Vixit annos LVI. Menses IX. Dies VII.

CAP. CLXVI.

CCLIII. JO. ANTONIUS RUBEUS Alexandrinus.

CCLIII. FRancisco Curtio successit in matutina lectione JO. ANTONIUS RUBEUS *Alexandrinus.* Is primo Ticini, deinde Valentiæ, [1] mox Taurini professus Ducis Sabaudiæ Senator Palatinus, & Equestri dignitate est declaratus. Demum Francisco Curtio defuncto, Patavium vocatus, primam cathedram cum mille aureorum stipendio obtinuit, & *M. Mantuam* Antagonistam habuit.

Vir magnæ fuit memoriæ, sed minus perspicuæ doctrinæ, & plus justo arrogans, intemperantius cum collega agere consueverat. Ambitiosas etiam contentiones cum Mariano Socino ibi vespere docente exercuit, quicum de loco contendebat, & ut sugillandi hominis occasionem nancisceretur, relictis suæ lectionis articulis, in arguendis illius opinionibus tempus conterebat. Cum vero immiti podagra laboraret, sæpius a legendo vacabat. Demum longa, difficilique ægritudine contracta obiit Anno MDXLIV. XVI. Kal. Aprilis, Margarita uxore, & liberis superstitibus, & in D. Joannis in Viridario templo cum hac inscriptione sepultus.

Jo. Antonio Rubeo Alexandrino Patricio Supremi Senatus Sabaudiæ Senatori Equiti, Comitique Cæsareo optimo viro, & Jurisconsulto, & in

[1] *Jo. Anto. Rubo. in l. 8. §. 6. sub n. 212. ff. de oper. nov. nunc.*

profitendo Jure Ticini primum, deinde Valentiæ, tum Taurini, postremo Patavii primum locum summa cum gloria consecuto, Margarita uxor, & mœstissimi filii posuere. Vixit an. LV. Mens. III. Dies XVI. Obiit anno MDXLIV. XVI. Kal. Aprilis.

CAP. CLXVII.

CCLIV. ÆMILIUS FERRETTUS: illustres ejus functiones: ingenium humanum & liberale.

CCLIV. FERRETTORUM familia nobilis, ac pervetusta Ravenna originem trahit, ut auctor est *Jo. Petrus Myletensis Episcopus*. Inde orti Marci Jurisconsulti progenitores, qui Castrum Francum celebre Hetruriæ oppidum se contulere. Anno MCCCCLXXXIX. die XIV. Novembris eo in loco natus est DOMINICUS, postea ÆMILIUS dictus patri *Marco* primogenitus, qui primum in liberalibus artibus usque ad annum XII. accurate instructus, post eam ætatem Pisas ad discendum Jurisprudentiam est missus tempore, quo ibi *Philippus Decius* magna nominis fama docebat; *Camillum Petrucium* Senensem in Jure civili, & *Jo. Crotum* in Pontificio per triennium audivit. Inde Senense gymnasium biennio frequentavit.

Mox Romam profectus Cardinali SALVIATO *Florentino* a secretis fuit; Ibi cum in amplissimo Cardinalium, & Episcoporum cœtu Juris propositiones magna cum laude disputasset anno ætatis XIX. in Jurisconsultorum numerum est relatus, quibus auspiciis pro *Dominico* nomen *Æmilii* sibi adscivit. Tum profitendi munus oblatum accipiens titulum *de Rebus creditis* tanta nominis fama est interpretatus, ut Leo X. Pont. Max. eum sibi a secretis adsciverit.

Eo munere aliquot annis functus, illud sponte reliquit, & domum reversus apud suos biennium transegit; Sed in rixa occiso patre Marco, natale solum reliquit, & Tridinum Montisferrati in Liguria oppidum se contulit, ubi annos quatuor moratus, uxore ex splendida familia ducta, sex filios & filiam suscepit. Ejus regionis Marchio, qui partem Gallorum exercitus cum Lautreco ducebat, in ea expeditione Romam ac Neapolim secum Æmilium duxit, sed rebus infeliciter succedentibus, cæsisque Gallorum copiis, dum domum Æmilius remeat prope Mediolanum ab Hispanis capitur, quibus sexcentis aureis solutis opera Caroli fratris est dimissus.

Exinde in Galliam profectus Valentiæ Jus civile docuit. Cumque ejus nominis fama ad Franciscum Gallorum Regem pervenisset,

ab

ab eo accitus inter centum Viros Senatus Parisiensis adscribitur anno MDXXXVI. Mox ab eo ad Venetiarum Ducem, deinde ad Florentinos Legatus missus munus demandatum magna diligentia peregit. Quare a Marchione Montisferrati, permittente Francisco Rege, ad Carolum V. in Hispaniam est destinatus. Cæsarem in Africam cum exercitu euntem est secutus. Mox in Galliam reversus a Francisco Rege rursus ad Florentinos tum a Cæsare obsessos Legatus missus annum apud eos consumpsit.

Tandem subactis Florentinis, Gallias repetiit. Unde aulam in Hicenum conventum est secutus, eo enim Paulus III. Pont. Carolus V. & Franciscus Rex convenerant; illis comitiis solutis, Æmilius cum Senatu Parisiensi se abdicasset, Lugdunum concessit. Interea a Duce Florentiæ accersitus, civis Florentinus declaratur, sed ipse in Galliam reversus DL. aureorum salario Avenionem ad Jus civile docendum vocatus nondum exacto triennio DCCC. aureorum, ac demum M. honorarium in ea urbe primus obtinuit.

Vir facundissimus, ac mirifice in pauperes liberalis fuit. Suggestum perelegantem magno artificio, ac sumptu suo ære extrui curavit, cum hac inscriptione. *Peritum orno, imperitum dedecoro.* Falso quoque rumore allato, *Jacobum Navarium* legum professorem Avenionem Roma redeuntem, quo Legatus profectus fuerat, a Barbaris captum statim centum aureos ad ipsum redimendum cognatis obtulit. Extra urbis mænia frequenter deambulabat, raro cœnabat, aut parcissime id faciebat. A cibo si confabulationes deerant, lyram pulsabat. Multus in cogitando, se plus meditatione quam lectione profitere dictitabat. Statura mediocri, pulchro, & bene compacto corpore, gradum incedendo accelerabat. Vestitus modestus, domum splendide ornatam, atque instructam habuit.

A Venetis Patavium invitatus est, ut *Hieronymo Cagnolo* substituerent, & sæpe a Valentinis, & Valentiæ doceret; Delphinatus etiam Senator est designatus. Plura in Jus civile scripsit, & *librum de Signo, & Ratione inscriptum*, in quo multas leges interpretatus est, & alterum *Bartoli Everriculum* nuncupatum, in quo ejus errores congerit; *Notas in Institutiones*, *Opinionum volumen*, *Responsa*, nec *paucas Epistolas* edidit. Opus etiam de *Armorum ratione* lingua Hetrusca composuit.

Uxore ac liberis amissis, *Marcum Nicolai* Fratris filium hæredem scripsit; ardenti febre correptus pie decessit. Avenioni xv. Julii, anno

no MDLII. hora, qua ex ædibus ad docendum solebat egredi, annum agens LXIII. magna pompa elatus, sepultus est in æde D. Dominici in sacello D. Sebastiano dicato. Unice tam a civibus, quam auditoribus dilectus ingens sui desiderium reliquit, quod *Simonis Cravetæ* exemplum ostendit, qui Æmilii Cathedræ subrogatus, cum in prima oratione eum perstrinxisset, ab omnibus explosus, & urbe ejectus, coactus est discedere.

CAP. CLXVIII.

CCLV. MARCUS MANTUA BONAVIDIUS, scientia juris, promptitudo in respondendo, legationes, quas obiit, humanitas & ab invidia alienus animus.

CCLV. EX PETRO BONAVIDIO peritissimo Medico, ac summæ probitatis viro, qui, Mantua Patavium sede translata, *Mantuæ* cognomentum tulit, natus est MARCUS anno Salutis MCCCCXCI. VII. Kal. Decemb. Is ex humanioribus studiis, in quibus non mediocriter excelluit, ad civilis, Pontificiique Juris disciplinam se contulit. Inter alios Præceptoribus usus *Jasone*, *Carolo Ruino*, & *Hieronymo Butigella Papiensi* clarissimo Jurisconsf. qui postea Romæ decessit, laurea honestatus, cum in minoribus lectionibus rerum copiam, dicendi facundiam, ac insignem memoriam, qua præcipue claruit, ostendisset, Senatus Veneti judicio Jus Pontificium per decennium explicuit. Deinde ad Juris civilis lectiones matutinas interpretandas translatus *Achilli Senensi* Salernum conducto suffectus est; Ac demum, quod nulli Jurisconsulto Patavino antea contigerat, DCCC. florenorum stipendium obtinuit; Collegas habuit FRANCISCUM CURTIUM *Juniorem*, JO. ANTONIUM RUBEUM *Alexandrinum*, HIERONYMUM CAGNOLUM, & novissime TIBERIUM DECIANUM *Utinensem*.

Non tantum docendo, sed etiam in capitalibus Judiciis reos defendendo magnam famam adeptus est. In extemporanea latine loquendi facultate promptus, sæpenumero bis eodem die in coronandis Doctoribus feliciter oravit; Tantumque sibi auctoritatis comparavit, ut nemo sine eo auctore legum tyrocinium deponeret. A civibus Princeps legationis factus pro Patria, Francisco Donato Venetarum Principi creato luculenta oratione est gratulatus. Nec semel ab amplissimo Senatu de rebus arduis consultus prudenter respondit. Antiquitatibus vero mirifice delectatus, Statuarum, ac præcipue Numis-

mismatum magnis sumptibus non mediocrem copiam comparavit, quibus bibliothecam splendide exornavit. His addidit veras multorum juris interpretum effigies, quas ex diversis locis conquisivit.

Scripsit in utroque Jure XL. volumina, multa rerum varietate, & copia refertissima commentaria, scilicet *Collectanea*, *Dialogos*, *Scholia*, *Centurias*, *Apophthegmata*, *Problemata*, *Æquilibrium*, *Enchiridia*, *Epitomata*, & id genus plurima, quæ singula longum esset enumerare. *Poetica* etiam delectatus nonnullas lucubrationes in *Franciscum Petrarcham*, suppresso auctoris nomine, edidit. Moribus præclarus, insigni etiam humanitate præditus fuit, ac in judicando de aliis benignissimus, & ab omni penitus invidia alienus, & quos æmulos habuit, semper excepit comiter, officiis juvit, atque omni gratia est prosecutus. Bonæ fuit valetudinis, viridisque senectutis, si quidem ultra LXXXI. annum firmis viribus, & prospera corporis sanitate vixit; Ac bis tantum doloribus arthriticis per multos dies afflictus raro alias morbo laboravit.

Diu superstes neminem in collegio Doctorum Patavinorum per multos annos vidit, quos illud ingrediens invenit, quod & L. Piso pater Pisonis illius, qui a Valerio Festo persummum facinus in Africa occisus est, dicere consueverat; Neminem se videre in Senatu, quem Consul ipse sententiam rogasset, tam angustis terminis humana vita concluditur. [1] Uxorem habuit, quam sine prole amisit. JO. ANDREÆ fratris minoris Medici morte in extrema senectute maxime contristatus est, illi totius rei familiaris curam reliquerat, quam postea PETRUS Jurisconf. ex eo nepos suscepit. Vivens præter splendidas ædes, amænosque hortos magnificum mausoleum in proximo templo Eremitanorum sibi fecit, cum hoc Epitaphio.

M. Man. Bon. Patavinus Jurisconf. Jo. Petri F. ex præsentibus futura prospitiens præter cætera Mon. hoc S. V. F. C. Mense Majo MDXLVI. Ipse postea decessit anno MDLXXXII. M. Martio an. ætatis XCIII.

CAP. CLXIX.

CCLVI. ANDREAS ALCIATUS Mediolanensis, studium elegantiarum litterarum apud JCtos promovit: variæ ejus professiones: modus brevissimis respondendi. CCLVII. FRANCISCUS ALCIATUS.

CCLVI. OMnes, qui ante se Jus civile interpretati sunt, dicendi ornatu ANDREAS ALCIATUS *Mediolanensis* longe supe-

[1] *Plini. juni. lib. 3. epistol. ad Caninium Rufum. Epist. 7.*

ravit,

ravit, qui candida Latini sermonis eloquentia, ac græcis insuper literis imbutus primus nostros Jurisconsultos latine loqui docuit, quos ante *se blaterasse*, *non locutos* fuisse dicebat. In omni denique disciplinarum genere ita versatus est, ut absolutam Jurium eruditionem eum obtinuisse mirum videatur.

Ex JOANNE pecunioso negotiatore Mediolani fere nullo parentis dolore natus, & educatus fuit. Ticinum studiorum causa missus *Jasonem* præcipue audivit, & Bononiæ *Carolum Ruinum;* Demum anno MDXVII. vix. XXII. ætatis annum egressus, Civilis, Pontificiique Juris professoriis Insignibus primum ornatus, novo apud nostros scribendi genere, *paradoxa*, *& dispunctiones* in publicum emisit, quæ Barbaris frustra insectantibus, aut ineptis literatoribus mordentibus, maximam ei in prima juventute laudem compararunt.

Primum itaque *Ticini professus*, postea Avenioni docuit. Deinde An. MDXXVIII. *Bituriges*, quo magna studiosorum multitudo ad ejus famam confluxit, amplo MCC. aureorum stipendio a Rege Francisco est conductus, ubi celebri disputatione peracta, *de Verborum significatione* ante omnia titulum explicuit. Semel a Delfino, qui est primogeniti Regis titulus, auditus CCCC. aureorum numismate, quod illi ejus urbis cives obtulerant, pro insigni munere donatus est. Liberalis Princeps Pompejum Magnum imitatus est, qui Rhodi, & Athenis singulis artium liberalium professoribus talentum donavit.

Cæterum non multis annis Andreas in Gallis esse potuit; Siquidem a Francisco Maria Mediolani Duce pœna publicationis bonorum vocatus, domum reverti coactus est, ubi Senatoria dignitate honestatus, aliquot annis eodem stipendio *Ticini* docuit, donec ob ingruens bellum intermisso Papiæ gymnasio, *Bononiam* in abeuntis *Parisii* locum vocatus anno MDXXXII. mille ducentorum aureorum honorario per quadriennium ibi docuit. Exinde eodem stipendio *Ticinum* revocatus, celeberrimam eam Academiam fecit, qua rursus post biennium propter resurgentia bella intermissa, ab Hercule II. *Ferrariam* cum MCCCL. aureorum salario conductus, illud gymnasium antea destitutum frequentissimum reddidit. Tanta enim erat ejus nominis celebritas, ut quocunque illum plurimi Auditores sequerentur.

Interea contigit Paulum III. Pont. Ecclesiæ urbes invisentem eo proficisci, ubi Alciatum comiter exceptum, & ab omnibus Præsulibus non sine magna admiratione spectatum, ad Ecclesiasticos honores,

res, & tum, & alias sæpius invitavit. Sed cum temere profitendi munus deferendum non esse arbitraretur, solo *Protonotariatus* honore contentus ab aliis abstinuit. Cæterum post quadriennium, quam Ferrariam venit, restituta Ticinensi Academia, eo reverti compulsus, Mediolani iterum Senatoriam, & Palatinam dignitatem a Cæsare obtinuit. A Philippo quoque Hispaniarum Rege, cum Papiam venisset, aureo torque donatus fuisse dicitur.

Avarior habitus est, & cibi avidior. Veteres Jurisconsultos imitatus Responsa reddebat brevissima, quæ duobus tantum aut tribus Juribus nitebantur. In opulenta causa cum CCC. aureos recepisset, pluresque *Mariano Socino* numeratos fuisse audivisset, *Meliorem*, inquit, *habuerunt negotiatorem*, *non Jurisconsultum*. Raro in publico Auditorum argumenta audivit, aut ea paucis verbis diluit. Et cum semel de simili, alii quam prælegens solverat, quæstione interrogaretur, unico verbo respondit, idem, & discessit.

Æstivi caloris impatiens, a prandio raro gravioribus studiis incumbere consueverat, sed vel aleæ lusu, vel poetæ, aut alicujus historiographi lectione detinebatur. Matrem diu habuit superstitem, qua defuncta, collegium studiosorum Ticini instituere voluit: Sed a petulantibus juvenibus injuria affectus, mutata voluntate,

CCLVII. FRANCISCUM ALCIATUM, quanquam longa cognatione remotum, sed magnæ spei juvenem, quem apud se aluerat, & sustentaverat, nominis, ac professionis hæredem reliquit, qui in ejus defuncti cathedra succedens brevi celebris factus est. Postea literis Borromei Cardinalis, quem discipulum habuerat, Romam vocatus a Pio IV. Episcopus, & Datarius, ac demum Cardinalis est declaratus.

Obiit Romæ, sepultus est in Ecclesia S. Mariæ de Angelis ad Thermas Diocletianas cum hoc Epitaphio.

D. O. M. S.

Et memoriæ Francisci Alciati Mediolanensis tit. S. Mariæ in Porticu S. R. E. Presbyteri Cardinalis virtute, humanitate, officio, J. V. scientia, ac cæteris omnibus disciplinis florentissimi Carthusiensis familiæ protectoris. Vixit ann. LVIII. M. II. D. XVIII. *Obiit anno Sal. MDLXXX.* XIII. *Kal. Maji.*

Paulo inferius
Virtute vixit. Memoria vivit.
Gloria vivet.

Andreas vero plurimis in utrumque Jus interpretationibus, quæ notissimæ sunt, editis, ex cibo, quem largiorem sumere consueverat, morbum contraxit, & cum LVIII. ætatis annum non excederet, obiit An. MDL. Prid. [1] Id. Januarii, & in D. Epiphanii templo cum hoc Epitaphio sepultus fuit.

Andreæ Alciato Mediolan. Jurisc. Com. Proto. Apo. Cæsque Senatori qui omnium doctrinarum orbem absolvit, primus legum studia antiquo restituit decori. Vixit annos LVIII. Menses VIII. Dies IV. Obiit pridie Idus Januarii MDL.

Vir fuit corpulentus, proceræ staturæ, patentibus, & prominentibus oculis, latis, & crassioribus labiis, ac fusci coloris.

CAP. CLXX.

CCLVIII. HIERONYMUS CAGNOLUS. CCLIX. TIBERIUS DECIANUS.

CCLVIII. Diem functo Patavii *Jo. Antonio Rubeo* Alexandrino anno MDXLIV. ejus loco in matutina lectione HIERONYMUS CAGNOLUS *Vercellensis* successit. Is cum Taurini diu docuisset, Sabaudiæ Ducis Senator creatus, & Equestri dignitate exornatus fuit. Demum Patavium conductus *M. Mantuam Bonavidium* concurrentem habuit. Cum minus expeditam pronuntiationem haberet, primis annis non admodum pleno auditorio docuit. Postea vero clarior factus magna frequentia profiteri cœpit, donec mille & ipse aureorum stipendium meruit.

Vir fuit multæ lectionis, & potius laboriosus, quam subtilis, sed qui a solida, veraque doctrina non discessit; In *regulas Juris, & matutinas lectiones* satis erudita commentaria edidit. Cum instantibus Bacchanalibus ab Auditoribus exploderetur, quasi futura præsagiens monuit, ut audirent, quod se modico adhuc tempore essent visuri. Nec dicto eventus defuit; Si quidem intra paucos dies febre correptus stranguriam pati cœpit, ac demum Kal. Februarii ante diluculum anno MDLI. cum nondum sexagesimum ætatis annum attigisset, non sine magno Academiæ luctu obiit, liberis post se relictis. In D. Francisci templo cum vera effigie, & hoc Epitaphio conditus fuit.

Hieronymo Cagnolo Vercellensi Viro opt. & in Juris civilis scientia inter nostræ ætatis eminentissimo, ac propterea Taurini primum, deinde

[1] *Soci. juni. cons. 32. sub n. 3. lib. 4.*

Pata-

Patavii majore stipendio, quam quisque alius, Jus civile magna cum laude, atque omnium admiratione professo, nobili genere, Illustrissimi Ducis Sabaudiæ munere Senatorio, & Equestri dignitate perfuncto, Fil. erga talem Patrem pietate hoc monumentum Pos. Vixit an. LIX. Obiit Kal. Februar. MDLI.

CCLIX. Huic TIBERIUS DECIANUS *Utinensis* successit, qui ex Jurisconsulto natus primum in Patria, deinde Venetiis Advocati officio functus, mox Vicentiæ, & Patavii Bernardo Navagerio Prætori, qui postea Cardinalis fuit, assedit. Inde ad Criminalium lectionem CC. florenis conductus, nondum eo munere expleto, Francisco Venerio, qui deinde Dux fuit, assedit. Demum Cagnoli loco suffectus magna auditorum frequentia, peramploque stipendio Patavii docuit, ibique sepultus est cum hoc Epitaphio.

Tiberio Deciano Patritio Utinensi comiti Equitique Clarissimo Juris prudentum consultiss. Oratori eloquentiss. Litium in prætoriis provintiis dijudicandarum disceptatori æquissimo, & in Patavino Gymnasio se mota æqualitate supremam cum sempiterna gloria dignitatem consecuto, cum a Ser. Reip. Ven. ut sibi in rebus de Jure tractandis oblato supra ordinario Interpretis loco ampliss. præmiis ad urbem accerseretur, cum summo omnium mœrore anno ætatis suæ septuagesimo tertio sanctissime mortuo. Nicolaus Jur. C. Joannes Franc. & Roncadinus Patri pientissimo Monumentum hoc fac. cur. obiit 7. Idus Feb. MDLXXXI.

Hic Cineres Magni Deciani, sufficit illud,
Disces audito nomine, quantus erat.

CAP. CLXXI.

CCLX. ALBERTUS PANCIROLUS Regiensis; unde *Albertus* dictus? amor erga patriam, veritatis studium.

CCLX. GUIDO JOANNES PANCIROLUS ex Antonio natus vir integerrimus, & negotiis, quæ exercere curabat, Regii clarus, *Melchiorem* D. Jacobi, & Philippi Rectorem, & *Philippum*, qui D. Augustini Heremitanorum Observantium religionem professus est, & *Simonem*, ac *Joannem* fratres habuit. Ex *Ludovica* vero *Lancea* uxore novem filias suscepit, quæ cum maxime angeretur, quod marem parere non posset, D. Alberto vovit, si filium sustulisset. Itaque an. MCCCCXCII. nato a tutelari Divo ALBERTO nomen imposuit. Alium postea peperit, quem avum paternum renovans Antonium Mariam

 appel-

appellavit, qui Observantium Minoritarum religionem ingressus FRANCISCUS est vocatus.

ALBERTUS vero decennis patrem amisit, unde pupillus in sororibus nuptui locandis maxime laboravit, cum magnam patrimonii partem iis tradere cogeretur. In humanioribus eruditus XVII. ætatis anno primum Ticini *Jasonem*, deinde Bononiæ *Carolum Ruinum* sex annis audivit, quo tempore sæpissime differendo, & cum præceptoribus congrediendo clarus evasit. Demum veniente deponendi tyrocinii tempore, Ferrariæ an ætatis XXV. a *Jo. Maria Riminaldo* lauream accepit; In Patriam magna nominis fama reversus primo, quo venit, die, in magnis causis patronus vocatus clientum expectationem non fefellit; In diesque celebrior factus in foro Clarissimus evasit.

Cum vero festis diebus in Chartophylacio publica Jura frequenter evolveret, in iis nullus eo doctior evasit. Acerrimus patriæ propugnator, ejus gratia, potentium inimicitias non recusavit. Cum Civitas militum hybernis gravaretur, ad Prosperum Columnam Mediolanum Legatus missus, ac sæpissime ad Principes Atteftinos Ferrariam, nullum pro Civitate laborem, aut incommodum unquam renuit, eamque toto vitæ tempore constantissime defendit. In veri peritia tanti in urbe habitus est, ut cum res pro certa affirmare vellent, ejus *Albertum Pancirolum* auctorem facerent.

Post annum quam domum reversus est, *Catherinam Lolliam* XIV. annorum puellam uxorem duxit, ex qua *Antonium Mariam*, & *Guidum Pancirolum*, qui postea Patavii Jus civile professus est, sustulit, sed ea, crassante peste, anno MDXXVIII. defuncta, post sex annos Dorotheam Parisettam secundam uxorem habuit, ex qua *Jo. Baptistam* Jurisconsultum suscepit, qui Tergesti, & Corrigii jus dixit, sed ea quoque post sex annos defuncta, postea in viduitate vixit.

In educandis liberis solicitus, in Christiana disciplina eos retinere maxime studuit. Vir fuit tenacissimæ memoriæ, & in respondendo tam promptus, ut ex tempore de certo jure non sine omnium admiratione passim responderet. Quare confluentibus ad eum Clientibus, ejus domus urbis Oraculum habebatur. Vita integerrimus, etiam nonnullis hoc tentantibus, corrumpi nunquam potuit.

Lingua velox, moribus humanus, colloquio jucundus, & valde hilaris, cæterum iracundus fuit, sed qui iram non teneret. Vestium habitu mediocris, domi tamen semper splendide vixit. In Urbe contigui

tigui

tiguis ædibus emptis, magnifice fabricavit. Alia quoque rurî commoda ædificia extruxit, cibi, potusque parcissimus, brevis somni fuit; Bona valetudine usque ad senectutem vitam degens, cum septuagenarius factus est, difficili catarrho laborare cœpit, a quo assidue exagitatus eo tandem morbo LXXIII. agens annum decessit, primum lenta febricula correptus, ubi decubuit, ultimam sibi diem venisse dixit.

CAP. CLXXII.

CCLXI. JOANNES SICHARDUS, ejus in edendis veteris jurisprudentiæ fragmentis diligentia.

CCLXI. JOANNES SICHARDUS *Georgii*, & *Christinæ* filius natus est in Bischeffsheimii ad Tuberum flumen Franciæ Orientalis Oppido. Pater ex opifice Pandochæus factus meritoriam artem exercuit. Joannes primum in Erfordiensi Academia, deinde in Ingolstadiensi in humanioribus eruditus, alios docere cœpit. Inde *Monachium* Bavariæ Metropolim a magistratu ad instituendos ejus Civitatis liberos honesto stipendio accitus, ludo litterario aliquandiu præfuit. Mox anno MDXXII. *Friburgum* migrans, nobiles, & ingenuos adolescentes instituit; interea *Evam* Florentii Hesseri mercatoris filiam adamavit, & inscio patre, uxorem duxit, qui cognita Sichardi eruditione nuptias comprobavit.

Biennio Friburgi exacto, Basileam accersitus publico stipendio per quinquennium ibi Rhetoricam, latinosque auctores explicuit; ibi ope diplomatis *Ferdinandi* Ducis Austriaci ex universis Germaniæ Bibliothecis plures libros restituit, *& Codicem Theodosianum*, *Caji Institutionum libros duos*, *Julii Pauli receptarum sententiarum quinque* evulgavit, nec pauca præmia a Principibus vivis retulit, quibus ea opera inscripsit, sed Codicis Theodosiani octo tantum libros ab Aldarico Rege contractos, mutilatos, ac mendosos cum edidisset, aliis octo additis, *Joannes Tilius* locupletavit.

His actis Sichardus Friburgum rediit, *ubi* JOANNIS MANLII Jurisconf. qui a consiliis Maximiliano fuerat, Bibliotheca empta, sub *Uldarico Zasio*, & *Sebastiano Derero* una cum Joanne *Fichardo* convictore Juri operam dedit, & uterque a *Derero* Codicis interprete anno MDXXXI. juris Lauream accepit; Sichardus biennio post huic studio incumbere cœpit, *Fichardus* anno ætatis XIX. qui statim in patriam profectus est.

Cum vero Uldaricus Wirtenbergensium Dux in antiquam di-

tionem, unde ejectus fuerat, restitutus Tubingensem Academiam restitueret, *Simonem Grineum* Basilea ad humaniores litteras explicandas, & *Sichardum* ad Codicem interpretandum anno MDXXXV. conduxit, in eoque munere usque ad vitæ extremum permansit, & a Norimbergensibus pro advocato, & a Carolo V. pro assessore accersitus. Præter Interpretis officium & Uldarico Duci, & Christophoro ejus filio, proprio salario constituto, a Consiliis fuit. Dictare solitus remissius, tardius pronuntiabat. Ejus *in Codicem prælectiones* extant.

Corripiebatur crebro nunc vesicæ, nunc Lienis morbo, donec in morbum exitialem incidit, anno itaque MDLII. VIII. Kal. Septemb. condito testamento, cum prole careret, uxorem in ampla hæreditate instituit, quæ postea Lorboro ...... nupsit. Filiis sororum prius defunctorum quædam legavit, & patriæ, ac Tubingensi Reip. duo aureorum millia in pios usus convertenda. Decessit IX. Septemb. magna funeris pompa elatus in D. Georgii templo est humatus; *Matthias Garbitus* Græcarum litterarum tunc temporis Tubingæ publicus professor funebri oratione laudavit. Lapidi Sepulchri hoc distichon est insculptum.

Conditor hic juris vertex utriusque Sichardus
O quantum claudit parvula terra virum.

CAP. CLXXIII.

CCLXII. RAINALDUS PETRUCIUS, FRIDERICUS & JOHANNES PETRUCII, Intronatorum Academiæ origo. CCLXIII. LUDOVICUS BORGHESIUS. CCLXIV. HIERONYMUS MALVOLTUS.

CCLXII. NEmo RAINALDO PETRUCIO Senensi gratiosior cathedram ascendisse creditus est, qui procera statura eminens grato, & pulchro ore non minorem majestatem, quam singularem eruditionem ostendebat. Is FRIDERICUM, & JOANNEM majores, alterum in Pontificio, alterum in Jure civili clarissimos viros nactus, eorum vestigia sequi voluit. Ac primo in Patria professus, demum Pisis in prælegendo primum locum tenuit, ubi celebris INTRONATORUM Academia originem sumpsit. Quatuor enim ex suis civibus optimæ indolis Juvenes, *Arsiccium*, *Sodum*, *Masconertem*, *&* *Flavum* in Jure discipulos alebat, qui legum studiis minus dediti, politioribus literis impensius incumbebant, ac *Francisci Petrarchæ* carmina inter se familiariter interpretabantur, Arsiccio præsertim impellen-

pellente, qui etsi corpore deformis prope monstrum referret, præclarum tamen ingenium male habitans habebat. Præceptor reprehensos cum parum audientes invenisset, illos se Intronatos fingere dictitabat, quo nomine surdiores a Senensibus vocantur. Id ipsi in jocum vertentes se invicem Intronatos appellare cœperunt. Senas postea reversi, aliis acutioris ingenii viris sibi aggregatis, celebrem ejus nominis Academiam instituerunt. Cæterum Rainaldus a Paulo III. Pont. Max. Romæ *Consistorii Auditor* creatus non multo post occubuit. Nihil post se scriptum reliquit, sed ob nominis claritatem prætermittendus non fuit.

Iisdem diebus (CCLXIII.) LUDOVICUS BORGHESIUS, & (CCLXIV.) HIERONYMUS MALVOLTUS utrique Senenses floruerunt. Ille cum primum in Patria locum tenuisset, demum Maceratam conductus obiit an. MDXLI. Hic vero cum & ipse diu Maceratæ docuisset, Pisas vocatus primam matutinæ lectionis sedem obtinuit, sæpiusque a Cosmo Florentiæ Duce ad diversos Principes Legatus missus quadragenarius Pisis occubuit, & in Patriam relatus in templo majore vera ejus effigie sepulchro imposita conditus fuit.

CAP. CLXXIV.

CCLXV. VIGLIUS ZUICHEMUS Frisius, edidit Theophili Institutiones.

CCLXV. VIGLIUS ZUICHEMUS Frisius cum magnam ingenii indolem præseferret, *Bernardi Buchonis* patrui, qui Decanus Hagensis fuit, pecunia maxime adjutus liberalibus studiis incubuit; In Galliasque & Italiam missus eximios viros *Andream Alciatum*, & *Patavii Franciscum Curtium* juniorem audivit. Interea vero amisso patruo, cujus opibus sustentabatur, Jus civile deseruisset, nisi a *Gerardo Mulerto* Caroli V. Imperatoris consiliario ad cœptam provinciam retinendam persuasus, &, ut aliqui volunt, proprio ære sublevatus fuisset.

Anno itaque MDXXXII. Patavii in professorum ordinem relatus tanta ingenii felicitate, & facundia Justiniani Institutiones explicuit, ut ante se alios longe superaverit. Si quidem candidissima eloquentia, exactoque judicio singula exponens nihil ultra desiderandum reliquit. Præter luculentissimam hanc interpretationem etiam Institutiones a Theophilo græce conscriptas magno studiosorum commodo in lucem emisit, quas ille, dum Constantinopoli Jus nostrum profiteretur, non paucis latius explicatis, in græcum idioma verterat,

terat, ut Græcis latina legentibus Romanorum mores, & consuetudo penitus innotescerent, prout *Angelus Politianus* opinatur.[1] Præter illos enim, qui in Aula Augusta versabantur, cæteri græco, eodemque vulgari sermone utentes latinæ linguæ minus docti inveniebantur.

Eum librum Bessarion Cardinalis Hicenus cum reliqua plurimorum voluminum supellectile secum in Italiam attulerat, & cum moriens nobilem bibliothecam triginta millibus aureorum comparatam Venetis commisisset, has Institutiones apud D. Marcum diu conservatas Petri Bembi opera Viglius habuit, & ignotas omnibus communicavit. Alias etiam *Leonis* novellas Constitutiones, & partem Basilici, quo totum jus cum novellis Leo Imperator LX. libris complexus est, editurus erat, nisi in Patriam propere revocatus aliis negotiis implicitus fuisset.

Mox Ingolstadi docuit, ubi cum tenue stipendium non augeretur, profitendi munus reliquit. Inde a Carolo v. Cæsare in Brabantia Bruxellis senator, ac demum Senatus præses est declaratus, ibi anno Salutis MDLXXVI Civitate ab hæreticis occupata in carcerem conjectus, postea, urbe recepta, est liberatus,[2] deinde Canonicus, Præpositusque Ecclesiæ Gandavensis, atque Cancellarius, demum aurei velleris Eques creatus, postremoque Bataviæ, ac Geldriæ Præfectus reliquo vitæ tempore dicendo juri operam dedit, in quo munere tantas opes cumulavit, ut octuaginta millium aureorum censum excessisse feratur.

Lovanii, ubi jam an. MCCCCXXVI. celebris omnium artium Academia erat instituta, nobile studiosorum Collegium condidit, & aliud prius Adrianus P. M. extruxerat.

CAP. CLXXV.

CCLXVI. JO. BAPTISTA PLOTUS Novariensis.

CCLXVI. PLOTA familia *Novariæ* vetustissima, & insignis fuit, nam JOANNES PLOTUS *Ecclesiæ Novariensis Archidiaconus* anno Salutis MCCCLXXXVII. pro Urbano VI. Pont. Max. adversus Robertum Antipapam Clementem VII. nuncupatum egregiam operam præstitit. Ipse vero Jo. Baptista matrem *Claram Catiam* fœminam Illustrem habuit. Uxorem vero *Angelam Torniellam* duxit JO. ALOVISII Vergani Domini filiam, ex qua tres filios suscepit *Franciscum Mariam,*

[1] *in Miscellaneis.* [2] *Cæsar Campanus an. 1576. lib. 7. vol. 1.*

Jose-

Josephum, & *Jo. Alouisium*. Ipse nobile commentarium *in L. si quando 9. C. unde vi.* an. Salut. MDLII. cœptum, quadriennio perfecit, quod magni operis instar excrevit. Hæc ipse in fine ejus commentarii.

CAP. CLXXVI.

CCLXVII. HIERONYMUS TORNIELLUS: JOH. BAPTISTA TORNIELLUS.

CCLXVII. Hieronymus ex nobilissima gente TORNIELLA *Novaria* oriundus Ticini primo Philosophiæ, Theologiæque mox Juri operam dedit tempore, quo sævum inter Gallos, & Hispanos apud Insubres bellum ardebat. Demum Jurisconsultorum lauream adeptus in eo Gymnasio *Institutiones* cœpit interpretari; Sed militari tumultu tota ea regione æstuante, inde coactus discedere anno Salutis MDXXIV. & suæ ætatis XXIV. Augustam Taurinorum se contulit, ubi plurimas propositiones ad numerum duorum millium non modo contra Jurisperitos, sed philosophos, & Theologos magno cum honore strenue propugnavit. Quare *Hieronymo Cagnolo* ibi tum mane Jus civile docenti adjunctus est Antagonista.

Interea, pace inita, cum Franciscus Maria Sfortius imperium Mediolani recepisset, anno MDXXXI. Ticinensis Academia est restituta. Tum Hieronymus Torniellus ad Jus civile vespere interpretandum cum FRANCISCO VEGGIO eo est conductus, sed precibus Caroli Sabaudiæ Ducis Taurinum revocatus, & Senatoria dignitate honestatus, Antonio Rubeo Alexandrino in vespertinas lectiones explicandas successit. Cæterum Francisco Sfortia Duce defuncto, cum recrudescente bello rursus ad arma ventum esset, docendi munus deserere compulsus Carolum Sabaudiæ Ducem sedibus suis expulsum Vercellas est secutus, ubi Senator per biennium Jus dixit.

Demum Patavium conductus vespere MATTHÆUM GRIBALDUM, mox GUIDUM PANCIROLUM concurrentes habuit; Ibi cum annis XX. docuisset, Ticinum revocatus cum mille aureorum stipendio, quod etiam ab amplissima Venetorum Rep. obtinuerat, per aliquot annos ibi docuit, donec septuagenarius factus occubuit. Vir fuit eminentis staturæ, facie liberali, ac præclaris, candidissimisque moribus præditus. Cœlibem vitam coluit, JO. BAPTISTAM ex fratre filium reliquit, qui aliquot annis Jura interpretatus cœptum munus deseruit.

CAP. CLXXVII.

CCLXVIII. UGO BONCOMPAGNUS Bononiensis; diversa ejus munera usque ad Pontificatum: fundat *Collegium Germanorum*, aliaque collegia & scholas, emendatio Decreti Gratiani, autor Lib. VII. Decretalium, emendatio Calendarii.

CCLXVIII. BONCOMPAGNÆ vetustissimæ Bononiensium familiæ caput BONCOMPAGNUS genti nomen dedisse videtur. Ex eo plures honestissimi viri inter alios PETRUS nepos Jurisconsultus proavus Christophori descendit. Ex hoc Ugo an. Salutis MDII. ante horam noctis secundam VII. Idus Januarii natus est, qui & a *Hieronymo Encarario* in humanioribus studiis eruditus, in Jure civili *Ludovicum Gozadinum*, & *Carolum Ruinum* Regiensem audivit. Quare anno MDXXX. XVII. Kal. Octob. Juris utriusque Lauream adeptus in Collegium Doctorum cooptatus est, quod paucis, & difficulter conceditur. Triennio *Institutiones* Justiniani, postea mane lectiones ordinarias professus est. Interea bis inter XII. primores patriæ Decuriones, quos Antianos vocant, electus, & semel Tribunorum plebis assessor, etiam inter mercatores Jus dixit.

Ita novennio exacto, mense Octobri, fatis ad altiora vocantibus, Romam profectus, statim Senatori Urbis in Capitolio Collateralis assedit. Mox officium, quod vocant *Abbreviatoris de Parco* majori, adeptus, *utriusque signaturæ Referendarius* declaratus id munus diu tenuit. Celebrabatur tum Tridenti Synodus Catholica, ad quam missus Ugo ingenii dexteritate, & consilio in multis res Ecclesiæ juvit. Itaque Romam reversus pro JO BAPTISTA CICALA Genuensi tum Cameræ Auditore, qui postea S. Clementis Cardinalis fuit, causas civiles accurate audivit, cum criminalibus HIERONYMUS FEDERICUS postea Marturanæ Episcopus præesset. Ejusdem etiam vices Legati tenuit in Latio, quod Romæ Campaniam nuncupant. Cum vero CICALA ad Cardinalem dignitatem promotus esset, vacante Auditoris officio, illud Ugo titulo *Regentis* integerrime exercuit, & cum magna integritatis fama indies cresceret, Secretarius Apostolicus factus, etiam Signaturam gratiæ, quam *concessum* appellant, obtinuit. Deinde anno MDLVIII. Vestæ, quod Apuliæ Danniæ ad Garganum montem oppidum est, Episcopus renuntiatus, non multo post prima sacra celebravit.

Mox ad Concilium Tridentinum, quod esset Antistes, accitus, apud Patres doctrina, & moribus claruit; Peracta Synodo Romam rever-

reversus assistendi in sacello, quod Capellam vocant, Summo Pontifici tamdiu munus habuit, donec anno MDLXV. IV. Idus Martias, qui dies D. Gregorio dicatus est, a Pio IV. Cardinali dignitate sub S. Sisti titulo est honestatus. Mox ad Philippum Regem Hispaniarum *Legatus a latere* missus susceptam provinciam ex voto confecit. Inde egressus *Signaturam* (ut vulgo dicunt) *Brevium Apostolicorum* quæ Cardinalibus tantum defertur, pro munere incredibili justitia, & dicendi libertate usque ad Pontificatum exercuit, sæpe enim Pio V. aliqua extra ordinem statuenti acriter restitit.

An. vero MDLXXII. Pio V. defuncto postridie quam conclave ingressus est, III. Idus Maji post horam XXII. omnium consensu *Summus Pontifex* est declaratus, & Gregorius XIII. dictus, quod die D. Gregorio dicato Cardinalis esset creatus, suum purpureum Galerum cum titulo ipso S. Sixti Philippo Fratris filio dedit. Plurium judicio, & ipsius etiam Pii V. eo honore dignus habitus, si quidem proxima sede vacante cum de novo Pontifice eligendo tractaretur, eum cæteris prætulit. Ecclesiæ ergo regimen adeptus publica, privataque negotia diligenter tractavit, singulorum enim causas, paucis interpositis diebus, studiosissime, ac magna animi tranquillitate audivit. Nusquam audacius loquentibus irasci, aut alicui minari est auditus, timidos blandius appellando confirmabat, rudes sæpe interrogando intelligebat, & omnibus mitis apparebat, de sontibus parce supplicium sumi permittebat, in pauperes mirifice liberalis, magnam in sublevandis inopibus pecuniam insumpsit, in se autem, & familiam parcus.

Anno Jubilei MDLXXV. Portam Sanctam pro more aperuit, quo Principes, ac Prælatos per litteras Romam invitavit, ac, ut quoscunque facilius alliceret, in universa Ecclesiæ ditione hospitibus victus, & equorum meritoriorum pretium taxavit, atque in Æde Trinitatis eos, qui peregrinationis fidem fecissent, per triduum aluit, qui eam probare non poterant, satis erat, si Sacerdotis confitentis Romæ Symbolum ostendissent, quo homo peregrinus indicabatur.

Cum vero totam fere Germaniam ad impietatem prolapsam cerneret, saluberrimum ad extirpandos hæreticos remedium, antea quidem inventum, sed prope destitutum renovavit, atque adeo omni studio ampliavit. COLLEGIUM enim GERMANORUM nuncupatum instituit, in quo Germanos pueros aluit, atque in linguis, omnibusque disciplinis, doctissimis viris ex Societate Jesu eo conductis, erudiri curavit, quorum numerus usque ad mille quandoque fuisse fer-

tur, amplasque in eos educandos Ecclesiæ opes contulit. Aliud etiam Græcorum Collegium eo modo erexit. In *Gratxi* quoque Stiriæ oppido Gymnasium erexit, in quo XV. adolescentes erudiri præcepit, ac singulis quinquagenos annuos aureos numeravit. Aliud eodem modo *Pragæ*, quæ metropolis est Boemiæ, introduxit, & *Viennæ Austriæ* Civitate XXX. juvenes simili liberalitate aluit, & quinquaginta *Olmutii*, quæ Moraviæ, seu Marcomanorum est metropolis, in quos centenos menstruos aureos est elargitus. Academiam præterea *Romæ*, accersitis professoribus memoratæ Societatis Jesu, instauravit, & magnificentius ædificavit.

Gratiani etiam Decretum multis scatens mendis expurgavit, ac vagas Pontificum constitutiones in unum collegit, ac *septimum librum* aliis Canonibus adjecit, Gregorianum nuncupatum. Annum deinde a C. Julio Cæsare correctum, & nunquam amplius mutatum emendavit, qui aliquot diebus præterlapsus erat, & ut Pascha secundum Nicenæ Synodi normam celebraretur, ad tempora ab ea definita retraxit, ac decem diebus Octobri ademptis, jussit quintam ejus diem pro XV. nominari; id fuit anno MDLXXXII. itaque Sole die vigesima prima Martii Arietis signum tunc ingrediente, Pascha post ejus lunæ plenilunium celebratur, id antea *Andronicus Palæologus* Imperator facere cogitavit, sed pluribus bellis impeditus, & quia alios Principes novo anno non assensuros dubitavit, a negotio destitit.[1]

Hæc anni emendatio divinitus est comprobata; quoddam enim Nucis genus reperitur, quod tota hyeme usque ad noctem D. Joannis Baptistæ foliis, ac fructibus velut arida caret, mane vero ejus diei, more aliarum, foliis, fructibusque induta reperitur. Hæ post ejus anni correctionem decem diebus priusquam antea consueverat, idest eadem nocte D. Joannis, quæ retrocessit, & non ut antea, virescere cœpit. Exules sub eo impune per Ecclesiæ agros sunt crassati, quos cum milite conscripto coercere cœpisset, catarrho extinctus est die X. Aprilis Anno Salutis MDLXXXV. ætatis vero LXXXIV. cum an. XIII. minus mense sedisset.

CAP. CLXXVIII.

CCLXIX. FABIUS ACORUMBONUS Eugubinus.

CCLXIX. EX HIERONYMO ACORUMBONO *Eugubino* eximio Medico natus est FABIUS an. Salutis MDII. qui in

[1] *Niceph. Gregor. lib. 8. cap. De Paschatis correctione.*

prima

prima juventute in Jurium ſtudiis verſatus non ſecus ac generoſa planta, quæ cito fructus parere dicitur, XXI. ætatis anno legum rudimenta depoſuit, ac poſt biennium quam Juriſconſultus creatus eſt, Patavii celebri auditorio Juſtiniani Inſtitutiones duobus annis profeſſus eſt. Mox Romæ ædibus incendio combuſtis, ut res ex igne ſuperſtites colligeret, eo profectus Juris Pontificii lectionem nullo concurrente, vel eo nullius nominis exiſtente, obtinuit. Inde nondum exacto quadriennio, Patavium revocatus primum *Franciſco Curtio*, *ac Marco Mantua Bonavidio*, mox *Jo. Antonio Rubeo* concurrens datus eſt. Poſtremo cum *Mariano Socino* magna Auditorum frequentia veſpertinarum lectionum orbem implevit.

Demum a Paulo III. qui tum Clementi VII. ſucceſſerat, Romam vocatus, primum Conſiſtorialis Advocatus creatus eſt. Mox nondum biennio expleto, Romæ Auditor fuit; exinde Paulus IV. utriusque ſignaturæ Referendarium creavit, & in ſummis Chriſtianæ Reipublicæ reformandis negotiis in primis ejus opera veluti viri integerrimi uſus eſt. Demum in brevi deſcriptum Cardinalem deſignavit; Sed cum Caroli V. Cæſaris, cum quo diſſentiebat, amicum cognoviſſet, non creavit; XVIII. annis Rotæ Auditor vixit, cujus an. X. Decanus fuit. Romæ deceſſit an. Salutis MDLIX. & ætatis LVIII. ac in D. Auguſtini æde ſepultus eſt.

CAP. CLXXIX.

CCLXX. PETRUS CALEFACTUS. FRANCISCUS VEGRIUS Papienſis.

CCLXX. A *Scorindianis* nobilibus Piſanis PETRUS CALEFACTUS deſcendere creditur, qui captis Piſis a Florentinis cum cæteris omnibus patriciis patriam deſeruere, ac Plombinum migravere, ac poſtea domino loci familiares facti, eorum Quæſtores fuere, inter quos PETRUS, & NICOLAUS *Calefacti* connumerantur.

Ex Nicolao anno MDIII. Idus Junii Petrus natus eſt Plombini, qui grandior natu factus, primus Senis ſub *Simone Borgheſio*, deinde Piſis ſub *Philippo Decio*, & *Hermanocio Deto*, ac *Bartholomæo Socino* Juri operam dedit. Demum a Decio Juriſconſulti laurea donatus Lucæ, & Senis Judicis officio functus eſt. Mox a Jacobo V. Plombini domino ad Carolum V. Legatus miſſus, ab eo cum Aquilæ Inſignibus Equitis, & Comitis dignitate eſt honeſtatus.

Interea defuncto Jacobo tutor filio impuberi datus per biennium apud Cæsarem permanere coactus est. Inde domum reversus Pisis interpretandi Juris civilis munus obtinuit, ac JO. FRANCISCO VEGRIO Papiensi adjunctus post ejus mortem illi successit.* *Marietam Tignosam* uxorem duxit, ex qua tres mares Equites Pii IV. & Jurisconsultos, ac duas fœminas suscepit. In *matutinas Juris civilis lectiones* scripsit, diversa *Responsa* & *librum de Nobilitate* edidit.

C A P. CLXXX.

CCLXXI. AYMO CRAVETTA *Savilianensis*; tenuitas corporis; Præceptores, matrimonium, scripta. De LUDOVICO CATO, CAMILLO PLAUTIO. JOH. FRANCISCUS CRAVETTA.

CCLXXI. AYMO CRAVETTA *Savilianensis*, quod nobile, & opulentum est Subalpinorum oppidum, Joannem patrem eximium Jurisconsultum Genolliæ Dominum, Joanninam vero ex Bencia gente matrem habuit, quæ omnino statuerat, eum a litterarum studiis omnibus abstinere, quod adolescens ea esset gracilitate, & infirmitate corporis, quæ labores illos haud ferre posset sine evidenti discrimine. Verum ut filio morem gereret, rem contulit cum *Aymone* confessario ex Dominicana familia viro, quem postea ob vitæ sanctitatem Beatum appellarunt. Is matri quasi divinans dixisse fertur. *Permitte, ut filius tuus jurisprudentiæ, ut optat, operam navet, fore nimirum, ut vir insignis evaderet, & Doctor celeberrimus.* Atque ita Jurium disciplinæ sub *Jo. Antonio Rubeo*, & *Jo. Francisco Curtio* Præceptoribus tanta ingenii felicitate incubuit, ut ante legitimum tempus cum sexaginta florenorum honorario Taurini publice docuerit. Deinde anno ætatis XXIII. legum tyrocinio deposito, Cunei, ubi etiam pater eodem officio functus fuerat, Jus dixit. [1] Mox ad forum Taurinense conversus inter causarum patronos primas tenuit.

Cæterum XXXIII. ingressus annum, *Franca* JO. FRANCISCI PURPURATI eximii Jurisconf. & Senatus Præsidis filia uxore ducta, cum bellum in Subalpinis inter Franciscum Gallorum Regem, & Carolum Quintum Cæsarem arderet, in arce Domini Cardeti ultra biennium sine libris delituit. Mox circa an. MDXXXVIII. mense Aprilis cum dimidio in Gallias Gratianopolim se recepit, ubi per septennium plura, quæ antea ediderat, *Responsa* concinnavit, ac Lugdunum im-

1 *Crave. consf. 186. sub n. 5.*

primen-

primenda detulit. In reditu, dum Avenione transit, ibi detentus in *Æmilii Ferreti* paulo ante defuncti cathedra successit, cujus opiniones dum impugnat, Auditores, quibus ille mirifice gratus extiterat, mirum in modum offendit.

Quare inde discedere coactus, Ferrariam se contulit, ubi a consiliis Herculis Ducis factus, etiam primum vespere docendi locum tenuit. Verum LUDOVICO CATO mane ibi docenti infensus, & peste etiam crassante, post biennium in patriam rediit. Inde Ticinum cum mille aureorum stipendio conductus CAMILLUM PLAUTIUM ἀντίπαλον... habuit. Ibi quinquennio exacto ab Emanuele Philiberto Allobrogum Duce, qui paterno imperio restitutus novam in Montis Regalis civitate Academiam instituebat, eo revocatur. Aliquandiu de eo Papiæ retinendo est disceptatum, tandem publicationis bonorum pœnam veritus discessit.

Post annos octo a Bononiensibus ille mille trecentorum aureorum honorarium oblatum recusavit. Nec multo post anno ætatis LXV. defunctus Taurini, ubi profitebatur, magna funeris pompa in D. Dominici templum elatus fuit. Aliquo intervallo post Cadaver translatum est Savilianum, ac sepultum in Ecclesia S. Dominici in Sacello, quod Gentilitium est Cravetarum, S. Jo. Baptistæ sacro. Sobrie vivens semel tantum die cibum capiebat, tuncque uno contentus poculo non tam vini, quam aquæ exiguo vino superfusæ. Etsi studiis semper intentus raro tamen ægrotavit, longa statura, atque hilari facie fuit: Plures post se liberos reliquit, inter quos est JO. FRANCISCUS Jurisconf. qui ingenii acumine patrem se doctrina superaturum promittit. Ei positum est infrascriptum Epitaphium.

D. O. M.

Aymoni Cravettæ Joh. F. Genolliæ. C. D. Savilianensi Jurisconsulto.

Qui primum Taurini Jura interpretatus, Tum Ferrariæ, ubi & Senator, Hinc Avenioni, Mox Gratianopoli, Inde Ticini, Tandem ad Montem Regalem, Taurinos denique feliciter reversus M. CC. COR. Aureorum honorario. Bononiam etiam, & Patavium longe ampliori accersitus, Cisalpinas, Transalpinasque gentes in sui summam admirationem excitavit. Toto Orbe notus ita ut dixisse sat erat.

Cravetta est.

Vixit

Vixit annos LXV. integros, ipse integerrimus obiit Anno MDLXIX. VI. Id. Octob.

Francisca Purpurata Uxor.

Jo. Franciscus. J. V. Conf. Alexius, & Jo. Baptista Cravettæ filii Mœstiss. Poss.

CAP. CLXXXI.

CCLXXII. JULIUS CLARUS, Alexandrinus.

CCLXXII. JULIUS CLARUS *Alexandrinus* proavum, NICOLAUM GAMBARUTUM avum, ALOUISIUM patrem, & CAMILLUM fratrem eximios Jurisconsultos habuit. [1] Pater Mediolani Senator, proavus apud Siculos Consiliarius amplissimos dignitatum gradus est consecutus. Ipse anno MDL. in Ticinensi Academia annum agens XXV. Doctoris insulas suscepit quintusque mensis nondum elapsus erat cum a Rege Mediolani Senator est declaratus quo tempore *receptarum sententiarum* librum componere cæperat, quem intra quinquennium absolvit.

Aymonem Cravettam compatrem habuit, ut ipse scribit. [2] Deinde ex Senatore Præses Quæstorum extraordinariorum præfectus annonæ, & Curator a quarum publicarum a Philippo Hispaniarum Rege est creatus, ut ipse in Epistola ad practicam criminalem narrat. Mox Regentis titulo in Hispaniam vocatus causas Mediolani tractavit. Cum vero Genuensis Resp. ob veterum, novarumque familiarum discordias in magno discrimine versaretur, Clarus ad componendas dissensiones a Philippo Hispaniarum Rege est missus, sed ipse in itinere Cæsareæ Augustæ morbo correptus decessit. [3]

CAP. CLXXXII.

CCLXXIII. HIERONYMUS ALBANUS Bergomensis.

CCLXXIII. HIERONYMUS ALBANUS *Bergomensis* nostra ætate insignis variam expertus est fortunam. Hic genere nobilis cum Doctor creatus in patriam remeasset, ac ducta uxore liberos procreasset, *Michaelem Ghislerium* ex familia Dominicorum, qui post-

1 *Julius Clarus. sententiarum lib. 3. in §. Donatio. quæst. 10. & 24.* 2 *sententiarum lib. 2. in §. feudum. quæst. 8. vers. & hac quidem. Vide quæ scripsit ante librum sententiarum in Epistola ad Consalvum Ferdinandum a Corduba, & ad lectorem.* 3 *Cæsar Campanus lib. Histor. mundi 6. vol. 1.*

ea

ea Pius V. fuit, cum tanquam Inquisitor Bergami præsulem examinaturus venisset, ab illius fautorum injuria protexit, mox magno nobilium Venetorum studio *Quæstor generalis*, quem *Collateralem* vocant, creatus, in magna apud Venetam Rempub. dignatione vivebat. Ecce autem subito cuncta in luctum sunt versa.

Nam Dominicus ejus filius, & ejus frater nobilem ex Bambertis, dum in templo sacris interest, trucidarunt; uxor viri interitum deplorans, & parricidii atrocitatem exaggerans, vindictamque lacrymis exposcens, rem ad excelsos Decem viros detulit, qui, absentibus per contumaciam homicidis, Hieronymum patrem cum Jo. Baptista filio in Illyricum per decennium relegarunt, & patrem legitima filiis debita privarunt. Cum vero Pius v. ad Pontificatum evectus esset, decenniumque exilii transactum esset, ille accepti beneficii memor Hieronymum primo Piceni Præsidem creat, mox ad Cardinalem dignitatem promovet, in qua senex decessit. In *Bartolum* quædam, & *de Conciliis* scripsit, aliquaque *Responsa* edidit. Sepultus est Romæ in Ecclesia S. Mariæ de Populo cum hoc Epitaphio.

D. O. M.

Hieronymo Albano Bergomati Cardinali Jurisconsulto, generis nobilitate, morum elegantia, vitæ splendore, monimentis ingenii, doctrinæque clarissimo, Reip. Venetæ collaterali generali, matrimonio, ac cœlibatu, asperis, ac secundis rebus æque probato, catholicæ religionis egregio dictis, factisque adsertori, ac vindici; Ob eas res a Pio V. summo Pontifice difficillimis populi Christiani temporibus in collegium Cardinalium adscito in sententiis dicendis facundia, gravitate, sapientia singulari, Extrema jam ætate pios inter amplexus carorum, & oscula sensim extincto, Jo. Dominicus Cæs. Comes parenti optime merito P. C. Vixit annos LXXXIII. obiit VII. Kal. Majas MDXCI.

CAP. CLXXXIII.

CCLXXIV. JACOBUS MANDELLUS *Patritius Albensis.*

CCLXXIV. JACOBUS MANDELLUS *Patritius Albensis* ex Monteferrato nobili genere natus patrem habuit Georgium eximium Medicum, & matrem Bartholomæam. In animo habuit artem paternam profiteri; Itaque per triennium Dialecticæ, ac Philosophiæ vacavit; Verum mutato proposito ad Jus se contulit, in quo feliciter imbutus in *Substitutionum* tractatu magna cum laude publice disputavit.

Vixit annos LXV. integros, ipse integerrimus obiit Anno MDLXIX. VI. Id. Octob.

Francisca Purpurata Uxor.

Jo. Franciscus. J. V. Cons. Alexius, & Jo. Baptista Cravettæ filii Mœstiss. Poss.

CAP. CLXXXI.

CCLXXII. JULIUS CLARUS, Alexandrinus.

CCLXXII. JULIUS CLARUS *Alexandrinus* proavum, NICOLAUM GAMBARUTUM avum, ALOUISIUM patrem, & CAMILLUM fratrem eximios Jurisconsultos habuit. [1] Pater Mediolani Senator, proavus apud Siculos Consiliarius amplissimos dignitatum gradus est consecutus. Ipse anno MDL. in Ticinensi Academia annum agens XXV. Doctoris infulas suscepit quintusque mensis nondum elapsus erat cum a Rege Mediolani Senator est declaratus quo tempore *receptarum sententiarum* librum componere cæperat, quem intra quinquennium absolvit.

Aymonem Cravettam compatrem habuit, ut ipse scribit. [2] Deinde ex Senatore Præses Quæstorum extraordinariorum præfectus annonæ, & Curator a quarum publicarum a Philippo Hispaniarum Rege est creatus, ut ipse in Epistola ad practicam criminalem narrat. Mox Regentis titulo in Hispaniam vocatus causas Mediolani tractavit. Cum vero Genuensis Resp. ob veterum, novarumque familiarum discordias in magno discrimine versaretur, Clarus ad componendas dissensiones a Philippo Hispaniarum Rege est missus, sed ipse in itinere Cæsareæ Augustæ morbo correptus decessit. [3]

CAP. CLXXXII.

CCLXXIII. HIERONYMUS ALBANUS Bergomensis.

CCLXXIII. HIERONYMUS ALBANUS *Bergomensis* nostra ætate insignis variam expertus est fortunam. Hic genere nobilis cum Doctor creatus in patriam remeasset, ac ducta uxore liberos procreasset, *Michaelem Ghislerium* ex familia Dominicorum, qui post-

[1] *Julius Clarus. sententiarum lib. 3. in §. Donatio. quæst. 10. & 24.* [2] *sententiarum lib. 2. in §. feudum. quæst. 8. vers. & hac quidem. Vide quæ scripsit ante librum sententiarum in Epistola ad Consalvum Ferdinandum a Corduba, & ad lectorem.* [3] *Cæsar Campanus lib. Histor. mundi 6. vol. 1.*

ea Pius V. fuit, cum tanquam Inquisitor Bergami præsulem examinaturus venisset, ab illius fautorum injuria protexit, mox magno nobilium Venetorum studio *Quæstor generalis*, quem *Collateralem* vocant, creatus, in magna apud Venetam Rempub. dignatione vivebat. Ecce autem subito cuncta in luctum sunt versa.

Nam Dominicus ejus filius, & ejus frater nobilem ex Bambertis, dum in templo sacris interest, trucidarunt; uxor viri interitum deplorans, & parricidii atrocitatem exaggerans, vindictamque lacrymis exposcens, rem ad excelsos Decem viros detulit, qui, absentibus per contumaciam homicidis, Hieronymum patrem cum Jo. Baptista filio in Illyricum per decennium relegarunt, & patrem legitima filiis debita privarunt. Cum vero Pius v. ad Pontificatum evectus esset, decenniumque exilii transactum esset, ille accepti beneficii memor Hieronymum primo Piceni Præsidem creat, mox ad Cardinalem dignitatem promovet, in qua senex decessit. In *Bartolum* quædam, & *de Conciliis* scripsit, aliquaque *Responsa* edidit. Sepultus est Romæ in Ecclesia S. Mariæ de Populo cum hoc Epitaphio.

D. O. M.

Hieronymo Albano Bergomati Cardinali Jurisconsulto, generis nobilitate, morum elegantia, vitæ splendore, monimentis ingenii, doctrinæque clarissimo, Reip. Venetæ collaterali generali, matrimonio, ac cælibatu, asperis, ac secundis rebus æque probato, catholicæ religionis egregio dictis, factisque adsertori, ac vindici; Ob eas res a Pio V. summo Pontifice difficillimis populi Christiani temporibus in collegium Cardinalium adscito in sententiis dicendis facundia, gravitate, sapientia singulari, Extrema jam ætate pios inter amplexus carorum, & oscula sensim extincto, Jo. Dominicus Cæs. Comes parenti optime merito P. C. Vixit annos LXXXIII. obiit VII. Kal. Majas MDXCI.

CAP. CLXXXIII.

CCLXXIV. JACOBUS MANDELLUS *Patritius Albensis.*

CCLXXIV. JACOBUS MANDELLUS *Patritius Albensis* ex Monteferrato nobili genere natus patrem habuit Georgium eximium Medicum, & matrem Bartholomæam. In animo habuit artem paternam profiteri; Itaque per triennium Dialecticæ, ac Philosophiæ vacavit; Verum mutato proposito ad Jus se contulit, in quo feliciter imbutus in *Substitutionum* tractatu magna cum laude publice disputavit.

Inde anno ætatis vicesimo primo togam assecutus Ticini primo Institutiones est interpretatus, mox Jus Pontificium, deinde Jus civile ex ordine magna nominis fama docuit. Placentiæ etiam, & Pisis aliquandiu professus, demum Ticinum est reversus, ubi jam annum quadragesimum quintum agens nobilem puellam annorum quindecim ex *Lotonorum* familia Papiensem in uxorem duxit, quæ illi mortis causa ob nimios complexus fuisse dicitur, vix enim duobus mensibus elapsis post contractum matrimonium decessit anno MDLV. Marco Antonio majore ex sorore nepote Jurisconsulto hærede ex parte relicto, Bibliothecam vero bene instructam *Petrino Bergamo* Jurisconsulto alterius sororis filio reliquit.

Statura fuit mediocri, gracilis, ac debilis, victu tenuissimus, domi splendidus, vestibus ornatus; ab Hercule Duce Ferrariæ stipendio aureorum mille accitus, ut ibi profiteretur, morte præventus eo proficisci non potuit. Humatus est in D. Thomæ templo in sacello D. Catherinæ juxta majorem aram ad dextram prope Christophorum Castellioneum cum hoc Epitaphio.

Jacobus Mandellus Albensis Juris interpres celeberrimus Papiæ, Placentiæ, & Pisis supremos honores consecutus, cum deinde Patavium, Ferrariam, rursusque Pisas magnis premiis vocaretur, vita functus Ticinensem hanc, cæterasque lugentes reliquit Academias. Vixit ann. XLV. obiit xxx. Octob. MDLV.

Infra legitur.

Clara diem rutilo præcurrens lumine cæcis
Aurora hic mortis mergitur in tenebris.
Mandelli egregium redolens viventis honorem
Sic sequitur manes fama relicta pios.
Hanc oriens ferret æquo, occasusque ordine legem
Aurora æternum, ut luceat Alba diem.

CAP. CLXXXIV.

CCLXXV. JOANNES FICHARDUS *Francofurtensis.*

CCLXXV. NAtus est JOANNES FICHARDUS *Francofurtensis* anno MDXII. & in politioribus eruditus Friburgum a parentibus missus sub diversis præceptoribus, & præcipue *Uldarico Zasio* Juri operam dedit; ibi inter alios *Joanni Sichardo* per biennium legum

legum condiscipulo convictor fuit, cumque is ad deponendum tyrocinium properaret, autor Fichardo fuit, ut secum id faceret; Uterque igitur a *Sebastiano Derero* Codicis interpreti Fichardus annum agens XIX. Sichardus XXXII. an. MDXXXI. lauream accepit; Ille domum reversus post annum, *Simone Gryneo* autore, Spiram, ubi summum omnium causarum Imperii Romani est tribunal, Cameram Imperialem appellant, se contulit, advocatique ac procuratoris officio per sesquiannum functus est. Mox in patriam ejus advocatus, & Syndicus est factus, inde ad aulam, seu Comitatum Caroli V. Cæsaris, qui tum Astæ in Liguribus morabatur, adversus Franciscum Gallorum Regem apud Massiliam bellum gerens, ibi trimestri exacto, Italiam lustravit, ac Patavii per annum residens *Marianum Socinum*, *Jo. Antonium Rubeum*, ac *Marcum Mantuam* audivit, rursusque in patriam duplicato stipendio ad pristinum officium obeundum rediit.

CAP. CLXXXV.

CCLXXVI. JOANNES CORASIUS *Tolosanus*.

CCLXXVI. JOANNES CORASIUS *Tolosas* admodum adolescens Juri operam dare cœpit, ac brevi eruditior factus, adhuc juvenis, nondum tyrocinio deposito, in Patria de superiore loco profitendi provinciam aggressus est. In quo munere cum omnibus gratus extitisset, relicta Tolosa, ad Andes celebre gymnasium se contulit, ubi per annum magna audientium frequentia docuit. Idem *Aurelis*, & *Lutetiæ Parisiorum* in civilibus Institutionibus, & Jure Pontificio explicando fecit. Deinde Patavium profectus per triennium *Franciscum Curtium* juniorem, &, eo defuncto, *Jo. Antonium Rubeum*, ac *Marianum Socinum* audivit. Peractis studiis, an. MDXXXV. & ætatis XXI. centum quæstiones publice disputandas proposuit.

Demum in Gallias reversus magna nominis claritate Tolosæ, ac Valentiæ Allobrogum docuit, donec ab Hercule II. Attestino vocatus, Ferrariæ aliquot annis vespere professus est. Postea in Patriam reversus, præclaris operibus in Senatum allectus est. Fertur cum pro more examinaretur obmutuisse, vel pauca & ea confuse protulisse. Sed cum nota jam esset ejus eruditio, receptus est. Tandem in pravam religionem lapsus, interfecto Parisiis *Ammirante*, cum multis ejusdem sectæ trucidatus est an. MDLXXII. mense Septembris.

CAP. CLXXXVI.

CCLXXVII. NICOLAUS BELLONUS *Casalensis*.

CCLXXVII. NICOLAUS BELLONUS *Casalensis* patricius patrem Franciscum, & avum Jurisconsultos habuit, illum apud Ducem Sabaudiæ, hunc apud Cæsarem Maximilianum, & Marchionem Montisferrati Senatores; Bononiæ *Ruinum*, *Parisium*, ac *Marianum Socinum* juniorem audivit, demum *Andream Alciatum*, [1] a quo Jurisconsultorum Insignibus est exornatus. Cum vero Franciscus Dux Mediolani Ticinensem Academiam instaurasset, Nicolao Institutionum juris lectionem demandavit, in qua per biennium frequentissimo Auditorio versatus, inde ad Juris civilis ordinariam interpretationem mane faciendam cum *Francisco Ripa*, aliisque Ticinensibus quinquennio concurrit.

Interea destituto propter adventum Gallorum Gymnasio Ticinensi, a Valentinis in Delphinatu & Placentinis suam academiam recuperare studentibus honorificentissimis conditionibus invitatus apud hos aliquot annis resedit. Postea magna nominis fama comparata, Dolam accersitus *Nicolai Perenoti* Consiliarii Caroli v. Cæsaris exhortationibus eo est profectus, ubi erudita Responsa, & quatuor Supputationum libros edidit. Demum eodem auctore, circiter an. Salutis MDXLVII. Mediolani Senator declaratus Jus dixit.

Franciscus ejus pater in Patria Senator, capitalem sententiam, antequam publicaretur, revelaverat. Hoc cognito, a Marchione Montisferrati eum rogavit, qua pœna dignus esset, qui sententiam nondum promulgatam palam fecit, respondit, *Capitis supplicio afficiendum. Tu ergo*, inquit Marchio, *qui te condemnasti, id patieris*, & mox decollatus fuit. [2]

CAP. CLXXXVII.

CCLXXVIII. ÆGIDIUS BOSSIUS.

CCLXXVIII. ÆGIDIUS BOSSIUS, ut puto, Francisci nepos, ad quem *Æneas Sylvius* scribit, [3] *rerum criminalium* tractatum composuit. Eum postea alter Franciscus ejus filius Jurisconsultus, quibusdam adjectis, instante *Antonio Perenoto* Granvellano Cardinali,

[1] *Boll. in oratione Dolæ habita.* [2] *Bossi. de Carcerato fidejussoribus committen. n.* 32.
[3] *Episto.* 58. *lib.* 1.

in

in lucem edidit. Ægidius Senator Mediolani fuit, Carolo v. Austriaco imperante, ac multa in eo Senatu, quem *Franciscus Sfortia* instituerat, decreta notavit, quemadmodum ipse Ægidius refert. [1]

CAP. CLXXXVIII.

CCLXXIX. ANTONIUS AUGUSTINUS; rudimenta juris & litterarum, quibus Ducibus posita: ejus scripta, dignitates & Præsulatus. De NICOLAO FACTORE ordinis Minoritarum miraculis claro; animi dotes, opera edita & non edita.

CCLXXIX. Natus est Cæsarea Augusta urbe Celtiberorum celeberrima ANTONIUS AUGUSTINUS anno Sal. MDXVII. patre ANTONIO AUGUSTINO *Vicecancellario Aragoniæ*, finitimorumque regnorum, quæ dignitas apud Reges secundas tenet. Factus adultior Complutum, quæ in Carpetanis est princeps Academia, ad discendas humaniores litteras missus mirifice profecit. Inde Salamanticam profectus prima Juris fundamenta jecit. Mox Bononiæ in collegium Hispanicum ab Egidio Albornotio Cardinali institutum receptus, a *Jo. Paulo Parisio*, & *Andrea Alciato* ei suffecto in Jure civili est eruditus. Inde Patavium migrans Marianum Socinum juniorem audivit. Interea in græcis quoque litteris sub *Romulo Amasæo*, *Lazaro Bonamico*, & *Joanne Fasolio* est institutus.

Decurso vero studiorum Juris curriculo, Florentiam cum *Joanne Metello* Sequano viro eruditissimo se contulit, ubi, Lælio Paurello, & Petro Victorio suffragantibus, *Pandectas Florentinas* diligenter inspexit, in quas eruditos quatuor Emendationum libros emisit, qui magnum Jurisprudentiæ lumen attulerunt. Demum Romam profectus, a Paulo III. Pont. Max. Rotæ auditor Ludovico Gomesio Hispano Episcopo creato est suffectus. Inde a Julio III. in Britanniam Legatus missus, ut nuptiis inter Philippum Hispaniarum Regem, & Mariam Henrici VIII. filiam, Angliæque Reginam contractis assisteret, & gratularetur. Mox Allifanus in Latio Episcopus est declaratus, & ad Ferdinandum Imperatorem Legatus Apostolicus profectus omnia ex voto confecit.

Post hæc jussu Philippi Hispaniarum Regis lustrata Sicilia, eum de illius Insulæ statu coram certiorem reddidit. Interea *Ilerdensis* Episcopus a Pio IV. creatus, cum Petro Oscæ Antistite fratre majore

[1] *De Principe & Privileg. ejus n.* 207.

ad Synodum Tridentum indictam est profectus, ubi Patres ad corrigendos corruptos mores hortatus anno post tertio Ilerdam rediit, ubi *collectionem Canonum antiquam* Anselmi Lucensis quarti juris compilatoris in lucem edidit. Cum vero ibi XIII. annis omni cum pietate, & religione sedisset, a Gregorio XIII. *Tarraconensis Archipræsul* est declaratus, quam Ecclesiam ad extremum spiritum Præsul quartus, & trigesimus sancte, pieque rexit.

Fuerat hæc urbs Hispaniæ citerioris caput, Theatro, Circo, Inscriptionibus, & aliis Romanis antiquitatibus insignis. Forte versabatur ibi eo tempore NICOLAUS FACTOR *ordinis Minoritarum* miraculis clarus, qui orans, & totus in contemplandis divinis sæpe extra omnes sensus rapiebatur; cum eum Antonius Augustinus cælestium meditationi affixum vidisset, & ab omni sensu, corporisque functionibus abstractum, ipsius effigiem in tabulam, ut tum erat, exprimi curavit, & sequens epigramma subscribi.

Dum gustas Factor Domini dulcissima verba,
Raptus es in Cœlum, perfruerisque Deo,
Inde redis lætus, cælesti, ac nectare plenus,
Atque doces cælum scandere, qua liceat.

Obiit *Antonius Augustinus* anno ætatis LXX. Sal. humanæ MDLXXXVI. Fertur Bibliothecam omni librorum, & antiquitatum genere instructam Philippo Hispaniarum Regi eam affectanti testamento reliquisse. Vir liberalis, humanus, mitisque fuit, quem nemo domesticorum XX. retro annis iratum vidit. Procera statura, egregiaque corporis habitudine, & robusta ad extremam ætatem valetudine, ac firmitate fuit; Flava item coma, ocelli perexigui, & ob assiduas lucubrationes hebetati, ut perpetuo conspicillis uteretur. Hæc opera reliquit, quibus humanitatis studia illustravit. *In M. Terentium Varonem de lingua latina Emendationum notas; Item in Sex. Pompejum familias Romanorum XXX. cum Fulvii Ursini familiis; Dialogos XI. numismatum Græcorum, Romanorum, & Hispanorum Antiquitatum, item & inscriptionum veterum Hispano sermone scriptos.* Quibus vero Jus civile illustratur, sunt *Emendationum, & Opinionum Juris civilis libri IV. & ad Modestinum, sive de Excusationibus liber singularis, & ad Lælium Taurellum J. C. de Militiis Epistola. De legibus, & Senatus consultis Romanorum. De propriis nominibus Pandectarum, Novellarum. Juliani antecessoris Epitome cum notis, & Constitutiones græcæ, eodem Augustino*

gustino interprete. Quibus Jus canonicum, sacrasque Constitutiones exornavit, sunt *antiquæ collectiones Decretalium cum notis eruditis, Canones pœnitentiales cum ejusdem notis, Dialogorum XL. de Emendatione, Gratiani libri duo, Constitutiones provinciales, & Synodales Tarraconensium, Brevarium, Horæ, item & Ordinarium Ecclesiæ Ilerdensis, Epitome Juris Pontificii veteris in tres partes. De personis, de Rebus, de Judiciis, quarum prima pars edita.*

Ejusdem libri nondum editi. *Secunda, & tertia pars Juris Pontificii veteris, & Notæ in aliquos titulos partis jam editæ. Juris Pontificii institutiones. Concilia Græca, & Latina cum historia, Scholiis, variisque lectionibus. In Pandectas Florentinas index verborum omnium. Ad Hadrianum liber singularis. Item ad edictum Fragmenta veterum Scriptorum Historicorum, Poetarum, & Oratorum latinorum ab eo olim collecta. Epistolarum liber ad eruditos, & carmina ejusdem.* Illi sequens appositum est Epitaphium.

D. O. M. S.

Ant. Augustino Domo Cæsar. Aug.
Romæ olim in Urbis, & Orbis luce.
XII. Viro, & litium judicand.

Ex Allifano, & Ilerdensi Episcop.
Tarracon. Archiepis. in pauperes munifico.
B. de Antiquit. & litteris mer.

In hoc Ædis sacræ D. Theclæ Virg. & Martir.
A se ampliatæ membro, & ad aram
In spem Resurrecti. quiescenti

S. P. Q. Tarrac. P. H. C. & Colleg. Canonic.
Pon. Cur.

Vixit ann. LXX. M. III. D. III. Obiit damno publico Prid.
Kal. Junias IↃLxxxvi.

CAP. CLXXXIX.

CCLXXX. FRANCISCUS VEGGIUS *Papiensis*, de HIERONYMO TORNIELLO, JULIO SALERNO *Ticinensi*, GUIDO PANCIROLLO, CAMILLO GALLINA, *Papiensi.*

CCLXXX.

CCLXXX. FRANCISCUS VEGGIUS *Papienſis* in patria magna nominis fama mane in primo Auditorio cum *Caimo*, veſpere autem cum *Hieronymo Tornıello*, Jus civile docuit. Cum vero Coſmus Medices Piſanam Academiam inſtauraſſet, eo cum mille aureorum ſtipendio ad idem Jus interpretandum eſt conductus. Cujus defuncti loco ſucceſſit JULIUS SALERNUS, & ipſe *Ticinenſis* in Græcis Latiniſque litteris egregie eruditus, ubi aliquot annis profeſſus Patavium vocatus GUIDUM PANCIROLUM concurrentem habuit, & intra annum morbo correptus deceſſit. His diebus claruit CAMILLUS GALLINA & ipſe *Papienſis*; qui, cum aliquot annis in patria Jus civile docuiſſet, Taurinum a Carolo Emanuele Sabaudiæ Duce conductus, Guido Pancirolo, qui inde evocatus Patavium diſceſſerat, ſucceſſit, & intra paucos annos deceſſit, cum ſævum inter Gallos, & Hiſpanos bellum eſſet exortum.

CAP. CXC.

CCLXXXI. JACOBUS CUJACIUS *Tholoſanus*; Præceptores; Profeſſiones in diverſis locis ab ipſo adminiſtratæ: diligentia; ingenium; adverſarii.

CCLXXXI. JACOBUS CUJACIUS *Tholoſanus*, cujus pater ignoratur, litteras græcas, latinaſque nullo docente per ſe didiciſſe fertur & *αυτοδίδακτος* fuiſſe. In patria *Arnoldum Ferrerium* audivit, cui poſtea commentarium de *Uſurpationibus*, & *Uſucapionibus* inſcripſit. Cum vero vacantem Tholoſæ cathedram peteret, STEPHANO FORCATULO *Beterenſi*, eo repulſo, tradita eſt. Vera eſt enim Domini ſententia, *Neminem in patria Prophetam acceptum reperiri*. Itaque indignatus Cadurcum petiit; Inde *Biturigas* a Michaele Hoſpitalio Margaritæ Henrici II. Regis Francorum ſororis Cancellario accitus, Jus civile magna nominis celebritate docuit. Non tamen ibi permanſit, ſed *Tholoſæ*, item *Duionæ Cadurcorum ad Olſam* fluvium, mox *Valentiæ Canarum* ad Rhodanum, ubi Franciſcum Roaldenſium collegam habuit, eſt profeſſus. Deinde *Auguſtam Taurinorum* a memorata Margarita Emanuelis Philiberti Sabaudiæ Ducis uxore vocatus aliquot annis Jura civilia eſt interpretatus. Demum ad Biturigenſes Cuborum ad Avaronem amnem eſt reverſus.

Ad eum vero undique ex Galliis, & Germania Auditores confluebant; a Gregorio etiam XIII. litteris Bononiam invitatus ire noluit.

luit. Ipse in docendo Jure adeo diligens fuit, ut in expoliendis lectionibus sex atque adeo septem horas, vel octo continuas se impendere diceret. Senex tamen factus eum laborem sustinere non poterat, & cum Auditores dicerent, eum alias accuratius docuisse, modo minus, inquit, *Doctoris canicies æstimanda est, quia juvenis esse non potest?* Interdum tamen omissis studiorum laboribus, animum lubens laxabat, & cum selectissimis Auditoribus suis lautius epulabatur, quibus etiam egentibus pecunias credebat. Dum genio indulgebat, ægerrime ferebat, si quis tum de Jure interrogasset. Duas uxores habuit MAGDALENAM ROSIAM *Francisci Avenionensis* Medici filiam, ex qua Jacobum filium suscepit, quem puberem amisit, & *Annam Herveam* jam senex Biturigensem, ex qua Elisabetam patri superstitem filiam procreavit.

Interea evenit, Henricum III. Galliarum Regem a quodam fratre Jacobo Clemente ex familia Dominicanorum gladio confodi, cui cum *Henricus Borbonius* Rex Navarræ succedere vellet, catholicæ partes obstabant; illi vero Cujacius studebat, ita ut creditum sit, ab eo in Civitatem Biturigum iri introducturum. Quare orto tumultu, populus ipsum opprimere voluit, sed amicorum tutela servatus est. Idem illi evenit, cum in suspicionem incidisset, ne fœminam religioni obstrictam abduceret. Adversarios habuit DUARENUM, & HOTTOMANNUM, quos tamen eruditione Jurium creditus est superasse; Cum annos XL. docuisset, Biturigibus Cuborum, ubi multos annos magna nominis celebritate docuerat, decessit v. Non. Octobris die mercurii anno a partu Virginis MDXC. publico funere elatus, omnibus invitatis ordinibus, ac collegiis comitantibus, in D. Petri templo ad Avaronis pontem sepultus est. Postridie a Claudio Mariscallo V. C. & in Senatu Parisiensi consiliario Regio laudatus est. Vir fuit quadrato corpore, statura brevi, barba longa, & in juventute nigerrima, capillitio simili, voce firma, & clara. Mortuo PAPIRIUS MASSONUS ejus discipulus hoc Epitaphium posuit, a quo hæc desumpsimus.

Auctor juris Orbis Cujaci, & docta Tholosa
Clara ortu, & Biturix redditur ipsa tuo.
Viderunt ambæ florentem in jure quiritum
Illa etiam nasci vidit, & ista mori.

Aliud Oiselii

Nostin Viator utriusque Apollinem
Juris, Themisque verticem,
A quo tot obscurata sunt candentia
Secli vetusti Sydera;
Viri unde nostri temporis spectabiles
Conantur audacter suas
Lumen daturas posteris accendere
Instar Promethei faces?
Nostin? profundo seu pararet pectore
Vibrare latiæ fulmina
Orationis seu pararet Atticæ,
Utrinque laudatissimum?
Nostin? valentem, quæstiones arduas,
Quascunque Divinus Plato,
Quascunque movit arbiter lynceus,
Ab involucris solvere?
Quid plura nostin omnium Cujacium
Scientiarum terminum
Livore tela inusta qui tot repulit,
Virtute sola, & moribus.
Ille, ille cujus nomen orbis non capit,
Parvo (heu) sub hoc tumulo jacet.
At tu viator osculare lacrymans
Et cinge marmor floribus.

CAP. CXCI.

CCLXXXII. PAULUS LEONIUS *Patavinus*. CCLXXXIII. & IV. ANTONIUS & CASPAR URSATI.

CCLXXXII. PLures insignes Jurisconsultos, & Legum Interpretes gens Leonia Patavii nobilissima protulit, inter quos nostra ætate claruit PAULUS LEONIUS, qui cum aliquot annis in patria Jus civile docuisset, Salernum accitus per aliquot annos ibi leges est interpretatus. Inde Ferrariam a Duce Hercule ad Jus docendum conductus, Justitiæ, ut vocant, Consiliarii officio est functus, mox a Consiliis Principis factus, tandem Ferrariæ Episcopatum obtinuit, in eaque dignitate senex decessit, & in aliorum prædecessorum sepulcro conditus est. In quasdam *tituli de Verborum obligationibus* leges commentaria satis erudita edidit.

CCLXXXIII.

CCLXXXIII. & IV. Iisdem fere diebus duo fratres URSATI Patavini Jus civile in patria docuerunt ANTONIUS, & CASPAR, ille mane per annos XXXIV. hic vespere annis XXIV. qui Senex decedens Marcum post se filium reliquit, qui magnæ spei juvenis obiit. Omnes apud D. Antonium in Cæmeterio sunt cum hoc elogio humati.

Antonius Ursatus divini, humanique Juris interpres,
Et Orator insignis hic jacet.
Nobilibus de Ursatis restitutum.

CAP. CXCII.

CCLXXXV. SYLVESTER ALDOBRANDINUS Florentinus; splendida *Sylvestrorum* gens.

CCLXXXV. SYLVESTER ALDOBRANDINUS *Florentinus* in politioribus litteris, atque artibus liberalibus eruditus Juri operam dedit, ornatusque Jurisconsultorum Insignibus decemviris Reipub. Florentinæ a secretis fuit. Cum vero ea Civitas Medicibus parere coacta Alexandrum Ducem accepisset, a patria discedens, amissis facultatibus, exulavit, quæ etsi illi oblatæ fuerint, si domum reverti voluisset, nunquam redire voluit. Itaque doctrina, & virtutibus, quas studiis, & laboribus sibi comparaverat, vitam sustentavit; Ducis enim Urbini, mox Cardinalis Hippolyti Atteſtini, & ut alii dicunt, Cardinalis Ravennæ Assessor eorum stipendio alebatur. Demum Advocatus Consistorialis, & fisci Romæ creatus in eo officio decessit.

Ex *Elisabeta Deta* nobili Florentina septem filios, & filiam suscepit: Inter quos *Joannes* Doctoris Lauream assecutus, & Rotæ Romæ Auditor creatus ad Cardinalis fastigium est evectus. *Petrus* alter filius, & ipse Jurisconsultus Petri Cardinalis amplissimi pater fuit; postremus filiorum Hippolytus, & ipse majorum vestigia secutus, Patavii, & Ferrariæ, ubi Jurisconsultorum infulis est decoratus, Juribus incubuit. Mox Romæ Rotæ Auditor a Sixto V. ad Cardinalatus dignitatem est promotus. Demum Summus Pontifex creatus CLEMENS VIII. dictus nunc Romanæ Ecclesiæ, summa pietate, & vitæ sanctitate, gubernacula regit. Filia vero Sylvestri in Senonum Galliæ Oppido nupta mater fuit Cynthii Cardinalis amplissimi, & a me Jurisconsultorum Laurea honestati.

SYLVESTER, præter *annotationes*, quas ad *universas Institutiones* *Justi-*

Justiniani fecit, luculentum etiam in *primum earum librum*, commentarium edidit.

Nec defuerunt tanto viro, etiam post obitum summi honores, ipsius enim, & posterorum sepulchro sacellum sanctissimo Sacramento dicatum, mira arte elaboratum, & vario marmore, & elegantibus columnis, signis atque picturis ornatum Romæ in æde *Sanctæ Mariæ* supra Minervam, primo instituit Clemens VIII. Pontifex Maximus ejus filius, secundo eadem magnificentia PETRUS CARDINALIS *Aldobrandinus* nepos perfecit, sui & in Clementem, & in Sylvestrum benemerentes grati animi monumentum, additis gentis Sepulchris cœnotaphiis, ex quibus libuit, hic adscribere unum illud Sylvestri.

HIC, QUI FILIORUM TAM ILLUSTRI
CORONA CINGITUR,
SILVESTER ALDOBRANDINUS EST
PATRITIUS FLORENTINUS
CLEMENTIS VIII. PONTIFICIS OPTIMI
MAXIMI PATER
A PRINCIPIBUS VIRIS IN ADVERSA
ETIAM FORTUNA
ARDUIS NEGOTIIS CERTATIM ADHIBITUS.
CIVIS OPTIMUS, SUMMUSQUE JURIS CONSULTUS,
QUOD EX LABORIBUS PRO PATRIA SUSCEPTIS,
ET EX INGENII MONUMENTIS AGNOSCES.
QUAM VERO FUERIT PROLIS EDUCANDÆ
GNARUS PARENS,
DIGNITATE NATORUM TESTATUR.
VIXIT ANNOS LVIII. MENSES VI. DIES XIII.
OBIIT VIII. IDUS JUNII CIƆIƆLVIII.

CAP. CXCIII.

CCLXXXVI. FRANCISCUS MANTICA. Cardinalis.

CCLXXXVI. INter omnes sui temporis Jurisconsultos FRANCISCUS MANTICA in *Portu Naonis Forojuliensi* natus enituit, qui Patavii, ubi juri operam dederat, Lauream assecutus primo *Institutiones Justiniani*, mox ordinarias juris lectiones vespere, inde mane est professus. Interea luculentum de *Conjecturis* opus elaboravit, quod illi

illi ad majores gradus aditum fecit. Nam tum Sixtus v. Pont. Max. benevolo in Venetam Remp. animo, ei locum in Romana Rota benigne hac lege concessit, ut ex quatuor Legum Doctoribus quem ipsa nominasset, unum confirmaret.

Evenit autem, ut *Hippolito Aldobrandino*, qui in Rota causas audiebat, Cardinali creato, locus vacaret, Resp. inter alios Franciscum Manticam nominavit, qui propter eruditionem, & opera etiam ipsius Hippoliti ejus locum obtinuit. Cum vero ille Summus Pontifex esset declaratus, Manticam suum in Rota successorem Cardinalem creavit, & adhuc in humanis agit. Vir singulari probitate præditus.

CAP CXCIV.

CCLXXXVII. JACOBUS MENOCHIUS, *Papiensis*; varia docendi munera in diversis locis. NICOLAUS GRATIANUS.

CCLXXXVII. MAgnam quidem eruditionem, sed non minorem fortunam sortitus est JACOBUS MENOCHIUS *Papiensis*, qui in patria aliquot annis Jus civile professus, & ad Montis Regalis Gymnasium ab Emanuele Duce Sabaudiæ loco Taurinensis tum a Gallis detenti erectum est vocatus, ubi sex annis jura docuit. Inde Patavium ad jus Pontificium aliis sex annis eo munere feliciter functus ad *jus Cæsareum* mane explicandum est traductus. Interea *Franciscus Medices* magnus Hetruriæ Dux octingentorum aureorum illi honorarium obtulit, ut Pisas ad jus explicandum proficisceretur, quod cum recusasset, idem ab amplissima Veneta Repub. salarium obtinuit. Sex vero annis completis, convenit cum Bononiensibus, ut eum mille aureorum honorario in eorum Gymnasio doceret, sed intercedentibus Patavinæ Academiæ Gymnasiarchis ab ea provincia est retractus, milleque aureorum stipendio honestatus primam mane docendi sedem obtinuit.

Verum defuncto NICOLAO GRATIANO, qui primum Ticini docendo vespere locum tenebat, a Senatu Mediolani illi est suffectus. Sed cum ob valetudinem pomeridianis horis docere non posset, ei concessum est, ut mane Jura civilia explicaret. Eo tempore amplum ei a Francisco magno Hetruriæ Duce oblatum salarium, quod aliis fidem obstrinxisset, recusavit. Non multo post accidit, ut, defuncto Mediolani Senatore, alius illi Ticinensis esset substituendus, ipse a Senatu nominatus ab Hispaniarum Rege Philippo Senator est declaratus; Mox inferioris magistratus Præside extincto, ejus loco est subroga-

rogatus. Multa edidit opera de *adipiſcenda*, *retinenda*, *& amittenda Poſſeſſione*, *de Præſumptionibus*, inter quæ luculentum de Arbitrariis eminet; plura etiam *Reſponſorum* volumina edidit, quæ omnia in foro frequentantur.

CAP. CXCV.

CCLXXXVIII. ANGELUS MATTHEACIUS.

CCLXXXVIII. ANGELUS MATTHEACIUS Maroſtica inſigni Vincentiæ vico oriundus non Juri tantum, ſed & Philoſophiæ, atque Mathematicis operam dedit; Doctorum vero Juris Inſignia adeptus apud Veneta tribunalia cauſas egit. Verum introducta *Pandectarum Juris* lectione Patavii, ipſe primus eas interpretandi munus habuit, quas magna felicitate, & auditorum frequentia diu explicuit. Tandem accito Ticinum *Jacobo Menochio*, cum primus Juris civilis docendi mane Patavii locus vacaret, eum Angelus cum CCCC. florenorum honorario obtinuit. OTTONELLO DISCALTIO illi antagoniſta exiſtente, magna famæ celebritate docuit, ac poſtea Pandectarum lectio demandata eſt M. ANTONIO OTTELIO *Utinenſi*, idque munus cum magna Auditorum frequentia, ac famæ claritate obivit. Interea Eques creatus *Angelus a Rodulpho* Cæſare jus natalibus ſpurios reſtituendi, & Doctores creandi facultatem impetravit.

CAP. CXCVI.

CCLXXXIX. XC. & XCI. OTTONELLUS, ALOUISIUS & ANTONIUS DISCALTII Patavini. CCXCII. OTTONELLUS junior DISCALTIUS.

CCLXXXIX. MUltos per longam temporum ſeriem gens Diſcaltia Patavii protulit Juriſconſultos, quorum princeps fuit OTTONELLUS, qui Jus civile in patria interpretatus magnum ſibi apud cives, exteroſque & Franciſcum Carrarium juniorem nomen comparavit, cujus nomine multis legationibus ſuſceptis magnos etiam honores eſt conſecutus. Obiit circa annum Salutis MCCCCIII. Humatus eſt in templo Eremitarum cum ſequentibus Epitaphiis, quorum primum, etſi rude, adſcripſimus.

Aurea jura tui requies poſtrema laboris
Legis amor, veri lux Ottonelle ſequutus
Cujus erit? pariter gravis tua lapis oſſa vocabit.
Conſortis & te, cui nomen Diſcaltius erit.

Aliud.

Aliud.

Sepulchrum egregii legum Doctoris Domini Ottonelli de Discaltiis de Padua judicis, ejusque consortis, & hæredum suorum constructum MCCCC III. Die XI. Septembris.

Eo tempore CAPIVACEUS *Patavinus* non incelebris professor Patavii docuit, cujus extat Responsum post consilium Baldi CCCCXIX. in tertio.

Hujus abnepos (CCXC.) ALOUISIUS abavi vestigia secutus & ipse pluribus annis in patria docuit. Mox Venetiis magna nominis celebritate apud tribunalia clientibus est patrocinatus. Verum ingravescente ætate cum amplius advocandi laboribus sufficere nequiret, (CCXCI.) ANTONIUM filium similiter insignem Jurisconsultum sibi in foro substituit, ipse in patriam reversus, amænioribus studiis deditus, etiam urbis munia obivit, demum an. MDLIII. paulo post quam Ottonellum nepotem Juris Insignibus decorasset, vita functus est.

Antonius vero ejus filius, cum patri eloquentia non inferior magna apud omnia Venetiarum tribunalia oraret, intra sex menses post patris obitum decessit. Ambo in templo Eremitanorum, ubi antiquior Ottonellus jacebat, sunt sepulti.

CCXCII. OTTONELLUS *junior* Antonii filius lauream Juris ab Alouisio avo exornatus, acri ingenio, & eloquentia præditus, primo Justiniani Institutiones publice magno Auditorum concursu est interpretatus. Mox ad criminalium lectionem translatus pari felicitate in ea se gessit, inde ad explicandas mane ordinarias Juris civilis materias traductus, in eo quoque sibi demandato munere egregie satisfecit. In perorandis causis presertim criminalibus singulari vi dicendi excellit. Plura de eo sperantur cum adhuc in viridi ætate multa possit efficere. Equestri dignitate a Rodulpho Cæsare ornatus spurios natalibus restituendi, & Doctores creandi auctoritatem obtinuit.

CAP. CXCVII.

CCXCIII. BARTHOLOMÆUS SYLVATICUS *Patavinus.*

CCXCIII. SYLVATICORUM familia Patavii vetusta nobilis a Curtio [1] juniore appellatur, in ea natus BARTHOLOMÆUS

[1] *cons. 92.*

Juri-

Juribus operam dedit, mox Doctoris infulis insignitus, cum aliquot annis docuisset Reipub. Venetæ cum CCC. ducatorum honorario Consiliarius est creatus, & cum in eo munere diu elaborasset torque aureo donatus Equestri dignitate est honestatus. Interea lectionem Juris Canonici antea sibi delatam non deseruit, imo sexcentorum florenorum stipendium, quod nullus antea in ea lectione fuerat assecutus obtinuit. Plures filios suscepit, inter quos duo Jurisconsulti extiterunt, ALOUISIUS Ecclesiæ Patavinæ Cathedralis Archidiaconus, & JO. BAPTISTA Feudorum publicus interpres. Tertius in arte Medicina Doctor est creatus. Quartum ipsorum Venetorum Ducem vivus amisit, ipse in patria, & apud Venetos Senatores magna dignitate vivit, qui, vacante Auditorum Romanæ Rotæ loco Venetis concesso, cum Respub. ex XXII. sibi nominatis Jurisconsultis quatuor pro more summo Pontifici proposuisset ipse plura omnibus aliis suffragia tulit, cum tamen jam ad senium declinaret, ac plures liberos haberet, eum locum aversatus est.

CAP. CXCVIII.

CCXCIV. DOMINICUS PINELLUS *Genuensis*, Cardinalis.

CCXCIV. EX veteri, ac nobilissima PINELLORUM familia in Urbe Genuensi natus est DOMINICUS PINELLUS anno Salutis MDXLI. X. Kal. Nov. Patrem *Paridem* habuit, matrem vero *Benedictam Georgii Spinolæ* viri clarissimi filiam. Ex hac Pinellorum familia gravissimi Senatores, atque etiam Reipub. Genuensis Duces prodiere, & Avia Innocentii VIII. qui gentem hanc multis honoribus, ac titulis illustravit. *Dominicus* annum agens XVII. Patavium profectus, cum sex annos Juri operam dedisset, per annum, & ultra ibi maxima Auditorum frequentia docuit. Romam deinde profectus, cum nondum tertium, & vigesimum annum excederet, a Pio V. utriusque *Signaturæ* Referendarius declaratus id munus ita obivit, ut cum Pontifex postea ad præscriptum paucorum numerum Signaturæ Referendarios redegisset, non modo illum inter paucos confirmaverit, sed etiam munus correctoris expeditionum litterarum (ut vocant) contradictarum ipsi dederit, ac Fabricæ S. Petri Deputatum, judicemque ordinarium fecerit, atque etiam unum ex reformatoribus Tribunalium Urbis creaverit; Demum pro *Alexandro Riario* tum Cameræ Auditore, qui postea Cardinalis factus est, civiles causas accurate audivit.

Pio

Pio v. vita functo cum Alexander Cardinalis Sfortia tum Bononiensis Provinciæ Legatus rogasset Gregorium XIII. ut sibi Dominicum Vicelegatum concederet, id negavit Pontifex, dicens Dominici opera Romanam curiam indigere. Itaque illum primo Commissarium Apostolicum factum ad definiendas inter Harnenses, & Interamnenses controversias de finibus misit, quas jam ducentis annis inter ipsos existentes, mira cum omnium admiratione ac dissidentium approbatione composuit.

Cum tanta virtutis exempla dedisset Dominicus, Felix Episcopus Firmanus, qui postea Summus Pontifex post Gregorium XIII. Sixti v. nomen sortitus est, illi Ecclesiam Firmanam cessit, & cum Dominicus Auditoris Rotæ dignitatem magis optaret, diu animo hæsit, an eam suscipere deberet, sed Gregorii XIII. precibus id onus subivit, quo in munere per septem, & eo amplius annos obeundo tam præclare se gessit, ut cum Gregorius XIII. Cameræ Apostolicæ Clericum eum fecisset, Firmana Civitas id admodum ægre ferens Legatos Romam miserit, qui Pontificem suppliciter orarent, ne talem sibi Episcopum, ac patrem adimeret, quibus respondit Pontifex, jacturam hanc patienter ferrent, se postea compensaturum, ac tandem ab eodem Pontifice Vicegerens Aloisii Cardinalis Cornelii S. R. E. Camerarii declaratus est, totiusque officii onus ipsi soli demandatum.

Cum postea Sixtus v. Gregorio XIII. suffectus esset, Dominicus assistendi in Sacello, quod Capellam vocant, summo Pontifici tamdiu munus habuit, donec Pontifex eum Nuntium in Hispanias elegit, ac primo sui Pontificatus anno, ætatis vero Dominici XLV. postquam in Romana Curia per annos duos, & viginti versatus esset, Cardinali dignitate honestatus est. Septimo vero sui Cardinalatus mense, Legatus in Flaminiam Provinciam missus illam a factiosis, & sicariis hominibus, quibus oppressa erat, ita sublevavit, sicque eam pacatam duorum mensium spatio reddidit, ut omnes nunquam se antea majorem tranquillitatem, ac pacem habuisse palam dicerent.

Composito turbulentissimo illius Provinciæ statu, Romam reversus, Classis Pontificiæ ab eodem Sixto v. Legatus est factus, *qui & VII. Decretalium opus* a Gregorio XIII. incœptum soli Dominico absolvendum tradidit, ac tandem ab eodem Pontifice S. Mariæ majoris Archipresbyter declaratus hanc Virginis Basilicam ingenti sumptu, elegantissimeque ac celeberrime exornavit, & a Gregorio XIV. Peru-

fiæ ac Umbriæ Legatus factus illis difficillimis temporibus Provinciam illam penuria oppressam ita juvit, ut nihil majus optari possit.

Hæc & multa alia de ipsius probitate, animi magnitudine, ac ingenii præstantia scribi possunt, cum tamen adhuc vivat, hæc satis esse volo. Vivens, futuraque prospiciens locum magnificum in memorata Basilica S. Mariæ majoris ante altare majus pro sepultura sibi fecit cum hoc Epitaphio.

Dominicus Card. Pinellus Archipresbyter vivens novissima cogitans sibi fieri mandavit anno Jubilei M. DC. ætatis LX.

GUIDI PANZIROLI DE CLARIS LEGUM INTERPRETIBUS.

LIBER TERTIUS.

DE JURIS PONTIFICII INTERPRETIBUS.

CAP. I.

I. FULGENTIUS AFER: origo vocis *Canonis*: II. ISIDORUS HISPALENSIS. III. BURCHARDUS Wormatiensis. IV. IVO Carnotensis. V. HUGO Catalaunus. De CRESCONIO DEUSDEDIT Cardinali, ANSELMO LUCENSI, GREGORIO PRESBYTERO.

I. PRimus omnium FULGENTIUS AFER *Ruspensis* Episcopus doctrina, & moribus clarus, Apostolorum, Sanctorumque patrum decreta circiter annum CCCCLX. breviter perstrinxisse dicitur.

Hæc, quod rectam bene, beateque vivendi normam traderent, ac distortos, pravosque mores corrigerent, *Canones* appellarunt, siquidem qui Canon a græcis dicitur, a latinis Regula, vel Norma vocatur,

tur, cujus rei Isidorus meminit; [1] Sic olim Statuarii eximium Polycleti Sicyonii Simulachrum Canonem vocabant, ex quo, velut a lege quadam, artis lineamenta petebant, solusque hominum, autore *Plinio*, [2] artem ipse fecisse artis opere judicatur, indeque nostros Canones nomen traxisse forte non absurdum erit arbitrari, cum ab illis & nos pie vivendi rationem, velut a quodam exemplari, accipiamus. Græci vero interpretes canonem *σύνοψιν*.. esse dicunt, [3] idest, *brevem rei narrationem.*

Sed cum pauca a Fulgentio comprehensa fuisse viderentur, II. ISIDORUS HISPALENSIS *Antistes* Romanorum *Pontificum Epistolas, Conciliorumque* acta usque ad sua tempora, idest, Honorium primum, qui sedere cœpit an. DCXXIII. in unum collegit, idque primus omnium Latinorum, quod nullum antea Fulgentii, aut alterius opus appareret, fecisse creditus est. Sed is solam temporum, ac rerum gestarum seriem secutus, nullum in texendo, digerendoque opere ordinem adhibuit. Non inutile præterea Etymologiarum volumen composuit, in quo plus LXX. hæreticorum sectas, quæ contra catholicam Ecclesiam pullulaverant, ac sæpius damnatæ fuerant, diligenter recensuit. [4] Is est, qui Mahometum in Hispania Christianam religionem impugnantem capi jussit, sed impostor a Dæmone monitus mature aufugit.

III. Post Isidorum BURCHARDUS [5] *Wormatiensis* Episcopus rudem, indigestamque illius Decreti molem methodice ordinavit, ac primus Jus Pontificium in sua loca digestum XX. libris complexus est, [6] qui ob longæ lectionis tædium intermissi brevi interiere. Nam quæ ejus nomine circumfertur Epitome, plures quidem libellos, sed vix sextam justi operis partem continet.

IV. Cum vero novis exortis sectis, etiam Berengarius in Sacrosanctam Eucharistiam blasphemus extitisset, IVO genere Gallus, qui primo Canonicis a D. Augustino institutis præfectus, postea Carnotensium Antistes fuit, post annos nonaginta, quam Burchardus scripsit, præter alia opuscula, amplissimum Decretorum volumen decem, & septem libris distinctum concinnavit, in quo Burchardum omnino secutus verbis, aut ordine parum ab eo discessit. Quasdam tamen

[1] *Etymolog. lib. 6. c. 16. & c. 2. & 3. distinct. 3.* [2] *lib. 34. c. 8.* [3] *In Basilico περὶ κανόνων.* [4] *in c. quidam ; 9. caus. 24. q. 3. & lib. Etymolog. 8. c. 5.* [5] *c. 2. 73. distinct.* [6] *Archid. in c. 1. p. dist.*

vete-

veterum Scriptorum ſententias adverſus Eccleſiæ turbatores, & multa ex Jure noſtro Civili teſtimonia adjecit, quæ ille, velut parum ſuo inſtituto neceſſaria, omiſerat, vel quod juribus Romanis non dum apparentibus Caroli Magni tantum leges, vulgo Capitula vocata, frequentabantur; nunquam enim Juris civilis, & bis tantum Codicis Theodoſiani meminit.

Cæterum Iuonis opus cum alia, & ipſius etiam Iſidori Decreta magnitudine ſuperaret HUGO *Catalaunus*, non multo poſt quam ſcriptum eſt, in compendium redegit, ac *Pannormiam*, ſive *Summam Decretorum* Juonis nuncupavit. Ea etſi tota mendis, & erroribus ſcatebat, adjutus Gratianus plura inde, & ex Burchardi Epitome excerpſit, autographi enim texturam, aut Burchardi nunquam vidiſſe videtur, cum errores in compendiis inventos in ſuum opus tranſtulerit. Alii etiam Patrum Decreta collegiſſe traduntur, ut CRESCONIUS DEUSDEDIT presbyter Cardinalis, ANSELMUS *Lucenſis*, & GREGORIUS presbyter, ſed eorum operum nulla, quod ſciam, extat memoria.

CAP. II.

VI. GRATIANUS, ejus patria, inſtitutum collecti Decreti, origo Palearum, origo doctoralis dignitatis, de Bacillariis, Gratiani errores in collectione.

VI. CÆterum *Burchardi, & Juonis* Decretis ob librorum magnitudinem neglectis, eorum tantum compendia, quorum meminimus, legebantur, in uſuque erant, in quibus cum multa prætermiſſa fuiſſent, GRATIANUS gente Hetruſcus opus conſarcinandum, atque inſertis Pontificum conſtitutionibus reformandum ſuſcepit; ac certis quæſtionibus additis, adeo locupletavit, ut magna Juris Pontificii pars eſſe meruerit.

Is patria *Cluſinus*, ac *D. Benedicti Claſtenſis* monachus factus, plurimum ſacris litteris delectatus eſt. [1] Demum Conrado III. imperante, & Alexandro, [2] qui poſtea Pontifex fuit, Bononiæ Theologiam docente circiter annum Domini MCLI. in D. Felicis alii dicunt D. Proculi Cœnobio, ubi diu vixit, *Decretum* ſuum conſcripſiſſe dicitur. [3] Id ex multis, ut diximus, antiquorum Patrum ſententiis,

[1] *in chronic. Martini Alber. in dictionario. §. forma. 2. q. 6.* [2] *Alciat. lib. 4. parer. c. 23. Præpo. in proœm decretorum gloſ. in c. poſt appellat. §. forma. in gloſ. p. 2. q. 6. Maran. in ſpecul. in 3. p. prin. n. 31.* [3] *Cepo in tractat. de cogni. lib. jur. can. in princ. præpoſ. in proem. decret.*

&Pon-

& Pontificum, Cæſarumque conſtitutionibus, ac Pandectarum juribus locupletatum compoſuit, & ex ſuo etiam quædam adjecit, quæ duplici cruce, aut paragraphi charactere annotata pro Gratiani dictis agnoſcuntur, quod nunquam Græci, aut Latini Canonum authores antea fecerant. Nusquam Burchardi, aut Juonis, quos nunquam viderat, ordinem ſecutus eſt, ſed diverſum ſibi ab illis ſcopum propoſuit, aut Canones, qui pugnare videbantur, in primis conciliaret. [1]

Cum vero librum Eugenio III. Pontifici offerendum Romam detuliſſet, Cardinali cuidam viro alioqui erudito, ſed ambitioſo, cujus opera ad Pontificem introduci volebat, legendum tradidiſſe fertur. Ille alienam laudem in ſe transferre cupiens, volumini quædam a Gratiano omiſſa inſeruit, ſeque operis auctorem eſſe jactitabat. Monachus, hominis fraude intellecta, additiones illas *paleas* eſſe reſpondit, quæ grano alibi condito inanes reddebantur; *Paleam* enim veteres Theologi literam fructu carentem, vel ſterile opus vocabant. [2] Itaque capita illa poſtea ſemper pro paleis ſunt inſcripta. [3] Alii paleas ab eodem Cardinali POCAPALEA nuncupato, quo nomine etiam hodie oppidum in Subalpinis, & familia vocatur, dictas fuiſſe cenſent. Nonnulli a *Palea* Gratiani diſcipulo [4] qui diverſas ejus libri inſcriptiones quandoque etiam improbatas fecit, [5] paleas nominatas fuiſſe autumant. Nec deſunt, qui hæc fabuloſa exiſtimantes, Decreta quædam noviſſime adjecta, velut ſuſpecta, & fide carentia, paleas appellatas fuiſſe credant, opus, quod Patrum, Pontificumque Decretis ſcateat, Decretum inſcriptum fuit.

Liber Eugenio III. Pontifici oblatus adeo gratus extitit, ut eo comprobato Gratianum Cluſinæ Eccleſiæ, unde ortus erat, [6] præfecerit. Is tantæ poſtea auctoritatis fuit, ut vulgo *Magiſter* vocatus maximum in decidendis cauſis pondus habuerit, etſi, velut privati hominis, ejus dicta vim legis non obtinent. Itaque qui ejus opus ita edidiciſſet, ut aliis prælegere poſſe videretur, *baculo* velut *pro arba doctrinæ* more Longobardorum accepto Doctoris titulo honeſtabatur, & a bacillo vulgo *Bacillarius* vocabatur, qui mos tum primum Bononiæ inſtitutus, a Pariſienſibus, ubi tum *Decreta*, & *Summulæ* docebantur, fluxiſſe fertur, in quorum vetuſtis conſtitutionibus BACILLA-

1 *Archid. in prin. decreto.* 2 *Theoph. in Naum Prophet. cap. 3.* 3 *Capo. in d. tract.* 4 *Imol. in R. de verb. oblig. ſub n. 5.* 5 *Specu. in tit. de diſput. & allegat. §. ult. in fin. Capo. in d. tract. n. 14. Præpoſ. Alex. in proem. decret. Jaſ. in rubr. de action. n. 12.* 6 *In chron. Martin. Alber. in dictionario.*

RII nominantur. Mox aucto Doctorum numero aliæ de promovendis Doctoribus inventæ sunt observationes, de quibus suo loco dicetur.

Cæterum Gratianus non semel erravisse deprehenditur; [1] tredecim enim manifestos ejus errores Bartholomæus *Cæpola* recenset, [2] & multos alios Felinus [3] ejus operis Censores nominat, sed novissime Gregorii XIII. Pont. Max. opera opus emendatum exiit. Nonnulli Gratianum Spurium, & Petri Lombardi, qui Magister Sententiarum vocatur, Antistesque Parisiensis fuit, & Petri Comestoris historiæ scholasticæ scriptoris falso fratrem fuisse memorant; [4] Et addunt cum matrem stupri pœnitere non posset, quod tam præclaros viros genuisset, Sacerdotem, cui confitebatur, jussisse, ut saltem pœniteret, quod pœnitere non posset [5] Bononiæ defuncto Gratiano sequens Epitaphinm appositum fuit.

Gratiani Clusini Cæsarei Juris, & Pontificii enucleatoris prope divini, qui Monachus in Martyrum Felicis, & Naboris æde absolutissimum ibidem opus Decretorum anno Gratiæ MCLI. compilavit, sepulchrum, quod illic curiæ ruderibus obsorptum, hic magnificentius renovatum, Jo. Franciscus Aldrovandus Bonon. IV. Dictator ære publico restauravit anno Salutis MCCCCXCIX. Idib. Junii, Bentivolo II. PP. Rempublicam feliciter gubernante.

In æde D. Felicis, ubi Decretum composuerat, in saxo vetusto, nunc in sacrario condito, de eo hoc rude scriptum reperitur.

Hanc ædis partem lector reverenter adito,
Namque loci Monachus Decretum hic condidit hujus
Divinum Gratianus opus quantumlibet arcto
Contentus septo, quod reparando caducum,
Et vetus hoc claustrum tolli fuit inde necesse,
Id tamen Abbate constructum est Bartholomæo
Mille trecentis decies septem, atque quaternis
Annis a Christo pura de Virgine nato.

CAP. III.

VII. LAURENTIUS Cremensis, VINCENTIUS Castellioneus, HUGUTIO, JOANNES TEUTONICUS, &c. Commentatores ad Gratiani Decretum.

[1] *Jo. Andre. Anto. de Butri. & alii in c. 2. X. de rescrip. Imol. in R. de verb. oblig. n. 5. Cæpol. in d. tractat. n. 27.* [2] *in d. tracta. n. 18.* [3] *in d. c. 2. sub n. 51. X. de rescrip.* [4] *Præpo. in proem. decret.* [5] *Tiraq. in lib. de nobilitate. cap. 15. n. 32.*

VII. In

VII. IN Gratiani opus gloſſas ediderunt LAURENTIUS patria *Cremenſis*, [1] VINCENTIUS CASTELLIONEUS *Mediolanenſis* ſummus Canoniſta, [2] & BERNARDI BOTTONI præceptor, [3] OLDRADUS vero [4] eum Hiſpanum fuiſſe affirmat. Item HUGUTIO, vel ut alii, HUGO VERCELLIS, quæ ejus patria fuit, profeſſus eſſe creditur. Is poſtea Ferrariæ Epiſcopus fuit, JOANNES TEUTONICUS, TANCREDUS BERTRANDUS, & poſtremo BARTHOLOMÆUS *Brixienſis.*

Laurentii Cremenſis illud vulgatum dictum circumfertur, *Arenas ſine cæmento ab eo conſtringi, qui infirma ſuæ opinionis fundamenta jaceret*, quod in JOANNEM TEUTONICUM non ſemel protuliſſe fertur. [5] Idem in Senecam velut mollius, comptiusque ſcribentem Cajus Caligula Cæſar torquebat, quem, ut autor eſt Tranquillus, [6] commiſſiones meras componere, & arenam eſſe ſine calce jocabatur.

De VINCENTIO, & HUGUTIONE aliud tradi non poteſt; Id tantum ad Caſtellioneum nomen celebrandum addemus Celeſtinum IV. Pontif. Max. ex ea familia poſtea prodiiſſe.

CAP IV.

VIII. TANCREDUS A CORNETO, de Titulo Magiſtri Profeſſoribus dato. IX. RICHARDUS Epiſcopus Ciceſtrenſis.

VIII. POſt hos TANCREDUS genere Hetruſcus, Bononiæque Archidiaconus, & ipſe Decreti gloſſator fuit circiter an. Sal. MCCXX. Is a plerisque eſſe creditur, qui Corneti (id olim Caſtrum Novum in Graviſconis erat) ortus eſſe creditur, Laurentii Cremenſis diſcipulus, [6] & Azonis, [7] aut certe ejus ſuppar. Bononiæ docuit, Pariſiis etiam profeſſus fuiſſe videtur, cum in formulis Judiciorum eam civitatem, & ipſius monetam repræſentent. [8] Id fuit an. MCCXVII. [9]

Poſtmodum Bononiam, ubi deceſſit, reverſus eſt, VINCENTIO BELVACENSI Gallo ſuppar fuit, ſeſe enim invicem citant. Opuſculum compendioſo titulo inſcriptum, ubi de *ordine Judiciorum* tractat, in quatuor libros diſtinctum elaborate compoſuit. [10] Id poſtea a

[1] *Abb. in c cum Joan. 10. ante n. 13. X. de fid. inſtr.* [2] *Abb. c. ſi quis contra. 4. ſub n. 13. X. de for. comp & in c. cum contingat 28 X. de jurejur. ſub n. 3.* [3] *Bal. in c. juravit 6. n. 10 X. de probat.* [4] *Conſ. 69 in fine.* [5] *Cæpol. in tract. de ſervit. urb. prædior. c. 40. in prin. gloſſ. in c. facientis. 86. diſt. in prin.* [6] *in Caligula. cap. 13.* [7] *Tancre. de ordin. judic. lib. 4. tit. ult §. intra.* [8] *Tancre. de ord. judic. lib. 2. tit. 15.* [9] *de ord. judic. lib. 2. tit. 9. & ſeq. & tit. 13.* [10] *Caccialup. de mod. ſtud. Ang. Aret. de Maleſ in verbo ex intervallo.*

BAR-

BARTHOLOMÆO BRIXIENSI, non paucis, ut scripta erant, relictis, in aliam formam versum fuit, [1] sed illud Baldo vulgo adscribitur. *Libellorum* etiam, quibus in judicio experimur, formulas, seu de *ordine Judiciario*, in lucem emisit, quæ aliis a recentioribus inventis ampliatæ fuerunt.

Provinciale quoque condidisse fertur, in quo omnes Provinciarum Episcopatus recenset, & summam Titulorum, cujus ipse meminit. [2] Metris delectatus quandoque late exposita carminibus breviter perstrinxit. [3] Huic Honorius III. causas decidendas quandoque commisit, ut Epistolæ *Decretales* ad eum scriptæ testantur. [4] Nec dubitandum, hunc esse Tancredum glossatorem, quia MAGISTER appellatur, quo titulo tum Professores honorabantur, & sub Honorio III. se vixisse, ipse testatur, [5] eam *Decretalem* ipse citat, & novam appellat, [6] sed quia ipse de Tancredo, velut extraneo, loquitur, ejus operis aliqui ipsum auctorem fuisse negant.

Tantæ denique auctoritatis fuit, ut Honorius Pontifex Constitutiones Pontificias, quas compilaverat, ad ipsum recognoscendas, interpretandasque transmiserit. Bononiæ, ubi Archidiaconus Decretum est interpretatus, decessit, & hoc Epitaphium meruit.

Sepulchrum Magistri Tancredi eximii Doctoris Decretorum Archiiconi Bon. Orate pro eo.

Aliud de vetusto viro ad posterorum notitiam pervenire non potuit.

Sub id tempus (IX.) RICHARDUS, qui postea fuit Episcopus Cicestrensis in Anglia septennio Bononiæ Juri operam dedit, admodum pauper. Tres enim in eodem cubiculo degentes unum tamen capitium habebant, & duobus domi manentibus, tertius per vices caput illo tectus ad audiendas lectiones exibat.

CAP. V.

X. SYNIBALDUS FLISCUS *Genuensis*, postea INNOCENTIUS IV. acta cum Imperatore *Friderico IIdo*, Scripta. XI. PETRUS VINEA *Capuanus*.

X. INnocentius IV. antea SYNIBALDUS vocatus, Genuensis ex Flisca familia & Laviniæ Comitibus fuit. Bononiæ *Azonem*

[1] *Jo. Andr. in addit. ad spec. in proem. in verbo plurimis.* [2] *lib. 1. de ord. jud. tit. 6. in fine.* [3] *de ord. jud. lib. 2. tit. 1. lib. 3. tit. 4. 6. 9. lib. 4. tit. 6.* [4] *c. pen. & ult. X. de judiciis.* [5] *lib. 3. de ord. jud. tit. 9.* [6] *lib. 2. de ord. jud. tit. 4.*

jam

jam senem, & *Accursium, Jacobumque Balduinum* audivisse fertur; Ipse vero cum profiteretur, Joannem Fabrum discipulum habuit; [1] ob summam eruditionem Cardinalis declaratus, a S. Laurentio in Lucina, quod templum ei creditum est, cognomen traxit. [2] Demum Anagniæ Celestino IV. anno MCCXLIII. in Pontificatu suffectus magno cum plausu, populo obviam exeunte, Romam proficiscitur. [3]

Is Fridericum II. quem Ecclesiam oppugnantem frustra monuerat, ut a temerariis conatibus desisteret, tandem in Lugdunensi Synodo Regnis, imperioque privavit. Contra ille, devastatis in Parmensi agro Innocentii propinquorum oppidis, Italiæ populos ubique a Pontifice deficere compulit, donec a Manfredo filio, quem ex nobili concubina susceperat, suffocatus gentes vexare destitit.

Cum vero in Lugdunensi Synodo diutius moram traheret, luculenta commentaria *in Decretales Pontificum edidit*, quæ tamen vim Canonis habere noluit, ut se ab eo sæpius audivisse *Hostiensis* testatur. [4] Adeo accurate scripsit, ut insigni titulo *veritatis pater*, & *organum* vocetur; [5] In eo tamen notatur, quod plerumque nimis subtiliter, [6] atque adeo confuse differit, & dum brevitati studet, obscure loquitur. [7] Cæterum tantæ auctoritatis habitus, ut vulgo dici consueverit, litigantes, qui pro se Innocentium habuerint, victores futuros, & id tutius, [8] si & glossam sibi faventem invenerint. [9] Quin & in Summi Pontificis consiliis ejus opiniones tanquam Evangelium, (si id fari licet) teneri prædicant. [10] Unde Innocentii fides in proverbium abiit. Aliud quoque commentarium in Synodo receptum composuit, quod *Authenticum Hostiensis* vocat, & libellum *de Exceptionibus* Apologeticum; Præterea *de Jurisdictione imperii*, & *auctoritate Pontificis adversus Petrum Vineam Capuanum composuit.*

XI. PETRUS VINEA *Capuanus* obscuris natalibus ortus, sed in Jure peritissimus, & eloquentia insignis plures, pro eorum temporum

1 *Jo. Faber. in. §. 6. Inst. de legat.* 2 *Jo. Andr. in addition. ad specul. in R. ne sede vacante.* 3 *Platina. in Innocentio 4.* 4 *in c. solet. 2. ubi Jo. Andr. de sent. excommun. in 6. Felin. in c. 2. vers. de diversorum. X. de rescript. & in c. ne innitaris. 5. n. 7. X. de constit.* 5 *Archid. in c. pia. 1. de except. in 6. Felin. in c. cum olim. 12. sub n. 9 X. de sent. & re judicat. Jas. in l. 1. n. 28. ff. de reb. cred. si cert. pet.* 6 *Abb. in c. etsi Clerici. 4. X. de judic. Imo. in l. 17. in fin. ff. solut. matr. Ant. in c. continentia. 4. X. de cler. percuss.* 7 *Anto. de Butr. in c. tantæ. 18. X. de excess. prælat. Abb. in c. non minus. 4. X. de immun. eccles. Barba. in c. postulasti. 14. X. de for. compet. Sylva. nupt. in dict. c. postulasti. 14. sub n. 25. verb. etiamsi esset.* 8 *Jo. Fab. in §. 9. Inst. de inut. stipulat.* 9 *Anton. de Butr. in c. cum causam in fin. X. de verb. sign.* 10 *Roma. singul. 165.*

conditione, non inelegantes epiſtolas conſcripſerat, ob virtutiſque claritatem celebris factus Friderico II. Ænobarbo Cæſari a ſecretis, & ab epiſtolis fuit; Apud quem tantum potuit, ut imperium pro ſuo arbitrio regeret; Ipſi prope Cæſaris ſtatuam alia erecta Neapoli fuerat, ubi cum plures Fridericum pro reddendo Jure interpellare fingerentur, ſcriptum erat, ut ad Petrum irent. Is in Principis gratiam promulgato de *Juribus imperii* libello, omnium divinarum, humanarumque rerum arbitrium Imperatori tribuebat, quem Innocentius docte confutavit. Demum ab Aulicis apud S. Miniatum accuſatus, quod Cæſaris arcana inimico Pontifici patefeciſſet, a Friderico falſis litteris, quæ ab invidis confectæ fuerant, fidem habente divino judicio omni dignitate privatus, & candente ære obcæcatus fuit. Itaque omnium miſerrimus cum Piſas conceſſiſſet, ſe ad D. Pauli templum ſecundum Arni ripam perduci juſſit. Ibi ultima deſperatione adductus capite impacto parieti, fractoque cerebro expiravit. Alii ſe ipſum impatientia doloris in carceribus occidiſſe tradunt.

Innocentius quam plures alias conſtitutiones legis vim habentes in Lugdunenſi, & generali concilio promulgavit, quæ *ſexto Decretalium libro* inſertæ hodie leguntur. [1] Cum vero Ludovicum Gallorum Regem in Aſiam ad bellum contra Scythas, & Sarracenos trajicere feciſſet, *Hedimundum* Canturienſem Epiſcopum, & Petrum Veronenſem ex D. Dominici familia religioſum, qui inter Comum, & Mediolanum ab hæreticis cæſus fuerat, ac *Stanislaum* Cracovienſem Epiſcopum miraculis claros inter Divos retulit. Idem *octavam Natalis D. Virginis* celebrari inſtituit, repletoque Cardinalium cœtu, qui vacuus erat, ut ordinem honeſtaret, eos equo in publico vectos *rubeo galero* uti inſtituit.

Sunt, qui ab eo Bononiam docendi facultate privatam, & illud Jus Patavium tranſlatum fuiſſe ferunt, quod Fridericum feciſſe alibi oſtendi; Certe illud conſtat, Romæ gymnaſium jam diu intermiſſum ab ipſo inſtauratum fuiſſe, *ut ibi Pontificium, civileque Jus doceret?* [2] Poſtremo a Proceribus Regni Siculi accerſitus Neapolim non multo ante inſtauratam profectus eſt; Sed cum illud Regnum Eccleſiæ ſubjicere ſtudet, abrupta ſpe an. MCCLIV. die XIII. Decemb. Pontifica-

1 *Eas recenſet Jo. Andr. in addition. ad ſpecul. tit. de ſum. trinitate & fid. cathol. & in R. ne ſede vacant. in addit. ſpecul.* 2 *ut in c. 2. de privileg. in 6.*

tus

tus sui XI. menſe VI. Die XII. moritur, & in D. Laurentii templo humatur, cui Alexander IV. ſubſtituitur. [1]

CAP. VI.

XI. JOANNES SEMECA Teutonicus, judicium de ejus ſcriptis: appellatio ad Concilium Generale.

XI. HOrum ante in Decretum editas gloſſas JOANNES SEMECA *Teutonicus* reformavit, & quod in Jure civili Accurſius egerat, non paucis additis, ſuas fecit. Is Azonis diſcipulus, [2] cum diu utrique Juri ſtuduiſſet, eorum, quos *Prædicatores* vocant, religionem ingreſſus eſt. [3] Poſtea circiter annum Domini MCC. quo tempore *Albertus Magnus* floruit, Præpoſitus S. Stephani Halberſtadenſis fuit. Eſt autem *Halberſtadium* Saxoniæ opulentiſſima civitas, & circumdantis planiciei ſitu amœniſſima, ubi ædem ſacram Carolus Magnus D. Stephano Protomartyri erexit, mox Henricus Cæſar gente Bavarus Regiis cenſibus locupletavit.

Ibi otium nactus Joannes Decretum interpretari cœpit, qui etſi quandoque ineptis, ut illa ætas ferebat, vocibus utitur, non modicam tamen Gratiani operi lucem affert, pluraque novi, & veteris Teſtamenti loca erudite explicat. Cum vero Clemens IV. decimas per Germaniam, & Gallias ad redimenda ſancta Palæſtinæ loca exigeret, *Joannes* appellationem ad concilium interpoſuit, quod ægre ferens Pontifex illum diris damnavit, ac Præpoſitura ob temeritatem privavit, quem tamen magni in Germania viri defendebant. Sed hanc controverſiam utriusque tam Clementis, quam Joannis non multo poſt mors interveniens diremit. [4]

Summam etiam, ſeu *Compendium confeſſionis* Joannes compoſuit, quod primum inter Epitomes locum obtinet, & ubi Summa, alio non adjecto, citatur, hujus opus intelligitur. [5] Joannes cum levibus argumentis quandoque opiniones ſuas firmaret, a Laurentio Cremenſi, Arenam ſine cæmento ligare dicebatur, [6] quod, ut antea dixi, in L. Senecæ oratione, velut leniori, comptiorique Cajus Caligula reprehendebat, quem, auctore Tranquillo, [7] tum maxime placentem com-

1 *Pandulphus Collenutius lib. 4. hiſtor. Neapolit.* 2 *Glo. in c. quando. 4. diſtinct. 86.* 3 *Alber. in proem. dict. in fin.* 4 *Albert. Crantzius de reb. Saxoniæ l. 8. c. 27.* 5 *Alber. in proem. dicti. in fin.* 6 *glo. in c. facientis 3. diſt. 86. Capo. de ſervitut. urban. prædior. cap. 40. in princ.* 7 *In C. Caligula. cap. 53.*

missiones meras componere, & arenam esse sine calce dictitabat. Decessit Joannes anno Salutis MCCLXIX. quo & Clemens IV. ut supra dictum fuit.

CAP. VII.

XII. BARTHOLOMEUS BRIXIENSIS. De disceptationibus Sabbathinis.

XII. BARTHOLOMÆUS *Brixiensis* Vincentii Castellionei discipulus [1] circiter annum Salutis MCCLVI. Alexandro IV. sedente, quædam *Joannis Teutonici* glossis adjecit, quibus non modo illius errata notavit, sed vel omissa supplevit, vel quæ postea immutata sunt, apposuit, [2] ut ipse in Decreti initio testatur. *Temporum* quoque *historiam* conscripsit, [3] & *quæstiones diebus Dominicis, & Veneris* a se disputatas collegit, quas *Dominicales, Venercalesque* appellavit, exemplo *Pilei*, qui & ipse diebus Sabbathi disputare solitus, illas *disceptationes Sabbathinas* vocavit. Sed alia ejus gesta, vel cognomentum nusquam extant. Hunc ab Alexandro IV. Pontifice non contemnenda munera retulisse, Platina scribit. Quandoque Patriarchæ Venetiarum, seu Gradensi assedit. [4]

CAP. VIII.

XIII. BERNARDUS BOTTONUS. BERNARDUS CIRCA Papiensis Præpositus, GILIBERTUS. ALANUS. JOANNES GALENSIS VOLATERRANUS. UGO Ferrariensis Episcopus. BERNARDUS MAJOR Compostellanus. PAULUS UNGARUS. Collectiones Decretalium earumque compilatores. JACOBUS BUTTON Frater: origo Capellanorum, & quinam ita olim appellati?

XIII. GRatiani opere jam perfecto, cum posteriorum Pontificum epistolæ vagarentur, primus eas BERNARDUS CIRCA Papiensis Præpositus ac postea Antistes Faventinus in unum collegit, quibus etiam nonnullas annotationes adjecit, ac *Summam*, cujus initium, *Profectus discipuli gloria magistri*, composuit. Post eum GILIBERTUS, deinde ALANUS Doctor universalis nuncupatus, is forte, qui D. Ivonis nepos fuit. [5] Mox JOANNES GALENSIS VOLATERRA-

[1] *Glos in c. juravit. 6. X. de probat.* [2] *Caccialup. de mod. stud.* [3] *Caccialup. de mod. stud. Raph. Volat. l. 21. Anthropol.* [4] *Jo. de Turrecremat. in c. Episcopnon flagitetur 11 q. 1.* [5] *Henric. Robem. in c. constitutus 8. X. de in integ. restit. Tiraq. de retract. consang. §. 1. glos. 9. n. 52.*

NUS,

NUS, qui eorum nomen obscuravit, XII. annis post Bernardum, alia Pontificum Decreta compilavit. *Bernardi* prima compilatio liber primus a *Vincentio*, *Alano*, *Tancredo*, *Laurentio*, & *Rogerio*, qui in eum scripserunt, est appellata; altera *Joannis* liber secundus vocabatur, in quem UGO *Ferrariensis Episcopus*, & BERNARDUS MAJOR COMPOSTELLANUS glossas edidere.

Post hos BERNARDUS COMPOSTELLANUS Archidiaconus ex Innocentii tabulario aliis constitutionibus extractis, novam compilationem fecit, quæ *Romana* dicta fuit. Sed cum nonnullas suspectas Decretales contineret, *Innocentius*, PETRI BENEVENTANI tabularii opera, ex suis, & aliorum constitutionibus anno sui Pontificatus XII. aliam *compilationem* composuit, quæ *tertia* fuit nominata, & hæc prima Summi Pontificis auctoritate nixa fidem habuit, cum priores privatæ negari potuissent, eamque PAULUS UNGARUS est interpretatus. Postea vero cum in generali synodo alia LXXI. Jura idem Pontifex condidisset, ex omnibus *quartam compilationem* fecit, in quam VINCENTIUS, JOANNES, JACOBUS, & ROGERIUS glossas ediderunt, deinde HONORIUS III. quintam, quam ad *Tancredum*, & *Archidiaconum* Bononiæ profitentes componendam misit, quam JACOBUS ALBANUS *Faventinus Episcopus* est interpretatus.

Demum GREGORIUS IX. patria *Anagninus* ex familia Comitum, opera fratris RAIMUNDI A PENNAFORT *Barcinonensis ex ordine Prædicatorum*, & ipsius ordinis magistri generalis, & his ultimis temporibus a CLEMENTE VIII. inter Sanctos relati, eam, quæ nunc extat, edidit. [1] In hanc vero, & anteriorem compilationem glossas ediderant RUFFINUS, SYLVESTER, RICARDUS ANGLUS, RODOICUS cognomento Modicipassus, PETRUS CORBOLUS, vel, ut alii, BOLIATUS [2] *Hispanus*, BERTRANDUS, DAMASIUS, ALANUS *Anglicus*, PETRUS PAPIENSIS *Præpositus*, PETRUS GALENSIS VULTERRANUS, BERNARDUS *Compostellanus*, LAURENTIUS, VINCENTIUS CASTELLIONEUS *Mediolanensis*, JOANNES TEUTONICUS, & *Tancredus*, qui etiam in Decretum glossas ediderunt; Hos secuti sunt GUILIELMUS NASO, & JACOBUS *de* ALBENGA *Episcopus Faventinus*.

Sed horum omnium glossas BERNARDUS BOTTONUS *Parmensis*, ultimam compilationem interpretatus in unum collectas amplia-

[1] *Hostiens. in proem. summæ.* [2] *Hostiens. in summa de rest. spoliat. §. cum quæritur. ad fin. Jo. And. in c. literas. 13. eod. & in proem. decretal. col. 3. vers. & ibi compilationes quinque.*

vit, [1] circiter annum MCCXL. & omnem illarum gloriam in se transtulit. Eandem GREGORII IX compilationem aliqui ex prioribus, & alii posteriores sunt interpretati, ut VINCENTIUS GOFREDUS, PHILIPPUS, INNOCENTIUS HOSTIENSIS, PETRUS SAMPSO, ABBAS ANTIQUUS, BERNARDUS COMPOSTELLANUS, qui opus non perfecit, EGIDIUS BONONIENSIS, BONAGUIDA *Aretinus*, & FRANCISCUS *Vercellensis*, qui tantum super contextu scripsit. Postea supervenit BOATINUS MANTUANUS, & *Archidiaconus*, qui etiam glossas sunt interpretati. Quidam etiam Monachi, quorum nomina ignorantur, super iisdem Decretalibus opus composuere, quod suffragium Monachorum nuncupatur, quod ut erroneum, superfluum, & mancum fere inutile fuit.

Hos secutus fuit Frater JACOBUS *Canonicus Sancti Joannis in Monte*, quorum omnium scripta mille glossematum, aut interpretationum *Summa* excedebant, prout [2] *Joannes Andreæ* testatur. Ex prædictis DAMASIUS in primam compilationem glossas edidit, ac librum quæstionum super multis Decretalibus, & Brocarda composuit, & JOANNES de Albenga *Hostiensis* præceptor Honorianas est interpretatus; Præter memoratos DRUZIANUS, & GUANDULFUS in Decretales glossas emiserunt, & PETRUS MANDECATOR, & quidam Cardinalis.

Cæterum BERNARDUS BOTTONUS Bononiæ, ubi etiam Canonicus creatus est, diu Decretales professus est, postea sacri Palatii quæstor est declaratus, [3] quem Auditorem, & Summi Pontificis CAPELLANUM vocant; cum enim causas ex toto orbe ad Urbem confluentes Pontifex in Sacello, quod Capellam nominant, adhibitis Jurisconsultis, audiret, illi a loco *Capellani* sunt appellati; Sed hi hodie numero XII. licet alias plures fuerint, ex generali, & prisca delegatione in unum ordinem redacti sunt, & qui audiendi, cognoscendique facultatem habent, AUDITORES *causarum sacri Palatii* dicuntur, quas ex speciali rescripto plerunque decidunt; & etiamnum Capellani nuncupantur, atque in Capella divinis inserviunt.

Bernardus postremo Academiæ Bononiensi Præfectus fuit, quem Germanorum vocabulo *Cancellarium* vocabant. Illi enim cum in Italia imperabant, omnes regionum præfectos Cancellarios appellare

1 *Archid. in peroratione Decreti.* 2 *In proem. Decretal.* 3 *glo. Bernar. in c. quod sicut 28. in verb. dividatur X. de election. & electi potest.*

confue-

consueverant. In majore templo Bononiæ cum hoc Epitaphio humatus est.

Bernardus Bottonus Cancellarius studii Bononiensis, qui scripsit apparatum ad Decreta, jacet hic.

CAP. IX.

XIV. GOFREDUS *Tranensis.* XV. LANFRANCHINUS Tranensis.

XIV. POst Bernardum Decretales primus GOFREDUS genere *Tranensis* [1] est interpretatus, cum esset Summi Pontificis Subdiaconus, & Capellanus Forensium, & Juris Pontificii, studiosorum precibus motus Canones in compendium redegit, quod opus *Summam* vocavit, quem secutus est *Philippus* & ipse Juris Pontificii interpres. Gofredus ad Cardinalem dignitatem provectus esse dicitur, quod non affirmo.

XV. *Tranensis* etiam fuit LANFRANCHINUS, qui luculentum de *Jure patronatus* opus edidit.

CAP. X.

XVI. ÆGIDIUS *Bononiensis.* XVII. GUILIELMUS PROREDA. XVIII. Nepos de MONTE-ALBANO.

XVI. SUb id tempus claruere ÆGIDIUS BONONIENSIS, & (XVII.) GUILIELMUS PROREDA *Anglus* Oxoniæ professor, uterque de *Judiciis librum*, ille in quinque partes, hic in sex divisum, in lucem emisit, [2] qui vetustate periisse existimatur. Nec multo post (XVIII.) Nepos de MONTE ALBANO *librum Exceptionum* promulgavit, [3] quem *Fugitivum* appellavit, quod in eo doceat, reos, qui fugitivi vocantur, [4] se ab actorum petitionibus, & retibus liberare. Est autem Mons Albanus castrum in Latio, ubi olim Feriæ Latinæ celebrari consueverant.

CAP. XI.

XIX. BONAGUIDA *ARETINUS.* FRANCISCUS Vercellensis; GRATIANUS.

XIX. IIsdem temporibus BONAGUIDA ARETINUS floruit, qui, Innocentio IV. sedente, dum in ejus Curia Advocati officio

[1] *Lanfranchin. de jur patron. 8. art. 5. q. prin. 2. partis. 2. libri. in prin.* [2] *Jo. Andr. in d. proem. specul. c. 2. verb. plurimis.* [3] *Jo. Andr. in d. proem.* [4] *in l. 13. §. 2. C. de judiciis.*

fungi-

fungitur, nonnullas in *Decretales* glossas, ut ipse asserit, utiles conscripsit. Deinde *Epitomen*, nostri Summam vocant, in quinque partes divisam fecit, quæ officium patronorum causarum continet; Librum etiam *Juris Pontificii titulos*, & res explicantem, qui *Margarita* inscribitur, composuit.

Is, si suo quæque loco digesta habuisset, longe utilior studiosis fuisset. Hoc volumine nihil decidere, sed rebus breviter annotatis, ad alia loca se referre consuevit. Tractatum quoque de *Judiciis*, & *Judicibus* in tres partes scissum edidit, quem specioso vocabulo *Gemmam* nuncupavit, [1] sed hæc volumina, ut plurimum vetustate consumpta, non omnia in lucem prodierunt. *Libellus* vero, quem de *Dispensationibus* inscripsit, admodum utilis circumfertur, in quo species recensentur, quibus Summus Pontifex, aut Episcopi aliquem legibus solvere possunt;

Quo tempore BONAGUIDA in Decretales scribebat.

FRANCISCUS VERCELLENSIS, [2] & ipse in idem opus commentarium edidit, quod non extat; In patria docuit, ubi anno Salutis MCCXXVIII. omnium disciplinarum gymnasium erectum fuerat. Ante *Bonaguidam* fuit GRATIANUS & ipse Aretinus, cujus nihil nisi nomen extat. [3]

CAP. XII.

XX. BERNARDUS BRIGANTIUS. XXI. GARSIAS.

XX. BERNARDUS BRIGANTIUS, (vulgo *Compostellanum* vocant) Innocentii IV. cujus *Capellanus* fuit, jussu [4] in VI. *Decretalium eruditos commentarios* promulgavit, quos *Apparatum* vocant. Floruit circiter an. MCCL. post *Bernardum* Papiensem Præpositum; extractas ex Innocentii scriniis quorundam Pontificum constitutiones in unum redegit, quod opus *Romana compilatio* est appellata, quæ, ut suspecta, ab Innocentio rejecta fuit. Is dixit priusquam scriberet, suam ignorantiam ignorasse, sed postquam scripsit, suos errores agnovisse. [5]

XXI. Bernardum Brigantium GARSIAS Hispanus est secutus, qui circiter annum Salutis MCCLXXXV. Decretales interpretatus esse dicitur, sed opus non perfecit. [6] Summæ, quam *Pisanellam* nominant,

1 *Jo. Andr. in præalleg. proem.* 2 *de quo Jo. Andr. in c 2. X. de sponsal.* 3 *Jo. Andr. in proem. specul. in verb. plurimis.* 4 *Raph. Volater. lib. 21. anthropol.* 5 *Jo. Andr. in proem. decretalium.* 6 *Jo. Andr. in proem. decretal.*

minant, nonnulla adjecit. [1] In *ſextum* etiam *Decretalium* gloſſas edidit.

CAP. XIII.

XXI. HENRICUS Cardinalis HOSTIENSIS: de prærogativis Hoſtienſis Cardinalis.

XXI. HENRICUS in *Secuſii* Subalpinorum nobili pago *diœceſis Taurinenſis* [2] humili loco natus, [3] in Galliis, & Italia eruditus, *Joannem Albiganenſem* audivit; Deinde inter Pontificii Juris Interpretes receptus, luculentis editis commentariis, omnes, qui ante ſe floruere, ſuperavit, unde *Juris utriusque Monarcha*, & *Subalpinæ religionis ſplendor*, ac perpetuum *decus a Franciſco Balbo* vocatur. [4] *Guilielmum Duranti* diſcipulum habuit. [5] Demum ob eximiam doctrinam Innocentio IV. gratus *Ebredunenſis Archipræſul* creatus [6] circiter annum Salutis MCCLVI. ab Alexandro IV. Pontifice, cujus hortatu in *Decretales* ſcripſerat, [7] ad Cardinalis dignitatem eſt promotus, Hoſtienſisque Antiſtitis, unde nomen habet, titulo honeſtatus fuit. [8]

Is unus eſt ex ſeptem Cardinalibus Epiſcopis, qui Lateranenſi Eccleſiæ adſcripti, velut Pontificis Vicarii habentur. Sed Hoſtienſis cum ſolus pallii ornamento utatur, & Pontificem coronet, Cæſaremque ungat, [9] cæteris dignior primas tenet. Quare Henricus a præcipuo hoc honore poſtea Hoſtienſis eſt nuncupatus.

Legatum Bononiæ egit, ubi reum capite plectendum vel invitus liberavit: Antequam enim ille ad ſupplicium duceretur, ſe rem arduam Legato detecturum dixit; Cum vero ambages narraret, iratus Henricus eum ad ſupplicium rapi juſſit; At reo clamante, *Cardinalem irregularem eſſe, qui contra canonicas Sanctiones vel ſontem puniri præciperet*, ei, qui hanc evadendi artem docuiſſet, male dixit, & reum dimiſit. [10]

Clementis IV. Pont. ſede vacante, in gravem ægritudinem incidit, ut pene vitam amiſerit. Viterbienſes enim Cardinales ædibus incluſos ad novum pro ſuo arbitrio Pontificem eligendum compelle-

[1] *Felin. in c. cauſam quæ 7. in fin. X. de præſcription.* [2] *Hoſt. de teſtib. § 1. col. 2. verſ. quid de Hermofrodit. Joan. Albiganenſis.* [3] *ipſe in c. nonnulli. 28. §. cum autem. X. de reſcript.* [4] *C. de præſcrip. in proem. ſub n. 2.* [5] *Jo. And. in ad. ad ſpecul. de off. jud.* [6] *Alvaro. in proem. Feud. col. 2.* [7] *Rapha. Volater. lib. 21. anthropol.* [8] *Platina in Alex. IV.* [9] *Abb. in c. antiqua 23 X. de privileg. ſub num. 6.* [10] *Felin. in c. ſi quando. 5. n. 3. X de reſcript.*

re volebant, detectoque ædificio, ac cubiculis dirutis, illos reclamantes sub dio degere coegerunt. Quare Henricus difficili morbo contracto, nunquam exitum impetrare potuit. Demum de salute sollicitus, juribus eligendi Pontificis renuntiavit, ac dimissus convaluit. [1] Gregorius vero x. qui tum in Palæstina aberat, Summus Pontifex est declaratus.

Utriusque Juris *compendium* uno volumine complexus, quod *Summam* vocavit, incendio amisit. Sed postea Cardinalis, quamquam arduis negotiis occupatus, illud opus restituit. [2] Alia præterea in *quinque libros Decretales*, urgentibus studiosis, commentaria edere coactus est. Æquitatis amator duras Innocentii opiniones libenter damnat, quamquam non desunt, qui nimiæ subtilitatis eum redarguunt, & adeo alte ingenio rapi dicunt, ut a debilium oculis evanescat, & in multis se ipsum frangat. [3] Episcopis quoque plus æquo favisse dicitur. [4] Legum civilium scientia multos illas profitentes superavit. [5]

CAP. XIV.

XXII. GUILIELMUS DURANTI filius. De JACOBO ANTONIO STENNO Patavino.

XXII. GUILIELMUS DURANTI *filius*, vel, ut alii malunt, ex *Duranda* familia, & matre Balba natus *Pusmoyssonius*, seu, ut aliqui volunt, a *Monte Pessulano*, qui locus est Provinciæ, oriundus fuit, Henrici Cardinalis Hostiensis Auditor anno MCCL. Innocentio IV. sedente floruit, primaque juventute in Mutinensi Academia Decretum est interpretatus. [6]

Mox in curia Romana *causarum Auditor* creatus, [7] aureum illud opus *Speculum* inscriptum, quod in eo causarum ordinem Forenses speculentur, ante annum ætatis XXIV. cœpit componere, [8] nec ante annum XXI. perfecit. [9] Interea scripta legenda, emendandaque tradidit JACOBO ANTONIO STENNO *Patavino* tum clarissimo Jurisconsulto, qui Malitia agri Vicentini Villa in dotem ab uxore ac-

[1] *Hosti. in c. nisi cum pridem.* 10. *& ibi Jo. Andr. col.* 2. *X. de renunciat.* [2] *Hosti. in fin. summæ.* [3] *Sylva nupt. lib.* 5. *sub n.* 67. [4] *Sylva nupt. d. lib.* 5. *sub n.* 69. [5] *Roma. sing.* 77. *Felin. in c. qualiter & quando* 24. *§. ad corrigendos. X. de accusat.* [6] *Spec. in tit. de tutor. §. generaliter. verb. fiet autem.* [7] *Specula. in tit. feud. §.* 1. *in fin.* [8] *Spec. in titulo de appell. §. nunc breviter. verb. item justa.* [9] *deprehenditur ex spec. in tit. de test. edi. §.* 1. *verb. item hodie.*

cepta ditior, & clarior factus, Malitiæ cognomentum habuit, quamque non desunt, qui ob cautiones, quibus callidius in tuendis clientibus utebatur, eum *Malitiam* vocatum fuisse affirmant.

Guilielmus vero perfectum volumen Ottobono Cardinali Innocentii Pontificis ex fratre nepoti an. MCCLXII. dedicavit, qui postea factus Pontifex, & Adrianus v. dictus, non nisi tribus diebus supervixit; Quare Gulielmum, nisi præmature decessisset, omnium opinione Cardinalem creasset. [1] Sed is alias dignitates est assecutus, siquidem D. Petri patrimonio in Hetruria præfuit; [2] Deinde Honorii IV. jussu Flaminiam, nunc Romandiolam vocant, quam ex Guidonis Monfeltrii manibus vendicaverat, Comitis titulo rexit, ut Joannes Villanus, [3] & ipse [4] testatur, cum formam describit, qua fidei juramentum a populis exegit. [5] Dum ibidem pro Martino IV. quæstoris officio fungeretur, ad Metaurum fluvium peninsulam a fundamentis ædificasse, & a suo cognomento *Castrum Durantis* appellasse *Sabellicus*, [6] & Blondus [7] scribunt.

Rationale etiam *officiorum*, & de *Concilio* luculentum opus fecisse dicitur; de *Modo etiam generalis Concilii celebrandi* circiter annum MCCLXVIII. scripsit tempore, quo Clemens v. Viennam Synodum indixit, cui ipse Episcopus Mimatensis creatus interfuit. [8] Speculum etiam *legatorum* egregium opus composuit, in quo de eorum Officio, & Potestate latius disputat, & illud ego non dum impressum in manibus habui. In Decretales præterea commentaria edidit, & Poetices studiosus multa carmine scripsisse fertur, quæ hodie nusquam apparent. [9] Tanta memoria a scriptore provinciali fuisse dicitur, ut semel lectum librum statim recitaret, quod ex summa ejus vitæ sobrietate provenisse existimat; Nam ingluviem, & vinolentiam ingenium hebetare, & memoriam graviter obumbrare dictitabat. Sed Aurearum insularum Monachus, hoc gemmæ, quam aureo anulo inclusam gestabat, vi attribuebat.

Clientibus, quorum iniqua erant jura ipsum consulentibus, Sanctus Cæsarius Gallico idiomate respondisse refert, *Mais val calar.*

[1] *Jo. Andr. in addit. ad specul. in proem.* [2] *Specul. in tit. de feud. §. 1. ad fin. de jurisd. omn. judic. verb. illud etiam.* [3] *lib. 7. cap. 107.* [4] *de jurisd. omn. jud. verb. illud etiam.* [5] *in tit. de feudis. §. 1. ad fin.* [6] *lib. 7. Geograph.* [7] *in Italia illustrata in Piceno. & Raph. Volater. lib. 6.* [8] *Specu. in tractat. de mod. generali. Concil. celeb. in prid.* [9] *Pav. Ca. in l. ult. C. fine cens. & reliquis.*

Que sol parlar, hoc est, *Melius est tacere, quam male loqui.* Etsi ab omnibus summopere celebratur, in eo tamen reprehenditur, quod indecisas quæstiones sæpius reliquerit, & multa ex *Joannis Fasoli*, & aliorum scriptis excerpta ad verbum Speculo inseruit. [1] Sunt qui eum religiosum ex ordine *D. Dominici* fuisse autumant, quod mihi nusquam compertum est, nec verisimile videtur; Solum enim Cartonensis Decanus a Blondo fuisse dicitur. [2] In Theologia tamen maxime versatus est. Errant, qui eum paulo post XXX. ætatis annum decessisse ferunt, cum post id tempus diu in componendo Speculo laboraverit, ut supra dictum est. Ejus de Sacra Eucharistia hæc verba referuntur.

Verbum audimus. Motum sentimus. Modum nescimus. Præsentiam credimus.

Cum Legatus Summi Pontificis ad sacrum bellum profectus esset, in Cypro insula Nicosiæ an. MCCLXX. decessit, & ibi humatus fuit. Epitaphium, Turcis ibi dominantibus, non extare arbitror, quod a pluribus lectum, & a quodam descriptum interiit. Unde fabulosum esse opinor, quod provincialis scriptor tradit, Guilielmum puellæ ex *Blancargensa* familia amore captum Mathematicum de illius vita consuluisse, & responsum mira in ejus morte eventura. Cum vero post aliquot annos pro mortua elata esset, Gulielmum dolore victum interiisse, & eam, vi morbi cedente, respirasse, & vivam domum remeasse, Monasticamque vitam sibi elegisse, ac sexagenariam decessisse. Sed ego cum his locutus sum, qui Speculatoris sepulchrum Nicosiæ cum Epitaphio viderunt.

CAP. XV.

XXIII. BOATINUS MANTUANUS.

XXIII. BOATINUS, vel, ut alii scribunt, BOVETINUS *Mantuanus* Bononiæ Jus Pontificum, Azone ibi profitente, docuit, cum quo non semel in foro contendit, & quandoque rubore suffusum, dimisit. [3] Inde Patavium conductus Ecclesiæ Cathedralis Archipresbyter creatus est, & cum annos septem docuisset, obiit anno Salutis MCCC Mense Augusto, in majore templo cum hoc Epitaphio est humatus.

[1] *Cin. in l. 9. in prin. C. de judiciis.* [2] *Blond. in loco prædicto.* [3] *Jo. Andr. in c. relatum 19. X. de offic. & potest. jud. deleg.*

Mantua,

Mantua, quem genuit Patavis Bovetinus, & orbi
A Bove nomen habens, patiens sine fraude dolisve
Quam sibi plus aliis vigilans, pietatis alumnus
Largus erat studio, largus clero, sibi parcus,
Canonicum illustris docuit jus ter tribus annis,
Deme duos, obiit Augusto jam mille trecentis
Elapsis, Jacet hic, coluit te, summe colenti
Virgo patrocinium, precibusque assiste volenti,
Umbra humanum ejus, o pia, voce tuis, ut
Supplice conserves precibus, te voce precatur.

CAP. XVI.

XXIV. GUIDO A BAISIO Regiensis. GUIDO Nepos, BOATINUS Mantuanus.

XXIV. GUIDO quoque BAISIUS patricius *Regiensis* nonnulla *Joannis Teutonici* glossis addidit, & in *sextum Librum Decretalium* nobiles glossas Rectori Universitatis Juris studiosorum dedicatas inscripsit. Bononiæ eos Canones circiter annum Domini MCCLXXX. interpretatus, demum ibi Archidiaconus creatus, ejus Dignitatis cognomentum tenuit. In totum quoque Decretum luculentas interpretationes a doctrinæ fragrantia *Rosarium* appellatas composuit, quas GERARDO *Sabinensi* Episcopo, cujus Sacerdos vel, ut vocant, Capellanus fuerat, dedicavit, easque anno MCCC. perfecit. Eundem Summi Pontificis Capellanum, & litterarum contradictarum Auditorem fuisse, vetustis monumentis inveni.

Circa *verborum significationes*, eorumque expositiones plusquam in aliis versatus est. [1] JOANNEM ANDREÆ discipulum, quod inops esset, pene invitum ad Doctoris gradum gratuito promovit, qui postea præceptori tantum detulit, ut ipsius glossas se pro textu habere professus fuerit. [2] GUIDONEM ex fratre nepotem suum nomen ferentem habuit, & ipsum Juris Pontificii professorem, qui postea an. MCCCXIII. Regiensis Episcopus, deinde post XVII. annos nempe An. MCCCXXX. *Concordiensis*, vel, ut alii scribunt, *Sirmiensis* creatus fuit.

Decretales etiam interpretatus est, quo tempore BOATINUS MANTUANUS in idem opus scripsit. Post eos incerti nominis Monachus ineptas in eundem librum interpretationes edidit, quæ, ut

1 *Capol. in d. tract. n. 29.* 2 *in princip. sexti.*

Tt 3 inuti-

inutiles, rejectæ fuerunt, opus suffragium *Monachorum*, inconcinno titulo, dicebatur, cum onus esset appellandum. Deinde JACOBUS *Canonicus Regularis* D. Joannis in Monte Bononiensis glossas contrarias solvere nixus est, sed & ejus scripta periere. Denique in sextum Decretalium Archidiaconus tanta eruditione scripsit, ut ejus opiniones ibi relatæ cæteris prævaleant. [1]

CAP. XVII.

XXV. JOANNES MONACHUS Cisterciensis, Cardinalis.

XXV. CUm circa an. MCCC. Bonifacius VIII. posteriorum Pontificum Decreta in unum collegisset, & sextum Gregorii XI. volumini librum addidisset, in eum quatuor Interpretes glossas composuerunt, JOANNES *Monachus Cisterciensis* genere *Heduus*, vel *Picardus*, GUIDO a BAISIO cognomento Archidiaconus, GARSIAS Hispanus, & JO. ANDREÆ. De Archidiacono & Garsia jam supra dictum est.

JOANNES vero *Monachus*, qui primus in sextum glossas nemini dedicatas promulgavit, *Joannis Andreæ* [2] concurrens, postea Cardinalis creatus fuit, [3] qua dignitate honestatus in easdem constitutiones, quas *Extravagantes* vocant, glossas edidit, [4] in quibus Pontificiam potestatem minus extollendo plus Principibus laicis favere videtur, idque eum in Regis Galliarum gratiam, apud quem diu pro Pontifice legatus fuit, fecisse autumant; [5] Opusculum etiam *Defensorium juris* vocatum scripsit, ubi reos instituit, quomodo se adversus actores defendere debeant. *Decretales* etiam post *Petrum Sampsonem*, & *Pontificum Extravagantes* est interpretatus. De eo, quod scribatur, aliud non habetur. Glossæ vero Archidiaconi proprio volumine continentur.

CAP. XVIII.

XXVI. JOANNES ANGUISSOLA Cesennensis. XXVII. JOANNES DE DEO Hispanus.

XXVI. JOANNES ANGUISSOLA *Cæsennæ*, quæ Flaminiæ urbs est clarissima, ortus fuit, cujus posteri, corrupto vocabulo, *Agu-*

1 *Felin. in c. 1. col. pen. ver. 4. limita de constit.* 2 *Jo Andr. in prin. VI.* 3 *Jo. And. in prin. Clem. in ver. Joan. Felin. in c. cum in Jure. 31. ante n. 7. X. de offic. & pot. jud. deleg. Bar. in l. 8. §. 6. sub n. 9. ff. de oper. nov. nunciat.* 4 *Felin. in d. c. cum in jure. 31. ante n. 7. de off. & pot. jud. delegat.* 5 *Felin. in c. solitæ 6. ante n. 5. X. de majorit. & obedient.*

selli

ſelli dicti, inter cives nobilitate nemini ſecundi, etiam Lenariam Caſtellum in Patriæ agro cum juris dicendi autoritate poſſident, ut mihi CÆSAR *Mazonius*, & ipſe CÆSENNAS, nunc Maceratæ Jurium veſpere interpres retulit.

Joannes Jus Pontificium magna cum laude Patavii, ubi inter alios *Albertum Gandinum* Auditorem habuit, [1] deinde circiter ann. MCCC. Bononiæ docuiſſe creditur, cujus ſcripta temporum injuria periere. Eruditus tamen de *Proteſtationibus* ejus liber, & alius *de Sponſalibus*, ac *Matrimoniis* extat, quem JOANNES ANDREÆ ſibi impudenter adſcribere non erubuit. [2]

XXVII. Alius fuit JOANNES de DEO dictus genere *Hiſpanus*, qui eximius Philoſophus, & Juris Pontificii interpres Bononiæ docuit. Summam cavillationem in ſeptem libros digeſtam fecit. Decreti, & Decretalium indicem, & in utroque conſonantes Canones, variasque quæſtiones edidit.

CAP. XIX.

XXVIII. JOANNES ANDREÆ, occaſio nominis, ſcripta, plagia. PAULUS LEAZARUS. JACOBUS A CASTELLO Bononienſis, BONICONTIUS ANDREÆ.

XXVIII. SUpra omnes, qui ante ſe Jus Pontificium interpretati ſunt, JOANNES ANDREÆ excelluit. [3] Is ex Andrea presbytero, antequam ſacerdos fieret, & matre nomine *Novella* genitus, [4] *Joannes Andreæ* a patre dictus eſt, ſicut Franciſcus Accurſii, Albertus Odofredi, & Galleoti, Gulielmus Duranti, Martinus Sillimani, & alii, tum Italis, Hebræorum more parentum nomina pro cognomento retinentibus, vocati fuere. Sunt tamen qui eum ex concubina natum eſſe autumant, [5] quod non liquet, cum nemo eum legitimum, aut ſpurium affirmare audeat. [6]

ANDREAS igitur apud *Mugellum* agri Florentini oppidum natus Bononiam venit, ubi politioribus literis imbutus privatim Grammaticam docere cœpit, pallio agninis pellibus ſuffulto, pro eorum temporum conſuetudine, uſus. Cum vero *Joannem* filium ſuſcepiſſet, jam octavum annum egreſſum ſacris initiari fecit, ac prima ei litera-

[1] *Albert. Gandin. de pœn. reor. ante n. 8.* [2] *Alber. in diction. in verb. matrim. primo eſt viri, ac mulieris conjunctio.* [3] *Jo. Calder. in proem. Clem. Rip. in c. inter cæteras. 4. n. 5. X. de reſcript.* [4] *Jo. Andr. in addit. ad ſpecul. in R. de filiis præsbyt. Bal. in l. 23. §. bis illud. C. de nupt.* [5] *Rapha. Volat. lib. 21. anthrop.* [6] *Abb. in c. inter cæteras 4. & ib. Rip. in princ. X. de reſcript.*

terarum rudimenta tradidit. [1] Demum nobilium opera, quorum liberos inſtituerat, Eccleſiam S. Mariæ rotundæ Galluciorum ruina jacentem adeptus reſtituit. Sed, parente defuncto, Joannes ſub præceptore Bonifacio Bergomenſi, qui poſtea in patria Sacerdos, & Canonicus fuit, humanarum litterarum ſtudium abſolvit, a quo ſibi prædictum fuiſſe memorat, ſe Juriſconſultum magnam Juri Pontificio lucem allaturum. Verum cum ob inopiam ſibi alimenta ſufficere non poſſet, *Scarpetam Mainardi Ubaldini* filium erudiendo paupertatem ſublevavit. [2] Hæc *Volaterranus*, ſed ipſe Joannes Andreæ, cui plus credendum, de ſe aliter narrat. Scribit [3] enim, ſe cum nondum annum decimum compleſſet, a patre apud *Joannem Calderinum* locatum fuiſſe, deinde majorem factum, dum æſtate vacarent, ante docendi tempus, illum interpretatum fuiſſe *C. cum apud. 23. X. de Sponſalib.* qui fuit primus Canon, quem didicit.

In Jure civili RICARDUM MALUMBRÆ, & *Martinum Sillimani*, [4] in Pontificio vero *Guidonem a Baiſio* Archidiaconum, [5] quem præcipue coluit, & Juriſconſultorum Inſignia ab eo gratuito habuit, [6] ſtudioſe audivit; Nolebat inops docentis onus, quod *ſervile* appellabat, ſubire, ſed Archidiaconi præceptoris exhortationibus, & opera, Juris Pontificii Interpres factus Joanni Monacho concurrens adjunctus eſt. [7] Poſtea circiter annum MCCCxxx. Patavii docuit, ut ex ejus urbis Juriſconſultorum albo, & ipſiuſmet auctoris ſcriptis deprehenditur. Piſis etiam profeſſus eſt, unde Bononiam revocatus non vulgarem famam in interpretandis Pontificum Decretis conſecutus eſt. In eo enim munere obeundo prope quinquaginta annis inſumptis omnium clariſſimus evaſit. Inter alios diſcipulum habuit PAULUM LEAZARUM, qui ſæpe a præceptore diſcrepavit. [8]

Ex peritorum conſilio quotannis Idibus Februarii ex vena ſanguinem emittere conſueverat; [9] Aſſerebant enim, qui hoc feciſſet, eo anno febri orta ex intemperie non moriturum, idque ab Angelo hominibus revelatum; ſed multi ex phlebotomia vitam minui autumant, & ideo id temere non agendum. Bononiæ *Marſilio* ejus urbis,

[1] *Rapha. Volater. lib. 21. anthrop.* [2] *Raph. Volater. d. lib. 21.* [3] *in c. cum apud. 23. X. de ſponſal. & matrim.* [4] *Roman. ſingul. 253.* [5] *Jo. Andr. in prin. 6.* [6] *Domin. de S. Gemin. in prin. ſexti.* [7] *Jo. Andr. in prin. ſexti. in c. etſi clerici. 4. X. de judiciis.* [8] *Card. Zaba. in proem. Clement.* [9] *Abb. in c. cum ad monaſter. 6. n. 4. X. de ſtatu monachor.*

(ut

(ut videtur) Episcopo a consiliis fuit. [1] Tanta vero vitæ severitate usus esse dicitur, ut xx. annos procul a lecti deliciis pelle tectus ursina cubitaverit, frequentibusque jejuniis, ac vigiliis totus in scribendo, studendoque fuerit. [2]

Primo in *sextum Decretalium* a Bonifacio VIII. compilatum post Archidiaconum præceptorem glossemata edidit, quæ iterum pluribus interjectis interpolavit. Alia denique *in Clementinas* scripsit, quæ contextui annexa pro glossis leguntur. [3] Postremo *in Decretales* commentarium composuit, quod *Novellas* in Matris, & Filiæ, quæ ita vocabantur, memoriam nominavit, quod opus mirifice a *Baldo* extollitur. [4] Aliud in *Regulas sexti Decretalium libri* conscriptum, & *Mercuriales*, utpote diebus Mercurii elucubratum, dixit; vel, ut alii malunt, quod eo die disputatas quæstiones ibi inseruerit. Non pauca præterea *Guilielmi Duranti* Speculo an. MCCCXLVII. addidit, quæ plerunque ex consiliis *Oldradi* ad verbum excerpsit. [5] Quare, furtis proditis a Baldo *insignis alienorum laborum fur* nominatur. [6] De *interdictis civitatis*, *Consanguinitate*, *de Sponsalibus*, & *Matrimoniis* libellos in lucem emisit. Sed & hunc *a Joanne Anguissola* Cæsennate antea compositum sibi ascripsit. [7]

Cum celeriter scriberet, & plura dictitaret, raro suam opinionem firmavit, sed ubi firmavit, magno, acrique judicio fundavit; [8] Aliorum enim opinionibus recitandis intentus pauca de suo proferre solitus est; [9] Quare scepticos Philosophos imitari visus est, *qui semper quærunt, & nunquam inveniunt;* [10] judicio tamen adeo firmo singula perscrutatus fuisse creditur, ut si ambiguas quæstiones decidere voluisset, multis, quæ ab aliis scripta sunt, opus non fuerit, [11] ita enim accurate Jus Pontificium ubique exposuit, ut per centum annos nemo doctius ipso locutus fuisse dicatur. [12] Unde in judicando, & consulendo non parum ejus valet autoritas, quippe qui gravissimus, & exacti judicii habitus *tuba, & pater Juris canonici* vocatur. [13]

[1] Jo. Andr. in c. quod alicui. de reg. jur. in 6. [2] Raph. Volat. d. lib. 21. Anthrop. [3] Jo. Aud. in proem. Clem in verb. Joannes. Card. Zabar. ibidem. [4] in prælud. feudor. verb. aliqua sed pauca. [5] Socin. in cons. 6. post n. 8. in 1. p. [6] in addit. ad spec. de concess. præb. [7] Abb. in diction. in verb. matrimonium primo est viri, ac mulier. conjunctio. [8] Abb. in c. de quarta. 4. in fin. 3. col. X de præscription. sub num. 13. [9] Felin. in c. dilecta col. 5. de rescript. Sylv. nupt. lib. 5. sub n. 25. vers. etiamsi esset Jo. Andreæ. [10] Gelli. li. 11. c. 5. [11] Alex. in cons. 74. n. 20. lib. 4. [12] Cardin. Zaba. in proemi. Clem. Sylva nupt. in loco supra citat. [13] Aret. in cons. 2. Curt. sen. in cons. 1. num. 12. & Cur. jun. in cons. 15. n. 9. Bal. in cons. 226. vol. 1.

Nec in Juriſconſultorum tantum, ſed etiam in bonorum auctorum ſcriptis verſatus cultiorem doctrinam adeptus eſt. *Docentes magnæ ſervituti addictos eſſe dictitabat, & inanibus quæſtionibus deditos reprehendere conſueverat;* [1] compluribus aliis, ſed *Cino* præcipue, familiaris fuit. [2] Moribus fuit incorruptis. Orationis ſtudioſus multa ſe ejus beneficio obtinuiſſe ſcripſit. [3] Pontificiarum conſtitutionum diligens obſervator; cum quorundam Decretalium dubia fides videretur, Academiæ Bononienſi auctor fuit, ut ob omnem tollendam ambiguitatem ad Bonifacium VIII. JACOBUS A CASTELLO *ſacerdos Bononienſis*, & eximius Juriſconſultus mitteretur. Is corpore exiguus, & deformis in frequenti Senatu Cardinalibus riſum moviſſe dicitur; pluribus enim comitantibus, ingreſſum honorifice Pontifex accepit. Sed cum parvam hominis ſtaturam, talari veſte totam tegente, non animadvertiſſet, ac ſtantem genua ſubmiſiſſe crediditſſet, ſurgere juſſit. Cum id iterum, ac tertio repetiiſſet, nec quicquam præ pudore reſponderet, *Matthæus ab Aquaſparta* proximus Pontifici Cardinalis Portuenſis illum ſtatura Zachæum eſſe monuit, [4] unde omnibus riſus eſt excitatus. Alii id ipſi Joanni Andreæ eveniſſe ajunt, quem & ipſum deformem, & ſtatura exiguum fuiſſe ferunt, [5] & Legatum ad ſummum Pontificem miſſum comiter exceptum, & *lumen mundi* appellatum. [6]

Uxorem habuit *Joannes Andreæ Milanciam* vocatam, quam Dominam nominare, ac ut doctam aliquando conſulere conſueverat, [7] ab eaque ſe illud didiciſſe fatetur, *pulchra nomina eſſe filiis imponenda, etſi, ut alia, in foro venderentur, etiam magno pretio a parentibus emenda.* [8] Eandem conſuluit, an invitati ad prandium ejus hora ſint vocandi, & deducendi, quæ reſpondit, *Mulieres, peregrinos, & graves viros accerſendos, quos pudor prohibet ultro ſe ædibus alienis inferre, alios eſſe dimittendos.* Sed hoc Joannis Calderini uxorem dixiſſe verius eſt. [9]

BANICONTIUM Andreæ ita ab avi nomine appellatum natura-

[1] *Jo. Andr. in addit. ad ſpecul. tit. de locato. §. nunc aliqua. ver. 163.* [2] *Jo. Andr. ibid.* [3] *in Clem. 1. de reliquiis, & venerar. Sanct. in ver. orat. in fine.* [4] *Jo. Andr. in proem. 6. in verb. a multis.* [5] *Landria. in epiſ. ante ſpecul.* [6] *Anto. de Prato in proem. repert. ad Bar. Sylva nupt. ubi ſupra.* [7] *in c. cum ſecundum. 16. X. de præbend & dignit. & in c. qui prior. 54. de reg. jur. in 6. Tiraq. in 5. l. connub. n. 13. glo. 1. part. 5.* [8] *Jo. Andr. in c. cum ſecundum. 16. X. de præb. & dignit. Felin. in proem. decreto. n. 30. Tiraq. 11. leg. connub. n. 27. glo. 1. part. 11.* [9] *Abb. in c. cum inter univerſos. 18. ad fin. X. de elect.*

lem

lem filium suscepit, qui Decretorum Doctor & ipse tres libellos, unum *de Privilegiis & Immunitate Clericorum*, alterum *de Accusationibus, & Inquisitionibus*, tertium *de Appellationibus* evulgavit. Filias item duas habuit, alteram nomine *Novellam*, alteram *Betinam*, quam Joanni a S. Georgio Bononiensi Decretorum interpreti nuptui dedit; ea maritum Patavium ad Jus Pontificium explicandum conductum secuta obiit anno humanæ Salutis MCCCLV. & in D. Antonii cœnobio cum hoc Epitaphio humata fuit.

Sepulchrum D. Betinæ filiæ quondam Domini Joannis Andreæ de Bononia Archidoctoris Decretorum, & uxoris Domini Joannis de S. Georgio de Bononia Doctoris Decretorum, quæ obiit anno MCCCLV. Die Lunæ quinto Octobris.

Sed etsi hos liberos procreasset, etiam JOANNEM CALDERINUM *Bononiensem* ob morum integritatem adoptavit, [1] & ut quidam volunt, generum fecit Bononiæ in vicinia D. Jacobi habitavit. [2] Demum cum an. XLV. docuisset, peste, quæ dira crassabatur, sublatus excessit an. Salutis MCCCXLVIII. quod ipse priore anno quibusdam scriptis vaticinatus fuisse videtur. [3] Bononiæ in D. Dominici æde sepultus hoc Epitaphium meruit.

Hic jacet Andreas notissimus orbe Joannes
Primo qui Sexti Clementis, atque Novellas,
Hieronymi laudes, speculique jura peregit,
Rabe Doctorum, lux, censor, normaque morum
Occubuit fato per diræ pestis in anno MCCCXLVIII. die VII. Julii.

Id sepulchrum vetustate lapsum postea a *Calderino* ex *Joanne* adoptato, at nepote an. MDI. cum hac inscriptione instauratum fuit.

Deo Trino & uni.

Sepulchrum vetustate corruptum Jo. Andreæ Jurisconf. Principi Atavo, ac Joanni Abavo, & Gaspari avo Calderinis Jurisconsul. & Clariss. viri B. M. positum Calderinus Jacobi filius Jurisconf. instaurari jussit. Anno gratiæ MDI.

1 *Jas. in l. 2. in princ. ante n. 4. ff. de verb. oblig. Abb. in cons. 58. vol. 1.*
2 *Jo. Andr. in addit. ad specul. in tit. de test. §. 1. verb. item quod. aliquid addit. de suo.*
3 *in addit. ad specul. de filiis presbyter.*

CAP. XX.

XXIX. ZENZELINUS CASSANUS Gallus, origo Extravagantium. JOAN. FRANC. PAVINUS Gallus. STEPHANUS PROVINCIALIS. PETRUS A STAGNO.

XXIX. Joannes XXII. natione Aquitanus, patria *Caturienſis* anno MCCLXV. Romanus Pontifex declaratus conſtitutiones a ſe editas in unum collegit, quas *Extravagantes* vocavit, unde *Regulæ Cancellariæ* dictæ emanarunt. In eas ZENZELINUS DE CASSANIS gloſſas edidit; Alii *Genzilinum* nominant. Aliqua addidit JO. FRANCISCUS PAVINUS, qui poſt *Joannem Monachum*, *&* *Guilielmum de Monte Lauduno* in aliorum Pontificum *Extravagantes* ſcripſit. Hic, & Zenzelinus Galli fuere, & uterque in *Clementinas* Commentaria edidit, & ante illos STEPHANUS *Provincialis in Monte Peſſulano* profeſſor, quæ cum Joannes Andreæ vidiſſet, interpolatis ſcriptis ſuis addidit. [1]

Interpretabatur eo tempore & PETRUS A STAGNO Jus Pontificium in Monte Peſſulano. [2]

CAP. XXI.

XXX. JOANNES CALDERINUS Bononienſis. JACOBUS & CASPAR filii.

XXX. JOANNES CALDERINUS patria *Bononienſis* vitæ ſanctitate excelluiſſe dicitur, [3] quem ob morum elegantiam, & ſingularem probitatem Jo. Andreæ in filium adoptavit, [4] & ut quidam credunt, Novella filia uxore tradita generum fecit. Is conjugem velut eruditis parentibus ortam prudentem nactus ſæpe ob Sapientiam conſulere conſueverat. Inter alia ſemel interrogavit, *an convivator hora prandii ad convivas mittere teneatur, ut veniant*, illa non minus facete, quam ſcite reſpondit, *ad fœminas, & peregrinos, qui non facile ſe ingerunt, mittendum eſſe, ad alios vero non, niſi eſſent graves perſonæ*; [5] Idque etiam in pluribus Italiæ locis obſervatur & aliqui ex Jure eſſe volunt. [6]

Ex ea conjuge JOANNES JACOBUM, & CASPAREM filium &

[1] *Card. Zab. in proe. Clem.* [2] *Card. Zab. ibid.* [3] *Caccia. de ludo. n. 45.* [4] *Abb. in conſ. 58.* [5] *Jo. Calder. in c. ult. X. de renunciat. Ægid. Bella. in c. quidam. 12. col. 3. ver. 3. quæro. eod. tit. Abb. in c. cum inter univerſas. 18 in fin. X. de electione & electi pot.* [6] *Arcbid. in c. diſplicet. 38. cauſ. 23. q. 4. Bal. in proem. decretal. in verb. Rex pacif. n. 37.*

ipſum

ipſum Juriſconſultum ſuſcepit, qui cum Reſponſa, quæ extant, edidiſſet; præclara etiam in *Decretales* commentaria reliquit, & a Baldo ſcientia claruiſſe dicitur; [1] ambitioſius tamen quam hominis dignitas patiebatur, cum *Bertoldo Primadico Equite*, *&* *Raimondo Rampono Comite* Joannes de loco contendit tanta animi obſtinatione, ut ad Robertum Apuliæ Regem iverint, qui ſententia litem dirimeret, & Calderinus victus diſceſſit. [2] Clementis VI. Pont. Max. Conſiliarius fuiſſe fertur. De *interdicto* etiam *Eccleſiaſtico* librum, & *Decretalium Indicem* ſcripſit. Deceſſit Bononiæ & apud D. Dominicum eſt tumulatus in marmoreo ſepulchro, quod Jacobus Lanfrani Venetus ſculptor ſui temporis egregius circa annum MCCCL. fabricavit. [3]

CAP. XXII.

XXXI. PAULUS LEAZARUS Bononienſis. Varii Doctores in jure canonico clari.

XXXI. EAdem ætate PAULUS LEAZARUS *Bononienſis*, [4] vel, ut alii malunt, *Mediolanenſis*, *Joannis Andreæ* Auditor [5] cum *Rainerio*, & *Jacobo Butrigario* circiter an. Salutis MCCCXL. Bononiæ in Jure Pontificio emicuit. [6] In quod non pauca ſcripſit, & acutas quæſtiones a ſe diſputatas reliquit. Inter alios *Joannem a Lignano* erudiit. [7]

Eo tempore in Jure Pontificio floruere GULIELMUS a MONTE LAUDUNO & GENZELINUS *Galli*, STEPHANUS *Provincialis*, qui cum PETRO a STAGNO apud Montem Peſſulanum Jus canonicum explicuit, MATTHÆUS ROMANUS, JOANNES a S. GEORGIO, & LAURENTIUS a PENA *Bononienſes* [8] & JOANNES FRANLUCIUS & ipſe Bononienſis.

Docente PAULO LEAZARO, primum Senis Gymnaſium inſtitutum, illud mox ſæpe deſertum, ac deſtitutum, *Cardinalis Zabarella* ſcribit. [9]

CAP. XXIII.

XXXII. FRIDERICUS PETRUCCIUS Senenſis: fundatio Academiæ Senenſis.

1 *Bal. in conſ. 226. vol. 1.* 2 *in chronicis.* 3 *Georg. Vaſar. de vitis pictorum. in Auguſtino Senenſi. 1. par.* 4 *Alber. in R. C. quæ ſit longa conſuet. ſub n. 78.*
5 *Card. in proem. Clement.* 6 *Bal. in l. 15. C. ex quib. cauſ. infam. irrog. & Abb. in c. ult. X. de ſecund. nupt. ſub num. 3.* 7 *Feli. in c. ſi quando. 5. n. 3. X. de reſcr.* 8 *Card. in proem. Clement.* 9 *in Clem. dudum. 2. n. 17. de ſepult.*

XXXII. CUm ob sævientes factiones anno MCCCIII. a *Napoleone Ursino* Clementis V. Pontificis Legato Bononienses censura Ecclesiastica notati essent, eorum destituta est Academia, quod inferorum pœnis tenerentur, qui eo studiorum causa profecti fuissent. Itaque primo *Florentiæ*, deinde *Senis* anno Salutis MCCCXX. Gymnasium erectum fuit, ubi magna studiosis disciplinarum immunitas est data, ut ex nonnullis Pii Pontificis annotationibus constat. Ibi primi JACOBUS PAGLIARENSIS, quem alii *Joannem* nominant, *Jo. Andreæ* discipulus, [1] & *Fridericus Petruccius* ambo Senenses, ille Jus civile, hic Pontificium interpretati fuisse dicuntur, deinde *Perusium* conducti [2] Baldum discipulum habuere.

Cœterum Fridericus tum primum inter Juris Pontificii Interpretes locum obtinuit, [3] cujus præclara extant *Responsa*, & de *Permutatione beneficiorum* liber, quem, pluribus additis, LAPPUS *Florentinus* illustravit. Senis in Nobili ædificio contra ædes Pii II. Pont. Max. habitavit, ac magnificum extra portam novam Chartusiorum Cœnobium condidit, quod bellorum injuria vastatum postea restitutum fuit.

Vir fuit maxime accuratus, qui in ambiguis quæstionibus alios Jurisprudentes, inter quos *Joannem*, vel, ut alii, *Innocentium Regiensem* consulere solebat. [4] In Patria defunctus in æde majori prope D. Joannis Sacellum sepulchrum marmoreum pluribus signis exornatum, & mira elegantia elaboratum habuit. In eadem familia Benedictus, qui circiter an. Salutis MCCCLXXX. Jus civile est interpretatus, ac JOANNES, & novissime RAYNALDUS claruere.

CAP. XXIV.

XXXIII. LAPPUS *Tuctus*. LAPPUS *Castilionelius*. VICTOR DULCIS FELTRENSIS.

DUo fuere LAPPI, Alter TUCTUS (XXXIII.) *Podiebonizus Florentinus* [5] a *Monte S. Miniati* [6] *Abbas*, qui super sexto Decretalium, & *Clementinis* scripsit, [7] & librum *de Permutatione beneficiorum a Friderico Petruccio* Senensi in lucem emissum non paucis adjectis amplia-

1 *Frider. in cons. 1.* 2 *Bal. in l. 49. §. 1. post n. 5. C. de Episc. & Cler. D. Feder. in tract. de permuta. benefic.* 3 *Bal. in d. §. 1. ante n. 7.* 4 *Frider. cons. 142.* 5 *Lap. alleg. 101. & 105.* 6 *Socin. cons. 116. col. ult. in p.* 7 *Alb. Brun. de statut. exclud. fœm. art. 12. q. 11. Zabar. in proem. Clement.*

vit.

vit. Implacabilem litem cum ſorore exercuit, cum eam ab inteſtati patris ſucceſſione ex juris municipalis diſpoſitione vellet excludere, & ipſa ſacros viros eo jure juvare negaret, [1] ſed plures *Lappo* faverunt.

Alter LAPPUS *Caſtilionelius* patricius Florentinus *Joannem Calderinum*, & *Lappum Abbatem S. Miniati*, & *Joannem a Lignano* Bononiæ audiviſſe creditur, quia ipſos Dominos ſuos appellat. [2] Cum *Oldrado a Ponte* Romæ Advocatum Conſiſtorialem egit circa annum ſalutis MCCCXLVI. [3] *Allegationes* præclaras conſcripſit, & tractatum de *Hoſpitalitatibus*, [4] quod eſt commentarium *ad C. de Xenodochiis. de Relig. Dom.* Alium tractatum de *Canonica portione*, & commentarium *in Sextum Decretalium* edidiſſe dicitur, [5] ſed vereor, ne hunc *Lappum* cum altero *Abbate* confundant.

Alteri *Lappo Abbati* cum ſorore, aut fratris filia litiganti eſt patrocinatus. [6] Lappi Caſtilionelii Petrus Girlandus Caſtilionus & ipſe Florentinus agnatus ab aliquibus fuiſſe creditur, nomenque familiæ curſu temporis aliquantum mutatum fuiſſe, qui luculentum de Hæreticis tractatum compoſuit. Hic Lappo longe poſterior fuit, & poſt *Alexandrum Imolenſem* vixit.

Sub id tempus claruit Patavii VICTOR DULCIS FELTRENSIS, cujus hoc Epitaphium apud S. Franciſcum cernitur.

Victor ex Dulci familia Feltrenſi natus Juris Pontificii accuratiſſ. Interpres hoc marmore clauditur, qui, ut Sapientia noſtra claruit ætate, ita exutus vita fama nunc perbeate luſtrat. Obiit MCCCLIII.

Bononiæ eadem ætate docebant Jus Pontificium JOANNES a S. GEORGIO, & LAURENTIUS A PENA uterque Bononienſis, qui quasdam obſervationes *in Clementinas* ſcripſerunt. [7]

CAP. XXV.

XXXIV. JOANNES a LIGNANO. JOANNES FANTUCIUS. ANTONIUS a PRESBYTERIS.
XXXV. ÆGIDIUS BELLAMERA.

1 *Alb. Brun. de ſtatut. exclud. fæm. art.* 12. *q.* 11. *Cardi. in c. perpendimus.* 23. *X. de ſenten. excom. Lapus alleg.* 101. 2 *alleg.* 74. & 75. *n.* 6. & 118. *ad fin.* & 131. 3 *Rom. ſingul.* 39. 4 *Domi. a S. Gem. in c. ult. ſub n.* 19. *de elect. & elect. pot. in* 6. *Cardin. in c. de Xenodochiis* 3. *ſub n.* 4. *X. de Relig. domib. Ant. de Butr. conſ.* 62. *Ancar. conſ.* 355. *ad fin.* 5 *Alex. in l.* 4. *ſub n.* 6. *verb. tamen cum dicta opi. Bar. ff. ad SCt. Trebell.* 6 *Lap. alleg.* 101. 7 *Card. Zab. in proe. Clem.*

XXXIV. JOANNES a LIGNANO agri *Mediolanensis* Vico oriundus, [1] & ob id *Lignanus* dictus *Pauli Leazari* discipulus fuit, [2] qui cum diu Philosophiæ, artibus liberalibus studuisset, sero ad Jus discendum se contulit. [3] Deinde legum tyrocinio deposito *Bononiæ*, dum ibi *Saliceti* profiterentur, [4] Jus Pontificium & ipse interpretatus omnes disciplinas tenuisse creditus est, præter enim divini, humanique juris scientiam, Philosophiæ naturalis disciplinæ, arti Medicinæ etiam, & Astronomiæ antea incubuerat.

Urbani V. Pontificis jussu circiter annum Sal MCCCLXV. librum de *Pluralitate beneficiorum* in publicum misit. Alios etiam *de horis Canonicis*, *Censura Ecclesiastica*, *Duello*, *Hæresibus*, *& Amicitia valde* utiles. Quædam circa etiam ab aliis in *Clementinas* annotata confuse, & negligenter congessit, [5] & alia scripsit. Ejus in omnes *Decretales* commentaria Patavii in majoris templi Bibliotheca manuscripta conservantur.

Vir Philosophico ingenio, splendidi habitus parum studiosus fuit, qui semel ad nuptias invitatus, & ob vilem vestem neglectus in infimo loco positus est. Itaque ubi ob vulgarem cultum nullam virtutis rationem haberi vidit, purpuream togam sibi afferri jussit, & e mensa surgens in superiore loco, quem sibi deberi existimabat, eam collocavit, illud præfatus, *Vestem coluistis, vestem habetote*, quo dicto omnes ob factum admirabundos, & pudore suffusos relinquens discessit. [6]

Cum vero Gregorius XI. ex Gallis Romam reversus decessisset, Cardinales, armato populo Romanum, aut Italum Pontificem efflagitante, Urbanum VI. Pont renuntiarunt. Sed cum armorum metu se id fecisse asseverarent, Clementem VI. elegerunt, unde, orto schismate, *Joannes cum Baldo* causam Urbani scriptis strenue defendit. [7] Erat tum in Faliscis (nunc Montem Flasconum vocant) quem de se benemeritum Cardinali dignitate libenter se honestaturum fuisse Pontifex dixit, nisi conjugatus eo honore frui non potuisset, [8] cui Joannes, *Nolle se*, inquit, *sanguinem pauperibus destinatum bibere*, *sed ex su-*

1 *Barb. in conf. 44. in princ. lib. 4.* 2 *Felin. in c. si quando. 5. n. 31. X. de rescript.* 3 *Barb. in c. cum causam. 6. col. 4. X. de juram. calum. Calv. Sylva nupt. l. 5. quomodo judicandum. sub n. 56.* 4 *Salic. in l. 1. ante n. 14. C. de sum. Trin. & fid. cathol.* 5 *Card. in proem. Clem.* 6 *Barba. in c. cum M. 9. col. 50. X. de constitut. Barthol. Bolo. in repertor. Auth. habita. col. 8. verb. & ideo deciditur. C. ne filius pro patre. Tiraq. in 3. lege connub. glos. 1. part. 3. num. 53.* 7 *Pav. Emil. de reb. gest. Franc. lib. 9. in Carolo V. cart. 205.* 8 *Jo. Bertachi. de Episcop. lib. 2. q. 25. n. 43.*

dore

dore manum ſuarum victurum, cum ſibi Deus conceſſiſſet, ut laboribus poſſet vitam ſuſtinere; [1] Tum Urbanus, *poſſes*, ait, *etiam habens patrimonium ex reditibus Eccleſiæ vivere, ſi velis*; Et ut erat eruditus, citavit gloſſam id narrantem. [2] At Joannes, *poteſt*, inquit, *& Pontifex ex bonis Eccleſiæ vivere, ſed non ditare nepotes*, his ſe non indigere ſignificans, & cognatis dandi fugiendam occaſionem.

Interpretum Juris Pontificii princeps habitus eſt. [3] Quod diu Bononiæ docuerit, ſunt, qui eum falſo Bononienſem fuiſſe arbitrentur. Diſciplinas, & earum ſtudioſos mirifice adamavit. Bona in Villa agri Lignani ditionis Mediolani, & in Bononienſi territorio reliquit.

Moriens libros extra familiam ſuam teſtamento alienari prohibuit, & ſi BAPTISTA, quem unicum filium habebat, ſine liberis deceſſiſſet, collegium ſtudioſorum inſtituit. Sed natis poſtea *Guilielmo*, & *Georgio* nepotibus id evanuit. Ex eodem teſtamento poſterioribus diebus inter Antonium Mariam Georgii filium, & alios Guilielmi ex Cornelia, Margaritaque nepotes Abavi bona vendicantes orta eſt controverſia, in qua *Barbatius*, [4] *Bartholomæus Socinus*, [5] *& Carolus Ruinus*, [6] *Corneus*, [7] *Crotus* [8] pro diverſis partibus contraria conſuluerunt. Bononiæ defunctus in D. Dominici ſacello ſupra portam ad dexteram hoc Epitaphium habuit.

L. B.

Frigida mirifici tenet hic lapis oſſa Joannis
Ivit in aſtriferas mens generoſa domos.
Gloria Lignani titulo decoratus utroque
Legibus, & ſacro canone dives erat.
Alter Ariſtoteles Hippocras erat, & Ptolomæus
Signiferum, & æqui noverat aſtra poli
Abſtulit hunc nobis inopina ſyncopa mortis
Heu dolor hic mundi portus & aura jacet.
MCCCLXVIII. D. XVI. Menſ. Febr.

Hoc opus fecerunt *Jacobellus*, & *Petrus Paulus* fratres Joan. Lignano Bononiæ docente. Hi eximii Sculptores erant, qui Mauſo-

[1] *Jo. de ligna. de pluralitate beneficiorum in fin. & in c. Epiſcopus 4. in fin. X. de præb. & dignit. & Felin. in c. ad audientiam. 13. n. 2. X. de præſcription.* [2] *in c. Epiſcopus. 4. X. de præbendis & dignit.* [3] *Card. in proem. Clement.* [4] *conſ. 44. lib. 4.* [5] *in conſ. 227. vol. 2.* [6] *conſ. 168. vol. 3.* [7] *conſ 230. lib 3.* [8] *conſ. 48.*

leum hoc elaborarunt. JOANNES FANTUCIUS, qui nonnulla aliorum in Clementinas ſcripta compilavit, [1] & ANTONIUS a PRESBYTERIS, ſeu Prætis a Conſilice Bonionienſes in patria floruere. [2] Hic ſcripſit opuſculum, quod *clypeus Paſtoralis* nuncupatur, & Florentiæ Epiſcopi Vicarium egit. [3]

XXXV. His temporibus ÆGIDIUS BELLAMERA inter Rotæ Auditores præcipuus Gregorio XI. ſedente Anno MCCCLXXX. maxime claruit; cum plura in Jus Pontificium *commentaria*, *Deciſiones*, *& Reſponſa* edidiſſet. Demum Avenionenſis Epiſcopus declaratus ad ſuam ſedem ſe contulit, & ibi extremum diem clauſit circiter an. Sal. MCCCXCII. quo ex Bonifacii IX. privilegio in Germania primum Etfordiæ Gymnaſium eſt inſtitutum, ut præcipue Theologia ibi doceretur, quod nunquam in ea regione antea actum fuerat. [4]

CAP. XXVI.

XXXVI. PETRUS ANCHARANUS, fundator collegii pauperum Ancharani.

XXXVI. PETRUS ex ANCHARANO *Farneſiorum Caſtello* oriundus ex ipſa etiam Farneſia ſtirpe deſcendere dicitur. Baldum audivit, [5] & cum *Antonio Butrio* Bononiæ Jus Pontificium explicuit. Poſtea an. MCCCLXXXV. Patavium ad Jus civile interpretandum conductus in Digeſtum vetus, & novum commentaria edidit. Demum in patriam revocatus ſolum in exponendo Jure Pontificio verſatus eſt.

In *Decretales*, *Sextum*, *& Clementinas egregias* interpretationes ſcriptas reliquit. Ab Alberto II. Atteſtino anno MCCCXCIII. honeſto ſtipendio conductus Ferrariæ paucis diebus docuit. Alberti enim obitu, qui eodem anno ſecutus eſt, deſtituto Gymnaſio, in patriam rediit, etſi aliqui eum nunquam Bononia diſceſſiſſe arbitrantur. Nonnulli vero eum a Nicolao Atteſtino anno MCCCCII. Ferrariam ad Jus civile docendum conductum fuiſſe aſſerunt. Ipſe ſe pro Reip. Venetæ conſiliario ſub Antonio Venerio Principe, certo conſtituto honorario, conductum fuiſſe ſcribit. [6] Inde Senas vocatus triennio ibi Decretales eſt interpretatus. [7]

[1] *Card. in proem. Clement.* [2] *Corne. in conſ. 335. ſub n. 2. lib. 1.* [3] *Anto. de Pratis in eo tracta. n. 40. c. 6.* [4] *Albertus Crantzius lib. x. c. 15. Saxoniæ.* [5] *Ancha. conſ. 142. & in Clem. exivi de paradiſo, 1. de verb. ſign. & alibi ſæpe.* [6] *in c. canonum. 1. X. de co n ſtit fol. 22.* [7] *Petr. Anca. in Clem. dudum. 2. n. 9. de ſepultur.*

Vir

Vir magnæ integritatis habitus est, & exacti judicii, ut ejus Responsa non mediocrem apud Judices auctoritatem obtineant. *Veridicus interpres* appellatur, [1] & *Juris lumen.* [2] Quandoque etiam a Principibus viris de ambiguis quæstionibus judicaturis consultus non minus docte; quam prudenter diffidentium lites diremit. [3] Verum *Franciscus Aretinus* suspicatur, ne quandoque auro, & pecunia deceptus consuluerit. [4] *Franciscum Zabarellam Cardinalem* sibi valde familiarem filio lustricum patrem ascivit. [5]

Demum *Collegium pauperum studiosorum* [6] Bononiæ instituit, quod etiam hodie extat, & ab eo *Ancharanum* vocatur. Obiit Bononiæ valde senex, si quidem an. MCCCCXV. vixisse reperitur, ut ex quodam ejus Responso apparet, [7] cum ante exactis jam annis LVII. consulere cœpisset. [8] Postea amici ei hoc monumentum in D. Dominici templo fecerunt.

D. O. M.

Petro Ancharano Jur. Pont. & Cæsar. clarissimo interpreti ejus amantissimi sacrum hoc instauratum posuere an. Sal. MCCCCXCIII.

Canonis hic speculum civilis, & Anchora Juris
(Heu) jacet, æternas mens tenet alma domos.
Nomen erat Petrus, genuit Farnesia proles.
Nunc Ancharanum dat sibi laudis opes.
Quis superabat eum virtute micante? Quis isto
Consiliis hominum clarior ante fuit?
Pro meritis nunc astra dedit sibi Juppiter almus.
Et voluit gelido membra jacere solo.

CAP. XXVII.

XXXVII. ANTONIUS BUTRIUS Bononiensis.

XXXVII. NUllus ex Jurium Professoribus aut vitæ sanctitate, aut morum gravitate ANTONIUM A BUTRIO (quod est inter Bononiam, & Ferrariam Castellum) superasse creditus est, [9] qui cum ex temporali studio parum meditate semel contra Juris præ-

1 *Conf. 74. sub n. 8. lib. 1.* 2 *Bologn. conf. 38. ad fin.* 3 *Petr. Ancar. in conf. 210. Socin. conf. 150. ad fin. vol. 1.* 4 *Aret. conf. 94.* 5 *Ancar. in conf. 188. in prin.* 6 *Alex. conf. 37. lib. 7.* 7 *ex conf. 15. spiritualis Judex.* 8 *ut in conf. 214. in fin.* 9 *Curti. Senior. conf. 35. ante n. 17.*

cepta respondisset, cognito errore, velut aliquid responso additurus, consulentem revocavit, ac restituto honorario hominem ad transigendum cohortatus, mirabundum dimisit. Tantæ denique auctoritatis fuit, ut in ambiguis quæstionibus clarissimi viri ejus opinionem velut integerrimi Jurisconsulti amplecti malint. [1]

Jus Pontificium cum *Petro Ancharano* in patria docuit, *Joanne Bentivolo* Bononiæ imperante. [2] Deinde Ferrariæ anno MCCCXCIII. ubi tum primum ab Alberto II. Atteftino Gymnasium institutum fuerat, sed unico filio amisso, Bononiam rediit. [3] Alii a Nicolao II. anno MCCCCII. Ferrariam conductum fuisse autumant. Inter alios plures *Joannem Imolensem*, [4] *Matthæum Mattesilanum, Cardinalem Zabarellam, & Dominicum a S. Geminiano* [5] eximios viros erudiit.

Præclaraque Responsa, & in Jus Pontificium commentaria edidit, quæ pluris ob viri auctoritatem, quam eorum auctoritatem fieri consueverunt, si quidem sæpissime adeo perplexe, ac inordinate scripsit, ut vix ejus mens quandoque percipi possit. [6] Duos quoque Indices, alterum in *Jure civili*, alterum in *Pontificio* composuit. A Benedicto vero XII. in Gallias ad Regem, ob tollendum schisma jam multis annis ortum, Legatus missus morte præventus optatum finem videre non potuit. [7] Obiit anno Salutis humanæ MCCCCVIII. III. Idus Octobris. In patriam relatus extra urbem in peristylio D. Michaelis a nemore cum hoc carmine conditus fuit.

Qui legum ante alios interpres vixit acutus
Scævola pro juris cognitione novus.
Et canonum Princeps, nulli pietate secundus
Trajano, & compar integritate fuit.
Consilio æquavit magnum, & gravitate Catonem
Antonius Butrius quanta sepulchra colit.
MCCCCVIII. XIII. Octobr.

CAP. XXVIII.

XXXVIII. FRANCISCUS ZABARELLA Patavinus Cardinalis, origo nominis, ejus eloquentia, legationes, scripta. Legatus ad Cæsarem Sigismundum, spes ad Pontificatum. XXXIX. BARTHOLOMÆUS ZABARELLA MARINUS aliique ZARABELLÆ.

[1] *Pan. Ca. in cons.* 180. *vol.* 1. [2] *Anton. cons.* 13. [3] *post cons.* 46. *Butrii.* [4] *Imo. in cons.* 101. [5] *Gemin. cons.* 66. [6] *Alex. in l.* 8. §. 6. *n.* 24. *ff. de oper. nov. nunciat.* [7] *Felin. in proem. decret. in verb. Gregorius. n.* 20.

XXXVIII.

XXXVIII. ZABARELLÆ olim Bononiæ *Sabadini* fuerant, qui in agrum Patavinum ad plebem facci se transferentes, demum Patavium venerunt, & ex *Sabadinis*, corrupto vocabulo *Zabarellæ* sunt vocati; Ex his ortus FRANCISCUS, inter Juris Pontificii Interpretes maxime enituit. Bononiæ *Laurentii a Pinu*, & *Joannis Lignani* discipulus [1] in patria Lauream accepit, ubi Pontificum Decreta interpretatus *Nicolaum Abbatem*, *Panormitanum* insignem & ipsum postea interpretem factum instituit.

Imperabat tunc Patavii Franciscus II. Carrarius, qui anno MCCCXCVII. IV. Nonas Julii cum Giliolam filiam Nicolao Atteſtino nuptui locaret, Franciscus Zabarella luculenta oratione nuptias celebravit. Deinde interjecto septennio, Belflorem Francisci II. Carrarii filio nuptam Patavium venientem cum aliis Jurisconsultis sub Umbella nomine Collegii gratulabundus excepit. Cum vero post biennium, quam hæc acta sunt, Patavium gravi bello a Venetis premeretur, ad Regem Gallorum, ut opem imploraret, missus, nihil obtinuit.

Demum urbe Venetorum potestati tradita, Civitas XV. Legatos magna pompa in novi Principis verba juraturos Venetias destinavit, omnes purpura nitentes comitatum prasinis vestibus insignem habebant, quem concinentes tibicines præcedebant, ubi ad Senatores excelso in Tribunali in foro sedentes perventum est, Franciscus Zabarella Legationis Princeps splendida oratione patriæ vexillum Duci tradidit, Franciscus vero Doctius *sceptrum*, Fredus Malicius *claves*, Oliverius Linguanus *sigillum* obtulit.

Non multo post Zabarella Florentiam ad Jus Pontificium docendum conductus maxime excelluit, inter alios ibi *Petrum Paulum Vergerium*, quem postea semper familiarem habuit, studiis operam dantem erudiit, qui postea de vita, & morte præceptoris accuratissimam epistolam scripsit. Cæterum Franciscus adeo illi Reipub Florentinæ carus extitit, ut defuncto Florentiæ Archipræsule, posthabitis præstantissimis civibus, ipse peregrinus, & admodum juvenis in Antistitem electus fuerit; Sed jam alio Antistite a Pontifice declarato, ea dignitate tum potiri non potuit.

Postea a Bonifacio IX. accitus, ut aliquam tollendi schismatis rationem ostenderet, Romæ aliquandiu versatus est; Inde Patavium reversus variis functus est legationibus. Interea mortuo Patavii Epi-

1 *Card. in præfat. Clement.*

ſcopo ſufficitur, quem honorem, ne Senatus Veneti offenſam incurreret, qui alii eam dignitatem demandare voluit, prudenter rejecit.

Per id tempus aliquantulum otii nactus luculenta *Reſponſa, atque egregia in Decretales, Clementinaſque commentaria, & de horis Canonicis librum* edidit. Cum liberalibus quoque artibus, & naturali Philoſophiæ operam dediſſet, de his quædam opuſcula ſcripſit: Extant etiam præclaræ ejus *Orationes* variis de rebus habitæ, & *Epiſtolæ*, quas ad amicos miſit, non ſine elegantia exaratæ. Oratores, quorum ſtudioſiſſimus fuit, Poetas, & Hiſtoriographos valde familiares habuit.

Petri Ancharani, quem valde amavit, filium ex ſacro baptiſmi fonte ſuſcepit. [1] Somni parciſſimus, & ne quam temporis jacturam faceret, valde ſolicitus. Vir recti animi, ſuaviſſimæ conſuetudinis, & integerrimæ, caſtiſſimæque vitæ fuit. Familiares, & diſcipulos ad bonos mores hortari ſolitus, ab ipſis non ſecus ac pater diligebatur. Domi parcus, foris fortunas inter pauperes dividebat.

Demum imminente concilio ob tollendum ſchiſma JOANNES XXIII. qui antea *Balthaſar Coſſius* dicebatur, ut eruditorum virorum doctrina ſe tueretur, *Franciſcum* ad ſe vocat, & *Florentiæ* Archipræſulem declarat; Exinde Archiepiſcopus Florentinus eſt appellatus. Ipſe cum virum in primis doctrina eximium quæreret, qui controverſias canonice diffiniret, *Paulum Caſtrenſem* ſibi aſſeſſorem conſtituit. [2] Anno vero MCCCXI. ab eodem Pontifice ad Cardinalem dignitatem provectus eſt. Et cum *Sigiſmundus* Cæſar Concilium efflagitaret, ut Bohemiæ hæreſes tollerentur, & ſchiſma trium Pontificum tandem tolleretur, Joannes Pontifex Franciſcum cum *Antonio S. Cæciliæ* Cardinali, & *Emanuele Chryſolora* ad Cæſarem Legatos deſtinat, præcipue mandans, ut locum ad Synodum ſibi tutum eligant. Dicitur oppida, quæ optabat, ſcripto declaraſſe, [3] ſed abeuntibus Legatis, libera ipſis loci poteſtate facta, chartam coram *Leonardo Aretino*, qui a Pontificis ſecretis erat, laceraſſe. Quod divino impulſu factum eſſe videtur; Illi enim nulla, aut modica controverſia facta, ut Eccleſia tandem reſpiraret, locum Sigiſmundi arbitrio commiſerunt.

Synodo igitur omnium Principum conſenſu Conſtantiam, quæ Moguntinæ Provinciæ Civitas eſt, indicta, Franciſcus, Joannis XXIII.

[1] *Ancar. in conſ.* 188 *in prin.* [2] *Pau. Ca. in Auth. ad hæc C. de judiciis.* [3] *Anton. Archiepiſcop. Florent.*

cui

cui XL. graviſſima crimina objecta fuerant, deponendi auctor extitiſſe fertur. Et ſi libera eligendi ſucceſſoris Cardinalibus facultas permiſſa fuiſſet, omnium opinione *Franciſcus Zabarella* Summus Pontifex evaſiſſet. Sed in ea perturbatione cum etiam aliorum conſenſu opus eſſe videretur, in quinque nationes univerſus cœtus eſt diviſus, Italos, Gallos, Germanos, Hiſpanos, & Anglos, & actum, ut ſeni ex quaque natione graviſſimi viri eligerentur, qui cum Cardinalibus anno MCCCCXVII. OTHONEM COLUMNAM, MARTINUM V. vocatum, quod die illi Sancto dicato creatus eſſet, Pontificem renuntiarunt. JOANNES vero Florentiam profectus intra paucos dies mærore deceſſit. Alii dicunt eum fugientem captum in carceribus obiiſſe.

At Franciſcus nimiis laboribus, quos ſenex ſuſtinere non poterat, victus, anno ætatis LXXVI I. vel, ut alii malunt, LXXX. Conſtantiæ obiit anno ſalutis MCCCCXVII. Die v. Novembris a cunctis ordinibus fruſtra Pontifex expectatus. Exequiæ & Sigiſmundi Cæſaris, & totius Eccleſiæ præſentia, quantum unquam in ejus ordinis viro viſæ ſint, celebres fuerunt, in quibus POGGIUS FLORENTINUS vir in politioribus literis tum clarus oravit. Cadaver Patavium delatum magno cum civium luctu in majore templo ad ſiniſtram Sacelli Deiparæ Virginis cum hoc Epitaphio conditum fuit.

Franciſco Zabarellæ Florentiæ Archiepiſc. Viro opt. Urbi, atque Orbi gratiſſ. Divini, humanique Juris Interpreti præſtantiſſimo in Cardinalium collegium ob ſummam ſapientiam cooptato, ac eorundem animis Pontifici prope Maximo, Joanne XXIV. ejus ſuaſu abdicato, ante Martinum V. ob ſingularem probitatem in Conſtantienſi concilio deſtinato, Joannes Jacobi Viri Clariſſimi Fil. id monumenti ponendum curavit. Vixit annos LXXVIII. obiit Conſtantiæ MCCCCVIII.

XXXIX. Moriens BARTHOLOMÆUM ex Andrea fratre nepotem reliquit, qui & ipſe Patavii Jus Pontificium magna cum laude docuit. Poſtea Romam vocatus, & diſputando, & conſulendo ingens eruditionis ſuæ ſpecimen dedit. Quare primo Antiſtes Spalatinus, deinde Archipræſul Florentinus, & poſtremo ab Eugenio IV. Pont. Rom. EccleſiæReferendarius creatus fuit. Demum cum majoribus etiam Infulis exornandus eſſe crederetur, nondum ſenex Sutrii deceſſit anno Salutis MCCCCXLV. Oſſa Patavium delata in patrui ſepulchro condita fuere. Cum ſucceſſor facile non inveniretur, vacavit

vit Florentiæ Sedes Menfibus IX. donec ei *Antonius* doctrina, & miraculis clarus fuffectus eft.

Floruerunt in Zabarella familia & alii Jurisconfulti, fed præcipue MARINUS Patavii Decretorum interpres, cujus in D. Antonii templo cum effigie marmoreum monumentum cum his Epitaphiis fpectatur.

De Zabarellis urna hæc tenet ampla Marinum
Sufcipe Virgoparens, animam in tua regna repono
Da legum, & canonum feffam tuta arce morari.

Ibidem

Marino Zabarellæ feniori Jurifconfulto maxime memorando, ob idque indigno, cujus fepulchrum tandiu neglectum ignoretur, grata pofteritas H. M. reftituit. Obiit anno MCCCCXXVII.

Uxorem habuit nomine Zabarellam, ex qua MAINARDUM, & ANDREAM filios fufcepit, quibus hæredibus inftitutis arctum injunxit fideicommiffum, ob quod plures ortæ funt lites, [1] forte non adhuc fopitæ in hac familia.

Noviffime claruit MARCUS ANTONIUS, qui & ipfe in Patria multis annis Jus Pontificium erudite explicuit. Francifcum filium Jurifconfultum poft fe reliquit acutisfimum, qui in patria profeffus poftea Prætoribus Venetis affedit. FRANCISCO ZABARELLA Patavii docente. PETRUS A MONTAGNANA Prior Cœnobii carcerum, & JOANNES PRIOR Cœnobii S. Benedicti, & JOANNES UBALDINUS Abbas circiter annum Salutis MCCCCLXXX. Decretum Patavii interpretabantur, in alboque ejus urbis Jurifconf. etiamnum leguntur.

Poft hos HIERONYMUS *Prior S. Mariæ de Porciliis* Decretum explicuit, & JOANNES ZANETINUS *Bononienfis* in Patria Jus Pontificium circiter annum MCCCCXC. vefpere eft interpretatus, cujus aliqua etiam extant commentaria. [2] Differentias inter Jus canonicum, & civile numero CCLXXVII. compofuit, quibus cafus confcientiæ addidit. Ejus nominis nepos primum Bononiæ, mox in Germania, deinde Senis, ac poftremo Romæ magna cum laude docuit.

CAP. XXIX.

XL. PETRUS MAUROCENUS FANTINUS DANDALUS *Venetus*, JOANNES GARZO *Venetus*, PAULUS DOCTUS *Patavinus*, JOANNES VERZELESIUS *Patavinus*.

1 *Soci. conf.* 12. *l.* 3 *Rui. conf.* 174. *l.* 2. & 18. *l.* 3. 2 *in c.* 1. *X. de accufation.*

XL. Diu

XL. DIu Patavii Jus Pontificium PETRUS MAUROCENUS *Venetus* explicuit, ac *Sextum Decretalium* librum cum *Prosdocimo* Comite Patavino circiter annum MCCCCXXIV. luculento commentario est interpretatus. Demum ob insignem eruditionem Cardinalis creatus est, [1] PROSDOCIMUM *Comitem Patavinum* concurrentem habuisse creditur, qui multæ eruditionis habitus Jus Pontificium primo in patria, mox Senis docuit, [2] postremo revocatus in patriam ibi profitendo consenuit. Plura opuscula edidit de *Differentia inter jus Civile, & Canonicum*, *de Consanguinitate*, *& Affinitate* librum composuit. In templo D. Antonii in Sacello a majoribus ædificato jacet.

Iisdem diebus FANTINUS DANDALUS *Venetus Patavii* professus fuisse dicitur. Post hunc JOANNES GARZO Venetus, & PAULUS DOCTUS *Patavinus* qui in secundam Decretalium partem ampla commentaria edidit, Ejus etiam subscriptiones in Responsis utriusque Raphaelis leguntur, item JOANNES VERZELESUS Patavinus Jus Pontificium in patria docuerunt.

CAP. XXX.

XLI. LAURENTIUS RODOLPHUS Florentinus: ejus legatio Venetias.

XLI. ERecta, ut supra dictum est, Florentiæ Academia cum celebris esse cœpisset, LAURENTIUS RODULPHUS omnium civium clarissimus anno MCCCCIV. in patria Jus Pontificium est interpretatus, [3] ubi non sine admiratione nobilem *de Usuris* tractatum promulgavit, & in *Decretum* luculentum commentarium edidit. Florentinis denique gravi bello a Philippo Vicecomite vexatis, an. MCCCCXXV. Venetias missus est Legatus, ut eos Senatores ad percutiendum secum fœdus impelleret.

Ubi eo ventum est gravi oratione validas Philippi vires, & inexplebilem ad totam Italiam invadendam animum esse ostendit, qui Insubribus, aliisque finitimis populis domitis, nunc Hetruriæ opibus insistat, & illis subactis, alias gentes sit oppressurus. Communem hostem, antequam crescat, utriusque Reipub. junctis armis facile superari posse. Quod si novo auctus imperio potentior factus fuerit, invictum evasurum.

Sed Venetis extraneo bello implicari nolentibus, cum nihil

[1] *Soci. in conf. 241. col. 4 lib. 2. Soc. post tit. ff. ad SCt. Trebell.*
[2] *in subscriptione ad Conf. insertum lectionibus*
[3] *Felin. in c. de quarta. 4. col. 3. X. de præscript.*

egisset, alta voce, *Vobis*, inquit Rodulphus, *sedentibus*, *Patres*, *superioribus annis Ligures*, *quibus non succurristis*, *Philippum Principem auxerunt; Nos Regem creabimus*, *ipsi demum vos Augustum facietis.* Quo verborum aculeo commotus Senatus, auctore Francisco Foscaro Duce, Florentinis statim se conjunxit, [1] & Vicecomitis in Hetruscos irruentis impetum contudit. Eam ob rem Laurentius, qui antea doctrina clarebat, majorem etiam gloriam est assecutus.

Masaccius pictor egregius vivam ejus effigiem Florentiæ in templo Carmelitarum ante porticum, quo in peristylium exitur, cum aliis nobilibus viris graphice posuit. [2] Id fuit circa an. MCCCCXL.

CAP. XXXI.

XLII. DOMINICUS a S. GEMINIANO. Alius a S. GEMINIANO Nomine NELLUS.

XLII. EX Clarioribus *Antonii a Butrio* Auditoribus fuit DOMINICUS a S. GEMINIANO. [3] Erat olim id nobile Senensium Castellum a Desiderio Longobardorum Rege conditum, quod postea a Florentinis occupatum, nunc eorum agri pars censetur; Ibi natus *Dominicus* in Jure Pontificio plurimum se exercuit, ac primo Mutinæ sub anno MCCCCVII. Episcopi Vicarium egit, ubi etiam nonnullas Homilias in Sacerdotum synodo recitavit, quæ post ejus consilio impressæ reperiuntur. Postea Bononiæ professus eruditis interpretationibus, non parum *Sextum*, & alios *Decretalium* libros illustrasse creditur; quædam etiam non inutilia Responsa reliquit. Postremo Romæ Auditor Cameræ singulari æquitate jus dixit.

Alius a S. GEMINIANO Jurisconf. fuit, nomine NELLUS, qui Civis Florentinus nunquam professus, solum forensibus negotiis operam dedit, & quandoque adversus *Ludovicum Romanum* Florentiæ patrocinatus est; [4] Annoque MCCCCXXIV. præclara de Banditis, & Testibus opuscula condidit.

CAP. XXXII.

XLIII. NICOLAUS TUDISCUS *Catanensis* Legatus a Pontifice ad concilium Constantiense, ejus avaritia & acta in concilio.

1 *Corl. in quinta par. in prin. & Jo. Baptist. Fulg. de dictis, factisque memorabilib. lib. 8. cap. 10.* 2 *Georg. Vasarus de vitis pictorum in Masaccio.* 3 *in c. 2. sub n. 6. de consuet. in 6. & in c. 1. sub num. 11. de rescript. in 6.* 4 *Jas. in l. 9. §. 8. n. 22. ff. de reb. cred. si cert. pet.*

XLIII.

XLIII. NICOLAUS TUDISCUS *Cataniæ*, [1] quæ Urbs est Siciliæ, obscuris natalibus ortus, a puero D. Benedicti habitum suscepit. [2] Mox Bononiæ juri operam dedit, ubi ob eruditionem clarior factus ad recognoscenda ejus gymnasii privilegia, quæ multa erant, cum aliis Doctoribus est electus. [3] In primis vero Juri Pontificio sub *Francisco Zabarella* vacavit, a quo jam Cardinali dignitate honestato etiam Lauream est assecutus. [4] Inde ab anno MCCCCXXI. *Senis* x. annis, [5] deinde *Parmæ* integro sexennio, [6] ubi adhuc in Jurisconsultorum albo scriptus reperitur, mox Bononiæ cum octingentorum aureorum stipendio Jus Pontificium magna nominis fama docuit.

Interea anno MCCCCXXV. die x. Januarii a Martino v. Monicense Cœnobium Messanensis diœcesis illi est commissum; [7] unde Abbatis recentioris, ad antiquioris discrimen, cognomentum tulit. Exinde *Referendarius*, ac *Cameræ apostolicæ* generalis auditor declaratus, ac demum Panormi Archipræsul, vulgo *Panormitanus* est dictus. Synodo vero ab Eugenio IV. Basileam indicta, eo ab Alfonso Aragonio cum Tarentino Cardinali Legatus missus, Pontificis partes tutatus est, ac quasdam theses contra ipsum editas egregie impugnavit, ut auctor est Æneas Sylvius. [8] *Argute* inquit, *ut est subtilissimus Panormitanus disseruit, ostendereque summo studio nitebatur, Eugenium non esse relapsum, magnaque illi cum tribus viris, Argensi Episcopo, Joanne Segovio, & Francisco Fuxeo Theologis, concertatio fuit: Articulos fidei trifariam dividebat, stricte, ut in symbolo, large, ut in declarationibus per Ecclesias factis, largissime autem, ut in his, quæ ex prædictis resultant; Eugeniumque nullo istorum modorum violasse fidem; & alia, quæ sequuntur.* Deinde subdit.

Fuit oratio Panormitani apud omnes magis laudata, quam probata, id tamen habuit efficaciæ, ut verbum, Relapsum, ex conclusionibus tolleretur, ejusque loco poneretur, Prolapsum. Cum vero illi *Joannes Sigonius* responderet, Panormitanus verba illius interrumpens, nunc unum, nunc aliud dictum confutare satagebat. Tum *Argensis* Episcopus Panormitani argumenta disturbavit, plusque inter eos processum est,

1 *Abb. in c. novit. 13. sub n. 13. X. de judiciis.* 2 *Abb. in c. causam quæ 9. sub n. 8. X. de judiciis.* 3 *Abb. in c. ult. in 5. not. sub n. 3. X. ne cler. vel monachi.* 4 *Abb. in R. de judic. col. 2. & in c. 1. X. de causa poss. & propriet.* 5 *Abb. in R. de obser. jejun. n. 6. & in fin. Quæst.* 6 *Abb. in c. 1. sub n. 7. X. de lit. contestat.* 7 *Abb. in c. cum olim. 7. in prin. X. de dolo & contumacia.* 8 *lib. 1. de gestis Basil. Concil.*

quam disputandi modus exigeret; Nec a probris abstinuerunt; veniam tamen postea *Argensis* petiit, licet forte minus erraffet. Cum vero de confirmandis propositionibus ageretur, Panormitanus Archipræsul, vir summo ingenio, & eloquentiæ copia præditus, primusque inter sui Regis Oratores luculenta oratione rem differri petiit; sed cum essent in magna discordia, per multos dies est certatum; Tandem contra Panormitanum pars prævaluit. Quare ipse postea erudito opusculo eas quæstiones discussit, quæ de *concilio Basiliensi* inscribuntur.

Post hæc Romam reversus ad Regem Aragonum se contulit, qui novas ob causas contra Eugenium irritatus, rursus Panormitanum cum Ludovico Romano Pontificis partes impugnaturum ad Synodum Basileam remisit, ubi pluribus responsis editis, magnam pecuniam conflasse, & plura indigne egisse dicitur. Inter alia, *Isidorum a Rosata* hominem indoctum, ignobilem, ac vitiis præditum pecunia corruptus, ad Bergomensem Episcopatum promovisse fertur. *Marcum* quoque Mediolanensem, etsi Juris Doctorem creatum, imperitum tamen, & ineptum pro concione laudatum, velut alterum D. Augustinum extulit, ac Synodo persuasit, ut Alexandriæ Antistes crearetur, quod non levem infamiæ notam ei attulit. *Quare inter eum, & Ludovicum Pontanum implacabilis orta est dissensio, & plus in his conciliandis quam Bohemis ad catholicam pietatem revocandis est elaboratum,* ut Æneas Sylvius est auctor. [1]

Pluribus vero ad nominandum Papam a concilio electis, auctor fuit, ut Eugenius desereretur, sed cum ad eum deponendum ventum esset, e Synodo discessit. Sic enim Rex Aragonum Eugenio conciliatus præceperat. Verum non multo post, Cardinalis creatus ab Amadeo Duce Sabaudiæ, qui Summus Pontifex declaratus fuerat, & Felix IV. appellatus, rursus Basileam rediit, atque ejus Concilii acer propugnator extitit.

Cæterum Felice ob tollendum schisma ortum secedente, Panormitanus quoque a piis hominibus rogatur, ut & ipse Cardinali honore se spoliet; Sed dum variis dilationibus procrastinatus rem protrahit, ante mortuus est, quam Eugenii potestati se subjiceret. Multumque moriens quæstus est, quod nepotum suasu Concilii, ut ipse dicebat, veritatem reliquisset. Hæc ex libello manu scripto *Æneæ Sylvii de viris Illustribus, qui in Vaticano* habetur.

de dictis, & factis Alfonsi Regis. lib. 2. *c.* 11.

Panor-

Panormitanus Pontificum Decreta ea doctrinæ soliditate est interpretatus, ut alter *Bartolus inter Juris Pontificii professores* dici promeruerit. In eo præcipue commendatur, quod lucidum ordinem observans perspicuus appareat. Præter concilii Basiliensis opus nonnullas quæstiones, & erudita Responsa scripsit, quæ a *Ludovico Bolognino* in lucem emissa fuere. Ad puniendum proclivis contra reos facile pronuntiavit. Unde a quibusdam *truculentus* vocatur. [1] Fertur decessisse, non multo postquam ex Concilio in Italiam rediit, sed ejus Sepulchrum, aut Epitaphium nullum apparet.

CAP. XXXIII.

XLIV. JACOBUS ZOCCUS *Ferrariensis*. DOMINICUS de PONTE *Venetus*, THADEUS VICOMERCATUS *Mediolanensis*, LUDOVICUS de MALICIIS *Patavinus*, PROSDOCIMUS a LIMENA, AUGUSTINUS MICHAEL Venetus.

XLIV. JACOBUS ZOCCUS *Ferrariensis*, cum in patria aliquot annis docuisset, Patavium ad Jus Pontificium interpretandum circiter annum MCCCCXL. conductus fuit, ubi psallentibus monachis in vetusto templo D. Justinæ locum cum subselliis condidit; Scripsit de Jejunio, & alia, quæ nusquam reperiuntur. Demum post vicennium, quam Patavium venerat, defunctus in Sacello, quod vivens extruxerat, cum marmorea imagine, & hoc elogio humatus fuit.

Jacobus Zoccus Excellentissimus legum Doctor.

FRANCISCUS CURTIUS [2] senior auctor est, *Jacobum Zoccum* prius D. Ambrosii Mediolani Præpositum, mox Alexandriæ Episcopum fuisse, qui & ipse Jurium interpres fuit, sed an hic sit noster Jacobus, subsisto.

Iisdem diebus DOMINICUS de PONTE *Venetus*, & THADÆUS VICOMERCATUS *Mediolanensis* Patavii Decretum sunt interpretati, & post eos LUDOVICUS de MALICIIS *Patavinus Abbas Pratalea*, & PROSDOCIMUS a LIMENA sacerdos: Deinde AUGUSTINUS MICHAEL *Venetus* Archipresbyter.

CAP. XXXIV.

XLV. JOANNES DE ANANIA. LANFRANCUS DE ORIANO. JOANNES A ZANIS.

1 *apostilla ad cons.* 127. *Alex. lib.* 4. 2 *cons.* 73. *sub n.* 6.

XLV. JOANNES ANANIA Latii vetuſtiſſima urbe oriundus, quod infimo (ut arbitror) loco natus eſſet, gentilitio nomine caret. Inter alios Florianum a S. Petro audivit: [1] Bononiæ diu profeſſus, ibi Archidiaconus creatus eſt, [2] qua dignitate *Guido a Baiſio*, & alii Pontificii Juris Interpretes prius functi fuerant; *Alexandrum Tartagnum*, [3] *Andream Barbatium*, [4] qui poſtea ejus libros habuit, [5] clariſſimos viros erudiit; Non Jurium modo, ſed & Theologiæ ſtudioſus fuit. Super quinto Decretalium libro commentaria, & erudita Reſponſa conſcripſit, quæ diu ſuppreſſa tandem a *Ludovico* Bolognino in publicum prolata fuere.

Vir magnæ religionis fuiſſe creditur, qui nullo unquam negotio, vel lectionibus publicis ſe adeo occupari permiſit, ut aut præſcriptas preces, aut ſacra intermitteret. [6] Quin etiam ſcrupuloſæ conſcientiæ habitus eſt. [7] *Bartholomæus Socinus* virum magnæ Scientiæ, & Conſcientiæ appellat. [8] Filiam *Alexandro Tartagno*, quem diſcipulum habuerat, jam Bononiæ docenti nuptui locavit, [9] ac demum Bononiæ Archidiaconus fuit. [10] Cum vero LXX. ætatis annum ageret, valetudinarius eſſe cœpit. [11] Demum ad extremam ſenectam perductus obiit anno Salutis MCCCCLVIII.

Sub id tempus floruit LANFRANCUS DE ORIAÑO, qui in Jus Pontificium nonnulla in Praxi utilia, & quædam in Jus civile, & de interpretatione ſtatutorum librum ſcripſit.

Eodem etiam tempore JOANNES a ZANIS Bononiæ Jus Pontificium enucleavit, cujus inter *Reſponſa* Alexandri ſcripta extant. [12]

CAP. XXXV.

XLVI. MARIANUS SOCINUS Senior, Senenſis, variæ ejus animi & ingenii dotes: aliqua ejus dicteria, munera. Vita ejus ab Ænea Sylvio deſcripta.

XLVI. MARIANUS SOCINUS ſenior ex matre *Margarita Malavolta* Nobili Senenſi pridie Nonas Septembris an. MCCCCI. natus cum græcis, latiniſque literis vacare cœpiſſet, quam puer de ſe maximam expectationem conceperat, non fefellit; ſiquidem legum

1 *Barbar. in conſ. 64. n. 16. lib. 2.* 2 *Soc. in l. 122. §. 3. ante n. 4 ff. de verb. oblig.* 3 *Alex. in conſ. 178. n. 10. vol. 7.* 4 *Barb in c. Rainaldus 18. col. 83. X. de teſtam.* 5 *Barb. in conſ. 64. n. 16. lib. 2.* 6 *Barba. in d. c. Rainald. 18. col. 160.* 7 *Alex. in conſ. 51. n. 3. vol. 4.* 8 *conſ. 246. ſub n. 6. lib. 2.* 9 *Thom. Parpa in l. 11. n. 7. ff. ſolut. matr.* 10 *Felin. in R. de majori. & obed. paulo poſt prin.* 11 *Barba. in d. c. Rainaldus. 18.* 12 *in conſ. 51. in 4.*

ſtudiis

ſtudiis primum in patria, mox Patavii, ubi publice diſſeruit, diligenter incubuit. De hinc Senas reverſus, & ſub Abbatis Panormitani diſciplina eruditus, ibi iterum, ut ex patriæ legibus tenebatur, publice diſputavit, eodem anno Laurea donatus, & Inſtitutiones interpretatus poſt aliquot annos Patavii Jus Pontificium docuit, inde domum revocatus, ſæpe recuſatis, quæ alibi offerebantur, honeſtis conditionibus, dum vixit, in patria idem jus profeſſus eſt.

Interea etiam patroni officio functus conſulendo, & ſcribendo ſe exercuit. Matutinis, veſpertinisque lectionibus univerſas Decretales diſtinctis tractatibus explicuit, in quo dicendi facilitate, ac dividendi capitum peritia magnam ingenii *felicitatem* oſtendit; præclarum de *Oblationibus* opuſculum, & alia multa nondum impreſſa in Vico Arbii, quo ſe evitandæ peſtis gratia receperat, compoſuit, egregia quoque Reſponſa edidit, quæ pro oraculis habebantur.

Præter legum eruditionem, in qua excelluit, Coſmographia, Græcis, Latinisque literis, Geometria, atque Arithmetica, omnibusque Liberalibus artibus, atque hiſtoriis mirifice delectatus, etiam Poeta Clariſſimus evaſit, ut Æneas Sylvius, qui poſtea Pius II. Pont. fuit, in quorundam amantum hiſtoria, quam ei amiciſſimo dedicavit, atteſtatur. [1] Calligraphus egregie quoque pinxit, & ſculpſit, ſed opera, ſævientibus in civitate factionibus, interiere, ſola Socinæ familiæ, & ſeptem aliarum ſibi affinitate conjunctarum. Inſignia in hædina charta graphice delineata conſervantur, quod opus admirandum ſpectantibus videtur.

Cum ſuavisſime caneret, omnia etiam inſtrumenta muſica artificioſe tractabat. Ex antiqua Venturina domo Nicolam Petri Aldobrandini filiam uxorem duxit, ex qua plures liberos mares, & fœminas ſuſtulit, & inter alios BARTHOLOMÆUM celeberrimum legum profeſſorem, de quo ſuo loco dictum eſt, & ALEXANDRUM virum integerrimum, ac negotiis familiaribus deditum.

Vir hilaris, & dicendo urbanus, etſi curis oppreſſus domi ſemper ſe jucundum inter familiares exhibuit, & id admirantibus amicis reſpondit, *Se, quum ad ſuos reverteretur, quibus cum brevi hora vivere poterat, ad imas ſcalas ærumnas relinquere.* Referunt alii etiamnum aliqua ejus dicteria. Uxore enim ducta, cum docendi munus intermiſiſſet, interrogatus, cur id non continuaret, *ſe conjugem duxiſſe re-*

1 *lib. 1. epiſtolar. ep. 112. & 113.*

ſpon-

ſpondit, [1] cum vero replicaretur, *Socratem nunquam philoſophiam ob uxorem deſeruiſſe*, ſubjecit, *illum moleſtam, & forte turpem Xantippem, ſe autem formoſam, & obſequentem habere.*

Semel etiam Angelum Politianum virum græcis, latinisque literis impenſe eruditum, cum Senis in Juris civilis interpretationibus ſe vel Accurſium ſuperaturum jactabundus gloriaretur, leniter correxit, ab eo enim interrogatus *Angelus*, quis eſſet in Jure ſuus hæres, ob imperitiam obmutuit ac pudore ſuffuſus ſuæ audaciæ pœnas dedit. [2]

Omnibus in patria honoribus functus etiam ad Pium II. Pont. Max. a civibus miſſus incredibili honore exceptus eſt, & Advocatus Conſiſtorialis declaratus. [3] Cum nunquam otioſus eſſet, toto vitæ ſpatio vix ter levi febricula correptus fuit, *Ugonis Bencii* Eximii philoſophi, & Medici, ac *Thomæ Doctii* clariſſimi Juriſconſulti Senenſium valde familiaris extitit. Nigra barba, ſed compoſito, & jucundo vultu, verum ſtatura corporis exigua fuit, quod Æneæ Sylvio ſibi conjunctiſſimo quandoque jocandi occaſionem præbuit, qui *Mariano magis ſuum*, hoc eſt, *Piccolominorum*, *quam Socinorum cognomentum congruere dicebat*, ea vox parvum hominem ſignificat. Verrucam in mala dextra, & læva menti parte habebat.

Obiit in patria cum magno Urbis, & Orbis luctu an. MCCCCLXVII. die ultimo Septembris, cum LXVII. annos vixiſſet, ac in D. Dominici templo humatus eſt. AUGUSTINUS DATUS vir ea ætate celebris coram populo ob claros defuncti natales, & doctrinam funebrem orationem habuit. Cives vexilla ex publico ſupra ſepulchrum ſuſpenderunt. Statua ex ære vivam ejus imaginem exprimens, quæ pro monumento ponenda erat, adhuc in poſterorum ædibus conſervatur, Laurentii Vecletti artificis Senenſis manu conflata, virum, quo utebatur habitu, fabre expreſſum refert. In Jus Pontificium, & præclara Reſponſa doctiſſime ſcripſit, quæ in omnium Juris ſtudioſorum manibus habentur. Sed quoniam ejus vitam Æneas Sylvius graphice ſcripſit, [4] ejus verba ſubjiciam.

Marianus Socinus Senenſis conterraneus meus vir tum mitis ingenii, tum literarum multarum, cujus adhuc ſimilem viſurus ne ſim, hæreo. Mirabere, ſi tibi hominem expendam, nihil ei præter formam natura invidit. Homuntio eſt, naſci ex mea familia debuit, cui parvorum hominum eſt

[1] *Tiraquill. in 2. l. connubia gloſ. 1. part. 2. n. 25. Æneas Sylvius de dictis, & factis Alfonſi Regis. lib. 3. c. 27.* [2] *Corraſ. lib. 3. miſcell. cap. 16.* [3] *in p. conſ. Socin.* [4] *in loco ſupr. cit.*

cogno-

cognomen; Vir est eloquens, Juris utriusque consultus. Historias omnes novit, poeticæ peritus est. Carmen facit, & Latinum & Tuscum. Philosophiæ tam scius, quam Plato, Geometer, quasi Boetius, in numeris Macrobio similis. Nullum instrumentum ignorat musicum. Agriculturam quasi Virgilius novit. Nihil civile ignotum viro: Dum juveniles adhuc stabant in corpore vires, alter satelles erat luctandi magister, non cursu, non saltu, non cæstu poterat superari. Pretiosiora sunt interdum parvi corporis vascula, ut gemmæ, lapillique testantur. Nec ab re fuerit illud in hunc referri, quod de Tydeo scribit Statius. Major in exiguo regnabat corpore virtus. Nullum adhuc novi, cui pauciora quam huic defuerint. Quid? quod minutissima etiam didicit, quasi alter Apelles sic pingit. Nihil emendatius est, nihil lucidius, quam sua manu scripti codices; Sculpit, ut Praxiteles, nec medicinæ ignarus est. Adde virtutes morales, quæ alios regunt, ducuntque. Novi, meis diebus, plerosque studiis literarum deditos disciplinis qui admodum abundabant, sed hi nihil civilitatis habebant, nec Rempublicam, nec domesticam regere norant. In aliis præterea vel fastum, vel avaritiam invenies, hic perliberalis est, plena illi semper domus est honestis hospitibus. Nulli adversus est, populos tuetur, ægros solatur, pauperibus subvenit, viduas juvat, nulli indigenti deest. Vultus ejus quasi Socraticus, semper est idem. In adversis fortem animum præbet; Nulla fortuna inflatur, versutias non ut exerceat, sed ut caveat, quaslibet novit. Civibus dilectus est, peregrinis amatus; Nulli odiosus est, nulli gravis.

CAP. XXXVI.

XLVII. ANTONIUS ROSELLUS *Aretinus*, ejus familia, legationes & honores, desiderium Cardinalitiæ dignitatis. FRANCISCUS BAROCIUS. JACOBUS ZOCCUS Ferrariensis. XLVIII. JOH. BAPTISTA ROSELLUS. JOANNES CAMPEGIUS Bononiensis. PAULUS DOCTUS: ÆGIDIUS CALORINUS. THOMAS SAVIOLUS. JACOBUS ROSELLUS.

XLVII. ROSELLORUM nomen, ut plurimæ in Italia familiæ, a *Roysello* gentis autore derivatur. Fuit is patria *Aretinus*, & inter *Accursii* Glossatoris discipulos insignis, qui pluribus annis ante Antonium abnepotem Patavii Juris utriusque Insulis est honestatus. Deinde Florentiam ad Jus civile docendum vocatus, ejus urbis civis est effectus. Postea Bononiæ tandiu professus est, donec a *Friderico Ænobarbo* ad invidiam Bononiensium, qui filium captivum detinebant, Patavium gymnasio translato, ibi usque ad mortem docuit.

Decedens FRANCISCUM ET VANNEM post se filios reliquit. Ille Jurisconsultus, & Eques cum per factiones expulsa Aretio Petramalorum familia Reipub. gubernacula apprehendisset, non multo post & ipse ab hostibus Gibellinis ejectus est. VANNES vero civilem se præstans tranquillam domi vitam egit. Hic duos filios suscepit, ROYCELLUM, qui pro Cæsare Pisis præfuit, vel, ut alii scribunt, ROSELLUM clarissimum Jurisconsultum, & RUDOLFINUM, qui *Joannem Lombardum*, *Rainaldum*, *Baptistam Roicellum*, *&* *Guidonem* Jurisconsultum liberos genuit. Ex Roysello natus est ANTONIUS ROSELLUS, qui cum legum studio se dedisset, magna ingenii felicitate adhuc adolescens de *Legitimatione* librum edidit, ad eamque nominis famam pervenit, ut *juris Monarcha* vocaretur.

Duas uxores habuit, & ultima defuncta, jam clarior factus a Martino v. Romam accitus est, apud quem Sigismundi Cæsaris in gravi causa, quam cum Ladislao Polonorum Rege habebat, patronum egit: Regis quoque Apuliæ in alia nobili lite a Summo Pont. diffinienda Advocatus fuit, ac Collegii Cardinalium, pauperumque patronus. Interea defuncto Martino Eugenius IV. successit, cujus cum Sigismundo Cæsare simultates ad eum missus Antonius sedavit. Rursus ad eundem a Pontifice cum Comitis Palatini titulo est ablegatus, qua dignitate natalibus restituendorum spuriorum, tabulariorum, Equitumque creandorum, & mancipandorum liberorum auctoritatem obtinuit. Præter has tertiam quoque apud Albertum Cæsarem Legationem feliciter peregit. Nec multo post Galliis tumultuantibus, ac Pontificiæ dignitati Basiliensi Concilii auctoritate detrahentibus, sub spe purpurei galeri novitates sopiturus ad Carolum VII. Regem mittitur, qui eum Patritium factum etiam Equestri dignitate honestavit. Ei Renatus Darensius Dux Lotharingiæ pedibus calcaria apposuit, ensemque pro more accinxit.

In Italiam reversum cum promissam dignitatem efflagitaret, Pontifex Bigamum, qualis erat Antonius, Cardinalem creari posse negavit; Et cum ille glossarum; [1] aliorumque Interpretum auctoritate se a Summo Pontifice sacrarum constitutionum vinculis solvi posse contenderet, Eugenius Speculatorem contrarium asserentem [2] objiciens hominem elusit. Quare indignatus Rosellus adversus Prælatos librum *Monarchiam* nuncupatum composuit, ac Roma fugiens

[1] *in c. lector. 18. dist. 34. c. si quis viduam 8. dist. 50. c. nuper 4. X. de bigam. Bald. in c. etsi clerici. 4. X. de judiciis.* [2] *tit. de bigamis.*

Pata-

Patavium se contulit, ubi a Venetis quingentis in singulos annos aureis nummis acceptis, Jus Pontificium mane explicuit, & cum magna laude disputasset, XXVIII. annis clara nominis celebritate professus est. FRANCISCUM BAROCIUM Pauli II. Pont. ex sorore nepotem in Decreto interpretando, deinde JACOBUM ZOCCUM *Ferrariensem* concurrentes habuit.

Inter alios ejus discipulos claruit JOANNES BERTACHINUS Firmanus, qui hæc de illo scriptis mandavit, [1] & eum Christiana dogmata minus pie tenuisse subdit, unde a Summi Pontificis Legato, & Henrico Quæsitore pravæ religionis damnatus est. [2] Sunt, qui illum a secretis Pauli II. Pontificis fuisse scribunt, [3] sed pro Paulo II. Martinum V. scribendum puto. Edidit librum *de Indulgentiis*, & alium, quem *Monarchiam Summi Pontificis* inscripsit, & *Friderico Cæsari* dedicavit, ubi de Pontificis, & Cæsaris potestate disserit, ei alium *de Conciliis* addidit. De *Usuris quoque & Successionibus ab intestato* præclaros tractatus, & in Jus Pontificium erudita commentaria reliquit.

Vir magnæ probitatis causas non nisi justas defendendas suscepit, alioqui vero facetus salsis jocis delectabatur: ROSELLUM ex fratre nepotem habuit, qui & ipse semel ad Ladislaum, & Carolum Galliæ Regem a Martino V. Legatus missus est. Filius suscepit JOANNEM sacris initiatum, GUIDONEM ANTONIUM Jurisconsultum, FRANCISCUM, & PROSPERUM, quem post se adhuc adolescentem reliquit, & alias fœminas. Mortuus inter suos Patavii an. MCCCCLXVI. in D. Antonii templo celebri funeris pompa cum hoc Epitaphio humatus fuit.

Antonius Roycellus Monarcha sapientiæ Antonius de Roycellis MCCCCLXVI. die XVI. Decemb.

XLVIII. Post eum JO. BAPTISTA ejus frater patruelis Baptistæ filius anno MCCCCL. Jus civile interpretari cœpit, & fere an. LII. Patavii extra ordinem docuit, sed tanta felicitate, ut quandoque plus, quam ordinarii, frequentaretur: In ea lectione semel concurrentem habuit JOANNEM CAMPEGIUM *Bononiensem*. Is statura parvus, sed acutissimi ingenii fuit; Capta urbe, cum ejus ædes diriperentur, multa ipsius, & Antonii scripta perierunt. Quædam pro *sacro monte Pietatis* Responsa edidit, cum auctore Bernardino Senensi Mi-

[1] *in lib. de Episcopo. lib. 2. q. 25.* [2] *Sylva nupt. lib. 1. sub n. 152.* [3] *Georgius Vasarus de vitis pictorum in Juliano a Majano.*

norita anno Mccccxciv. Patavii, reclamantibus Dominicanis, erectus eſſet, ſed tandem a Summo Pontifice fuit confirmatus, cum uſura ex ea pecunia extracta in pauperum cedat utilitatem. Jo. Baptiſta Roſellum filium reliquit humanioribus literis, & philoſophiæ deditum. Roſellorum celebre ſepulchrum eſt in templo D. Antonii Patavii.

Eo tempore PAULUS DOCTUS *Patavinus* xxvi. annis Jus Pontificium mane Patavii eſt interpretatus, Decretum vero ÆGIDIUS CALORINUS Sacerdos, & THOMAS SAVIOLUS S. Danielis Abbas Patavini explicuere. Alius fuit JACOBUS ROSELLUS & ipſe Juriſconſ. qui Cæſennæ prætorium anno Mccccxxxv. cœptum triennio, quo ibi prætor jus dixit, mandantibus Sigiſmundo, & Pandulfo Malateſtis ejus urbis Principibus, ut ibi poſita inſcriptio indicat, perfecit; Ipſius, ut arbitror, effigies ante Beatæ Virginis imaginem ad dextram in genua procumbens cum veſte purpurea viſitur. Ad ſiniſtram tres Roſæ ſpectantur, quæ ſunt Roſellorum familiæ Inſignia: vulgus eam Pauli Caſtrenſis imaginem eſſe dicit, ut in eo ſcripſi; ſed ut id credam, non facile inducor.

ROYCELLUS.

Franciſcus. Vannes.

Roycellus. Rodulfinus.

Baptiſta. Guido. Roycellus. Jo. Lombardus. Rainaldus.

Jo. Baptiſta Roſellus. Antonius Roſellus.

Joannes. Guido. Franciſcus. Proſper.

CAP. XXXVII.

XLIX. JOANNES A TURRECREMATA.

XLIX. JOANNES A TURRECREMATA oppido Hiſpaniæ oriundus in Jure Pontificio eruditus religionem Prædicatorum in valle *Olletia* in regno Caſtellæ eſt ingreſſus, [1] ubi in Theologiæ ſtudiis eruditus in ſacras literas multa ſcripſit, quæ in Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis Patavii conſervantur. Romæ Gratiani Decretum ab anno MCCCCXLIX. per annos XXV. fæliciter eſt interpretatus, egre-

[1] *Jo. de Tur. Cremat. in c. Eccleſia. 70. §. item in levitico. n. 78. De pœnit. diſt. 1.*

gium-

giumque in illud commentarium jam senex edidit, prius Nicolao v. Pont. Max. illud corrigendum tradidit, mox eo defuncto Calisto III. inscripsit. Constantiensi, Basiliensique concilio interfuit, ut ipse narrat. [1] Tandem ob præclaram eruditionem presbyter Cardinalis sub titulo S. Sixti [2] est declaratus, ac demum Sabiniensis Episcopus creatus. Magis tamen inter Theologos, quam Canonistas connumeratur. In *regulam S. Bonaventuræ*, *&* *psalterium* scripsit, item *in Evangelia*, quæ diebus Dominicis, & Sanctorum in Ecclesia recitantur, *de Aqua benedicta*, *&* *Salute animæ*, Conciones quoque temporum, & Sanctorum, & *Summam de Ecclesia* composuit. Romæ obiit anno MCCCCLXVIII. Ejus cadaver in Basilica Sanctæ Mariæ supra Minervam, quam ipse refecit, ut ejus Insignia demonstrant, marmoreo sepulchro conditum est in Sacello Annuntiatæ, cujus nobilissimam societatem pro maritandis puellis instituit. Hujus autem sodalitatis moderatores postea pictis tabulis exornantes sacellum, beneficentissimo authori, epitaphium hoc marmori incisum, grati animi monumentum extare voluerunt.

F. JOANNI HISPANO VALISOLETANO,
EX VETERE, PURA, NOBILIQUE FAMILIA
DE TURRECREMATA,
ORDINIS PRÆDICATORUM.
S. R. E. CARDINALI EPISCOPO SABINENSI,
PIETATE, AC DOCTRINA CLARISSIMO,
MULTIS LEGATIONIBUS EGREGIE FUNCTO,
B. VIRGINIS ANNUNCIATÆ
SODALITAS
AUTHORI SUO POSUIT.
OBIIT ROMÆ VI. KAL. OCTOBRIS.
AN. DOM. MCCCCLXVIII.
ÆTATIS VERO SUÆ LXXX.

CAP. XXXVIII.

L. JACOBUS LEONISSA. LI. JOANNES a CANIBUS. PETRUS a CANIBUS. BAPTISTA a LEGE, GEORGIUS PRIULUS, DOMINICUS CANIS.

[1] *Dist.* 17. *c.* 1. *n.* 14. [2] *Onuph. in vita Pauli II.*

L. Quo tempore Jus Pontificium Patavii ANTONIUS ROSELLUS explicuit, ibidem etiam JACOBUS LEONISSA Patavinus Lauream anno MCCCCXLIV. adeptus profiteri cœpit. Demum majoris templi Canonicus factus Romam se contulit, ubi magnam rerum curiæ praxim assecutus, tantæ apud Martinum v. Pont. dignationis fuit, ut anno MCCCCLX. universæ Flaminiæ, quam *Romandiolam* vocant, Præfectus fuerit. Deinde ad Regem Rom. Nuntius Apostolicus missus, mox Quæstor, postremo ut tum vocabant, *Capellanus* Summi Pontificis est declaratus, quem hodie *Rotæ Auditorem* nominant.

Defuncto Martino, in patriam reversus anno MCCCCLXXIV. obiit, ac in majore templo sepultus est, solo hoc verbo sepulchro inscripto: *Sacrum.* Joannem ex fratre nepotem reliquit, qui Patavii aliquandiu professus e vivis excessit anno MDXXXV.

Ibidem LI. JOANNES A CANIBUS Patavinus vespere Jus Pontificium, & quandoque civile per annos XLVI. interpretatus. Poeta, Oratorque insignis habitus est, & ob id Comes Palatinus creatus, librumque de *Executoribus ultimarum voluntatum*, *De injuriis, & damno dato, & de Introllionibus*, & alium de *Repressaliis* edidit anno MCCCCLII. Opusculum etiam de *Modo studendi* composuit, carmine heroico ludos Equestres cecinit, & gravi oratione Petrum Barocium Patavii Episcopum declaratum laudavit. Vixit annos XL. Obiit MCCCCXC. PETRO filio post se relicto, qui in Patria Decretum interpretatus. Decessit anno suæ ætatis LVII. Salutis MDV.

Eo vivente BAPTISTA A LEGE, & GEORGIUS PRIULUS, ac DOMINICUS CANIS Veneti Decretum Patavii explicabant.

CAP. XXXIX.

LII. ALEXANDER NEVUS Vicentinus.

LII. Iisdem diebus ALEXANDER NEVUS *Vicentinus* Baptistæ Physici filius [1] Jus Pontificium Patavii anno MCCCCLVII. docere cœpit, & XXVI. annis professus est in patria, & Taurisii Canonicus fuit, [2] præclaraque Responsa in Jure Pontificio post se reliquit, quæ in lucem prodiere; De *gestis Romanorum*, & *contra Judæos fœnerantes* Responsum scripsit. *Fridericum Capillistium* concurrentem habuisse

[1] *Idem in conf.* 95. [2] *Idem in conf.* 71.

credi-

creditur. [1] Illi JO. DOMINICUS frater fuit, ut ex responsis pro eo litibus vexato constat.

Eo tempore Patavii ANGELUS ANGELI UBALDI ex Alexandro nepos mane, & vespere BARTHOLOMÆUS CÆPOLA Jus civile ordinarie cum ALEXANDRO ab IMOLA interpretabantur. [2]

CAP. XL.

LIII. BARTHOLOMÆUS BELLENCINUS Mutinensis.

LIII. BARTHOLOMÆUS BELLENCINUS *Mutinensis* Francisci Aretini discipulus Ferrariæ Jus Pontificium publice docuit, ubi inter alios *Felinum* [3] *Sandeum* celeberrimum inter Canonum Interpretes triennio erudivit. Bononiam deinde majori stipendio conductus *Andreæ Barbatio* ibi summa nominis celebritate profitenti Antagonista [4] fuit. Romam postmodum profectus magno studiosorum adolescentium incommodo inter *Rotæ Auditores* cooptatus fuit. Cum enim jam multa in Decretales eleganter scripsisset, longe etiam plura [5] ad sublevandos posterorum labores edidisset, nisi eum a scholis Romana curia avocasset. Præter alia reliquit ad *commentaria Abbatis Panormitani annotationes*, & luculentum *de charitativo subsidio* tractatum, quem post ejus obitum Aurelius frater in manus hominum emisit. Obiit Romæ, ac in Ecclesia Divæ Mariæ de Populo ad Portam Flaminiam sub fornice post aram majorem sepulchrum habuit his verbis inscriptum.

Bartholomæus Bellencinus nobilis Mutinensis utroque Jureconsultus Apostolicæ sedis Capellanus Auditor Rotæ insignis vere bonus, & justus obiit anno Sal. MCDLXXVIII. VII. Idus Junii. Vixit annis L.

CAP. XLI.

LIV. PHILIPPUS FRANCUS Perusinus.

LIV. PHILIPPUS FRANCUS *Perusinus* diu Jus Pontificium in patria docuit. Deinde Ticinum evocatus, magna nominis fama claruit; Ejus in *Decretales*, *& Sextum librum* erudita commentaria visuntur. Floruit, docentibus in patria *Corneo*, *& Baldo Novello.* [6]

[1] *Idem in conf. 71. in subscriptio.* [2] *in conf. 81. inter conf. Alex. Nevi. & d. conf. 71. Gigas de pensionib. q. 62. n. 12.* [3] *Felin. in c. 2. n. 40. X. de rescript.* [4] *Catel. Cotta in Memorial. verb. Iurisper. f. 394.* [5] *Felin. ubi supra.* [6] *Corn. in conf. 271. sub. n 10. in 4.*

CAP.

CAP. XLII.

LV. FELINUS SANDEUS: odium & contentio cum *Philippo Decio.*

LV. FELINUS SANDEUS proavum, & majores habuit Lucenſes, avum Venetum, & parentes Ferrarienſes, ipſe Felinæ, quod agri Regienſis Caſtrum eſt, caſu natus inde nomen habuit. [1] Audivit *Franciſcum Aretinum*, & per triennium *Bartholomæum Bellincinum*, qui poſtea in curia Romana Auditor fuit. [2] In numerum Juriſconſultorum receptus primo in patria, ubi etiam Canonicus fuit, [3] Jus Pontificium aliquot annis *Antonii Franciſci* a Doctoribus, mox Georgii *Natæ* Aſtenſis [4] concurrens profeſſus eſt. Poſtea Piſis docuit, ibi Jus civile *Franciſco Aretino* veſpere, *Bartholomeo vero Socino*, *Lancellotoque Decio* mane interpretantibus.

Philippi Decii valde familiaris ejus opera in ſolvendis aliquot legum nodis uſus fuit, ut ex ſcriptis mox orta inter ipſos rixa in medium prolatis patuit, diſſidii cauſa concurſio fuit; Nam cum Socini eum collegam reſpuentis opera ſibi concurrens datus eſſet, primo animo valde anxius fuit, quod cum acuto, & veteranorum Auditorum amiciſſimo ſibi certandum eſſet; Ipſe vero in arduis Juris civilis quæſtionibus infirmior inveniretur; Quare ſoluta amicitia, apertum odium erupit.

Demum cum titulum de *Probationibus* explicandum Felinus ſuſcepiſſet, in illis quam plures quæſtiones diſputandas Decius propoſuit, quibus etſi reſponſurum ſe Felinus promiſiſſet, mutata voluntate, quod in eo conflictu ſuam exiſtimationem diminutum iri timeret, ſtatuta die, non affuit, etſi alii pro ipſo in pugnam deſcendentes acriter dimicarunt. Eo igitur pudore ſuffuſus, relicto profitendi munere circiter annum MCCCCLXXXVIII. Romam contendit, ubi ab Innocentio VIII. in curia Romana Auditor eſt declaratus. Id Piſanæ Academiæ Præfecti graviter ferentes Decium dimiſerunt. Cæterum *Felinus*, qui jam ad Eccleſiaſticos honores animum applicuerat, retineri non potuit, cum ſe Pontificis codicillis a promiſſione, quam cum Florentinis iniverat, liberatum eſſe oſtendiſſet.

Poſtea evenit, ut inter eundum Senas diverteret, ubi Decius, qui ibi docebat, fruſtra ſuaſus eſt, ut Piſas rediret. Ubi Romam per-

[1] *Felin. in c. Rodulphus* 35. *n.* 14. *X. de reſcript.* [2] *Felin. in c.* 2. *col.* 12. *&* 14. *X. de reſcr. & Gig. de penſ. q.* 59. [3] *Felin. in c. quoniam frequenter.* 5. *in fin. X. ut lit. non conteſt.* [4] *Sylva. nupt. l.* 5. *ſub n.* 25. *verb. etiamſi eſſet opin. Felin.*

venit,

venit, pro more Auditorum propositiones publice sustinuit, singularemque memoriam ostendit, cum ex LX. argumentis, quæ in se contorta fuerant, XXX. miro ordine recitavit. [1]

LANCELLOTI DECII compater fuit, [2] vir potius laboriosus, & multæ lectionis habitus, quam acutus, quippe qui in aggregandis aliorum opinionibus plurimum valuit; [3] Semper enim calamum plura notando, & aggregando in manibus habebat; [4] Omniumque autorum libris refertissimam bibliothecam habebat; [5] Unde raro a receptis, majorumque opinionibus discedit, [6] nihil tamen, quod sibi utile videbatur, unquam prætermisit. [7] Ab Hercule Atteſtino singulariter dilectus ejus intercessione apud Sistum IV. Ferrariensis Ecclesiæ Canonicus est creatus. [8] Decessit mense Augusto anno Salutis MDIII. eodem ferme die, quo *Alexander Sextus* veneno sublatus interiit, hoc est XV. Kal. Septembris. [9]

CAP. XLIII.

LVI. GUIDO PAPÆ, ejus munera: institutio Parlamenti Delphinatus.

LVI. GUIDO PAPÆ Allobrox Petrum Papæ patruum habuit Clarissimum Jurisconsultum, qui Lugduni causarum patronus [10] erudita Responsa post se reliquit; [11] ex Legato in patrui Bibliotheca successit, [12] & apud eum puer Lugduni grammaticæ præcepta didicit, quo tempore D. Vincentius ibi concionatus decessit, in cujus memoriam Delphinus Oratorium bonis dotatum erexit, [13] id fuit anno Salutis MCCCCXV. [15] Taurini vero Juri operam dedit, ubi Joannem Crassum Jus Pontificium docentem audivit; [16] doctior factus anno Salutis MCCCCXXVII. V. Idus Julii publice disputavit. [17] Post triennium Lauream accepit, quo anno *Joanna Lotaringa* puella duodecim circiter an. nata, relictis in pascuis ovibus, Anglos ex Galliis ejecit, & Carolum VII. in pristinum regnum restituit. [17]

[1] *Sylva nupt. lib. 5. sub n. 25. verb. etiamsi essent.* [2] *Lancello. Deci. in l. 2. C. de in jus vocando.* [3] *Franc. Balb. de præscrip. in prin.* [4] *Felin. in c. quoniam frequenter. 5. verb. tu vero X. ut lit. non contest.* [5] *Felin. in c. innovamus 2. ante n. 4. X. de treuga & pace.* [6] *Felin. in c. in nostra 32. X. de rescript. in c. prudentiam 21. §. sexta. 2. ad fin. X. de off. & potest. jud. del. in c. sedes 15. X. de rescript.* [7] *Felin. in c. 3. ad fin. X. de probat.* [8] *Felin. in c. cum M. Ferrariensis 9. in prin. X. de constitut.* [9] *Sylva nupt. l. 5. sub n. 25. verb. etiamsi esset opinio Felin. ubi multa de eo.* [10] *Jaem. decis. 117.* [11] *decis. 187. & 452. & 629. 631. & seq.* [12] *decis. 187.* [13] *d. decis. 187.* [14] *decis. 84.* [15] *decis. 124.* [16] *decis. 77.* [17] *decis. 84. n. 2.*

Per multos annos Advocati officio functus, [1] in Ludovici Caroli VII. primogeniti Delphinatium Principis notitiam pervenit, a quo jam ferme quadragenarius anno Salutis MCCCCXLII. ad Nicolaum V. Pont. Max. [2] deinde ad Regem Carolum IV. [3] Legatus missus, ea fide, & probitate se gessit, ut suo Principi, qui postea Ludovicus XI. Rex fuit, admodum carus exstiterit, & in curiæ Delphinatus Senatum allectus sit. [4] Eam Patrum curiam HUBERTUS *Delphinatus Princeps* anno Sal. MCCCCXL. Kal. Augusti Gratianopoli instituit, cui in omnes etiam Magistratus supremum Jus tribuit, atque Oppidorum, Urbiumque custodiam commisit.

Cum vero in ea civitate Liberalium artium, & Juris Academia floreret, voluit duos legum civilium, & totidem Juris Pontificii professores in Senatum legi, qui causas & civiles, & criminales, provocandi spe sublata, judicarent; [5] Id consilium vocabatur *Delphinatus;* Sed Ludovicus XI. cujus supra meminimus, an. Sal. MCCCCLIV. exemplo Parisiensis Senatus, id materno vocabulo *Parlamentum* nominari jussit. [6] Guido igitur in eum Senatum receptus species ibi propositas notavit, ac *decisiones Senatus Gratianopolitani* appellavit. Libellum etiam *de Rescriptis* composuit, Formam *inventarii* dictavit, *Jus municipale compulsoriarum literarum* est interpretatus: Item *de Præsumptionibus, Appellationibus, primo, secundoque Decreto opuscula,* & *egregia Responsa* edidit.

Ditionem in Villa S. Albani habuit, in qua etiam furnum, ad quem omnes incolæ coquendi panis gratia accedere, & certam annuam pensionem ipsi persolvere tenebantur. [7] Oratorium, quod Capellam vocant, reditibus dotatam in villa Fontanilla agri Curuilionis instituit anno MCCCCLVII. quod postea Jus patronatus familiæ fecit [8] Ludovico Regi superstes ante annum Salutis MCCCCLXXXVII. & plane senex obiit.

Sub id tempus (LVII.) JACOBUS REBUFFUS in castro Montis Pessulani, unde oriundus erat. Jus civile docuit, & in tres postremos Codicis libros scripsit. [9]

[1] *decis.* 108. *&* 251. [2] *Idem decis.* 453. [3] *Idem decis.* 84. [4] *Idem in præfatio. decis.* [5] *decis.* 554. *&* 43. [6] *decis.* 43. *&* 554. [7] *decis.* 193. 298. *& decis.* 307. [8] *d. decis.* 187. [9] *Boer. in addit. ad præfat. Din. de reg. jur. in 6. in fin. & Guid. Pap. Decis.* 218. *& Decis.* 623.

CAP.

CAP. XLIV.

LVII. JOANNES FRANCISCUS PAVINUS. LVIII. OTTONELLUS PASINUS. Coævi Doctores Juris canonici.

LVII. JO. FRANCISCUS PAVINUS ex Jacobo patre genitus non in Jure tantum, sed etiam in sacra Theologia versatus est. Canonicus Patavinus creatus, cum in patria per aliquot annos docuisset, a Paulo II. Romæ causarum auditor creatus est. [1]

Plura in lucem protulit, & inter cætera *Romanæ Rotæ decisiones* diligenter collectas in volumen redegit; *Novellas quoque Justiniani* ab eo admirabili opere ordinatus fuisse *Joannes Bertachinus* scribit, quæ tamen nunquam apparuerunt. In Joannis XXII. & aliorum Pontificum *Extravagantes* scripsit. *De officio, & potestate Capituli, sede vacante, de Decimis, de Charitativo subsidio, de Visitatione Episcopi*, & alia opuscula non inutilia.

Illis quædam addidit (LVIII) OTONELLUS PASINUS ejus sororis pronepos, qui VI. Decretalium Patavii est interpretatus, mox per Italiam, & alibi variis tribunalibus præfuit, demum Venetiis patrocinatus occubuit. *Jo. Franciscus* etiam Romæ fato concessit, & in Ara Cæli humi sepultus est cum tabula marmorea hoc titulo inscripta.

Jo. Franciscus Pavinus Canonicus Paduanus sacri Apostolici palatii causarum Auditor, & sacræ Theologiæ professor, & Juris utriusque Doctor.

Aliud Epitaphium ante Patavii in D. Antonii muro ipse patri posuerat.

Jacobo Pavino Opt. Genitori Joan. Franc. F. G. R. Theologus, Divinique ac humani Jurisconsult. Canonicus Patavinus Sacri Apostolici palatii causarum Auditor ad P. M. F. MCCCCLXVI. XII. Sept. senio expiravit, malis cedens, superatis adversis, F. D. I. Vixit an. LXXX.

Eo vivente Patavii COSMUS CONTARENUS Venetus, & ANTONIUS CAPILISTIUS Abbas, Canonicusque Patavinus Decretum interpretabantur, quod fuit an. MCCCCXLV. His successit FRANCISCUS A BREVIO Venetus an. MCCCCLXXVII. qui etiam Romæ docuit, ac postea Rotæ Auditor, & Episcopus Cenetensis est creatus. Post eum DIONYSIUS FRANCISCUS *Venetus* an. MCCCCLXXXIII. Patavii idem Jus explicuit.

[1] *Anto. de prat. in clypeo pastoral. c. 6. n. 55. Jas. in l. 15. potest. sub n. 29. ff. de acq. hæred.*

CAP. XLV.

LIX. FRANCISCUS FACIUS Patavinus, AUGUSTINUS & POMPEJUS FACII. ALOYSIUS A PONTE, BERTUCCIUS, PETRUS, ANTONIUS, BUGAROTI Patavini.

LIX. FRANCISCUS FACIUS *Patavinus* Jus Pontificium mira gratia, & oris ſuavitate docuit, peracuti, amœnique vir ingenii, & multæ memoriæ habitus, implicitos jurium nexus magna facilitate ſolvebat, ſed ita interpretabatur, ut dictare potius, quam prælegere videretur. Inter legendum de *Modo argumentandi in utroque jure* opuſculum edidit, quod magna auditorum frequentia exceptus fuit. Cœperat, & juris Regulas cum exceptionibus Jus diſcentibus tradere, quæ morte illius ſunt interceptæ.

Otium nactus muſica, citharaque plurimum delectabatur, antiquorumque characterum formas ita facile, & ſpecioſe ducebat, ut nihil ea manu venuſtius, aut pulchrius fingi poſſet. Informis corpore gravi gibbo premebatur, ut, quod de Sev. Galba dicebatur, ingenium in eo male habitaret.

Sacerdotium Selmatiæ plebis a Marco Cornelio Cardinali, quem docuerat, donatum fratri Auguſtino reliquit. Obiit anno ætàtis XXX. Salutis MDV. Sepultus in atrio D. Franciſci in majorum ſepulchro. De hoc funebris oratio *Hermici Luſitani* eſt typis impreſſa.

AUGUSTINUS ejus frater junior utrumque Jus juvenis explicuit, & in fata conceſſit anno MDXX. & apud fratrem humatus eſt, quem ſecutus eſt POMPEJUS fratris alterius filius, & ipſe Juriſconſ. anno Salutis MDLIX. die VI. Auguſti.

Sub idem tempus ALOYSIUS A PONTE, & BERTUCCIUS BUGAROTUS Patavini in patria Jus Pontificium, & alii duo BUGAROTI PETRUS, & ANTONIUS Jus civile docebant.

CAP. XLVI.

LX. JACOBUS ALVAROTTUS Junior.

LX. JACOBUS ALVAROTUS Comitis filius, & ſenioris Jacobi nepos, Alvarotique pronepos, in patria aliquandiu Jus Pontificium docuit; Cæterum, flagrante bello, diſcedens primum *Florentiæ* Prætor, mox Alfonſi Ferrariæ Ducis Juſtitiæ conſiliarius fuit, Mutinaque ab eo Adriani Pontificis morte recepta, illi per quinquennium præfuit. Poſtea Herculi Ferrariæ Duci a conſiliis factus, in eo honore deces-

decessit, ac magna funeris pompa in æde D. Pauli Carmelitarum cum hoc elogio est humatus.

Jacobo Alvaroto Jurisconsulto, & Equiti Clarissimo, qui cum per triennium ad præturam, magistratumque consilii Justitiæ evocatus Florentiæ resedisset, ab Alfonso Duce Ferrariæ II. invictissimo in ejus consiliarium Justitiæ conductus, cum ejusdem integritatem, ac in rebus peragendis dexteritatem expertus esset, post varias legationes ad omnia ejus secreta consilia admittit, recuperataque Mutinæ Civitate, ad ejus regimen ipsum proponit, quam cum per quinquennium, cum omnium illius civitatis maxima satisfactione gubernasset, ab Hercule Duce Ferrariæ Illustrissimo in suum collateralis consilium introducitur, qui opera ejus ad supremum usque vitæ tempus utitur, ac demum cum nihil aliud præclari, quod in terris agendum esset, haberet, ad cœlestem provinciam advolavit, Constantiæ uxor, ac filii pientissimi pos.

Obiit anno MDXLVI. Mense Julio. Ætatis suæ LXXIV.

Tres post se filios reliquit, JULIUM Patavii Canonicum, qui postea Herculis Ducis Ferrariæ Legatus in Galliis fuit, ubi opulentam Abbatiam obtinuit. Alter fuit PAULUS, qui in patria resedit. Tertius Comes Avi nomen referens apud Ducem Ferrariæ mansit.

CAP. XLVII.

LXI. JOAN. ANTON. a S. GEORGIO Placentinus, Cardinalis.

LXI. POntificium Jus summopere illustravit JO. ANTONIUS a S. GEORGIO *Placentinus* patritius Mediolanensis, qui anno ætatis XXVIII. Ticini profiteri cœpit, ac primo anno *Clementinas*, duobus sequentibus Jura *appellationum*, aliis duobus *quartum librum Decretalium* est interpretatus, in quo munere tres horas singulis diebus insumpsit. Sexto vero anno *Feuda* explicans plura ab *Alvaroto* mutuatus est, primam etiam Decreti partem exposuit, templi D. Ambrosii Mediolani Præpositus fuit.

Mox ob doctrinam, & vitæ sanctitatem ab Innocentio VIII. Romam vocatus Auditor Sacri palatii, seu Rotæ [1] Referendarius Apostolicus, deinde Episcopus Alexandriæ creatus est. Quare ut duplex honor significetur, vulgo Præpositus Alexandrinus dicitur. Demum anno MCCCCXCIII. III. Idus Septembris Presbyter Cardinalis sub titulo SS. Nerii, & Archilei est declaratus. Sunt qui eum a Rufino

[1] *Jas. in l. 29. in 2. lectur. sub n. 33. de lib. & post.*

Guasco, qui Bononiæ prætor fuit, descendere velint, cujus *Accursius*, [1] *& Baldus* [2] meminerunt, sed id mihi non constat.

CAP. XLVIII.

LXII. NICOLAUS PICCOLOMINEUS. LXIII. FRANCISCUS COSCIUS Senensis.

LXII. ALius fuit Præpositus Senensis cognominatus NICOLAUS PICCOLOMINEUS, qui in patria Jus Pontificium aliquot annis interpretatus, postea Advocatus Consistorialis est creatus, ob vitæque integritatem, & insignem doctrinam maxime inclaruit. His animi dotibus addita speciosi corporis forma eum magis conspicuum reddebat. Demum a Clemente VII. Pont. Episcopus declaratus, & Nuntius in Hispanias missus cum annum ætatis XLIV. non excederet, anno humanæ Salutis MDXXXIII. immatura morte occubuit.

Nec multo post eum secutus est (LXIII.) FRANCISCUS COSCIUS *Decanus & ipse Senensis*, qui primo in patria, deinde Pisis multa cum laude idem Jus interpretatus est, & luculentis in id commentariis editis, senio confectus defunctus est anno MDLVI.

CAP. XLIX.

LXIII. AUGUSTINUS BEROUS Bononiensis.

LXIII. EAdem ætate AUGUSTINUS BEROUS *Bononiensis* Jus Pontificium toto fere vitæ spatio in patria post sumpta Doctoris Insignia explicuit, in quo tantam sibi famam comparavit, ut DCCC. aureorum stipendium adeptus primum in ea professione locum obtinuerit.

Vir fuit laboriosus, potius, quam subtilis, qui multa *in constitutiones Decretales* commentaria, quæstiones familiares, & plura Responsorum volumina in publicum protulit; Prope octuagenarius, relictis post se liberis, decessit anno humanæ Salutis MDLIV. cui sequens Epitaphium appositum fuit.

Augustino Beroo Jurisconsulto: Vixit annos LXXIX. Obiit MDLIV. Idus Septembris.

CAP. L.

LXIV. PETRUS ANDREAS GAMMARUS a CASALI Bononiensis.

LXIV.

LXIV. PEtrus ANDREAS GAMMARUS a Casali Bononiensis non ante xx. ætatis annum Jus civile attigit. Antea enim Philosophiæ studiosus aliis artibus incubuerat. Demum propinquorum exhortationibus an. MD. sub *Joanne Campegio* legibus operam navavit. In Jure vero Pontificio ANTONIUM MARIAM A SALA acutissimi ingenii virum audivit. Sed cum is immatura morte præreptus decessisset, *Bartholomæum Bologninum*, qui non multo post Romæ Advocatus Consistorialis fuit, præceptorem habuit.

In his studiis cum septennium consumpsisset, anno ætatis XXVII. Lauream adeptus Jura Pontificia explicuit. Adhuc tyro de *Veritate, & Excellentia Legalis scientiæ* volumen in lucem emisit. Ac postea *tres Topicorum libros* ad eruenda in legum facultate argumenta, & *librum Extensionum* nondum xxx. annum ingressus edidit.

CAP. LI.

LXV. ROCHUS CURTIUS Ticinensis.

LXV. ROCHUS CURTIUS Francisci junioris ex Rolando fratre nepos, [1] vel potius ejus frater, [2] *Ticinensis*, & Jasonis Auditor [3] circiter annum MDXV. in patria Jus Pontificium explicuit, deinde Mediolani Senator est creatus, cum prius an. MCCCCLXX. Guilielmo Marchioni Montisferrati a consiliis fuisset. Hujus *de Consuetudine, & Jure patronatus scripta* extant. Ex Curtiorum familia fuerat antea PETRUS CURTIUS, cujus responso pro *Joanne Galeacio Duce Mediolani* edito subscripsit *Baldus* [4] & LUCHINUS CURTIUS, cujus antiquum Responsum inspexi.

CAP. LII.

LXVI. ANTONIUS FRANCISCUS *a Doctoribus Patavinus.* ANTONIUS CORSETUS NEPTINUS *Siculus.* BALTHASAR CARDUCCIUS Florentinus. LXVII. MARCUS MANTUA. LXVIII. BARTHOLOMÆUS URBINUS *Patavinus.* LXIX. AMBROSIUS VIGNATA.

LXVI. ANTONIUS FRANCISCUS a *Doctoribus* Patavinus cum aliquot annis in Patria Jus Pontificium cum ANTONIO CORSETO NEPTINO *Siculo* explicuisset, Ferrariam conductus FELI-

[1] *Tiraq. de jur. primig. q. 16. n. 6.* [2] *Rip. in l. 89. sub n. 72. ff. de legat. 3.* [3] *Rochi in tractat. de jur. patronat. in verb. ipse. sub n. 95.* [4] *In cons. 357. vol. 5.*

NUM

NUM SANDEUM concurrentem habuit. Rursus Patavium revocatus, primum Decio, qui cum, præter morem concertantium, magna benevolentia conjunctus fuit, [1] deinde BALTHASARI CARDUCCEO *Florentino*, qui exul a Venetis exceptus fuerat, Antagonista adjunctus est.

Inter legendum plura composuit, quæ bellorum injuria periere. Solus extat in *Abbatis* Siculi commentaria; Index, ad cujus æmulationem alium longe locupletiorem Corsetus Antagonista Siculus in Siculum edidit: Cum vero insimulatus esset, quod cum Maximiliano Cæsare adversus Rempublicam Venetam conspirasset, custodiæ traditus, nec nisi post multas ærumnas dimissus, rursus publice docere cœpit. Demum senio confectus in villam, quam Pernumiæ amœnissimam habebat, secessit, ubi intra paucos dies jam LXXXVI. annum agens naturæ concessit, anno MDXXVIII. V. Kal. Augustas, cum jam plus annis LIII. publice docuisset. In villa Sacellum proprio ære dotatum erexit.

Vir magnæ constantiæ, laboriosus, & mirificæ in studiis vigilantiæ, ut plus laboribus, quam ingenii fælicitate effecisse crederetur. Ei MARCUS MANTUA (LXVII.) suffectus in ea lectione per decennium perseveravit. Nihil ex illius commentariis extat, quædam tantum ad Abbatem Panormitanum scholia, vel, ut vocant, Additiones visuntur. Paulo post *Antonium Franciscum* decessit, & (LXVIII.) BARTHOLOMÆUS URBINUS Patavinus ipse quoque octuagenarius, qui XXX. annis in patria Jus Pontificium interpretatus fuerat. Neque omittendus est (LXIX.) AMBROSIUS VIGNATA Taurinensis, qui Celebris Doctor, & Comes [2] in patria Jus Pontificium est interpretatus. [3] Librum de *Usuris* edidit, & plura in Jure scripsit.

CAP. LIII.

LXX. BALTHASAR CARDUCCIUS Florentinus, odium ejus contra nomen Mediceum. BERNARDINUS CLARICIUS Bononiensis, HIERONYMUS JUSTUS Patavinus, THOMAS ZANECHINUS Vicentinus, VINCENTIUS DULCIUS Venetus, JOANNES BAPTISTA FERRETUS.

LXX. BALTHASAR CARDUCCIUS vetusta potius, quam nobili progenie Florentiæ natus non magnas opes possedit. Itaque ad sustentandam familiam Juribus addictus, non inter ignobiles Juriscon-

[1] *Deci. conf.* 495. [2] *Sylva nupt. l.* 3. *n.* 36. [3] *Cag. in l.* 2. *sub n.* 50. *C. de pact. int. empt. & vend.*

risconsultos haberi cœpit. Sed cum Mediceis infensus patria excedere coactus esset, Patavii ad interpretandum Jus Pontificium *Francisco a Doctoribus* concurrens datus fuit. Demum ad Jus civile interpretandum translatus anno. MDXIX. *Ludovicam* uxorem amisit, quam Patavii in Servitarum templo humari jussit. Ea ex re mœrore contracto, Venetias se contulit, ubi Mediceum nomen publice lacerando servientis patriæ statum deplorare non destitit.

Illis vero ejectis, domum revocatus adversus *Clementem* VII. Pontificem inflammandis popularibus civibus signiferum se præbuit, ac passim in coronis se nunquam stabilem Rempublicam visurum dictitabat, nisi multo cruore amicorum Mediceæ familiæ manus, & pedes ablueret, & tyrannorum ædes publico decreto eversas conspiceret. His vociferationibus clarior factus *Scimitariæ*, quæ vox incurvi gladii genus significat, cognomentum tulit.

Denique frequenti plebis turba stipatus, invito NICOLAO CAPONIO *Vexillifero*, gestandorum armorum, & custodiendæ curiæ munus obtinuit. Sed cum *Jacobum Alamanum* præcipitis audaciæ juvenem, qui in *Leonardum Ginorium* in ipso curiæ limine petulanter ferrum strinxerat, ex Juris præscripto tueri nequivisset, quo minus capite multaretur, auctoritate apud plebem parum minui cœpit. Ita sedato tumultu, Carduccius in Galliam Legatus mittitur. Dedita vero Mediceis Florentia, [1] in patriam restitutus in extrema senecta decessit.

Ei Patavii BERNARDINUS CLARICIUS Bononiensis successit, qui an. MDXXVIII. defunctus in D. Mariæ ab Avantio templo humatus est. Eodem etiam anno HIERONYMUS JUSTUS PATAVINUS, qui prius in Curia Romana versatus, postea & ipse XXX. an. Canonicum Jus professus fuerat, senectuti proximus uxorem accepit, ex qua duas filias, & MARCUM ANTONIUM Jurisconsultum, & BERNARDINUM filios suscepit. Post hos THOMAS ZANECHINUS *Vicentinus* an. MDXXXI. & VINCENTIUS DULCIUS VENETUS, JOANNESQUE BAPTISTA FERRETUS idem Jus explicuere.

CAP. LIV.

LXXI. LUDOVICUS GOMESIUS. ANTONIUS BURGOS Hispanus. HIERONYMUS GYGAS.

1 *Jovius lib.* 25.

LXXI. LUDOVICUS GOMESIUS *Oriola* urbe Regni Valentiæ oriundus Patavii Juri operam dedit, ubi inter Jurisconsultos relatus circiter an. MDXXII. explicandis Institutionibus præfectus fuit, quo tempore JO. FRANCISCUM BEBIUM Regiensem concurrentem habuit. Postea ad Jus Pontificium docendum translatus MARCO MANTUÆ *Bonavidio* Antagonista additus fuit. Deinde an. MDXXVIII. Romam profectus Rotæ Auditor, ac demum Archiepiscopus Sarnensis creatus in Rotæ auditorio ANTONIUM AUGUSTINUM successorem habuit.

In Institutiones, sextum Decretalium, & Regulas Cancellariæ præclara commentaria edidit, immatura morte præventus plura emittere non potuit. Non pauca ex aliorum scriptis mutuatus esse dicitur.

Sub id tempus, ANTONIUS BURGOS & ipse Hispanus Salamanticensis Bononiæ Jus Pontificium est interpretatus, [1] ubi inter alios HIERONYMUM GIGANTEM *Ravennatem* erudiit, qui Venetiis in foro ecclesiastico diu patrocinatus præclarum de *Pensionibus* tractatum edidit. *Antonius* a Leone X. Pontif. Maximo Romam vocatus, ut ejus opera uteretur, Bononiæ decessit. [2]

CAP. LV.

LXXII. MARTINUS NAVARRUS.

LXXII. MARTINUS NAVARRUS ex nobilibus natus parentibus [3] ab *Azpilcueta* Hispaniæ oppido oriundus omnium nostræ ætatis habitus est doctissimus. Ante annum enim Salutis MDXX. singularem Theologiæ, & Juris Pontificii doctrinam percepit. Nec multo post insigne beneficium titulo, ut vocant, *Commendæ* a Villari prope Villagram Legionensis diœceseos cum mero, & mixto imperio obtinuit; Regularis Canonicus professus fuit. [4]

Ob insignem vero eruditionem celebrior factus primo Tolosæ, mox Salamanticæ, deinde Corimbriacæ, demum Cathurci [5] in Galliis Jus Pontificium clara nominis fama tamdiu docuit, donec ex illarum Academiarum decretis rude donatus a profitendi munere cessavit: Plures vero provincias se peragrasse ipse narrat, [6] nempe Celtiberiam, seu Navarram, Castellas novam, & veterem, Gallias, & Ita-

[1] *Hier. Gigas de Pensio. q.* 23. [2] *Jo. Genes. de gestis Egidii Cardinalis.* [3] *Navar. de redit. Eccl. q.* 3. *mon.* 21. [4] *Navar. de red. Eccl. q.* 3. *mon.* 29. [5] *Navar. de red. Eccl. q.* 1. *moni.* 53. *n.* 3. [6] *in d. q. moni.* 53. *n.* 3.

liam,

liam, ubi annis fere XXVI. hanc ob causam resedit, & tandem decessit.

Toletanus Archipræsul in Hispaniis ditissimus ex ordine Dominicanorum hæresis insimulatus diu in carcere fuerat detentus. Demum a Pio V. ejus crimen cognituro Romam vocatus in arce S. Angeli est custoditus. Martinus eum secutus illius causam acriter defendit, in quoddam tamen Ecclesiæ oppidum ille ad decennium est relegatus, magnaque parte redituum sui Episcopatus, qui CC. millia aureorum excedebat, mulctatus.

Verum Martinus non amplius Hispanias repetere voluit, sed Romæ manens plura in Jus Pontificium annum agens XCI. scripsit, [1] pieque ac religiose semper vixit; quotidie enim sacra celebrare, & bona in pauperes elargiri consuevit; Ipse scribit, se octuagenarium sacrum Quadragesimæ jejunium nunquam dimisisse. Quare Summi Pontifices ob ipsius eruditionem, & vitæ integritatem plura illi Pœnitentiariæ, ut vocant, & graviora negotia committebant.

Tandem cum vitam ultra annos centum produxisset, Romæ obiit an. Salut. MDLXXXVI. die XXIV. Junii, humatus est in templo D. Antonii Lusitanorum, orante in ejus funere Thoma Correa Lusitano.

CAP. LVI.

LXXIII. DIDACUS COVARRUVIAS.

LXXIII. DIDACUS COVARRUVIAS *a Leyna* Toletanus præclari viri ingenii *Martinum* [2] *Navarrum* in Salamanticensi Academia audivit. An. MDXLIII. Salamanticæ Jus Pontificium interpretatus est, [3] in quod etiam luculenta commentaria edidit. Scripsit *& tres Variarum resolutionum libros*, & aliud *Practicarum quæstionum eruditum* volumen, cum in Bæticæ, seu Granatæ prætorio, cui etiam præfuit, judicaret. [4] Demum D. Dominici, quæ orbis novi est præcipua Insula, Archiepiscopus factus, eo, ut audio, se contulit. Postremo totius Castellæ Præses cum magna omnium lætitia factus, ibi decessit an. MDLXXXVI. [5]

1 *Navar. d. q. 1. mon. 53. n. 3. & ea præcipue conscientiæ articulos tangunt.*
2 *Navar. in c. si fæneraveris. 1. q. 3. 21. not. caus. 14.* 3 *Idem lib. variar. resol. 1. cap. 11. sub n. 5.* 4 *Didac. c. 14. ad fin. pract. quæst. Jo. Vinc. de Anna. lib. 2. allegat. 76. sub n. 5.* 5 *Navar. in d. c. si fæneraveris. 1. not. 24.*

CAP. LVII.

LXXIV. ARRIUS PINELLUS Lusitanus.

LXXIV. Arrius pinellus Lusitanus Salamanticæ *Antonium Soarium* docentem, postea supremi Regii consilii Senatorem audivit. [1] Deinde a Joanne III. Rege Lusitaniæ conductus in Corimbricensi Academia ultra decennium docuit. Mox a profitendi munere destitit. Postremo ampliore stipendio invitatus ad pristinum munus rediit; In titulum *de Bonis maternis*, *item ad Rub. & l. 2. C. de rescind. vend.* luculenta commentaria edidit, circa annos Sal. MDLVII.

CAP. LVIII.

LXXV. SIGISMUNDUS BRUNELLUS Patavinus.

LXXV. Sigismundus brunellus *Patavinus* xx. annis Jus Pontificium in patria docuit, & ad primam ejus lectionis Cathedram pervenit. Sed in medio docendi cursu annos natus XLI. occubuit an. MDXLIII. Conditus est in templo D. Benedicti novelli in sublimi sepulchro cum sequenti Epitaphio latine, & græce conscripto, quod illi uxor construxit.

Mœsta Sigismundum Brunellum hic condidit uxor,
Qui quondam sacri gloria Juris erat.
Quem Patavii Canones vigesima bruma docentem
Et stantem prima viderat in Cathedra.

CAP. LIX.

LIX. HIERONYMUS PARISETUS Regiensis, ortus, amicitia cum *Joanne Morono* Cardinali. Ingenium & morum integritas.

Hieronymus parisetus anno MDXX. Regii natus est familia vetere & honesta in qua complures Jurisconsulti virique literati extitere domi latinis græcisque literis institutus Bononiæ ac Ferrariæ juri operam dedit Andreæ Alciato philosophos etiam & Theologos ut erat admirabili docilitate addiscendique cupidissimus audivit linguam item hebraicam attigit. Is jurisconsultus factus *Archipræsuli Spidaurensi* qui postea *Pius Quartus* fuit Piceni inde Bono-

[1] *Arrius Pinellus in R. C. de bonis mater. 2. parte sub n. 43. verb. sunt hæc utilia.*

niæ

niæ Prolegato assedit, in eoque magistratu modeste se gessit & abstinenter exin Romæ *Joannis Moroni* Cardinalis amplissimi assessor anno 1550. in eo gymnasio publicas lectiones exorsus, primo Jus civile deinde pontificium magna auditorum frequentia interpretatus est. Cum vero per potentum quorundam invidiam Paulo Quart Pontifice Maximo Cardinalis ipse hæresis insimulatus in custodiamque traditus extremum pene in discrimen adductus esset, in hujus causam Hieronymus omnibus nervis incubuit non defuit periculo neque florentis fortunæ amicus afflictam ut fit a plerisque destituit. Hunc tandem a *Pio Quarto* calumnia illa absolutum legatumque de latere Tridentum ad concilium missum secutus mirum in eo munere obeundo ut juverit, ut Christianæ pietatis specimen dederit præclaræque eruditionis atque doctrinæ eidem aliis legationibus diversis temporibus ad conventum Augustæ ad Imperatorem ad Genuenses varia & ardua ob negotia functo ad ea ex sententia conficienda plurimum contulit. In Romana Academia annos amplius triginta frequenti auditorio summa cum laude professus est eique primæ inter Canonistas perpetuo delatæ sunt cujus eruditioni tantum tribuit GREGORIUS XIII. ut ad *decreti decretaliumque* emendationem eum præ cæteris adhibuerit. Demum anno 1586. senectute jam provecto Sixtus v. a publicis lectionibus vacationem dari idemque stipendium quo a gymnasiarchis conductus fuerat quotannis emeritorum nomine elargiri jussit, expleto igitur juris profitendi munere totum se sacris literis tradidit in harumque meditatione quasi tutissimo in portu reliquæ vitæ tempus degit summa animi tranquillitate. Pauperes facultatibus suis & quibuscunque rebus poterat sublevabat: præcipua autem ei cura erat clericorum hybernicorum, quos ab hæreticis sacerdotiis eversos patria pulsos Romam confugientes benigne excipiebat omnibusque charitatis officiis prosequebatur. Principibus viris atque Romanis ipsis Pontificibus acceptissimus, honores tamen nunquam petiit, imo vero Episcopatum S. Marci & Archiepiscopatum Spidaurensem recusavit ultro sibi oblatos, privata enim vita honestoque otio negabat quicquam esse dulcius magisque expetendum. Vir fuit in omni vita ab omni voluptatum genere abhorrens, *hanc demum voluptatem capiebat repulsu voluptate capi probitates vero atque innocentiæ priscis illis comparandus.* Quam quidem artem aulici mirantur fingendi dissimulandique hanc negligebat, quod in animo idem in ore semper habuit. Famulis fere belgis aut germanis utebatur, quos Baccho indulgentes ut

ſimplices apertos a technis ſervilibus remotos adamabat, nequaquam tamen ea re ſibi cavit quin morienti volumina quæ variis de rebus confecerat nominis ſcilicet ſui memoriam apud poſteros propagatura per ſummum flagitium ſurrepta fuerint. Potus ipſe cibi ſomnique parciſſimus inoffenſa valetudine vitam usque ad octogeſimum annum produxit. Romæ obiit anno jubileo 1600. Sepultus eſt ad D. Alexii in monte Aventino.

CAP. LX.

ANASTASIUS GERMONIUS Taurinenſis; interſtitium ſtudiorum, ſcientia canonum, profeſſiones, legationes: autor Septimæ collectionis Decretalium.

ANASTASIUS *Jo. Baptiſta Germonio*, *&* *Catherina* ex antiquiſſima, ac nobiliſſima Cævæ familia genitus in oppido Salarum ejusdem Cævæ Marchionatus ditione materni avi, natus eſt anno MDLI. menſe Martii, die vero.

Hic annum ætatis ſuæ circiter decimum tertium agens, relictis, ne dicam neglectis, penitus Ludimagiſtro, omnibusque diſciplinis, quibus adoleſcentes imbui ſolent, ad vigeſimum ſecundum ætatis annum pervenit. Et licet ob tanti temporis intermiſſionem etiam prima Grammaticæ rudimenta fere ignoraret, tanto tamen animi ardore politioris humanitatis, & communium litterarum ſtudia eſt amplexus; ut unius, & dimidii anni curriculo tempus, quod per ſpatium ſeptem, aut octo annorum contriverat, recuperaret. Ad legum, ſacrorumque Canonum diſciplinam ſe convertens *Joanni Manutio* matutinam interpretanti lectionem, & mihi veſpertinam operam dedit. Fuit quoque Patavii per aliquot menſes, ubi *Cephalum*, *Decianum*, *&* *Menochium* audivit. Auguſtam Taurinorum reverſo a me ibidem adhuc profitente Laurea utriusque Juris donato ab illius Taurinenſis Academiæ Moderatoribus veſpertina Juris Pontificii cathedra ultro delata eſt. Plurimum enim in hoc jure ediſcendo inſudaverat, plurimumque profecerat, adeo, ut cum aliquando illum derepente docentem audirem, haud parum juvenis eloquentiam, ſubtilitatem, inſtruendi rationem, & methodum admirarer, ex quo maximam concepi ſpem, ut inter ſacri Juris Interpretes unus omnium celeberrimus evaderet.

Quo ſane munere ita delectatus eſt, ut Protonotariatus etiam dignitate, & Archidiaconatu Taurinenſi, pingui admodum ſacerdotio, & au-

& autoritate insigni auctus, legendi, quam susceperat, provinciam minime desereret. *Hieronymum a Ruvere* ejusdem civitatis Taurini Archiepiscopum Romam, ut purpura donaretur, proficiscentem comitatus est Archidiaconus, & quamdiu in Cardinalatu vixit, apud eum summæ semper fuit dignationis, & autoritatis, & a tota Romana aula amabatur unice, etiam ab ipsis Pontificibus Max. Sixto v. Urbano vii. Gregorio xiv. Innocentio ix. Clemente viii. Sixtus, & Gregorius, si evenisset vacationis casus, in sacri Palatii Auditorum collegium cupiebant maxime ipsum cooptare. CLEMENS statim atque ad Summi Pontificatus fastigium conscendit, eundem in ejus, quem obtinebat in Cardinalatu, locum, Congregationis, scilicet, compilationis Decretalium, vulgo hucusque Septim edictæ, suffecit, atque ipsi soli, ut glossemata conficeret, curam demandavit, quæ magno perfecit studio, licet nondum in lucem edita; exibunt tamen summo totius orbis Christiani desiderio, summa utilitate.

At vero cum non solum in literis, & præsertim in Jurisprudentia clarus, verum etiam in peragendis negotiis vir prudens, ac diligens haberetur, eum Urbinatum Dux apud Summum Pontificem suum constituit oratorem, quo in munere ita se gessit, ut utrique & Pontifici, & Duci esset gratissimus. Cumque ab eodem Clemente utriusque Signaturæ Referendarius esset creatus, tum rebus curialibus minime defuit, imo ita incumbebat, ut ignorares, cui plus navaret operæ, & studii.

Aliquot post annis eidem sua quoque negotia delegavit Carolus Emmanuel Allobrogum Dux, & Pedemontium Princeps, in quibus hodie totus fere est. Multa scripsit, nam præter annotationes, & glossas, quæ, ut dixi, nondum sunt impressæ, Paratitla in libros quinque Decretalium Gregorii ix. confecit; Libros Animadversionum duos, duos item Tractatus, alterum *de Sacrorum Immunitatibus*, alterum *de Indultis Apostolicis*, omnesque tanta doctrina, rerum varietate, & elegantia, ut gloriari possit non modo ei in mentem venisse, quod per se magnum est, & laudandum, sed etiam ab eo prorsus, magnaque laude perfectum esse id, quod ante eum neque perfectum erat, neque perfici posse putabatur. Veteres si quidem Jurisconsultos imitatus Jus Pontificium a fœda barbarie vindicavit, quod amplissimo etiam viri disertissimi, & doctissimi Antonii Fabri Sebusiani, in Gebennensi Ducatus auditorio Præsidis meritissimi, ac mei alias audito-

ris

ris chariſſimi teſtimonio comprobatur, ait [1] enim ad ipſum Germonium ſcribens. *Quid enim habes, aut nunquam habuiſti antiquius, quam ut veterem illam Jurisprudentiæ dignitatem tot ſeculorum, & interpretum barbarie miſere conſpurcatum, disjectamque priſtino decori ſuo, quoad poſſes, reſtitueres, ac veluti quodam poſtliminii jure in ſedes patrias revocares?* Et paulo poſt. *Quid obſecro duobus illis Animadverſionum tuarum libris ſcribi potuit accuratius? Quid tuis in Decretales Paratitlis aut utilius aut emendatius? Quid denique ut cætera taceam, toto illo tractatu, quem de ſacrorum Immunitatibus nuper edidiſti, ſubtilius, eruditius, præclarius? Deus bone, quantam mihi, totique reipublicæ literariæ commovet expectationem Septimus Decretalium liber, cujus compilandi, concinnandi, & interpretandi curam poſteriores Pontifices eruditionis tuæ apprime conſcii tibi uni creditam eſſe voluerunt.* Unde non immerito Lancellotus in ſuo de Attentatis [2] tractatu quandam Germonii in medium adducens opinionem dicit. *Vir inter recentiores doctiſſimus, & inter doctiſſimos eloquentiſſimus.* Duo item viri bonarum literarum peritiſſimi PAULUS *Benius*, [3] & ANTONIUS [4] POSSEVINUS ſcripſere, eum ſacros Canones Auguſtæ Taurinorum multos annos ſumma cum laude docuiſſe, & doctiſſimis, elegantiſſimisque commentariis illuſtraſſe, & mira cum omnium approbatione ſcripſiſſe multa, atque in præſens Clementis VIII. juſſu, Tridentini concilii canones Septimo Decretalium intexere, & illius gloſſemata luculentis notationibus interdum etiam ſubtiliſſimis quæſtionibus explicare, & illuſtrare. Jacobus Cujacius vir de Jure civili optime meritus confectis in libros Pandectarum, & Codicis Paratitlis, animum ad Jus Pontificium converterat, at cum Germonii Paratitla vidiſſet impreſſa, mihi fertur dixiſſe, *Idem ſtudium ſe libenter currere voluiſſe, ſed Germonium ſibi palmam arripuiſſe.*

Supereſt, ut pro tot, tantisque vigiliis, laboribus, & meritis condigna ei perſolventur præmia, quorum jam parte donatus eſſet, niſi Eccleſias Aſtenſem, & Salutiarum ſponte oblatas recuſaſſet, quaſi amplioribus honoribus, præmiis, & ſplendore verus ejus, juſtus, honeſtus, & Reipublicæ perutilis labor dignus ab omnibus exiſtimetur.

1 *in epiſt. ante lib.* II. *Conjectur.* 2 *part.* 2. *cap.* 4. *n.* 466. *in addit.* 3 *in diſputat. de Eccleſiaſt. Baronii Card. Annalib. fol.* 27. 4 *In apparatu ad Hiſtor. ſect.* 3. *cap.* 45.

DE

GUIDI PANZIROLI
LIBER QUARTUS DE EUROPÆ ACADEMIIS.

Conditio Professorum apud Romanos, de eorum reditibus. De Antiochena, Alexandrina, Cantabrigiensi, Oxoniensi, Parisiensi, Ticinensi, Bononiensi Academiis. Romæ & Constantinopolis jura docebantur. De fatis academiæ romanæ ejusque restitutione.

VEtus orbis Romani institutum fuit, ut exemplo Athenarum quælibet civitas suos Professores haberet. Romæ cum ob bella civilia, & tyrannidem Neronis Rhetores esse desiissent, his Vespasianus latinis, græcisque e Fisco annua centena constituit, ut autor est *Tranquillus*, [1] si sextertia intelligamus, erunt duo millia, & quingenti aurei, si centena millia numum, quod magis est verisimile, erunt milleni aurei. Alexander quoque Rhetoribus, Grammaticis, Medicis, Mathematicis salaria forte intermissa instituit. [2] Aliæ civitates proprios reditus ad eos alendos habebant, minoresque urbes ternos Rhetores, & Grammaticos, mediæ quaternos, maximæ quinos immunes conducebant. [3]

M. Tullius Cicero ANTIOCHIAM in Syria eruditissimis hominibus, liberalissimisque studiis affluxisse scribit, [4] & subjicit. *Erat Italia tum plena Græcarum artium, ac disciplinarum, studiaque hæc & in Latio vehementius tum colebantur, quam nunc iisdem in oppidis, & hic Romæ propter tranquillitatem Reipub. non negligebantur.* Idem Massiliam disciplinis, ac linguis latina, græcaque floruisse scribit. [5] Quare D. Gregorius Nazianzenus, ut Rhetoricam addisceret, primo Cæsaream palæstinæ, mox Alexandriam, postremo Athenas profectus, ibi D. Basilio se conjunxit. [6]

1 *In Vespas. c.* 19. 2 *Lamprid. in Alexandro.* 3 *l.* 6. *§.* 2. *ff. de excus. tutor.* 4 *pro A. Licinio Archia Poeta.* 5 *pro L. Flacco.* 6 *ut in ejus vita narrat Gregorius Presbyter.*

Præ cæteris vero ALEXANDRINA Academia excelluit, in qua Geometria, Musica, & Astronomia, Medicinaque ea diligentia execolebantur, [1] ut ad commendandam alicujus doctrinam satis esset dicere, eum Alexandriæ esse eruditum: ibi Averrois, Avicenna, Mesue Rasis, aliique Arabes docuerunt.

Posterioribus temporibus in Anglia CANTABRIGIA, & OXONIUM celebres Academiæ fuerunt, unde Alevinus discipulus Bedæ, & alii viri præstantissimi prodierunt, qui Carolo Magno instituendæ PARISIENSIS Academiæ in Galliis, & in Italia TICINENSIS auctores fuerunt. Cantabrigiæ Honorius primus P. M. qui sedit an. Salutis DCLXXIV. eruditus fuit, & nunc Linguarum peritia celebratur.

Aliæ postea etiam in Italia, ut BONONIÆ, Academiæ sunt institutæ, in quibus artes tantum Liberales colebantur. Nullibi, ROMA, ET CONSTANTINOPOLI exceptis, Jura docebantur. Romæ enim *Tiberius Coruncanus* primus publice Jura est interpretatus, & post eum plurimi alii. Pomponius [2] *ex omnibus*, inquit, *qui Juris scientiam nacti sunt, ante Tiberium Coruncanum publice professum neminem traditur. Cæteri autem ad hunc vel in latenti Jus civile retinere cogitabant, solumque consultoribus vacare potius, quam discere volentibus se præstabant; Is igitur primus profiteri cœpit, cujus tamen scriptum nullum extat, sed responsa complura, & memorabilia ejus fuerunt.* Hæc ille.

Alii post eum publica Jura docuerunt, inter quos Q. *Mutius Scævola* plures Auditores habuit, inquit Pomponius, [3] ex quibus præcipuæ auctoritatis Aquilius Gallus, Balbus Lucillius, Sext. Papirius, & Cajus Juventius fuerunt, qui & ipsi profitentes plurimos Auditores a Pomponio relatos habuerunt, & hi alios, ita ut semper Romæ Juris studia floruerint, ubi Antistius Labeo sex mensibus profitebatur, aliis sex secedens conscribendis libris operam dabat. [4]

Is dissidens in pluribus ab Attejo Capitone duarum sectarum instituendarum cum eo auctor fuit. In Capitolio docebant, ubi postea THEODOSIUS MAGNUS duos tantum Legum Interpretes constituit, tres Rhetores decem latinos Grammaticos, & totidem Græcos, unum Philosophum, quinque Sophistas, seu Dialecticos, [5] idem & Constantinopoli agebatur, ubi cum studia frequentari desiissent, BARDAS *Michaelis Imperatoris avunculus* circa annum Salut. DCCCLX. leges ci-

1 *Marcellin. lib. 22. circa finem.* 2 *in l. 2. §. Juris civilis. ff. de orig. jur.*
3 *in d. l. 2. §. Post hos.* 4 *d. l. 2. §. post hunc.* 5 *l. 1. C de stud. liber. urb. Rom.*

viles,

viles, quarum cognitio jam pene omnino obsoleverat, revocavit, [1] effecitque ut litteræ reflorescerent, exiguoque tempore incrementa caperent.

Qui vero causa studiorum Romam, aut Constantinopolim veniebant, magistro census suorum Præsidum litteras ostendere tenebantur, quibus eorum oppida, natales, & merita exprimerentur, & profiteri, quibus studiis operam essent daturi. Tum officialibus census hospitia, in quibus morabantur, indicare; & cum annum ætatis XXI. explevissent in patriam remeare. [2] Antea usque ad annum ætatis XXV. Juri vacare poterant. [3] Cœperant & Alexandriæ, & Cæsareæ Jura explicari, sed JUSTINIANUS interdixit, ne alibi, quam in præfatis duabus Regiis urbibus, & BERYTHI, ubi vetus legum fuerat Gymnasium, [4] possent exponi. Sub eo ibi, & Constantinopoli octo Jura profitebantur, [5] THEOPHILUS, [6] qui cum TRIBONIANO Institutiones, & forte græcas, quæ extant, [7] composuit. CRATINUS, THEODORUS, & ISIDORUS *Constantinopoli;* DOROTHEUS, ANATOLIUS, THALLELÆUS, & SALAMINIUS, ut videtur, Berythi jura interpretabantur. [8] Ex utraque Acedemia duo primi cum aliis Pandectas concinnarunt.

Cæterum Romæ sæpe a Barbaris devastatæ, & alias calamitates perpessæ bonarum artium Academia desiit exerceri, donec Innocentius IV. qui sedit an. Salutis MCCXLIII. illam restituit, & ibi utrunque Jus doceri præcepit. [9] Sub hæc tempora plures in Italia civitates Jurium Academias exemplo Bononiensium erexerunt, ut MUTINA, REGIUM, [10] PARMA, PLACENTIA, MEDIOLANUM, FLORENTIA, & aliæ, quæ interciderunt. Nos post Jurium interpretes, eas, quæ nunc vigent, illarumque originem breviter explicabimus, quas ante JACOBUS MIDDENDORPIUS proprio libro late est complexus, ut, ubi quisque professor docuerit, clarius intelligatur.

CAP. I.

DE ACADEMIIS ITALICIS.

[1] *Zonaras Annal. tom. 3. in Michaele Theophili, & Theodoræ filio.* [2] *l. 1. C. Theod. de stud. liber. Urb. Rom.* [3] *l. 1. C. qui ætat. vel profes. se excus.* [4] *d. l. 1. C. eod.* [5] *in inscriptio. proemii. ff.* [6] *l. 1. §. ad istum. C. de Justin. Cod confirmando.* [7] *§. nos vero. d. proem. l. 2. §. sed cum. C. de vet. jur. enucl. §. cumque in proem. Inst.* [8] *l. 2. §. quæ omnia. C. de vet. jur. enucl.* [9] *in c. 11. de privil. in 6.* [10] *bonæ. 2. de election.*

ROMANA, quæ ab INNOCENTIO IV. fuit instaurata circiter annum MCCXLV. [1]

TICINENSIS a CAROLO MAGNO circa annum DCCC. instituta, qui CLAUDIUM MONACHUM ex Hybernia in Galliam profectum eo misit, & in D. Augustini Cœnobio, decretis illi alimentis, locavit, docendasque artes liberales commisit, ut infra in Parisiensi Academia fusius dicetur. Hoc gymnasium postmodum intermissum a GALEACIO VICECOMITE restitutum circa annum MCCCLXX. cum nobili Bibliotheca; demum nostra ætate insigne Collegium CARDINALIS BORROMEUS ibi condidit.

BONONIENSIS circa annum MCXXX. Juris Professores habere cœpit, ubi nobile Hispanorum Collegium anno MCCCLXV. ex testamento EGIDII ALBORNOTI *Cardinalis* conditum fuit, ut XXXI. Hispani studiosi ibi alerentur. Aliud a PETRO ANCHARANO circa annum MCCCCXX. Sub idem tempus & REGIENSE institutum, cujus prædia malorum studiosorum opera inique sunt distracta.

PATAVINA anno MCCXXII. ACTIOLINO *tyranno* procurante, a FRIDERICO II. Cæsare [2] instituta, cujus tamen nullum apparet ejus Gymnasii eo tempore datum privilegium, quare ex longa consuetudine ibi doceri nostri credidere Interpretes. [3] Ampla tamen illi Academiæ privilegia JOANNES XXII. CLEMENS V. EUGENIUS IV. *& alii* tribuere, [4] quæ etiam se legisse *Jo. Andreæ* testatur. [5]

NEAPOLITANA circa annum MCCXL. a FRIDERICO II. instituta, [6] mox collapsa ab ALFONSO ARAGONIO instaurata.

PERUSINA anno MCCXC. ubi HOSPERTUS *Cremonensis* primus docuisse fertur. [7]

PISANA anno MCCCXX. ubi primus ANDREAS CIAFFI filius docuit.

SENENSIS anno, quo Pisana, incepit.

TAURINENSIS circa annum MCCCL. a LUDOVICO *Principe Achaiæ* instituta.

FERRARIENSIS ab ALBERTO ATTESTINO anno MCCCXCI. Bonifacii IX. privilegio munita.

1 *c. 2. de Privileg. in 6.* 2 *In Chronicis Patavii.* 3 *Bar. in proem. ff. ad finem. Bal. in cons. 77. l. 5. Alex. cons. 74. n. 7. lib. 4. Barbat. cons. 41. sub n. 17. vol. 1.* 4 *Jo. Imol. in Clem. dudum. 2. n. 22. de sepult.* 5 *In add. ad spec. Imol. in d. Clem. dudum. 2. n. 22.* 6 *Pandulph. Collenicius lib. 4. Historiæ Neapolit.* 7 *In actione 2. Cremonensium adversus Papienses.*

SALER-

SALERNITANA superiori ætate erecta.

MACERATENSIS superiori ætate fundata.

FIRMANA his diebus a SIXTO V. P. M. instituta.

PARMENSIS his ultimis diebus a RAINUTIO Duce illius civitatis renovata.

CAP. II.

SICILIÆ ACADEMIÆ.

MESSANA vetus Academia, ubi hac ætate BOLOGNINUS docuit, post quem Jus doceri desiit.

CATINENSIS sive CATANEA vetus, & adhuc vigens.

CAP. III.

GERMANIÆ ACADEMIÆ.

TREVERENSIS omnium Germaniæ antiquissima, cujus origo ignoratur.

VIENNENSIS & ipsa antiquissima a FRIDERICO an. MCCXXXVII. instituta, quam ALBERTUS III. ad Cœnobium Patrum Prædicatorum transtulit, & ibi Pritaneum instituit, ubi olim Templarii habitare consueverant, in quo XII. Artium Professores alerentur, exemplo Pritanei, quod fuit Constantinopoli in quinta regione, in quo præceptor cum XII. discipulis alebatur. [1] XII. præterea Collegia cum nobili bibliotheca per diversa tempora ibidem sunt instituta.

HEIDELBELGENSIS in comitatu Palatino Rheni a RUPERTO *Principe* anno MCCCXLVI. instituta, ubi JACOBUS MIDDENDORPIUS Jurisconsultus, qui de Academiis scripsit, primus linguam Hebraicam anno MDXXIV. per quinquennium docuit, & RODULPHUS AGRICOLA.

PRAGENSIS in Bohemia a Carolo IV. Cæsare, & Rege Bohemiæ condita anno MCCCLX. cum nobili Collegio, & Bibliotheca, postea ab Hussitis direpta [2] fuit. HEDUIGIS Polonorum Regina aliud Collegium multis prædiis ditatum, Lituanorum dictum, ut ibi Lituani erudirentur, addidit, [3] quod interiit.

COLONIA Agrippina anno MCCCLXXXVIII. ab URBANO VI. pri-

1 *Cedrenus Annal. tomo 3. in Leone Iconomacho.* 2 *Æne. Syl. histor. Bohem. c. 34.*
3 *Cromerus lib. 15. circa finem.*

vilegium obtinuit, ut ibi artium omnium Academia instituueretur, cum privilegiis, quæ Parisiensis obtinebat.

ERPHORDIENSIS in Thuringia a DAGOBERTO Francorum Rege instituta anno MCCCXCI.

WIRIZBURGENSIS, seu Herbipolensis in Francia Orientali a Joanne Episcopo anno MCCCCIII.

LIPSIENSIS in Misnia instituta anno MCCCCVIII. nam in Pragensi gymnasio Teutones docebant, qui a JOANNE HUSSO factioso, & hæretico exagitati inde coacti sunt discedere. Quare commoti Magistri, & Discipuli juramento adacti uno die supra duo millia Lipsiam Praga trium dierum itinere distantem commigrarunt, ibique Academiam erexerunt. [1]

INGOLSTADIENSIS in Bajoria anno MCCCCX.

ROSTOCHIENSIS in Ducatu Megapolitano anno MCCCCXV.

LOVANIENSIS in Brabantia a JOANNE IV. Duce Brabantiæ anno MCCCCXXVI. ADRIANUS VI. P. M. ibi rector, & Cancellarius Collegium instituit. PHILIPPUS II. Hispaniarum Rex Academiæ reditus adauxit.

BASILIENSIS a Pio II. P. M. anno MCCCCLIX. ult. Decemb. privilegium habuit, ut ibi omnium artium Academia instituueretur cum privilegiis, quæ Parisiensis obtinebat.

GRIPHOVALDENSIS in Pomerania a VRATISLAO IX. Pomeraniæ Duce instituta anno MCCCCLVI. *Munsterus* a cive Jurisconf. id procuratum affirmat.

FRIBURGENSIS Brisgojæ ab ALBERTO *Austriaco* an. MCCCCLX. illi vero applicuit superfluos beneficiorum fructus. [2]

TUBIGENSIS in Ducatu Wirtembergensi, condita ab EBERHARDO BARBATO, primo Duce Wirtenbergico anno MCCCCLXXVII.

MOGUNTINA a DIETHERO *Isemburgo* Moguntii Archipræsule erecta anno MCCCCXLI. postea remissa, quo tempore *Joannes Budemburch* Civis Moguntinus artem litteras imprimendi ibi exercuit.

WITENBERGENSIS a FRIDERICO I. Duce Saxoniæ an. MDII. ubi *Oldendorpius*, item *Lutherus*, & *Melanchton* impie docuerunt.

FRANCFORDIENSIS in Marchia Brandemburgensi a JOACHIMO erecta anno MDVI.

1 *Pius Port. Boemicæ histor. cap.* 33. 2 *Paulus a Cittadinis de jure patr. par.* 6. *art.* 4. *in fin.*

ARGEN-

ARGENTINENSIS in Alsatia, ab *Argentinensibus* fundata anno MDXXXVIII. privilegiis donata anno MDCXVII.

HAFNIENSIS sive Coppenhagensis in Dania a FRIDERICO III. Daniæ Rege anno MDXXXIX. COBENAM *Jovius* appellare videtur.

DUACENSIS in Belgio a PHILIPPO II. Rege Hispaniarum erecta.

VISONTINA in Burgundia ab Antonio Peronotto Card. Episcopo Methliniensi superioribus proximis annis insectata.

CAP. IV.

POLONIÆ ACADEMIÆ.

CRACOVIENSIS a CASIMIRO Rege anno MCCCLXI. Cum vero esset obscurior HEDUIGIS Regina ingentem illi pecuniam reliquit; qua duo Collegia, alterum Philosophorum, alterum Juris interpretum sunt instituta.

URATISLAVIENSIS ab ULADISLAO *Ungariæ, Boemiæque* Rege anno MDV.

REGIOMONTANA in Prussia ab ALBERTO Marchione Brandeburgensi, & Magno Teutonum Equitum magistro anno MDXLIV.

CAP. V.

GALLIÆ ACADEMIÆ.

PARISIENSIS a CAROLO MAGNO anno DCCXCI. instituta, suadente ALCUINO ejus præceptore, [1] & BEDA discipulo. Ferunt olim hoc Castrum fuisse *Ision* appellatum, quod postea *Meldinum* est dictum, & cum illud *C. Julius Cæsar* ampliasset, Julium nominavit in medio Sequanæ situm. Cum autem duo Monachi in sacris, ac profanis litteris eruditi ex Hybernia ad Gallicum littus appulissent, confluentibus turbis, canere cœperunt, *Avidi sapientiæ ad nos veniant, & eam sine pretio accipient.* Cum vero insani a vulgo haberentur, ad Caroli Magni aures pervenit, & eos vocari præcepit, cumque ad eum venissent, interrogavit, *an Sapientiam haberent*, & responderunt, *se petentibus daturos, nec aliud, quam alimenta velle.* Carolus itaque ex illis unum nomine CLEMENTEM Parisios misit, juvenes instructurum, illique alimenta assignavit. Alterum secum in Italiam duxit, & Ticini in Cœnobio D. Augustini locavit, ut juvenes doceret. Quo audito,

1 *Card. in Clem.* 1. *n.* 15. *de magistr. & Petr. Ancar. num.* 2.

Alcui-

Alcuinus, qui tum Romæ docebat, & ipse ad Carolum accessit, a quo gratanter exceptus *S. Martini Abbatiam* habuit; & ipse, RABANUS, CLAUDIUS, & JOANNES omnes Scoti Parisiensis Academiæ fundamenta jecerunt anno DCCXCII.[1] ROBERTUS S. Ludovici Regis frater anno MCCLIII. SORBONICUM Collegium instituit. Ibidem JOANNA *Regina* anno MCCLXXXVI. *collegium Navarræ* condidit. Jus tamen ibi non est explicatum, nisi superioribus annis a FRANCISCO *Balduino*,[2] qui postea Andeganos se contulit.

TOLOSANA post Parisios vetustissima. 3

LUGDUNENSIS anno DCCC XXX. fere intercidit.

MONSPESSULANA in Delphinatu, seu Provincia anno MCXCVI. ubi *Placentinus* glossator docuit, & Collegium ab URBANO V. P. M. & aliud DUVERGIER dictum conditum; in quo per decennium adolescentes nutriuntur. Hic ars Medica nunc docetur.

AURELIANENSIS a Philippo Pulchro Gallorum Rege anno MCCCXII. Juraverunt semel professores Aurelianenses, se non docturos, nisi domorum, in quibus hospitabantur, 4 pensiones ad moderatam summam taxarentur. Pro uno tantum anno taxatæ sunt, dubitatum est, an si aliis annis, quibus pensiones taxatæ non fuerunt, possent profiteri. Multi responderunt, eos posse, sed tutius fore, si discessissent, ut plures eorum fecerunt. 5

AVINIONENSIS a Pontificibus, qui ibi ab anno MCCCV. usque ad annum MCCCLXXVI. resederunt, instituta creditur, ibi PAULUS CASTRENSIS, RIPA, & ALCIATUS stipendio aureorum 600. ÆMILIUS FERRETUS, CRAVETTA mille aureorum honorario, & *Papius* docuerunt.

ANDEGAVENSIS a Ludovico II. Andegavensium Duce circa annum MCCCL. erecta ibi FRANCISCUS BALDUINUS est professus. 6

CATURCENSIS, ubi PETRUS REBUFFUS docuit, & MARTINUS NAVARRUS, a JOANNE XXII. ibi orto instituta creditur. 7

CADOMENSIS in Normandia ab HENRICO V. Angliæ Rege anno MCCCCXVIII.

1 *Card. Zabarella in Clem. 1. de magist. n. 15. in 5. quæst. & Polyd. Virg. in Anglica Historia lib. 4. & 5.* 2 *Baldui. in l. 14. C. de pact.* 3 *Bald. in l. 35. C. de Episc. & Cler. Jas. in l. 1. n. 16. de leg. 1. Abb. in c. ult. sub n. 5. X. ne Cler. vel Monach.*
4 *Cin. Alberi. & Angel. in l. 7. C. de inst. & subsc.* 5 *Alcia. in orat. Ticinensi.*
6 *Baldui. in d. l. 14. C. de pact.* 7 *Navar. de reditib. Eccles. quæst. 1. monit. 53. num. 4.*

DOLANA in Burgundia anno MCCCCLXXXIV.

BYTURIGENSIS, ANDREAM ALCIATUM [1] aureis 1200. conduxit, DUARENUM, & PETRUM REBUFFUM.

NIMECENSIS in Gallia Narbonensi, sive Delphinatu hac ætate erecta.

MASSILIENSIS in Narbonensi.

RHEMENSIS in Campania hac ætate ab ejus Archipræsule CAROLO GUISIO Cardinali instituta.

BURDEGALENSIS in Aquitania.

PICTAVIENSIS.

CAP. VI.

HISPANIÆ ACADEMIÆ.

HISPALENSIS vetus Academia Bæticæ Provinciæ, ubi SYLVESTER II. P. M. eruditus.

OSSUNENSIS in Bætica a COMITE URENNÆ erecta.

GRANATENSIS in Bætica, seu Granata.

SALMANTICENSIS [2] in regno Castellæ anno MCCCCIV. ubi DIDACUS COUVARRUVIAS per decennium circa annum MDXLIII. [3] & ANTONIUS ejus frater utrumque Jus docuerunt.

COMPLUTENSIS in regno Castellæ a FRANCISCO XIMENE *Archipræsule Toletano* anno MDXVII.

SEGUENSANA in regno Castellæ.

ONNEDENSIS in Cantabria hac ætate a Præsule Abulensi fundata.

COMPOSTELLANA in regno Galliciæ obscura.

ILERDENSIS vetus Academia in regno Aragoniæ, ubi CALISTUS [4] III. P. M. diu docuit.

VALENTINA in Valentia anno MCCCCLXX.

MAJORICANA in majore Balearium Insularum, ubi præcipue Lulli doctrina traditur, Juris studia silent.

CANDIANA in Valentino regno a Candiæ Duce hac ætate erecta.

CÆSARAUGUSTA in regno Aragoniæ.

OSCANA in eodem regno.

TOLETANA in regno Toletano. Aliæ Academiæ obscuriores omittuntur.

1 *Alciat. in orat. Ticinensi.* 2 *de qua in Clem.* 1. *de magistr.* 3 *Dida. lib.* 1. *variar. resol. c.* 11. *sub n.* 5. *& in præf. de numism.* 4 *Platin. in vita Calist. III.*

CAP. VII.

ANGLIÆ ACADEMIÆ.

CANTABRIGIENSIS anno D. ubi HONORIUS I. P. M. qui sedit anno DCXXIV. est eruditus. Plura ibi sunt Collegia, de quibus *Joannes Cajus*. Quidam nomine BARTHOLOMÆUS ibi primum docuisse fertur, & uxorem nomine CHEMBRIGIAM Regis filiam duxisse, unde dicta est *Cantabrigia*, sed SIGISBERTUS Rex anno Salutis DCXXX. eam Academiam restauravit. [1]

OXONIENSIS [2] ab ALUREDO Rege anno DXCV. ubi plura Collegia tum ex Episcoporum, tum Regum, hominumque nobilium, & fœminarum probatissimarum reditibus opulentissima erecta fuere, unde Magistris doctrina, & moribus probatis, juvenibus communiter viventibus, alimenta abunde suppeditabantur. [3]

Aliæ Angliæ Academiæ interciderunt.

CAP. VIII.

SCOTIÆ ACADEMIÆ.

S. ANDREÆ anno MCCCCXI.

ABERDONIENSIS [4] WILHELMO ELPHINSTONIO *Episcopo* ejus civitatis anno MCCCCLXXX.

GLASCOVIENSIS obscura.

PRINCIPES *Doctores.* Thadæus Pepulus Princeps Bononiæ. Raphael Adurnus Genuæ Dux.

MONACHI *Juris Interpretes.* Joannes Monachus. Nicolaus Tudiscus. Joannes de Malitiis Abbas Prataleæ.

ORDINIS PRÆDICATORUM *Juris Interpretes.* Joannes Teutonicus. Martinus Sillimani. Lancellotus Politus Minorita. Bernardus Dorna.

EPISCOPI *Jurium Interpretes.* Lotharius glossator *Archiepiscopus Pisanus.* Joannes Fasolus Pisanus *Archiepiscopus Abrodunensis.* Bernardus Præpositus *Papiensis Episcopus Faventinus.* Guilielmus Duranti *Episcopus Minatensis* an. MCCLXVIII.

Guido a Baisio *Regiensis Episcopus Regii, postea Concordiæ, vel ut alii, Sirmitus.*

Egidius Bellamera *Episcopus Avinionatensis* anno MCCCLXXX.

1 *Polid. Vergil. in Angl. hist. lib. 4. & 5.* 2 *de qua in Clem. 1. de magist. ubi Card. Zab. in 5. quæst.* 3 *Polyd. Virg. l. 5. in Angl. Hist.*

Nico-

Nicolaus Tudiscus *Panormi Archiepiscopus* anno MCCCCXXI. & ut aliqui, *Cardinalis*.

Franciscus a Brevio *Venetus Episcopus Cenetanensis* an. MCCCCLXXX.

Zenobius Baldi *F. Episcopus Tiferni*.

Mathæus Ubaldus *Perusii, & Nuceriæ Episcopus*.

Urbanus Vignatus *Episcopus Sibenici* an. MCCCCL.

Joannes Castellioneus *Episcopus Vicentiæ*.

Petrus Franciscus Ravenas *Episcopus Fori Cornelii* circiter annum MCCCCLXXX.

Jo. Lucas Pontremulensis *Episcopus Regii* circiter anno MD.

Nicolaus Picolomineus *Senensis Episcopus* circiter anno MDXX.

Ludovicus Gomesius *Episcopus Sarnensis* an. MDXXX.

Claudius Seissellus *Episcopus Massiliæ* circiter an. MDXXX.

Lancellotus Politus *Archipræsul Consentiæ* circiter an. MDLIV.

Thomas Campegius *Episcopus Feltrii* circiter annum MDXXXVI.

Didacus Covarruvias a Leyna *Toletanus*, qui jus Pontificium Salamanticæ docuit anno MDXLIII.

Archiepiscopus *S. Dominici in Insula Hispaniola*.

Anastasius Germonius MDLI. *Archiepiscopus Tarantasiensis*.

CARDINALES *Juris Interpretes*. Joannes Monachus. Ganfredus de Teano. Otto Card. Portuensis. [1] Beltradus de Monte Faventino. Henricus Card. Hostiensis. Petrus Bertrandus [2] anno MCCCLXX. Franciscus Zabarella Patavinus. Jo. a Turre Cremata. Petrus Maurocenus Venetus. Nicolaus Tudiscus, secundum aliquos. Jo. Antonius de S. Georgio, & *Episcopus Alexandriæ*. Antonius Zelana circiter an. MCCCCXX. Jacobus Isolanus. Franciscus Soderinus *Episcopus Volaterranus* circiter an. MCCCCXCV. Laurentius Campegius *Bononiensis* circiter an. MDXVII. Franciscus Sfondratus *Cremonensis*. Petrus Paulus Parisius. Franciscus Alciatus *Mediolanensis*. Gabriel Palleotus *Bononiensis*. Franciscus Mantica. Dominicus Pinellus.

PONTIFICES MAXIMI *Jurium Interpretes*. Innocentius IV. Bonifacius IX. Calistus III. Joannes XXIV. Pseudo pontifex. Gregorius XIII.

PONTIFICES MAXIMI *Doctores*. Celestinus III. [3] præfuit consilio Regio Alfonsi Neapoli; & fuit Episcopus Valentiæ.

1 *Jas. in §. duo Frens. sub n. 6. l.* 122. *ff. de verb oblig.* 2 *Socin. in cons.* 150. *sub num.* 2. *vol.* 1. 3 *Decis. Neapolit. Mathæi de Afflict.* 291. *sub num.* 3.

Clemens IV.	Martinus V.
Gregorius X.	Julius III.
Bonifacius VIII.	Pius IV.
Innocentius VI.	Urbanus VII.
Joannes XXIV.	Gregorius XIV.
Benedictus XIII.	Innocentius IX.
Urbanus VI.	Clemens VIII.

SANCTI *Doctores*. D. THEOPHILUS Martyr ſub Sapricio in Cappadocia, cum Diocletianus Chriſtianos perſequeretur, [1] & *Scholaſticus* dictus, quia Rhetores litium fictarum declamatores primo erant in ſcholis, ac poſtea ad veras in foro tractandas accedebant, [2] quo etiam nomine *Advocati* in Jure appellantur. [3]

D. ATHANASIUS præter Theologicam facultatem, qua eximie præditus erat, & in Juris prudentia ornatus fuit. [4]

D. PHILOGONIUS cum cauſarum Patronus eſſet, ad regendam Antiochenam Eccleſiam Dei nutu accerſitus eſt, [5] ejusque laudes *D. Chryſoſtomus* oratione celebravit, [6] & a D. Epiphanio præcipuus Arrianorum adverſarius appellatur. [7]

S. APER, cujus memoria die 15. Septembris colitur, [8] ex Cauſidico Monachus, ex Monacho factus eſt Epiſcopus Tullenſis, & Eccleſiam illam magna vitæ ſanctitate illuſtravit. [9]

S. IVO, de quo ſupra ſuo loco dictum eſt.

S. GERMANUS Epiſcopus Altiſiodorenſis.

S. RAIMUNDUS, qui, dum in terris D. Dominicus viveret, Jus Bononiæ docuit, tumque in ordinem Patrum Prædicatorum adſcribi voluit, [10] atque hac noſtra ætate a Clemente VIII. P. M. in Sanctorum numerum relatus eſt.

1 *Sar. 6. Fil. Martirol. Rom. 6. Fol.* 2 *Plin. lib. 4. epiſt. 3. ad Nepotem.* 3 *l. 2. C. de lucris Advocat. & l. 2. de concuſſio. Advoc. C. Theod.* 4 *Sever. lib. 2. hiſt.* 5 *Martirolog. Rom. die 20. Dec.* 6 *D. Chryſoſt. com. 2. in Homil. dom. in ejus Natal.* 7 *in Panar. Hær. 69.* 8 *Martirolog. Rom. deciſ. ſept.* 9 *Paul. Epiſ. Nol. epiſt. 27. 28. & 29.* 10 *Hiſt. 8. Domin. par. 1. lib. 1. c. 43. & lib. 2. c. 17.*



JOAN-

II.

JOANNIS FICHARDI FRANCOFURTENSIS

VITÆ

RECENTIORUM JURECONSULTORUM, QUI POST RECUPERATAM ROMANI JURISPRUDENTIAM EANDEM ET DOCENDO ET SCRIBENDO PROFESSI SUNT AD HÆC USQUE TEMPORA.

PATAVII
Apud JACOBUM JORDANUM AD SIGNUM AQUILÆ
MDLXV.

III.

MARCI MANTUÆ JCti PATAVINI

EPITOME VIRORUM ILLUSTRIUM

QUI VEL DOCUERUNT IN SCHOLIS JURISPRUDENTIAM VEL DE JURE SCRIPSERUNT. ORDINE ALPHABETHICO DIGESTA.

PATAVII.

JOANNIS FICHARDI VITÆ RECENTIORUM I. CONSULTORUM.

IRNERIUS.

QUi Vetuſtiorum poſt recuperatam Romani juris prudentiam Jureconſultorum mentionem in ſcriptis ſuis fecerunt, Irnerium fere omnes tanquam primum illius Juris reſtauratorem celebrarunt. Quemadmodum enim *Odofredus* [1] (qui non ita longo eum intervallo inſecutus eſt) commemorat, cum Bononiæ primum artes liberales tantum publice docerentur, eſſetque inter ipſos earum profeſſores etiam hic Irnerius, poſtea vero Jus civile Romanum recuperatum eſſet, & Bononiam quoque importatum, cœpit Irnerius, ſepoſitis aliis ſtudiis, huic ſe totum dedere: tantaque ejus dignitate atque elegantia captus, nullo etiam magiſtro, edulo illi ſua Minerva incumbere. Cæterum cum ejus uſum utilitatemque eſſe permaximam, & longe præſtantem intelligeret, illud profiteri etiam atque docere alios primus inſtituit. Primus item gloſſulas obſcurioribus difficilioribusque locis appoſuit. Qua de re & celeberrimum apud omnes nomen ſibi comparavit, & primus Jurisprudentiæ illuſtrator, adeoque *Lucerna Juris*, paſſim vocitari cœpit. Quamquam enim (ut idem Odofredus ſcribit) alius quidam, *PEPO* nomine, primus Bononiæ propria authoritate leges eſſe profeſſus feratur, tamen tam obſcurus ille, tamque nullius nominis fuit, ut merito ante Irnerium nemo Jus docuiſſe, dici poſſit. Neque vero gloſſas tantum interlineares, legibus, ut dictum eſt, appoſuit: ſed & Autenticas (ſic vocant) ex ipſo Autenticorum Juſtiniani Imperatoris volumine, quam breviſſime juxta ſententiam tantum deſumptas, legibus Codicis ejusdem Juſtiniani inſeruit, rem gratiſſimam ſimul, & commodiſſimam Juris ſtudio ſic faciens. Etſi autem ſint qui hoc aliis ex vetuſtis tribuant, communis tamen poſt Accurſium (qui id compluribus in gloſſis Autenticarum teſtatur) opinio eſt, Irnerium Autenticarum authorem eſſe. Exceſſit e vivis hic Irnerius circiter Annum domini MCXC. cum Jus civile ex Malfitane urbis direptione in Italiam Piſas, ab ipſis Piſanis victoribus eſſet relatum anno MCXXVIII. ut meminit

1 *In l. 6. ff. de Juſt. & Jure. Idem Gamma. in tracta. ext. col. 3. dicit.*

Viglius,

Viglius, vir absoluta non modo Jurisprudentia, sed & omnium adeo disciplinarum eruditione.

HUGOLINUS, BULGARUS, MARTINUS, PLACENTINUS, JOANNES.

POst Irnerium increbrescere statim Jurisprudentiæ studium cœpit: nec discentium tantum multitudo, verum etiam doctorum copia fuit. Circa eadem enim tempora anni MCXC. professi sunt leges, *HUGOLINUS*, *BULGARUS*, [1] *MARTINUS*, *PLACENTINUS*, *JOANNES*, ut alios interim obscuriores ignobilioresque omittamus: quales fuerunt, *ALDERICUS* (qui tamen homo magnæ authoritatis a *Rofredo* appellatur, & in Glossis Accursii sæpe allegatur) *BARNERIUS*, *KILIANUS*, *COLUMBUS*, *FASOLUS*, & similes, quorum nulla omnino monumenta extant. Nam & isti quos paulo ante commemoravi, nihil admodum insigne & præclarum præstiterunt: licet posteriores duo Summas quasdam post se reliquerint. De *HUGOLINO* quidem hoc refertur, quod ipse author fuerit ejus, quam quidam *Collationem decimam* vocant Primus enim libros Feudales, & Constitutiones Friderici utriusque & Conradi Imperatorum collectas, Nonæ collationi Autenticorum Justiniani subjunxit, Decimamque ex iis Collationem (ut tradit *Odofredus*) constituit. *BULGARUS* vero, ex docendo tantum paucisque glossis innotuit primum, & deinceps in posterorum memoria permansit. Similiter & *MARTINUS*: sed non admodum ille feliciter. Siquidem pleræque ejus in jure decisiones, a posteris in controversiam vocatæ confutatæque sunt, adeo ut alicubi Jason dicere non vereatur, *Martinum nihil unquam sani verique dixisse*. *PLACENTINUS* ad montem Pessulanum Summas in Codicem, & libros Institutionum composuit: quæ superioribus annis apud nos demum evulgatæ, nec pœnitendæ sunt. *JOANNES BOSIANUS* Cremonensis patria, similiter etiam ipse Summam conscripsit super Pandectas, sed breviorem. Hanc *Odofredus* ventosam Summulam vocat, & scribit solummodo ad Placentinum exagitandum editam, præterea autem nihil boni continere. Fuit præceptor Azonis & Accursii, quare crebra ipsius per illos fit mentio. Floruerunt isti circiter annum MCXC.

1 *Vid. Bald. in proœm. Feudor.* 2 *Bulg. Juris civilis antiquus glossator adeo consenuit, ut cum pueris luderet ad pulverem, quod refert Bertran. conf. 336. nu. 11. vol. 1. Instit. §. 34. de Action. col. 5,*

AZO.

A Z O.

AZO Bononiensis fuit. Præceptorem habuit *JOANNEM BOSIANUM.* Jurisprudentia reliquis ætatis suæ Jureconsultis longe præstitit, quam publice Bononiæ primum professus est. Inde vero æmulorum invidiæ cedens, ad Montem Pessulanum se contulit, ibidemque non minori cum gloria, cum illum optimus atque studiosissimus quisque eruditionis causa sequeretur, quasi privatim docuit. Verum cum in dies magis ac magis nomen ipsius celebraretur, virtute invidiam superante, Bononiam est revocatus, magnoque deinceps in pretio fuit. Multos claros viros erudivit. Summam in omnes Titulos Codicis conscripsit elaboratissimam, doctorumque omnium calculis primo loco receptam. Conscripsit etiam magnos apparatus super digesto veteri. Hunc *Baldus* (non imperitus ingeniorum judex) plus semel, *tanquam fontem legum, & vas electionis* prædicat. De morte tanti viri nescio quæ ex majorum relatione per quosdam feruntur, quibus tamen, quando ejus rei nullum ex historiis aliorumve scriptis judicium habetur (quod ego quidem sciam) fidem hactenus habere non potui. Monumentum sane, quod ei mortuo positum est, & nunc ad viam publicam prope turrim Sancti Servatii videtur, etsi non ornatum sit, honorificum tamen est cumprimis. Hanc enim habet inscriptionem.

TRINITATI
AZONI JURISCONSULTORUM
NUMINI
ANNO GRATIÆ M. CC. HIC TUMULATO
IN SEPULCHRO VETUSTATE
COLLAPSO
AC INTER RUDERA VIX AGNITO
JO. FRANCISCUS ALDROVANDUS
DICTATOR
ET CONSULES BONON.
P. IMPENSA:
CONCIVI SUO B. M. MEMORIAM
POSUERUNT.
ANNO SALUTIS M. CCCC. XVI.
V. IDUS OCTOBR.

Nihil itaque verisimilius est, quam citra notam vita defunctum esse eum virum, cujus memoriam summi magistratus sacram habuere, & ab interitu asserendam ultro sibi sumpsere. Ex epitaphio tempora vitæ colligi possunt.

ROFFREDUS.

ROFFREDUS patria Beneventanus, vir doctus & festivi ingenii fuit: quod ejus scripta satis indicant, quibus multis in locis opportune suaviterque jocatur. Præceptore usus est Kiliano [1] quodam, cujus tamen scriptum nullum extat. Audivit etiam Azonem, ut ipse refert in Actione negatoria, proindeque illum frequenter *Dominum suum* appellat. Post transmigrationem Bononiæ (ut ipse vocat) professus est Jus civile publice Aretii, ubi & egregium illud opus *Libellorum*, & *Quæstiones suas Sabbatinas edidit.* Floruit an. MCCXV.

ACCURSIUS.

HIs successit *ACCURSIUS Florentinus*, auditor *Joannis & Azonis*, vir magni ingenii, & singularis industriæ. Primus enim in universum corpus legum, ipsasque singulares leges Glossas conscripsit: cum superiores hoc solummodo in obscurioribus locis non ordine, sed passim, fecissent. De hoc dici potest, quod quidam de Bartolo dixerunt: *præclarum fuisse virum, multa tamen habere præceptorum suorum.* Extabant enim jam tum complurium Glossæ in leges, *Irnerii* videlicet, *Bulgari*, *Martini*, *Placentini*, *Jo. Azonis*, & aliorum, de quibus tamen etiam tum *Azo* [2] conquerebatur, quod legum notitiam sæpenumero tenebris obscurarent. Ex his omnibus cum Accursius perpetuo ductu atque contextu suas Glossas composuisset, quod essent absolutiores & ordinatiores illæ, tum etiam quia reliquas in se continere viderentur, solæ deinceps ad hæc nostra usque tempora Juris studiosorum manibus versatæ, & ita veteres abolitæ sunt, in quantam vero authoritatem deinceps illæ apud omnem posteritatem excreverint, nihil opus est commemorare, cum vulgatum sit illud, *Glossæ authoritatem omnes excellere, & illi tanquam Carotio veritatis perpetuo adhærendum esse.* [3] Sunt qui tradunt Accursium XXXVII. demum ætatis anno Juris civilis studium esse ingressum, quod sane mi-

1 *alii malunt Raggenio.* 2 *In proœm. Summæ.* 3 *Jas. in l. 3. col. pen. ff. de Just. & jur. Ludo. Rom. in l. 1. C. de prof. & med.*

rum

rum videri poterit illis, qui cum hunc excellentissimam jurisprudentiam consecutum esse fateantur, tamen affirmare, deque eo contendere solent, nullam hominis ætatem hujus disciplinæ cognitioni sufficere, maxime si qui Bartoli opinionem (quod plerique illi faciunt) sequantur, qui negat præsumi post XXV. annum quicquam amplius a quoquam addisci posse. Sed stultissima illa sententia, multis etiam in hac legali disciplina exemplis eorum hominum qui in clarissimos viros, etiam sero studium capessentes, evaserunt, confutari potest: ut infra suis locis indicabitur. Professus est Bononiæ, ubi relicto filio *FRANCISCO ACCURSIO,* ipso etiam jureconsulto & professore, sed patre longe obscuriore, decessit. Sepultus est ad S. Franciscum Bononiæ, ubi foris juxta ingressum, illius monumentum, quod filio commune est, extat: hanc habens simplicissimam inscriptionem.

SEPULCHRUM ACCURSII GLOSSATORIS LEGUM ET FRANCISCI EJUS FILII.

Quo anno decesserit, non satis constat. Floruit autem anno MCCXXVI.[1] quo tempore (ut ipse refert) & Glossas in Autenticorum volumen conscripsit. Cum hoc autem Accursio finem ipsi Glossatores habuere: cum post illum nemo fuerit, qui Glossas amplius conscripserit, vel quod omnem glossandi materiam jam esse consumptam arbitrarentur: vel quod ipsam commentandi rationem majoris laudis & gloriæ ducerent.

ADDITIO.

Mirum est quod de CERVOTO *altero filio nihil dicat, ideo adde* Bal. *in* l.1. in §.1 ff. de legit. tut. *& dic quod additiones hujus plures sint, fere omnes reprobatæ, ut in* l. 59. in §. 7. & ibi Bart. ff. de her. inst & in l. præterea & ibi Bal ff. man. & in l. 1. in §. 3. ff. de tut. & rat. distr. *præter intellectum communiter approbatum ad* l. 15. ff. de reb. cred. *& eum reprehendit etiam, quoad alia* Imo in l. 76. ff. de solut. *Imo quod etiam intellectus ad* d. l. 15 de solut. *verisimiliter fuit, ut ibi per Bart. Jacobi Baldui. qui successit Accursio & æqualis fuit* Jo. de Blanasco *ex quo ab Odoffredo discipulo relatus est, & nota quod Accursius filium Franciscum emancipavit, ut per eundem* BAR. in l. 91. nu. 10. ff. ad legem Fal. *liquet.*

1 *Floruit n. Anno 1236. ut in Cro. Bossiana. Imo. 1246. in Autent. ut præpo. no. impe.*

JOANNES DE BLANASCO.

JOANNES DE BLANASCO *Burgundus*, non longo intervallo Accurſium inſecutus, Bononiæ Jura profeſſus eſt. Fuit æqualis *JACOBI BALDUINI*, qui & ipſe tum magni nominis erat inter Juris profeſſores, quanquam nullum poſt ſe ſcriptum reliquerit, ſed per Odofredi diſcipuli ſui ſcripta potiſſimum in memoria remanſerit. *Joannes* tamen de *Blanaſco* in Commentariis ſuis ſuper *Tit. de Actionibus in Inſtit.* aliquoties ipſius Balduini opiniones affert, ut neſcias utrum id tanquam lector, vel tanquam auditor fecerit. Hic *Blanaſcus* anno MCCLVI. Commentaria illa *de Actionibus*, ut jam dixi, Bononiæ edidit: in quibus veteres, *Martinum, Placentinum, Azonem, Roffredum, Accurſium* identidem, & ipſum illum Balduinum nonnunquam allegat. Multa in formulis *Libellorum* Roffredi negligenter tradita, vel omiſſa, notavit potius [1] quam reprehendit. Iſta commentaria jam propemodum ignorata, aut ſaltem apud perpaucos ſepulta, hac æſtate in lucem reſtitui per doctiſſimum virum *JUSTINUM GOBLERUM jureconſultum, & illuſt. Principis Erici Ducis Brunſuicenſis Conſiliarium, amicum noſtrum*, curavimus. Scripſit *Blanaſcus* & Ordinem judiciarium, ſatis docta tractatione, qui publice extat & (ut quidam tradunt) *Variarum quæſtionum librum unum.* Amplius de ipſo nihil habeo compertum.

INNOCENTIUS.

SINIBALDUS (qui poſtea Pontifex Max. factus, *INNOCENTIUS quartus* dictus eſt) *Januenſis*, ex nobili Fliſcorum familia fuit, audivit Bononiæ *Azonem* jam ſenem, *Accurſium*, & *Jacobum Balduinum.* Eruditione atque prudentia omnibus ætate ſua longe præſtitit, quapropter & inter Cardinales cooptatus, & demum Pontifex Max. creatus eſt. Tradunt eum poſt Synodum Lugduni habitam (in qua Fredericum II. imperio abdicavit) cum ibidem longius moraretur, *Commentarios ſuos in Decretales* [2] conſcripſiſſe, qui quidem Commentarii in tanta apud poſteros Jureconſultos authoritate dignationeque fuerunt, ut plerique patrem veritatis Innocentium appellaverint. In eo tamen a quibuſdam reprehenſus eſt, quod dum brevis

1 Vide de his Commentariis Jo. And. in add. ad Specu. in præfa. *2 Imo compoſuit & tractatum ſuper feudis & homagiis, ut teſtat. Bal. ipſumque Doctorem ſubtilem appellat conſi. 291. colum. 4. volum. 2. Aliqua de Accu. per me. Hoſt. in c. ſolet. d. ſenten. excomm. lib. 6.*

eſſe

esse laboravit, obscurus fuerit. Hoc memorabile est, quod quanquam Pontifex jam Commentarios illos ediderit, non tamen majorem illos authoritatem aliorum scriptis habere ipse quoque voluerit: ingenueque professus sæpe fuerit, non hoc se cogitasse cum commentaretur, ut glossæ suæ jus facerent, quasi diceret: Veritatem nullius præjudicio gravari, sed libera tam scriptorum quam lectorum judicia esse debere. Quæ in administratione Reipublicæ Christianæ ante Pontificatum & postea gessit, nihil ad hanc historiam attinent: Sed peti possunt ex illis scriptoribus, qui vitas Pontificum Romanorum memoriæ prodiderunt. Scripsit hic *Innocentius* præterea de *jurisdictione imperii, & autoritate Pontificis Romani*, contra *Petrum Vineam* Apologeticum librum unum. Tandem XII. Pontificatus sui Anno, Neapolim a proceribus regni Siciliæ evocatus, ibidem moritur, sepultusque ad Sanctum Laurentium est, Anno *Millesimo ducentesimo quinquagesimo quarto.*

OTTHOFREDUS.

EOdem hoc tempore floruit *OTTOFREDUS*, patria *Beneventanus*, *Jacobi Balduini* discipulus. Professus est Bononiæ magna cum gratia, id quod & ipsius Lecturæ satis ostendunt, quæ vivida quadam energia, & lepida docendi ratione refertæ sunt. Non enim legere illum, sed propemodum audire Lector sibi videatur. [1] Reliquit igitur post se jam dictas *Lecturas super Codicem & Digesta*, præterea *de Formulis actionum lib. 1. de ordine judiciorum lib. 1. de arte Notariatus lib. 1.* & quædam alia. Mortuus est Bononiæ anno MCCLXV. ut colligitur ex Epitaphio suo, quod habet in hæc verba.

DEO TRI. UNI.

PIRAMIDEM ET SEPULCHRUM VETUSTATE CORRUPTUM, QUÆ ALBERTUS GENITORI SUO ODOFREDO LEGUM PARENTI ANNO DOMINI M.CC.LXV. III. NONAS XBRIS POSUERAT: LAURENTIUS ODOFREDUS DOMINICI ODOFREDI POSTERIORIS FILIUS, ALBERTI TRINEPOS, SUA IMPENSA IN MELIOREM FACIEM OPERE ET CULTU SPLENDIDIORE RESTITUIT. ANNO SALUT. M.CCCC.XCVII. CAL. SEPTEMB.

1 *Ipsemet dicit in l. testa. col. 3. ff. de reb. cred. si cert. pet.*

HOSTIENSIS.

SUcceſſit iſtis *HENRICUS DE SEGUSIA*, poſtea Cardinalis *HOSTIENSIS* factus. Hic ob eximiam eruditionem ſuam primum Innocentio IV. Pontifici, & inde Alexandro IV. ejus ſucceſſori valde gratus fuit. Juris civilis & Pontificii *ſummam* uno volumine complexus eſt, ordine convenientiſſimo, & tractatione elegantiſſima. Illud poſt longum utriusque juris ſtudium atque exercitium incœptum, poſtea vero incendio amiſſum, tandem Cardinalis inter alia ſua negotia abſolvit, ut ipſe refert in fine ejus operis. Edidit præterea *Lecturas in V. libros Decretales*. Et dicit *Matthesilanus* [1] alicubi, permagnam eſſe hujus Hoſtienſis inter jureconſultos autoritatem. Floruit ſub dictis Pontificibus, anno MCCLV. & ſequentibus.

SPECULATOR *ſive* GUILIELMUS DURANDUS.

HOSTIENSIS prædicti auditor & diſcipulus fuit, *GUILIELMUS DURANDUS*, qui poſtea eximium opus, quod *Speculum* inſcripſit, Anno MCCLXXI. edidit, ex eo magnam ſane gloriam apud poſteritatem conſecutus. Multa tamen veterum ſcriptorum ipſe ſibi ſumpſit, & in hoc opus ad verbum deſcripſit, quæ poſtea *Jo. Andreas* in Additionibus ſuis paſſim notavit atque prodidit. Præterea frequentiſſimum hoc illi eſt, opinionibus aliorum hinc inde utranque in partem recitatis, ſubticere, quæſtionemque in ſuſpenſo relinquere, quæ quidem res dubium lectoris animum magis & implicatum reddit. Nihilominus tamen utilis ſcriptor eſt, deque Juris prudentia bene meritus. Exceſſit ex vita non multo poſt, quam Speculum abſolviſſet, juvenis adhuc, & annum XXX. non ita multum egreſſus.

JACOBUS DE BELLOVISO.

HIc ſepties *libros Feudorum* publice prælegit, & in illos demum Commentarios conſcripſit. Præterea *Practicam judiciariam in Criminalibus*, & *librum Quæſtionum* edidit. Floruit circa hæc tempora.

BARTHOLOMÆUS BRIXIENSIS.

QUæſtiones *Dominicales* & *Veneriales*, & præterea *additiones* quasdam *ad Gloſſas Decreti* conſcripſit. Fuit iisdem temporibus, ſed ætate ſenior aliquanto, quibus duo proximi.

[1] *In tract. de ſucc. ab inteſt.* [2] *In tit. de Inſtr. ed. §. 1.*

IPHO.

IPHO.

IPHO Britannus natione, sub Philippo Pulchro Galliarum rege (qui quidem anno Christiano MCCLXXXV. regnare cœpit) viguisse traditur. Natus est claris & opulentis parentibus, qui puerum Iphonem Lutetiam primum, post Aureliam, studiorum, & maxime Juris civilis discendi gratia miserunt. Cæterum absoluto postea scholasticorum studiorum cursu, ad suos reversus, cum excellens ejus non tantum eruditio, verum etiam vitæ sanctimonia passim celebraretur, ab Episcopo Trecorensi accersitus, & ab eo causis audiendis præfectus est, quem *Officialem* nunc vulgo appellant. In hac præfectura tam innocenter, tam juste, tam clementer, tamque integre se gessit, ut nullius rei præter virtutem, appetens unquam fuisse, ab omnibus judicatus sit. Erat autem inter cæteras virtutes eximia quadam erga pauperes miseratione conspicuus, quos suis opibus omnes quoad posset, magno studio sublevabat. Tandem circiter quinquagesimum ætatis suæ annum vita defunctus, non vulgi solum opinione, sed summi etiam Pontificis judicio autoritateque inter Divos relatus est, & ejus festus dies VI. Calend. Septembris celebrari jussus. Quæ propterea hic commemoravi, ut adolescentes in illius festo die ex more declamaturi, hinc qualemqualem ejus viri cognitionem (cum obscura sit alias historia) sumere queant: cujus ignoratio, me aliquando declamaturum valde torquebat. Præterea indecorum videbatur, quem Pontifex Max. in catalogum Divorum retulisset, eum in hunc clarorum jureconsultorum numerum non recipere.

DINUS.

DINUS MUGELANUS, clarissimi nominis professor ætate sua fuit. Commentatus est super *Digestis: super Titulum de Actionibus* in *Institutis: super Titulum de Regulis Juris, lib. VI. eum* tamen Titulum non tanquam Canonum, sed Legum peritus, explicavit, quare nunquam fere Jus Canonicum allegat, contentus eo jure quod ipse didicerat. Nam Canonici juris inscius fuit, si *Joanni Andreæ* [1] credimus. Sepultus est Bononiæ ad S. Dominici templum, sepulchro humili quidem, sed ob tanti viri memoriam notissimo. Et proxime quidem juxta ipsum *Cynus* sepultus est: Ut non minus animis quam

[1] *In addi. ad Spec. de succ. ab intest.*

nomi-

nominibus inter eos convenisse, intelligere possis. Vixit anno Millesimo trecentesimo.

ADDITIO.

Adde quod DYNUS fuit de ROSSONIBUS DE MUGELLO, cujus opera usus est multum Bonifacius Octavus *& maxime in compositione sexti decretalium, mortuusque est Bononiæ anno 1303.* Jo. Villa lib. 8. c. 65. *Eumque præceptorem Inno.* appellat in c. gravis 11. X de restit. spol. *& reprehendit quia tenuit opiniones* Bar. in l. 13. § 6. C. de Judiciis *quod Judex non possit condemnare victum in expensas si non sit petitum aliquid, JAS. in* l. col. pen. limi. x. ff. de reb. cred. si cer. pet.

PETRUS DE BELLAPERTICA, JACOBUS DE ARENA, MARTINUS DE SULMANNIS.

EOdem tempore floruerunt, *PETRUS DE BELLA PERTICA Burgundus*, illustris Jureconsultus, qui scripsit super Pandectis, super Codice, & super Institutis, & complures Disputationes. Item *JACOBUS DE ARENA, Parmensis*, qui breviter quidem, sed utiliter & docte scripsit super Digestis & Codice. Illius opiniones, ut meminit *Bartolus*, [1] ut plurimum Juri consonæ fuerunt, & genuinum Juris intellectum consecutæ sunt. Item *MARTINUS DE SULMANNIS.* Hic in legibus (quas Bononiæ professus est) præceptor *Joannis Andreæ* fuit. Nullum illius scriptum commemoratur. Testatur *Alber. etiam in proœ. C. in fin. quod hic fuit* antiquus & famosus Doctor Bonon.

RICHARDUS DE MALUMBRIS.

R*ICHARDUS DE MALUMBRIS Cremonensis* fuit. Professus est tempore regis Roberti Patavii. Hic Baldo teste omnium ætatis suæ Jureconsultorum doctissimus & præstantissimus habitus est, tandem tamen in hæreseos calumniam incidit, de qua etiam condemnatus fuit, jurene an injuria, & cujus hæreseos nomine, non satis constat. Cæterum hoc notum est, intercessisse pro eo apud Summum Pontificem, Collegium Jureconsultorum Bononiensium, sed incassum. [2] Quid igitur tandem actum fuerit cum eo, non legi.

1 *In disp.* 2 *Venetiis sepultus est in cimiterio S. Jo. Pauli præceptor fuit Albericus ut testatur in proœm. ff. col.* 1.

Multa

Multa ſcripſit, ut *Baptiſta Caccialupus* tradit: quorum tamen copia rara ſit. Floruit anno MCCC hujus etiam meminit honorifice *Alber. in l. 1. col. 3. C. de nov. Cod. compoſ.* & in *l. 56. col. 3. C. de Ep. & cler.* [1]

JOANNES ANDREÆ.

JOANNES ANDREÆ [2] *Bononiæ* natus eſt, parentibus honeſtis quidem, attamen obſcuris. Patrem habuit Ludimagiſtrum, ſub quo octennis literas & grammaticam diſcere cœpit. Deinde patre ſacerdotio initiato, ſub præceptore Bonifacio quodam Pergamenſe literarum ſtudium abſolvit, adeo feliciter (pro ut ea tum tempora fuere) ut ipſe præceptor adoleſcenti prædiceret, fore ut in celebrem virum & Doctorem evaderet. In Juris civilis ſcientia *Martinum de Sulmannis* audivit. Canonici tamen longe ſtudioſior fuit, quapropter in eo ſolo ſuis ſcriptis illuſtrando poſtea elaboravit. [3] Itaque Gloſſas continuas ad librum VI. Bonifacii VIII. & Novellas Clementis V. conſcripſit. Præterea commentariorum volumina duo, quæ *Novellas & Mercuriales* inſcripſit. Poſtremo autem opus additionum ad Speculum *Guilielmi Durandi*, quod edidit anno MCCCXLVII. Fuit vir eleganter doctus, nec in Jureconſultorum tantum, verum etiam bonorum authorum omnium ſcriptis diligenter verſatus: id quod multis in locis Commentariorum & Gloſſarum ejus apparet. Hic a doctis omnibus ad cœlum usque laudibus vectus eſt. *Ludovicus Romanus* [4] omnium hominum præſtantiſſimum appellavit. Hoc vitii tamen in tanto viro notatum reprehenſumque a quibusdam eſt, quod multa ex Conſiliis *Olradi Laudenſis* ſibi, vero autore diſſimulato, aſcripſerit: [5] & id quidem frequentiſſime. Quapropter eum Baldus, inſignem furem alienorum laborum alicubi exclamat, & aliquot ejus furta prodit. Cæterum hoc vitium cum noſtris etiam temporibus magis ac magis inoleverit, in quorum ſcriptores permultos competere videtur vulgatum illud, *Muta ſtylum, librique titulum & efficies opus novum:* humanus in tanto viro ferendum eſt. Porro JOANNEM CALDERINUM, hominem non tantum ingenii, ſed etiam indolis optimæ, in filium adoptavit, quod quidem quamobrem fecerit, amorene Calderini, an alia de cauſa, obſcurum eſt, cum alioqui & filium habuerit

1 *Bal. in l. 14. C. de Epiſc. & cler.* 2 *Vide addit. ad Spec. tit. de fi. pref.*
3 *Floruit an. 1316. paralip. rerum memorabi.* 4 *In Singular. 667.* 5 *Albert. Bru. in ſecund. par. Tract. monet. Bal. in add. Spe. tit. de conceſſ. præben. in fi. Joan. Calderinus. Bonicontus Bitina.*

BONICONTUM nomine (cujus de *Appellationibus* tractatus quidam extat) & filiam *Bitinam* dictam, quam collocavit Joanni de *SANCTO GEORGIO Bononiensi*, celebri Juris Canonici Doctori. Hæc sepulta est Patavii ad S. Antonium in circuitu, cum hoc Epitaphio:

SEPULCHRUM DOMINÆ BITINÆ FILIÆ QUONDAM DOMINI JOANNIS ANDREÆ DE BONONIA, ARCHIDOCTORIS DECRETORUM ET UXORIS DOMINI JOANNIS DE SANCTO GEORGIO DE BONONIA DOCTORIS DECRETORUM. QUÆ OBIIT ANNO DN. M.CCCLV. DIE LUNÆ. V. OCTOBRIS.

Tandem tempore pestilentissimo ingruente mortuus est, vir immortalitate dignus, anno MCCCXLVIII. Vaticinatus ipse de morte sua videtur, dum scribit in Additionibus suis, sub *Tit. de Filiis presbyterorum:* Suspicor quod hæc possent esse ultima mea scripta, &c. anno enim proxime sequente, vita defunctus est, ut ex prædictis colligi potest. Extat honorificum ejus monumentum Bononiæ, in templo S. Dominici, cum hac inscriptione:

Hic jacet Andreæ notissimus orbe Joannes.
Primo qui Sextum, Clementis atque Novellas.
Hieronymi laudes, Speculi quoque jura peregit:
Rabi Doctorum, Lux, Censor, normaque morum.

OCCUBUIT ANNO PRÆDIRÆ PESTIS, MCCCXLVIII. DIE VII. JULII.

CYNUS.

CYNUS [1] ex nobili Sigisbuldorum familia Pistorii natus, audivit præter alios Dynum Muxellanum, quem multis locis præceptorem reverendissimum appellat. Vir ingeniosus fuit, & diligens. Scripsit plene super prima parte Digesti veteris, usque ad Titulum, *si ex noxali causa agatur*, inclusive & in Secunda parte, super *Titulo de rebus creditis*. Anno MCCCXIII. in die Barnabæ Apostoli absolvit lecturam suam super Codicem, quam anno præcedenti incœperat. Scripsit autem accurate, & illis tantum qui aliquo modo jam provecti in hoc legum studio sunt, ut ipse quodam loco significat. De hac Cyni Lectura refert Baldus, [2] aliquando Bartolum sibi dixisse, quod

1 *Floruit an.* 1335. *Paralipome. rerum memorabi.* 2 *Bald. in Feudal. Jas. in §.* 7. *Instit. de Action. in l.* 28. *C. de pact.*

illud,

illud, quod suum fabricaverit ingenium, fuerit Lectura Cyni. Et quidem majoris ille autoritatis apud plerosque est ipso præceptore suo Dyno. Canonici juris sectatores nonnihil exosos habuit, eosque sæpe scriptis suis perstrinxit. De jure consultis qui Canonum quoque suffragiis utuntur, ita alicubi scribit, quod tales manus habente extra gazophylacium Justinianei thesauri, apud mendicantes merito vadunt mendicatum. Alibi scribit, *Canonicos Jureconsultos fecisse sibi jura pro libita voluntatis suæ, & leges civiles eos servare ad commodum suum, non autem contra se, propter ambitum secularis Jurisdictionis usurpandæ, & non propter aliud.* Fuit tamen amicus *Joannis Andreæ*, ut per eundem in additionibus memoratur. Decessit Bononiæ, juxtaque præceptorem suum Dynum proxime sepeliri voluit, in simili quo Dynus sepulchro, hoc est, humili & vulgari. Epitaphium autem utriusque obambulantium hominum pedibus tempore obtritum est, ut legi non possit. Fuit & alius quidam *CYNUS Pistoriensis*, Decretorum Doctor: sed nullo scripto inclaruit.

OLRADUS DE LAURE.

OLRADUS DE PONTE, patria Laudensis, sub Dyno præceptore Jurisprudentiam didicit. Postea Advocatus Consistorialis Romæ, & demum auditor quoque causarum factus, magna in existimatione fuit, potissimum apud Joannem XXII. Pontificem Maximum, qui in arduis Reipublicæ negociis componendis, hujus Olradi consiliis maxime usus fertur. Extat *Consiliorum* ejus volumen unum longe doctissimum, reliqua vero ipsius scripta quæ non pauca fuisse traduntur, aut interciderunt, aut alia de causa forte neglectui data sunt. Ex consiliis hujus Olradi multa JOANNES ANDREAS sibi ascripsit: quo solo vitio se quibusdam reprehendendum præbuit. Floruit Olradus anno MCCCXX.

JOANNES CALDERINUS.

JOANNES CALDERINUS *Bononiensis*, non eruditione tantum, verum etiam vitæ integritate suo tempore celebris fuit. Itaque a multis scriptoribus prædicatur, & Doctor magnæ scientiæ, sanctæque vitæ appellatur. Quæ causa etiam fuit, quod illum Joannes Andreæ in filium adoptivum sibi ex omnibus unum elegerit. Scripsit post

1 *In l. 3. C. de judiciis.*

ipſum *JOANNEM ANDREAM* Commentaria in Decretales. Item Conſiliorum opus inſigne.

JACOBUS DE BUTRIGARIIS, ET REINERIUS DE FORO LIVII.

UTerque hoc tempore inſignis & celebris, uterque Bartoli Saxoferrati præceptor fuit. Sed Jacobus quidem complures libros poſt ſe reliquit. Scripſit enim ſuper Digeſto veteri, ſuper Codicem quoque Lecturas duas, veterem & novam. Item commentatus eſt ſuper Tit. de Actionibus in Inſtitutionibus. Edidit etiam quam plurimas diſputationes, ut refert *Baptiſta Caccialupus.* Floruit anno MCCCXX. *Raynerius* autem & ipſe commentatus fertur ſuper Jure civili. Sed id in obſcuro eſt. Deceſſit ex vivis Patavii & in Sancti Antonii, ubi nunc in Circuitu vetus marmoreum illius monumentum videtur, ſepultus.

BARTOLUS.

B*ARTOLUS de Saxoferrato* [1] natus eſt anno MCCCIX. Puer præceptorem habuit *Petrum de Aſſiſſio*, virum doctum & eximie pium, a quo in literis & grammaticis eruditus fuit. Ad Juris civilis diſciplinam ſe contulit, anno ætatis XIV. in civitate Peruſina, quam tanta diligentia & induſtria didicit, ſub præceptoribus *Cyno Piſtorienſi, Jacobo Butrigario, & Reynerio Forolivienſi*, ut poſtea XX. anno ætatis Bononiæ de Jure publice reſponderit, & anno ſequenti ſolennia Doctoratus inſignia receperit. Hic cum intelligeret praxin eſſe, quæ omnium optime Juris ſtudioſorum oculos recludat, animos accendat & judicia abſolvat, ad eam ſe ſtatim primis poſt Doctoratum annis contulit, & diligenter illi incubuit. Itaque Aſſeſſor criminalium cauſarum factus, in ea functione eo usque perſtitit; [2] donec illi res ſane quam acerba contingeret. Nam male audire cœpit, quod legibus non perpenſis, reum quendam male examinaſſet, & furcæ ſupplicio præter meritum condemnaſſet. Ejus ſane rei & *Andreas Barbatias* [3] ita meminit, ut ad doctrinam Bartoli, qua tradit furem pro furtis alibi commiſſis, etiam eo loci furca puniri poſſe, ubi furtum levius, & furca non dignum poſtea commiſerit, continere ſe non poſſit, quin exclamet; *Non mirari ſe iſtum rigorem Bartoli, cum illud quod imbibimus*

[1] *Vide ipſum Bar. & Jaſ. in l. 132. ff. de verb. oblig.* [2] *Bal. in l. 1. C. qui accuſ. poſſ.* [3] *In c. licet. 10. X. de foro compet. n. 41.*

in

in annis juvenilibus, insequatur nos ad candidam usque senectam, dicente poeta: *Quod nova testa capit, inveterata sapit.* Et subjungit: Bartolus in annis juvenilibus fuit judex maleficiorum, & imbibit illam severitatem condemnandi facinorosos, qua re insequitur eum illa severitas & quos non potuit perdere ore, conatus est perdere calamo. Bartolus igitur, sive conscientia sive calumnia illa perturbatus, relicta tali functione, rursum ad libros & studia secessit, ad locum Sancti Victoris, qui a Bononia ad 11. lapidem distat. Ubi cum in solitudine aliquandiu studiis privatis incubuisset, accersitus ad profitendum, Pisas contendit. Istic igitur primo anno, ætatis autem suæ xxv. edidit celebrem illam Repetitionem Legis, *si is qui pro emptore*, in Digestis sub Titulo *de usucapionibus:* cœpitque statim magis ac magis inclarescere. Postea vero relictis Pisis forsan ob statum ejus reipublicæ semper turbulentissimum Perusium concessit, ubi & uxore ducta, & vitæ portu constituto, reliquam ætatem profitendo transegit. Quotidianis itaque prælectionibus ibi exercitus, ad illud eruditionis gloriæque fastigium excrevit, ut dum viveret, & summi Jurisperiti nomen solus in universa Italia haberet, & ad illum audiendum undiquaque maximus omnium studiosorum concursus esset, & denique mortuus, per elaboratissima sua scripta incomparabilem prope famam, & memoriam sempiternam sit consecutus. Ab hoc plurimi profluxerunt, qui profitendo scribendoque post eum clarissimi fuerunt. Ex illis præcipuus fuit *Baldus* Perusinus, qui refert, [1] Bartolum semper tenuisse opiniones placentes Laicis, hoc est, ut ego intelligo, quæ semper sensui & intellectui communi accesserint, quod opinionibus suis multum honoris conciliaverit. Illud memorabile est, quod traditur eum toto quinquennio in Repetitione legis de ætate, Digest. Tit. de minoribus, absolvenda elaborasse. Quem Bartoli morem utinam qui hac ætate commentantur, ex aliqua parte imitari dignarentur, pauciores haberemus libros, sed utique meliores, expolitioresque. Est præterea qui scribit, [2] Bartolum ad pondus comedere solitum fuisse, ut intellectum haberet pariter dispositum, & nunquam alteratum, quod non ridebit, qui Italicorum professorum in ingenio fovendo curam & studium cognitum habet. *DIPLOVATACIUS* autem hoc de Bartolo commemorat, quod memoriam non satis firmam fidelemque habuerit, adeo ut si aliquid commentaretur, neque leges in promptu re-

1 *In cap. de succ. feud.* 2 *Ros. sing. 713. aliis mi. 704.*

periret, *FRANCISCUM TIGRI Pisanum*, qui eodem tempore legit Perusii, & ipsi intima amicitia erat conjunctus, solitus fuerit accedere, qui locos illi indicarit, & leges suppeditaverit. Habebat enim hic Franciscus magnam Singularium rerum memoriam, ut de ipso Baldus refert. Et sane Angelus quoque & Castrensis testantur, Bartolum ex dictis Francisci Tigrini magnum sibi honorem comparasse, exiguum autem ipsi Francisco, ut quem aut nunquam aut raro nominaret. Reprehenditur autem Bartolus [1] alias quoque hoc de vitio, quod similiter veterum quoque nomina tacuerit, & illorum inventa sibi sumpserit, præcipue autem *NICOLAI DE MATARELLIS Mutinensis* antiqui Doctoris, cujus permultas opiniones sibi ascripserit. Sed ita profecto res habet, quod nullum tam excellens perfectumque ingenium fuit unquam, quin suos habuerit æmulos & osores: & eo quidem plures infestioresque quo ipsum est cæteris præstantius. Equidem [2] nec ingenium, nec memoriam Bartolo defuisse, facile judicare potest, qui consideret & Hebraicas ipsum literas & Mathemata, quorum usum ad jus quoque civile in Commentariis suis induxit, perdidicisse, & plurium disciplinarum quam Juris civilis peritiam habuisse. Scripsit doctissima Commentaria super totum prope Jus civile, quæ autem illius nomine supposita sint lectoribus, & quæ suspecta doctis, cum præter cæteros Jason quoque *in l. 132. Digest. de Verb. obl.* recensuerit, nihil opus est hic commemorare. Hujus Bartoli excellentem doctrinam, ipse quoque Romanorum Imperator Carolus IV. suspexit, eaque de causa & ipsum & omnem ejus posteritatem insignibus, & aliis egregiis beneficiis ac privilegiis illustravit. Fuit Bartolus sani judicii & animi, vitæque integræ. Filiam habuit, quam in matrimonium tradidit *NICOLAO ALEXANDRO*, viro docto & Jureconsulto. Mortuus tandem est Perusii, anno ætatis suæ XLVI. anno vero Domini MCCCLV.

ALBERICUS ROSATES.

ALBERICUS ROSATES [3] *Bergamensis*, æqualis Bartoli fuit, ipsius tamen Commentarios Bartolus non vidit: Albericus autem Bartoli vidit, cum aliquoties locos ex illis citet. Fuit vir excellenter doctus, & magnus, ut Jason scribit, [4] Practicus, cui plus quam alteri

[1] *In l. 18. ff. de solution.* [2] *Bal. in l. 8. C. de Imp. & al. Subst. ipse Bar. in lib. de Insig.* [3] *Floruit an. 1347. paralip. memor.* [4] *In l. 1. ff. de nov. oper. nunc. & aliis locis & Barth. in tract. de præs. car. in 11. q. par. 1,*

ri Doctori deferunt Advocati Mediolanenses. Reliquit doctissima Commentaria super Digestis, & Codice, item De statutis volumen 1. item Dictionarium in Jure civili lib. 1. Floruit Anno *Millesimo trecentesimo quinquagesimo.*

ADDITIO.

Alber. de Bergamo *doctorem & Commentatorem eximium dicit* Fulgosius *consil. 47. col. 1. & consi. 120. col. 2. & optimum practicum consil. 155. col. 2. & consil. 173. col. 1. & consil. 179. col. pen. & consil. 237. col. 1. dedicavit opus suum collegio doctorum Bononiensium, ut ipse testatur* in prin. C. *fuit electus ad corrigenda statuta Bergomi, ut refert* in l. 1. in 1. col. C. de nov. Cod. Compo. *Orator alias tempore Benedicti Pap. XII. Magnific. D. Jo. Episcopi Navariens. & Luchini de vicecomitibus Dominorum Mediolani, & Fusius ut testatur in l. Jubemus nulli col. 1. C. de sacrosanct. Eccles. anno 1340.*

BALDUS.

PETRUS DE UBALDIS [1] nobilis Perusinus, artium & medicinæ Doctor, tres sustulit filios, BALDUM, ANGELUM ET PETRUM, quos singulos longe diverso consilio, quam quo ipse vitæ studia erat ingressus, non Medicinæ, sed Jurisprudentiæ mancipavit. Quapropter non ipsos tantum longe celeberrimos Jureconsultos vidit, & gloriæ fructum, quem speraverat, ex illis percepit: verum etiam familiam suam omnem hac scientia longa posteritate insignem post se reliquit. Siquidem ex BALDO, *Zenobius* & *Franciscus*, ex ANGELO *Alexander*, & *Angelus* nepos: ex PETRO vero *Matthæus*, & *Petrus* & *Baldus* nepotes: ex BALDO porro *Nicolaus*, *Matthæus*, & *Sigismundus* pronepotes, omnes fere Jureconsulti, descenderunt. Ut igitur ad Baldum revertamur, audivit ille adolescentulus *Joannem Pogliarensem*, quem vocat primum Doctorem suum. [2] Item Franciscum Tigrinum Pisanum, virum magnæ memoriæ & doctrinæ, sanctæque, ut alii tradunt, vitæ. Et Bartolum de Saxoferrato, quem scribit multum ingenio suo contulisse, & præ reliquis illis tanquam præceptorem suum in multis locis prædicat & extollit. [3] Fuit autem Baldus tam maturo felicique ingenio, ut XVII. statim anno pu-

[1] *Floruit Bal. ann. 1365. paralip. rerum memorabil.* [2] *In c. si vasallus tit. si controv. fuer. inter dom. & vas.* [3] *Felin. in Rubr. de Magist.*

blice

blice repetierit legem *Centum Capuæ 8.* Digeſtis *De eo quod certo loco.* Poſtea cum ſtudiorum ſuorum legitimum tempus abſolviſſet, ac ſolitis Doctoratus inſignibus eſſet ornatus, Bononiam profitendi cauſa conceſſit Anno MCCCXLIV. [1] Et quia illuc Bartolus quoque advenerat, eo præſente Baldus publice diſputavit Quæſtionem illam Senis quoque a ſe antea, forte in tranſitu, diſputatam, videlicet; *Utrum municipes alicujus loci ſtatuere poſſint, quod non poſſit fieri appellatio, niſi ad judicem illius loci?* In qua quidem diſputatione, ut ipſe refert, oppoſuit ſe illi Bartolus, & acerrimus antagoniſtes, ab hora XVI. usque ad horam XXI, cum eo contendit, ſed tandem victus diſceſſit. Fuit autem & alias vehemens altercatio inter eosdem de Textu *Paragr. ultimi, Legis* ſi creditor 7. *Dig.* de diſt. pig. cum Bartolus in ſuo codice haberet, nullam venditionem, *Baldus* vero ullam venditionem. Adeoque tum in ea contentione animis exarſerunt, ut miſſum ſit Piſas, & veteres Pandectæ iſtic inſpectæ, quæ cum codice Bartoli conſonarunt. Quanquam autem complures autores hujus altercationis meminerint, difficulter tamen induci poſſum, ut illis fidem adhibeam, cum ipſe Bartolus in dicta *L. ſi creditor 7.* & alibi, non aliter ejus rei mentionem fecerit, quam his verbis: Cum ſemel haberemus hanc quæſtionem, miſimus usque Piſas, [2] ad librum Pandectarum, &c. quem vix crediderim adeo modeſtum eſſe potuiſſe, ſi cum Baldo illi res tam odioſe fuiſſet. Multo minus veriſimile illud eſt, quod quidam commenti ſunt, Baldum tunc complures aliorum codices corrupiſſe, expungendo literam N. & ob id fuſtigatum, patriam ſuam Peruſium reliquiſſe, his Scipionis Aphricani verbis: *Ingrata patria, ne oſſa quidem mea habebis*, atque ita quaſi in exilio conſenuiſſe, mortuumque eſſe. Qui enim potuiſſet Baldus ad eum modum inſanire, ut codices corrumperet? Quam excellentis autem & prope divini fuerit ingenii Baldus, cum ex ſcriptis illius manifeſtiſſimum ſit, nihil opus eſt referre. Eruditionem in illo ampliorem nemo, ſed conſtantiam complures deſiderarunt. Variavit enim perſæpe, & contraria invicem pugnantiaque multis in locis ſcripſit. [3] Sed humanum eſt hoc vitium, non ſemper dictorum meminiſſe, & cauſæ interdum inſervire. Imo vero ne poſſibile quidem videtur, ut qui polygraphus eſt, qualis Baldus fuit, idem per omnia ſibi conſtare poſſit. Exempla in prom-

1 *In tract. Judiciario. Rub. de App. Alex. in l. 25. §. fin. ff. Solut. matr.* 2 *In l. 114. §. 14. ff. de leg. 1.* 3 *Bart. in c. pœnitentia. de probat.*

ptu

ptu sunt. Sed illi forsan non tam vitium illud, quam ejus crebritatem in Baldo reprehendunt. Fuit autem Baldus non Civilis tantum, sed & Pontificii Juris doctissimus: id quod pauci ex æquo præstare potuerunt. Itaque miratur alicubi Ludo Romanus, [1] quod eum tam magnum Canonistam fugerint aliqua capitula, &c. Cum igitur maximi nominis esset in tota Italia, accersitus tandem est *a Joanne Galea* Mediolani Duce Papiam, ubi compluribus annis publice professus est. Edidit multa volumina in Jure civili, & in jure Canonico. Allegantur etiam quædam, quæ cum operibus suis impressis non inveniuntur, puta liber quem *Peculium* inscripsit: & Tractatus *de Commemorationibus* famosissimorum Doctorum in utroque Jure, & quædam alia. Professus est ad extremam usque senectam. Nam tum temporis cum Commentaria in Feudales libros pararet, XLVII. annis prælegerat, ut ipse refert in eorum Commentariorum præfatione. Et tamen ibi subjungit: *Quod si ex parte aliquid didicerim, tamen in comparatione latitudinis intellectus profecto nihil me intellexisse agnosco.* Hæc ille jam senio confectus, & per omnem ætatem in juris scientia diligentissime versatus, vere agnoscere potuit, nos hac ætate agnoscere non possumus, qui nobis nescio intra quot menses Jurisprudentiam arroganter & stulte pollicemur. Filios duos habuit, ut tradit Jacobus Philippus Bergomensis in Chronicis, *ZENOBIUM*, qui & Equestribus ornamentis & Doctoratus insignibus donatus fuit, & *FRANCISCUM*, & ipsum utriusque Juris Doctorem. Mortuus tandem est anno MCCCCXXVIII. die Aprilis, & Papiæ in templo Sancti Francisci, inter cujus familiam adoptari, ejusque habitu sepeliri voluit, sepultus est. Extat marmor primi sepulchri sui, in eodem templo, habens inscriptionem aliquot versuum, quorum postremi sunt.

Conditur hic Baldus, Francisci tegmine fultus,
Doctorum Princeps, Perusina conditus arce.

QUI OBIIT ANNO MCCCC. DIE XXVIII. APRILIS IN AURORA.

Inde enim juxta summum altare transportata ipsius ossa sunt, ubi in alio saxo legitur hoc Epitaphium.

BALDUS EDITIOREM LOCUM SORTITUS, HIC OCTO
ET DECEM SUPRA CENTUM ANNIS
OBDORMIVERAT.
M. D. XIX.

1 *In l. 31. ff. de jurejur.*

ANGELUS PERUSINUS.

ANGELUS DE UBALDIS Perusinus, iisdem præceptoribus quibus & frater, Jus civile didicit. [1] Anno XXIII. suæ ætatis Doctoratus insignia sumpsit, & publice profiteri cœpit. Non indignus fratre suo Baldo fuit, ingenio inferior, eruditione par, acri omnino & solido judicio præditus. Itaque *Joannes Pyrrhus* hunc inter Triumviros Jurisprudentiæ cum *Bartolo & Paulo Castrense* nominavit. Reliquit doctissima Commentariorum & Consiliorum opera, quibus Jus civile majorem in modum illustravit. Mortuus est Florentiæ, eodem anno quo Baldus frater suus, reliquo post se unico filio Alexandro, legum professore, ex quo Angelus secundus, istius Angeli nepos postea prognatus est. Ille a majorum virtute neutiquam degenerans, in celebrem Juris professorem evasit, & cum publico salario multis annis Patavii professus esset, a Sixto Pontifice Maximo Romam vocatus, & in Advocatorum Consistorii Pontificalis numerum ascitus est.

PETRUS DE UBALDIS.

TErtius denique frater, *PETRUS DE UBALDIS*, pari propemodum dexteritate fratrum vestigiis ingressus, post legitimum studiorum tempus absolutum, & ipse utriusque Juris Doctor creatus est. Cum tamen Canonici Juris studiosior esset, quam Civilis, in eo solo elaboravit, & eruditionis suæ multa monumenta reliquit, ut traditur. Ex hoc natus est *MATTHÆUS UBALDUS*, vir equestri postea dignitate insignitus, & omni scientiarum genere instructus. Qui duos porro filios procreavit: *PETRUM*, qui utriusque Juris professor fuit, & *BALDUM*, qui etsi Jureconsultus non esset, prudentia tamen & consiliis inter primos patriæ suæ proceres habebatur. Hic Baldus avi sui Petri Ubaldi felicitatem consecutus est, trium doctissimorum filiorum successione, *NICOLAI, MATTHÆI, & SIGISMUNDI*, quorum *primus* Rotæ auditor, *alter* publicus Perusii legum professor fuit.

BARTHOLOMÆUS DE SALICETO.

BARTHOLOMÆUS DE SALICETO *Bononiensis*, [2] eodem cum proxime prædictis tempore extitit. Professus est Jus civile qua-

[1] *Ipse Angel. l. 1. §. pueritiam ff. d. postul. In tract. Suitatis.*

[2] *Floruit anno D. 1408. paralipom. rerum memor. Monarcham eximium dicit Cuma. cons. 138. ad fin.*

tuor

tuor annis Patavii. Deinde cum in pestifero illo schismate Romanæ Ecclesiæ per Bonifacium VIII. Papam, & Benedictum Antipapam, continuato, tota fere Italia bellis & seditionibus vexaretur, Bononiam in patriam se recepit. Ibi Anno MCCCCLXXXII. mense Majo, exorsus est Commentaria sua in IX. libros Codicis, quæ sequentibus annis juxta publicas prælectiones absolvit. Professus est autem magna cum laude, & inter sui temporis Doctores cum primis fuit. De hoc scribit *Jacobus Philippus Bergomensis* in Chronicis, quod Alberto Estensi Ferrariæ Marchioni, cum apud eum magno esset in pretio, primus autor & suasor fuerit, ut a Bonifacio Pontifice privilegium impetraret Scholæ publicæ in urbe Ferraria constituendæ. Mortuus est Bononiæ jam senex, & ad Sanctum Dominicum sepultus, ubi in choro extat illius monumentum, cum hoc Epitaphio.

Hoc tumulo legalis apex, dulcissimus ore,
Et patriæ lux alma suæ, pietatis amator,
Justitiæque sacræ clypeus, baculusque cadentis,
Qui juvenis, multoque etiam venerabilis ævo
Edocuit: superavit eum nec pœna laboris
Scribendo, & pariter Juris nucleando tenebras,
De Saliceto requiescit Bartholomæus.

ADDITIO.

Præceptorem appellat Clariss. FULG. ejusque opin. confutat, quo ad intellectum. l. 6. C. de secun. nupt. cons. 97. Antonius col. ult.

PETRUS DE ANCHARANO.

PETRUS DE ANCHARANO, [1] *Bononiensis*, & auditor Baldi fuit. Scripsit in Decretales, Sextum, & Clementinas, item in aliquot potiores Regulas Juris in VI. Scripsit quoque in *Digest. vetus, & Digest. novum*, ut *Caccialupus* refert, & opus præterea Consiliorum. Fuit Jureconsultus excellens, & magnæ existimationis. Floruit tempore Saliceti. Mortuus est Bononiæ, & in S. Dominici templo sepultus, ubi monumentum illius extat, cum longiusculo epitaphio, quod tamen mortis tempus non exprimit.

1 *Floruit anno D. 1399. Paralipom. rerum memorabil.*

ANTONIUS DE BUTRIO.

ANTONIUS DE BUTRIO, [1] & ipſe Bononienſis, vir excellens, ſanctæque vitæ, & Doctor omni veneratione dignus fuit, ut inquit *Caccialupus*. Fuit æqualis *Ancharani*. Scripſit in Decretales, & Clementinas, item Opus Conſiliorum. Et ſecundum eundem *Caccialupum*, duo pulchra Repertoria, unum in Jure Canonico, alterum in Jure Civili. Mortuus eſt anno MCCCCVIII. Non. Octob. ut habet Epitaphium ipſius, quod Bononiæ ad S. Michaelem in Monte, ſi bene memini, ubi ſepultus eſt, extat.

ADDITIO.

Fuit vir Anto. de Butr. maximæ auctoritatis ut teſtatur Paul. Caſt. conſil. 180. ſuper eod. vol. 1. in fin.

CHRISTOPHORUS DE CASTILIANO, ET RAPHAEL UTERQUE.

CHRISTOPHORUS DE CASTILIANO *Mediolanenſis*, eodem tempore excellens Jureconſultus fuit, acri magnoque ingenio præditus, & ſubtilitatum (ut eum Jaſon vocat) [2] princeps. Itaque, ut fere aſſolet, ingenii ſui facilitate, & doctrinæ fiducia, ut olim Antiſtius Labeo, fretus, multa innovare, & receptas in Scholis opiniones ubicunque poſſet magno ſtudio labefactare inſtituit. Hunc morem RAPHAEL *Fulgoſius* Placentinus, & alter RAPHAEL *Comenſis*, ejus diſcipuli poſtea ſecuti, innovationes illas magis ac magis auxerunt. Fuerunt iſti duo illuſtres Jureconſulti. Claruerunt Patavii, anno MCCCCXX. ubi in templo S. Antonii magnificum extat Fulgoſii monumentum: cujus epitaphium tamen mortis tempus non meminit.

ADDITIO.

Legiſtarum principem, & comitem illuſtrem, ac præceptorem appellat Fulg. conſil. 25. col. 1. in fin.

Fuit etiam Jo. de Caſtelliano *in Jure canonico præceptor ejusdem Fulg. quem citat conſi. 308. in propoſita in princ. Floruit anno D. 1457. paralip. rerum memorabil.*

JOANNES DE IMOLA.

JOANNES DE IMOLA eodem hoc tempore extitit. Scripſit in tres priores Libros Decretalium, item in Sextum, & Clementinas.

[1] *Floruit an.* 1417. *paralip. rerum memorabil.* [2] *In l.* 31. *ff. de jurejur.*

In

In Jure vero civili scripsit in Digestum inforciatum, ut refert *Caccialupus*. Est cum primariis interpretibus Juris, & fuit præceptor Alexandri Imolensis. Obiit Anno Millesimo quadringentesimo quinto, XVIII. die Februarii.

PAULUS DE CASTRO.

HUjus Imolensis æqualis fuit **PAULUS DE CASTRO**, Jureconsultus doctissimus, & in tota Italia celeberrimus. Professus est Florentiæ, Bononiæ, & Patavii, ubi tandem & vita defunctus est. Multa præclara & eximiæ autoritatis scripta post se reliquit, in libros Digestorum, & Codicem, Commentaria, item volumen Consiliorum. Mortuus est anno MCCCCXXXVII. paulo post *Joannem Imolensem*. Reliqua ex ejus Epitaphio, quod illi satis ornatum *Nicolaus de Castro* ejus ex filio nepos in templo Servitarum Patavii, juxta monumentum posuit, colligi possunt, quod ita habet.

PAULUS DE CASTRO JURECONSULTUS DISERTISSIMUS, MAXIMÆ AUTHORITATIS APUD OMNES HABITUS, QUOD FLORENTIA TESTATUR, CUJUS JUS MUNICIPALE INNOVAVIT, ET IN EA CONJUGATUS PETRÆ UXORI, VICARIATUS OFFICIUM IN SPIRITUALIBUS RO. PONTIF. DECRETO EXERCUIT. UBI ETIAM IN BONONIENSI ET PATAVINO GYMNASIO PUBLICE PROFITENDO FLORUIT, ÆTERNAMQUE SIBI GLORIAM COMPARAVIT. RELINQUENS CONSILIORUM ET IN JURE VOLUMINA PLURIMA ÆDITA, QUÆ INTRA MANUS VERSANTUR. ET IPSIUS ANGELUS FILIUS CLARUS INGENIO, AMBORUM JURIUM TENENS FASTIGIA XL. ANNOS PATAVII JURA DOCUIT, EOQUE NICOLAUS CANONICUS PADUA. QUI AB HIS PROCESSIT, UTRAMQUE ET IPSE PARENTUM VIRTUTEM ADEPTUS, HOC IMMORTALITATIS OPUS ILLIS CONSECRAVIT. MCCCCXCII.

PANORMITANUS.

NICOLAUS *Siculus*, Abbas primum *Monacensis*, inde Archiepiscopus *Panormitanus* fuit. Unde fit, ut diversis cognominibus communiter allegetur. Magnæ eloquentiæ & doctrinæ fuit: quæ utraque si unquam alias, certe in Concilio Basiliensi, in eo summe

enituerunt. [1] Professus est Anno MCCCCXXV. & aliquot multis sequentibus, Jus Canonicum in Schola Senensi. Edidit Commentaria in Decretales utilissima, multa præterea Consilia, Repetitiones, Disputationes. Mortuus est, si bene memini, non multo post, quam ex Concilio in Italiam rediisset.

ROMANUS.

LUDOVICUS *Pontanus*, [2] patria Spoletinus, & tandem ob id quod Romæ commoraretur *Romanus* dictus, *Joannis Petrucii* celeberrimi apud Perusinos Jureconsulti, & *Joan. de Imola* auditor fuit. Senis & ipse Jus civile aliquot annis professus, inde Romam commigravit, ubi maxima in existimatione habitus est. Panormitano singulari amicitia conjunctus fuit, cum quo postea Basileam ad Synodum profectus, istic morbo pestilenti correptus, mortem obiit, juvenis admodum, & vix XXX. ætatis annum tum egressus, ut commemorat Æneas Sylvius in Historia Basiliensis Concilii, cujus operæ precium est integra verba huc ascribere. *Finitis*, inquit, *Panormitani verbis, Ludovicus Romanus Protonotarius, totius humani Juris gnarus assurrexit. Cujus tanta memoria fuit, ut nulli veterum cedere putaretur, sive Simonidem, sive Theodecten, sive illum qui a Pyrrho missus ad Senatum venit Cyneam, sive Carneadem Seriphium, Metrodorum, Hortensium, sive qui horum ultimus fuit Lucium Senecam de divinitate memoriæ commendemus. Erat enim memor omnium quæ ipse unquam aut legisset, aut audivisset: nec oblitus erat eorum aliquid, quæ ipse vidisset. Nec ut cæteri Jurisconsulti principia legum in disputando allegabat, sed quasi Codicem legeret, sic Textum memoriter referebat. Vir non Roma tantum, sed cælo dignus: & cui nemo mortalium comparandus videretur. Non admirationi, sed stupori futurus omnibus populis, si ut æquum videbatur, ætatis tempora duplicasset. Sod invidit fortuna Italiæ, nec tantum scientiæ lumen crescere passa est. Immisit pestiferum morbum, virumque vix XXX. egressum ætatis annum abstulit, nec plus horis sex & triginta sivit ægrotare. Visusque non transitus ille hominis, sed furtum. Quis enim virum adeo juvenem, adeo robustum, tam brevi morula expirare putasset? Sed fuit mors damnosior morte cujusvis regis: quippe quod regi hæres succedit in regno, viro autem adeo docto nullus superest in literis hæres. Sed dum Cardinalari vir bene meritus manet, apud Carthusiam sepelitur.* Hæc ille. Reliquit

[1] *Sylvius in gestis Conc. Basiliensis.* [2] *Floruit anno D.* 1457. *paralip. rerum memorabil.*

liquit doctissima ingenii sui monumenta, Comment. in digest. & Codicem. Consiliorum volumen I. Singularium lib. I. & quasdam Repetitiones. Mortuus est Anno MCCCCXXXIX. ut indicat ejus Epitaphium, quanquam nimis jam attritum etiam, quod extat apud Carthusianos, in hæc verba:

ANNO DOMINI MCCCCXXXIX. REVERENDUS IN CHRISTO PATER DN. LUDOVICUS PONTANUS DE ROMA, UTRIUSQUE JURIS DOCTOR EGREGIUS S. SEDIS APOSTOLICÆ PROTONOTARIUS, CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE AMEN.

Reperitur & aliud Epitaphium in eundem ab Ænea Sylvio conscriptum, quod ita habet:

Si mille, aut totidem rapuisses usque virorum,
Pestis, adhuc poteram parcere sæva tibi.
Vivens quo nusquam fuerat præstantior alter,
Extinctum potius reddis iniqua lues:
Quem fletis Leges, quem fletis Jura, sacrique
Nunc Canones: obiit, quem coluistis, herus.
Hic vos ornarat, vestras ubicunque fuerunt
Solverat ambages: nunc sine voce jacet.
Heu voces, heu verba viri divina, memorque
Ingenium, quo vis nunc tua multa loco est?
Heu Romane jaces, quo nec Romanior ullius
Ante fuit, quo nec forte futurus erit.
Te pater, & charus retur modo vivere frater.
Heu quantos gemitus ille vel ille dabit.
Te Roma, atque omnis plorabit Etruria, teque
Tota petet lachrymis Itala terra piis.
Te nunc Concilium, te nunc ululatibus unum
Ipsa quoque extinctum quæritat Ecclesia.
Heu vanas hominum mentes, heu pectora cæca:
Cuique dies certum est fata dedisse suos.
Et nos cum Superi statuent, veniemus ad illos:
Nemo parum vixit, cui bona vita fuit.

JOAN-

JOANNES DE ANANIA.

JOANNES DE ANANIA [1] *Bononiensis*, ibidem in patria Archidiaconus, & Canonici Juris professor publicus annis compluribus fuit. Scripsit in Decretales, reliquit item Consiliorum volumen unum. Hunc *Andreas Siculus* in Tractatu de Testibus, vocat *Sanctæ vitæ* dominum suum, semper merito honore observandum. Mortuus est, anno MCCCCLV.

ALVAROTUS.

EOdem fere tempore vita defunctus est apud Patavinos *JACOBUS ALVAROTUS*, ex familia *Alvarotorum* ibi natus. Præceptore in Jure civili primum usus est *Bartholomæo Saliceto*, in Jure vero Canonico, *Francisco Zabarella*, celebri Juris professore, qui tandem Cardinalis fuit, eum compatrem quoque suum appellat. Fuit XXX. annis in Jureconsultorum Collegio Patavii. Sed XVI. tantum annorum meminit, quibus continue prælegerit, incertum Patavii ne an alibi. Tum enim cum Commentarios Feudales Universitati dedicaret, in professorum numero se non fuisse, in ipso operis limine significat. Mortuus est anno MCCCCLIII. ætatis suæ (ut Bergomensis tradit) anno LXVIII. Sepultus est in templo Sancti Antonii, ubi juxta sacellum Sancti Joannis in Tabula legitur hoc Epitaphium:

AMICE QUI ISTAC TRANSIS, ESTI PROPERAS, LAPIS HIC TE ROGAT, UT PAULISPER INHÆREAS, ET HÆC SCRIPTA LEGAS. HAC IN BASILICA BEATI JOAN. BAPTISTÆ SUNT JACOBI ALVAROTI PATAVI INSITA OSSA. QUI DUM VIXIT, SUO STUDIO ET DOCTRINA POST SUSCEPTAS DOCTORALES INFULAS, COMMENTARIOS UTILES CUM REPERTORIO IN JUS FEUDALE FORMAVIT: EOSQUE VENERANDÆ UNIVERSITATI JURISTARUM DONAVIT. VOLUI UT ISTA NON IGNORES, ET PRO ANIMA IPSIUS ORES. OBIIT AUTEM DIE LUNÆ, XVIII. JUNII ANNO MCCCCLIII. V. F.

CORNEUS.

PHILIPPUS CORNEUS *Perusii* natus est, ex nobilissima istic & vetustissima Corneorum familia. Domi a privatis præceptoribus literis & artibus feliciter institutus, cum XII. annum excessisset, & ul-

[1] *Præceptor Alex. de Imola ut ipse testatur consil. 1, 8. viso processu nu. 10. vol. 7.*

tra

tra ætatem animo & judicio maturesceret, statim se ad jus civile discendum contulit. Audivit *JOANNEM PETRUTIUM*, qui tum mane prælegebat. Is *Petrutius* Perusinus erat, vir nobilis, professor doctissimus, & tum temporis celeberrimus. Multi illum clarissimi viri audiverunt: inter quos fuerunt, *Ludovicus Pontanus*, *Joan. Baptista Caccialupus*, & hic *Corneus*: qui ejus postea gener factus est, ut dicetur. Excessit autem e vivis anno MCCCCLXII. Tantam autem eximia diligentia sua Juris scientiam paucis annis *Corneus* consequebatur, ut præter alios, ipsius quoque præceptoris animum in admirationem & sui amorem pertraxerit. Itaque Petrutius illi tum adhuc discipulo suo, filiam cum magna dote despondit, ex qua postea Philippus VI liberos sustulit, III. masculos, & totidem femellas. Cum autem posthæc, solennia Doctoratus insignia recepisset, statim suspici, prædicari, & celebrari cœpit. Primo enim Perusii cum aliquandiu professus esset, a multis undique Gymnasiis expetitus accersitusque fuit. In primis autem Ferrarienses non destitere, donec illum maximis propositis præmiis ad sese pellexissent. Sed paulo post indignabundis Sixti summi pontificis literis revocatus, & Perusium redire coactus est. Verum cum status Perusinæ reipublicæ, nescio quibus ex causis turbaretur, obtinuerunt ab eo Florentini, ut in Pisana schola jus profiteretur, videlicet ut illa jam collapsa, illius fama rursum instauraretur, & illustraretur, quod quidem sedulo per triennium præstitit. Cæterum cum illum Perusini sui maximopere desiderarent, per Pontificem Romanum iterum effecerunt, ut ille Perusium retraheretur. Ex eo autem tempore quo istuc rediit, celeberrimus semper non modo profitendo, sed & consulendo & patrocinando factus atque habitus est. Studiosissimus per omnem ætatem fuit, & laborum tolerantissimus. Professus est annis circiter quinquaginta. Reliquit Commentaria in Codicem, & quatuor volumina Consiliorum. Mortuus est tandem anno ætatis LXXVII. superstite uxore & liberis.

ALEXANDER.

ALEXANDER DE TARTAGNIS, patria *Imolensis*, *Joannis de Imola* popularis sui, & *Joannis de Anania* discipulus fuit. Doctor utriusque Juris XXI. anno ætatis suæ creatus est. Jus civile prælegit aliquot annis Patavii, ubi Concurrentem habuit *BARTHOLOMÆUM Cepollam Veronensem*. Cum hoc acerrimam habuit contentionem,

nem, præcedendi causa, cum *Cepollæ*, quanquam seniori, cedere nollet, & fiducia doctrinæ illi se anteponeret. Professus est item Ferrariæ: & demum Bononiæ, ubi reliquam ætatem transegit, & eam scholam nominis sui celebritate ita illustravit, ut quicquid usquam Juris studiosorum esset, istuc confluxerit. Absolutissimam doctrinam, & summam in docendo gratiam habuit. Publice annis XXX. fere docuit. Conscripsit egregia opera, quæ nota sunt. Excessit e vivis Anno MCCCCLXXVII. ætatis vero suæ LIII. relictis tribus filiis: quorum major natu Antonius, & ipse patris exemplo utriusque Juris Doctor fuit. Extat ipsius Alexandri magnificentissimum monumentum, ex candido marmore elaboratissimum, in templo S. Dominici loco conspicuo positum, cum hoc Epitaphio:

ALEXANDRO TARTAGNO IMOLENSI LEGUM VERISSIMO AC FIDISSIMO INTERPRETI, Q. V. AN. LIII. FILII PIENTISS. P. OPT. B. M. POS. OBIIT ANNO MCCCCLXXVII.

FELINUS.

FELINUS ex nobili Sandeorum familia Ferrariæ natus, ibidem in patria Ferraria, & Pisis publice multis annis Jus civile, tanta diligentia, tantoque judicio docuit, ut suo tempore omnibus propemodum professoribus fuerit prælatus. Itaque & plurimos auditores sectatoresque habuit, & celeberrimi in Italia nominis fuit. Qua de causa *Innocentius octavus* eum Romam accersitum, in Collegium Rotæ legit, multisque insuper dignitatibus auxit. Reliquit doctissima ingenii sui, & longe utilissima monumenta, quæ nota sunt.

RIMINALDUS.

JOANNES MARIA RIMINALDUS, & ipse *Ferrariensis*, Alexandri Imolensis auditor & discipulus Ferrariæ magna cum laude Jus civile professus est. Extant illius aliquot scripta. Mortuus est anno MCCCCXCVI. ætatis autem LXIII. inque Sancti Francisci templo ingenti funeris pompa sepultus.

JASON DE MAINO MEDIOLANENSIS.

HIs successit *JASON DE MAYNO*, [1] *Patricius Mediolanensis*, Catonis Sacci Papiensis discipulus, qui compluribus annis Patavii publice professus est. Postea Papiam quasi in patriam, a *Lu-*

1 *Floruit ann. Do.* 1498. *Paralip. rerum memorabil. De Jac. patre præceptore ipse Jas. in l.* 1. *pe. col. ff. de novi oper. nun.*

dovico

dovico Sfortia Mediolani Duce revocatus, & ab eo inter Ducales Senatores relatus, ad finem usque suæ vitæ xx. amplius annis istic prælegit. Erat vir magni ingenii, cæterarum quoque artium, Rhetoricæ puto & Philosophiæ non ignarus. In jure vero civili in Italia cum Carolo Ruino, & Decio, facile princeps suo tempore fuit. Commentaria sua nota sunt. Mortuus est anno MDXIX. mense Aprili. Papiæ extra urbem in Cœnobio S. Pauli sepultus. Ejus Epitaphium (si bene memini) ita habet:

HIC REQUIESCIT JASON MAYNUS, QUISQUIS ILLE FUIT.

Sed & aliud Epitaphium ejus extat, longe id quidem elegantissimum, in hæc verba:

Quis jacet hoc hospes tumulo? Quis? Summus Jason.
Ille ne Phryxeæ vellere dives ovis?
Clarior hic illo longe est. Quisnam oro? Maynus,
Excellens Juris gloria Cæsarei.
Non fuit hoc quisquam Juris consultior alter,
Qui extinctum posset reddere jus melius.
Sed tamen hoc summi vetuit mens dia parentis,
Cæsaribus cupiens usque favere suis.
Te audiit, o nimium fœlix, qui jura legentem,
Damnantemque acri plurima judicio.
Nec tamen infœlix, tua qui monimenta revolvit,
Et memori condit lecta, fovetque sinu.
Et quanquam obloqueris plebs invida, solus Jason
Hic legum nodos difficiles solvit.
Amborum sic fama omnem vulgata per orbem.
Ille nitens belli laude, sed iste togæ.

PHILIPPUS DECIUS.

EOdem tempore floruit *PHILIPPUS DECIUS*, & ipse Mediolanensis, qui suo tempore inter Juris civilis principes professores & in celeberrima fama fuit. Annis triginta cum Jus civile in celebratissimis quibusque Italiæ Gymnasiis professus esset, nemo enim pluribus in locis eruditionis suæ lumen ostentavit, nescio quo infortunio coactus est in Galliam profugere. Ita namque ipse in Consi-

liorum suorum dedicatione apud Narbonensem Archiepiscopum conqueritur, se post rerum suarum omnimodam jacturam, non sine maximo vitæ discrimine, Lugdunum confugere compulsum, quanquam non solum a crimine, verum etiam criminis suspicione vacuum. Proinde egenum, inopem, a patria ejectum, fortunis omnibus absque sua culpa spoliatum se præter spem, unicum miserorum solatium, nihil reliquum habere. Hæc autem perpessus est, regnante tum Carolo VIII. Gallorum rege, qui mortuus est Anno MCCCCXCVIII. Sed inde postea per rempublicam Florentinam revocatus, multis annis iterum Pisis, & postremo Senis professus est, prosperrimam rursus fortunam consecutus. Quare ad solatium utriusque fortunæ, suique perennem memoriam, magnificentissimum ex candido marmore, & ornatissimum monumentum (cui imposita est ex aperto libro docentis simulachrum) in campo quem vocant Sanctum, Pisis extrui sibi vivus curavit. Cui ex eodem marmore subjuncta est tabula, hanc continens inscriptionem:

PHILIPPUS DECIUS, SIVE DE DEXIO, MEDIOLANENSIS JURISCONSULTUS CELEBRI FAMA NOTISSIMUS: CUM PRIMUM LOCUM STUDII IN JURE CANONICO VEL CIVILI TENUISSET PISIS, SENIS, FLORENTIÆ, PADUÆ, PAPIÆ, DEMUM ULTRA MONTES IN GALLIA, REVOCATUS, IN ITALIAM AB EXCELSA FLORENTINORUM REPUBLICA, POSTEAQUAM STIPENDIUM MILLE QUINGENTORUM AUREORUM IN AURO PRO LECTURA CONSECUTUS FUISSET, DE MORTE COGITANS HOC SEPULCHRUM SIBI FABRICARI CURAVIT, NE POSTERIS SUIS CREDERET.

Ex prædictis colligi potest, non modo pluribus in locis, verum etiam pluribus annis eum publice professum esse, quam quisquam alius unquam in Italia Jureconsultus. Si enim ante mortem Caroli regis XXX. annis jam erat professus, qui, ut dictum est, Anno XCVIII. obiit, & postea quoque ad annum usque MDXXXV professus fuerit, sequitur eum circiter LXV. annos publice docuisse. Reliquit in utroque Jure scripta doctissima, & præterea Consiliorum libros IV. Mortuus est tandem Senis, prædicto Anno MDXXXV. XII. Die mensis Octobris. Cujus postea corpus Pisas ad illud monumentum suum translatum est.

SALI-

SALIMONIUS.

MARIUS SALAMONIUS *Albertifchus* Eques Romanus per eadem tempora viguit. Auditor fuit *Baptiftæ Caccialupi.* Jus civile non tantum docuit, verum etiam adminiftravit. Egit enim aliquandiu præfidem Campaniæ, ut ipfe quodam in loco commemorat. Inde Romam reverfus ad Juris profeffionem eft, ubi auditores multos, magnamque exiftimationem apud omnes habuit. Inter cætera autem in gratiam *Julii Medices*, Cardinalis, & Ecclefiæ Romanæ Procancellarii, inftituit difputationem fuper lege *Gallus*. 29. *in Digeft. Tit. De liberis & pofthumis* quam publicé magna celebritate, in XXII. Cardinalium conventu, frequenti Epifcoporum, Jureconfultorum, & omnis generis doctorum hominum concurfu, magna cum nominis fui fama, publice exegit, pofteaque in juftos Commentarios redactam, eidem Julio Medici infcripfit, & edidit. Per ipfum enim Julium in Advocatorum Pontificalis Confiftorii collegium afcitus fuit, de quo Marius fibi ipfi gratulabatur, quod nihil ad dignitatem amplius, ad ftudia accommodatius, ad ætatem expetibilius fibi condonari potuiffet. Tandem vero fenio prægravante, a caufis orandis ad otium totum fe contulit, eo (ut fcribit) confilio, ut quod viribus præftare non valeret, ingenio faltem elaboratum aliquid reponeret. Incœperat igitur eo in otio juffu hortatuque Leonis X. Pontificis, in libros Digeftorum exactiorem interpretationem confcribere, jamque in librum primum abfolverat etiam, cum morte interceptus periit. Scripfit præter jam dictam Interpretationem, & Commentaria in legem *Gallus*, etiam Repetitiones, & Tractatus aliquot, quæ vulgo impreffa habentur. Item Commentaria de Probationibus, & libros de Principatu ad ipfum Leonem X. Floruit fub jam dictis Pontificibus, facitque in fcriptis fuis æqualium fuorum Jureconfultorum, puta Jafonis, Decii, Alciati, Zafii, inter alios crebram mentionem. Quo tempore mortuus fit, mihi non conftat, nifi quod fufpicor, fub ipfo Clemente VII. eum obiiffe. Hoc tamen fatis colligitur ex illius fcriptis, eum valde fenem ex vita exceffiffe.

ZASIUS.

RESTAT UDALRICUS ZASIUS, qui eodem tempore, quo ifti in Italia, ipfe Germanus in Germania fua, maxima laude floruit. Natus eft Conftantiæ, urbe celebri, & Synodo quoque univerfali infi-

 gni,

gni, parentibus honestis, & mediocris inter suos concives ordinis. Puer literarum studiis adhibitus, liberaliter atque feliciter didicit, ut in illis temporibus, quibus primum in Germania illucescere, sed subobscure adhuc, bonæ literæ incipiebant. Quanquam vero illa ipsa ætas, in quam puer inciderat, inculta adhuc barbaraque esset, eaque de causa pueritiæ studia rectius aliis collocare non posset, tamen cum & literæ indies magis magisque emersissent, & ipse interea adolevisset, ingenii dexteritate facile effecit, ut omni barbarie excussa, in omnibus liberalibus disciplinis eleganter doctus & esset & haberetur. Juventutem paulo solutiorem eum egisse ferunt, prava societate (quod ætas ista peculiare malum habet) corruptum. Et memini, cum ipse aliquoties ejus temporis jacturam apud me cæterosque suos familiares deploraret. Postea vero relicta schola, se ad forum & negotia transtulit, consilio ne an casu incertum. In numerum Notariorum Constantiensis Consistorii, quod istic sane celebre atque frequens est, concessit: ubi aliquandiu negotiis forensibus exercitatus, a Senatu Friburgensi, quod Brisgojæ oppidum est, accersitus, & in Archigrammatæum ejus Reipublicæ est acceptus. Delectabatur ille etiamnum studiis, quæ privatim nunquam intermiserat, & in primis Juris civilis cognitione ardebat, cujus præsentem dignitatem, utilitatemque, jam rectius atque olim, per ætatem judicare considerareque poterat. Itaque quod in adolescentia per imprudentiam prætergressus erat, postea meliori consilio, etsi serius, secutus, atque etiam consecutus est. Provecta jam erat ætate, trigesimumque annum excesserat, cum primum cœpit Jus civile addiscere, quod quo rectius atque expeditius facere posset, abdicato a se publico illo officio, totum se deinceps Juris studio addixit atque dedit. Præceptores audivit eos, qui tum Friburgi, quod publicam & primarii nominis scholam habet, profitebantur, ex quibus ipse postea scriptis suis duos potissimum celebravit, *JOANNEM KNAPUM* Germanum, & *PAULUM DE CITTADINIS* Patavinum, cujus etiam in familiaribus colloquiis amicissimam mentionem sæpe habebat. Brevi tempore plurimum in Juris disciplina profecit. Erat enim natura laborum tolerantissima, memoria summa, judicio prope tum perfecto præditus, quibus accedebat illa forensium negotiorum cognitio, quibus Juris civilis rationes usu priusquam literis jam didicerat. Quapropter cum Paulus ipse ingenii judiciique dexteritatem in Zasio discipulo suo perspiceret, eum sibi in ordinaria prælectione, quanquam etiam dum Scholarem (ut nunc

nunc vocant) & ob id mulis ex professoribus fere tumultuantibus, surrogavit, pro quo tum Titulum de conditionibus Institutionis publice prælegit. Hic quod & naturali quadam dicendi facultate præstaret, & præter aliorum morem pro sua eruditione cultius elegantiusque profiteretur, statim celebrari, & gratus omnibus esse cœpit. Quapropter ut primum Doctoratus insignia recepit, inter ordinarios professores relatus, ex eo tempore non scholastica professione tantum, verum etiam scriptis editis deinceps magis & magis inclaruit: ac quasi secum sibi ipsi certamen esset, seipsum indies eruditione & fama superavit, quam utranque quantam sit consecutus, cum in medio sint ejus doctissima atque utilissima scripta, nihil opus est meum hic judicium afferre. Cæterum ad vitam quod attinet, erat ille honestissimis & amabilissimis moribus præditus, liberalis, humanus, affabilis, læti & perquam festivi ingenii, ut qui libentissime semper jocaretur. Dapsilis erat, & crebro convivabatur, adhibitis plerunque doctis viris, amicis suis, quorum suavissimis confabulationibus animum suum subinde recreabat. Nihil enim minus, quam solitudinem ferre poterat. Cibi atque vini nonnihil erat avidior (unde & crassitiem corporis contraxerat) ut mirari non pauci solerent, quomodo vir istis rebus intemperantior, tantos tamen labores lucubrationesque, quibus plurimum utebatur, sustinere citra morbum posset. Sed ea erat naturæ suæ, quæ fortissima illi contigerat, præstantia. Conversatio reliqua omnis decora, & perquam urbana fuit. In profitendo summam gratiam habebat, & actionis vividissimam energiam. Mihi vero contigit illum jam prope septuagenarium audire, quo tempore quanquam ob senium multa erant in illo remissiora, etiam vox ipsa, quod tum edentulus esset, blesior, tamen ita adhuc docendo vigebat, ita vivebant omnia quæ loquebatur, ut liquido jurare possim, neminem me ex Germaniæ & Italis professoribus audivisse, qui hunc vivida illa docendi ratione superarit. Erat candidissimi ingenii, minimeque invidi. Aliorum laudes non solum libenter admittebat, sed etiam ipse frequenter prædicabat, nec ego profecto memini ullius illum professoris vel ex demortuis, vel ex illis qui suo tempore celebrabantur, honori nominique unquam obtrectavisse. Pertinacior tantum in illis defendendis, quæ semel asseruerat, & reprehensionis nonnihil impatiens esse videbatur. Cætera vir permagnæ erat humanitatis, ut dixi, qua cum alios omnes, tum maxime discipulos suos, & ex illis studiosissimum quemque complectebatur. Nihil

hil erat quod illis non communicaret ex ſuis, nihil quod, ſi poterat, non præſtaret. In me ipſum diſcipulorum ſuorum inertiſſimum, quantum contulerit benevolentiæ, quantum etiam operæ, non facile dixerim, fortaſſe tamen aliquo tempore commemorabitur. A Ferdinando tum Hungariæ & Boemiæ, nunc etiam Romanorum rege, poſt dedicatam eidem lucubrationum ſuarum editionem, inter alia hoc privilegio donatus erat, ut quandocunque ei luberet, in otium ſe literarium recipere, & operoſum prælegendi laborem a ſe abdicare poſſet, ſalvo nihilominus ſibi annuo ſtipendio ſuo. Friburgenſis enim Schola ſub Ferdinandi, tanquam Archiducis Auſtriæ, dominio eſt. Cæterum hoc privilegio Zaſius nunquam uſus eſt, ſed amore ſtudioſorum, quorum non paucos immenſis etiam itineribus ſecutos ſe videbat, perpetuo, ſi per valetudinem licebat, prælegebat. Nam podagra ſæpe impetebatur, & illi etiam ſenectus ipſa, juxta proverbium, morbus erat. Uxores habuit duas, ex quarum prima *JOACHIMUM*, qui poſtea Ducis Sabaudienſis Secretarius fuit, & filias duas, *Clementiam* mercatori poſtea, & *Cathrinam GEORGIO FUNCK Conſtantienſi docto Jureconſulto* nuptam, Latinis literis induſtria ſua præter Germaniæ morem eruditam, ſuſtulit. Senior jam ſecundam duxit, quæ illi filios tres, & filiam peperit. Ex illis natu major *JOAN. UDALRICUS*, juvenis ingenii acrimonia, memoriæ præſtantia, dicendique promptitudine a patre neutiquam degenerans, hoc anno ex Italia, quo poſt obitum patris ſui ad audiendum virum doctiſſimum *Marianum Socinum* miſſus erat, ſolitis titulis inſignitus rediit, ut magna ſpes ſit, eum in paternas laudes eſſe ſucceſſurum, modo indefeſſam patris diligentiam perinde ſequi non gravetur. Reliquit Zaſius multa præclare ſcripta, quorum quædam ultimam manum accepere, & ab eo edita ſunt, puta, *Intellectus Singulares: Commentaria in legem ſecundam, Digeſt. De origine Juris: Tractatus Subſtitutionum, Tractatus de Judæorum infantibus baptizandis, Apologia contra Eccium, Item contra Stellam Aurelienſem, & Epitome in uſus Feudales.* Reliqua vero poſt mortem illius edita ſunt a diſcipulis, confuſa adhuc, incorrecta, & reliquis ſcriptis propter ultimæ manus defectum, prope diſſimilia. Quæ ſunt: *Summa in Digeſtum vetus, lecturæ in aliquot Titulos primæ partis Digeſti Veteris: Et in Titulum, de rebus creditis, ſi certum petatur, in ſecunda parte. Item ſuper Titulum de Actionibus in Inſtitutis. Item Conſiliorum libri duo.* Et reſtant adhuc plura ejus opera, quæ & ipſa fortaſſe in publicum prodibunt futuris temporibus.

Illa autem omnia si ab eo fuissent ipso emendata, haud dubie longe aliam faciem fuerint habitura, quam nunc habent. Cujus ego neutiquam levem conjecturam ex Tractatu Substitutionum ab eo ipso postea evulgato, facere possum, qui tantopere distat ab illo quem in Scholis nos Auditores ex illius ore exceperamus, ut Lecturam præ illa editione vix agnoscere possis Zasii fuisse, tam multa istic immutata, tam multa etiam recisa, tam multa denique ex integro illustrata sunt. Ex qua quidem editione plane perspexi, Zasum hoc fere emendationis genus in usu habuisse, quod Horatius in Satyris describit, dum ait:

Detereret sibi multa, recideret omne quod ultra
Perfectum traheretur: & in versu faciendo
Sæpe caput scaberet, vivos & roderet ungues,
Sæpe stylum vertens, iterum quæ digna legi sint
Scripturus: & cætera.

Alias enim in Lecturis erat multo effusior, & minus concinnus, & verborum, quibus sæpenumero inquinatis, significantibus tamen utebatur, fere negligens fuit, qua de causa Zasium sinceri lectores excusatum habere, sicubi in posterioribus editionibus eum sibi ipsi dissimilem invenient, & illius quod apud Nasonem est, humaniter meminisse debent:

Emendaturus, si licuisset, eram.


Mortuus est optimus ille & doctissimus vir, Anno salutis MDXXXV. VIII. Calend. Decemb. ætatis vero suæ Anno LXXIV. Elatus est magno totius urbis luctu, & in summo templo honorifice sepultus, ubi illi ex decreto Senatus & Reip. Friburgensis ad extremam gratitudinis significationem, municipales enim leges ejus urbis Zasius omnes illis condidit, elegans monumentum positum est, cum hac inscriptione:

HULDRICHO ZASIO JURECONS. SUORUM TEMPORUM TOTO ORBE CELEBERR. HUJUS ACADEMIÆ ORNAMENTO SINGULARI, ET REIPUBLICÆ FRIBURGENSIS IN RESTAURANDO JURE MUNICIPALI JAM OLIM STRENUAM OPERAM NAVANTI, ALIISQUE MULTIS NOMINIBUS DE SE BENEMERITO,
MAGISTRATUS OFFICII MEMOR
FIERI JUSSIT.
CONCESSIT NATURÆ, ANNO SALUTIS MDXXXV.
VIII. CALENDAS DECEMBRIS.

Scripſit & Eraſmus Roterodamus ad tumulum illius
tale Epitaphium.

Siccine mors crudelis, & invida præripis orbi
ULRICUM ZASIUM, decus admirabile Juris
Cæſarei ſimul & ſacri, (pauciſſima dixi)
Imo doctrinæ totius, & artis honeſtæ
Theſaurum, ac mundum locupletem? cujus ab ore
Manabat ſermo vel melle ſuavior omni.
Quid nunc collaudem ſummum pietatis amorem,
Et mentem cœlo dignam? quo jam illa ſoluta
Corporis involucris fruitur, ſine fine beata.
Quod ſupereſt, te compello ſtudioſa Juventus,
Tandem pone modum lachrymis, juſtoque dolori.
Vocis adempta tibi Zaſianæ copia: verum
Extant ingenii monumenta perennia, quæ ſi
Aſſidue manibusque teras, oculisque frequentes,
Spirat in his, loquiturque viri pars optima ſemper.

Hæc ego ex plurimis de præceptore optime merito, paucis propterea ſum proſecutus, quod dudum in animo gero, aliquando juſto quodam commentario, vitam ejus omnem, & quæ plurima ab eo crebris colloquiis noſtris bene dicta ſunt, ex ordine commemorare, quæ quidem dum paro, hanc interea gratitudinis erga illum meæ teſtificationem extare volo.



EPITO-

EPITOME.

VIRORUM ILLUSTRIUM

QUI

VEL SCRIPSERUNT, VEL JURISPRUDENTIAM DOCUERUNT IN SCHOLIS, ET QUO TEMPORE ETIAM FLORUERUNT, ORDINE ALPHABETICO CONSTITUTUM, QUO STUDIOSI FACILIUS ALLICIANTUR AD LEGENDUM, NUNC PRIMUM IN GRATIAM IPSORUM EDITUM.

AUTHORE MARCO MANTUA, PATAVINO, JURISCONS.

ADJECTIS IN CALCE QUOQUE INVECTIVARUM LIBELLO, NECNON VENETÆ ARISTOCRATIÆ LAUDIBUS, ET PATAVINÆ URBIS SIMUL, OMNIBUS CUM SCITU TUM ANNOTATU DIGNIS, UT SIC VIROS, SIC PATRIAM UNDE ORTUM HABUERUNT, AD UNGUEM (QUOD AJUNT) OBSERVASSE POTIUS QUAM NEGLEXISSE VIDEATUR.

AMPLISSIMO VIRO
SENATORI GRAVISSIMO ET LITERATORUM MOECENATI,

BERNARDO NAUGERIO,

MANTUA, PATAVINUS JURISCONS.
S. P. D.

LIBELLUM de viris Illustribus, *amplissime Naugeri* scripsimus alias, nunc exit in lucem, & cum neminem habeam ego, cui magis debeam, cuique magis conveniat, quam tibi, a quo facile defendi possim, si maledico feriatur dente, Patria, genere, morum elegantia & literarum eruditione Illustrissimo, ipsum tibi dicamus, Munusculum enim perexiguum, est, tua in me merita sane multa, sed animus certe tam magnus, tam ardens meus in te, in te inquam gravissimum & præstantissimum Senatorem, ut non desperem. Si mihi tam longæ maneat (quod ille ait) pars ultima vitæ, Spiritus quantum sat sit tua dicere facta. Læta igitur fronte, velim, id suscipias, cum ut tibi, alioquin doctissimo & eloquentissimo, gratias agam quam maximas, tum ut mihi calcar admoveas, quo tibi rursum in dies polliceri possim, ingenii mei (qualecunque sit) monumentum egregium. Vale decus patriæ & firmissimum literatorum præsidium. Idib. Januarii. 1555. Patavii.

 PRO-

PROEMIUM.

Multi ſane ſunt, qui virorum Illuſtrium vitam diligentisſime conſcripſerunt quo tempore maxime floruerint, & ſi quæ amplius monumenta reliquerint, quæ nam ea ſint, quæ inveniuntur, quibusque temporum injuria careamus, præſertim RUTILIUS, SEVERINUS, JO. BAPTISTA A S. BLASIO, CATELLIANUS, COTTA, NEVIZANUS; *& alii, verum quia ſuppletione in multis egere videntur, multique etiam prætermisſi ſunt, ſua laude non fraudandi, ſtatui ego* MANTUA PATAVINUS, *epitomate quodam, præoculis id unum ſemper habens, ad cauſam non magnam adhibere ſupervacuam verborum copiam, luxuriæ genus eſſe, idque delectabilius (ut Philoſophus inquit) quod eſt brevius eisdem ſuppetias ferre, partimque eorum quorum vitam tunc literis tradiderunt, partimque (ut diximus) prætermiſſorum, & forte de induſtria ne in immenſum creſceret opus, æqui igitur bonique conſulat lector, & ſi quid unquam quod non probandum ſit ipſe poſtea invenerit, ignoſcat queſo, quoniam voluiſſe ſat eſt, ſin minus patienter feram, æquoque animo, quoniam nec Momus olim ſomni & noctis filius, ſuperos quidem inculpatos reliquit.*

A CAS-

1\. A*CASSELIUS*, maximus, celebratusque Jurisconsultus fuit, quem tanti faciebat Q. M. Scevola, ut cum de jure prædiatorio consuleretur, ad Furium & Cassclium (Autor est Val. Max.) rejiceret consultores, cujus etiam in *arte poetica*, meminit *Flaccus* dicens.

O major juvenum quamvis & voce paterna
Fingeris ad rectum, & per te sapis, hoc tibi dictum
Tolle memor, certis medium & tolerabile rebus
Recte concedi, consultus juris & actor
Causarum mediocris abest virtute diserti
Messalæ, nescit quantum Casselius aulus,

Nec omittendum censui quod eodem tempore etiam fuerunt: *TREBATIUS*, *CASSELIUS*, & *OFFILIUS*, ex quibus *Trebatius* peritior, *Casselius* eloquentior, & (ut dicitur *in l. 2. in §. servius ad fi. ff. de orig. Ju.*) *Offilius utroque doctior judicatus est.*

2\. *ANTONIUS BUTRIUS Bononiensis*, fuit quoque vir maximæ auctoritatis, ut testatur *Paul. Castrens. consi.* CLXXX. *incip. super eo. vol. 1. in fin.* Floruit anno Domini (aliter se decepit *Jo. Fichard.* in ejusdem vita) 1417. legit Bononiæ ubi etiam sepultus est, in Ecclesia S. Michaelis in nemore, in Monachorum Claustro, egoque ejus tumulum vidi, & epitaphium legi anno 1548. una cum Alexandrino collega, illuc profecti, solacii gratia, & ut non amplius visam urbem, tam vetustam, nobilem & claram spectaremus. Aliquo tempore docuit etiam Ferrariæ, invita Minerva tamen, quod ipsemet in obitu filii unici, quem habebat, epistola quadam, compatri suo scripta ostendit, & in qua conquestus varii sunt, posita alias in *vol. consil. suorum post 47.* statum. Fuit quoque præceptor *JOAN. IMOLENSIS*, & *GEMINIANI*, ut ille dicit, & testatur, *consil. CI. incip. in causa ad fin. iste consil.* LXVI. *incip. pro declaratione col. 4.*

3\. *AZO BONONIENSIS* fuit pariter, quibus in locis docuerit & quo tempore floruerit, satis constat ex ejus vita ab aliis scripta, hoc tantum addendum est, quod præter doctoratus gradum erat etiam canonicus, & sic cæteris honorabilior, quia dignitas est quæ non solet communiter conferri nisi optimis civibus & literatis, ut per *Inno. in c. fraternitatem, de sepul. Rota decisio. 450. Jo. Staphi. in tract. de gratiis. §. inter formas nu. 6.* quodque jus pontificium docebat. Præceptor quoque Jo. Andreæ quod testatur in *mercu. inque regu.* exceptionem objiciens *col. 1. de re. ju. in 6.* & adeo eminentis scientiæ, quod non

dubitarunt ſcribentes præſertim *Gui. Papa* ipſum veritatis tubam appellare *conſil.* LXIII. *incip. circa contractum colum. ultim. & conſi.* XCVIII. *incip. ex duabus col. 2. & Bal in l. contractus C. de fi inſtru. relatus a Stepha. Fed. in tracta. de int. jur. col. 91.* dicere, quod eſt *vas electionis* ut Paulus, id eſt *fons legum*, idem *Bal. conſi.* CCXC. *incip.* Iſtæ allegationes *in princ. vol. 1.* Ferunt a Bulgaro ira accenſo occiſum ut in Bulgaro infra.

4. *ARSENDINUS ARSENDUS* Forolivienſis, egregius legum doctor fuit, Rainerii filius, legit hic & Bononiæ, & quia fuſius *Joan. Bapt a S. Blaſ.* de eo deque virtutibus ipſius & excellentia locutus eſt tranſeo.

5. *ANGELUS UBALDUS* Peruſinus contemporaneus Baldi fuit, uterque diſcipulus Bartol. & Franciſci Figrini, deceſſit Florentiæ anno 1423. ut infra de Baldo cætera in vita ipſius, *eſt verum præter hæc quæ ſeipſum citat* in §. *omnis inſt. de verb. ob. in l. nam ad ea. ff. de legi*, & tamen id non reperitur.

6. *ANGELUS CASTRENSIS*, floruit anno 1484. Eques comes, & Advocatus conſiſtorialis, legit hic tantum.

7. *ANTONIUS A S. ANGELO* Patavinus floruit anno. 1394. legit hic multo tempore, & inter cætera (ut inquit *S. Blaſi.*) *l. ſi inſulam repetiit ff. de verb. obl.* quam tamen ego nunquam vidi.

8. *ANTONIUS ORSATUS Patavinus* Juriſconſ. eloquentiſſimus floruit anno 1473. docuit hic in patria ſemper, & ſtatuta collegii noſtri reformavit, multis ſuperinde, & additis quæ adhuc ſervantur, quæque recordatione tanti viri, ſemper viguerunt & vigent, multa ſcripſit, ſed nihil quod ego viderim, vulgatum eſt, niſi *oratio gratulatoria*, quam habuit (orator enim erat egregius) Venetiis, in creatione novi ducis *Nicolai Marcelli* anno 1474. & quidem luculentiſſima, ac nunquam ſatis laudata.

9. *ANTONIUS TURCHETUS* Patavinus hic docuit tantum eodemque tempore floruit, quo *Antonius Orſatus*, ex quo ipſe quoque paulo ante, orationem habuit pariter in creatione *Nicolai Troni*, anno ſcilicet. 1472.

10. *ANTONIUS BURGOS* Hiſpanus, cui alias Salamantica erat patria, floruit anno 1506. hic docuit, Bononiæ, Salerni, & Romæ, ibique Referendarius juſtitiæ mortuus eſt, edidit præclariſſima commentaria dum legeret in *titul. de empt. & vend.*

11. *ANTONIUS A PRATO VETERI Bononienſis* præceptorem

rem habuit *Florianum a S. Petro*, ut ipse in *vol. consilior. Alex.* testatur *4. nu. 131. incip. fere in fi.* Docuit Bononiæ & Senis, temporibus S. Bernardini quod adhuc ipse refert *eo. lib consi.* XLV. *incip. Paucis utar. col. III.* qui sanctus postea fuit canonizatus a *Nicolao* IV. Pontifice, anno jubilei 1446. & septem annis ante mortem multis claruit miraculis, ut inquit *Guid. Papa decisio.* LXXXIV. *incip. Temporibus meis, col. 2.* cui etiam Avus meus maternus erat familiaris & domesticus. Repertorium insuper ad Bartolum composuit, & ad Baldum, non impressum, quod ego habeo manuscriptum, aliqui dicunt quod hic quoque legit, quodque collegam habuit Paulum Castrensem.

12. *ANTONIUS FRANCISCUS* a Doctoribus Patavinus floruit anno 1465. docuit annos 53. hic in patria, & Ferrariæ, ibique *Felinum Sandeum* collegam habuit, multa scripsit, sed extant tantum additiones ad *Abbatem Panormitanum*, & etiam ad *Alexandrum Imolensem.*

13. *ALEXANDER TARTAGNUS Imolensis* legit Papiæ hic, & ultimo loco Bononiæ, ubi etiam sepultus jacet, floruit anno 1467. multa edidit notissimumque est, & fuit præceptor *Bartholomæi Socini*, ut ipse testatur in *l. certi conditio. in fi. prin. ff. de reb. cred.* solebatque semper veritatem amplecti, & *Doctor* hinc non ab re *veritatis* appellatus est, ut per *Cur. Juni. consi.* CXXXIX. *incip. Præsupponitur nu. 10. & Gallian. in l. Centurio col.* VIII. *ff. de vulga. & pup. subst.*

14. *ANDREAS CIAFFI, Pisanus* egregius Doctor fuit verissimileque est, quia nobis aliter non constat in patria docuisse, quando quidem ipsum sæpe citet *Alber.* & potissimum, *in §. discipuli col. 1. in proœ. digestorum* & *Bar. in l. non solum in §. morte nu. 11. ff. de nov. ope. nun. & in l. si is qui pro emptore, col.* III. *&* IV. *ff. de usucap.* notissimumque est etiam fecisse tractatu de *Gerundiis* qui impressus est.

15. *ANDREAS SICULUS* vulgo appellatus *Barbacia* floruit anno 1466. quod ipse testatur in *c. Raynaldus in repe. col.* XXXIV. *X. de testa. & anno 1484.* præceptorem habuit *Joannem Imolensem & Jo. Annaniam* quem doctorem excellentem ibidem vocat & sanctæ vitæ *col. 83. & 155.* etiam patrem Reverendum *159. & 83.* quod anno secundo sui studii sub ipso disputavit. Bononiæ docuit & Ferrariæ, ut ait in dicto loco *col.* LXII. & sicuti innotescit omnibus. Multa edidit & *a Corse. in singu. minori.* lucerna juris appellatur. Verum adde, quod *tracta. de præstan. Cardin.* fecit juvenis admodum, ut testatur ipsemet *rursum*

in c.

in c. in præsentia, nu. 6. X. de probat. & rub. simul de acqui. hæ. quam non habemus, *eodem teste. in præalleg. c. Raynaldus col. 154. & 162.*

16. *ACCURSIUS FLORENTINUS* non ignobilis Jurisconsultus qui Bononiæ docuit, ut ipse testatur, *in authen. ut præpo. no. imp. in prin.* floruit anno 1236. nonnulli anno 1246. sed nulli magis quam ipsi credendum est; sic appellatus deinde fuit, quia occurrit tenebris juris civilis, & gloriatur, hoc ipsumque ore proprio dixit, *in l. facta in §. si in danda ff. ad Sct. treb.* & idem quod accur. hic facit etiam *Bernar. in c. quod sicut X. de elect. & memoratu* dignum videtur, quod Placentinum derideat tanquam dementem, & immemorem legum *in l. cum notissimi C. de præscrip. 30. annor.* & somniantem in *l. cogi. C. de peti. hær.* & quod pejus est, Veluti hæreticum in *l. statuæ ff. de usufr.* meminit *Bal. in d. l.* cum notissimi *col. 2.* & maxime mirum est, quod de *FRANCISCO* filio tantum mentio fiat, de *CERVOTO* autem nihil altero ejusdem nato, idcirco Baldus addendus est *in l. 1. in §. interdum ff. de legi. tu.* quodque hujus *Cervoti* plures additiones factæ fuerunt, quæ *Cervotinæ* appellantur, fere omnes, reprobatæ, ut *in l. liber homo, in §. si attilicinus & ibi Bar. ff. de hæ. insti. & in l. præterea & ibi Bal. ff. man. & in l. 1. §. officio ff. de tutel. & rat. distra.* præter intellectum communiter approbatum, ad *l. singularia ff. de reb. cred.* quem tamen reprehendit etiam quoad alia *Imo. in l. modestinus ff. de solut.* Immo *quod d. intellectus* quoque fuit verisimiliter (ut ibi per Bar.) Jacobi Balduini, qui successit Accursio. Et ad Francisci propositum sciendum est, quod idem Accursius pater, ipsum emancipavit, ut per eundem *Bart. in l. in quartam nu. x. ff. ad legem falc.* qua de re autem hoc ipsum fecerit non constat.

17. *ALBERICUS ROSATUS Bergomensis*, quo tempore floruerit, & quæ ediderit satis liquet ex ejus vita ab aliis conscripta, adde quod est Antiquus & contemporaneus Joannes ut per *Odofr. in authen. si quis in aliquo colum. 1. C. de eden.* quodque ipsum doctorem & commentatorem eximium prædicat & extollit *Fulgo. consil.* XLVII. *incip.* Ser. Michael *colum 1 & consi.* CXX. *incip super eo colum. 2.* & optimum practicum dicit *consil.* CLV. *incip. proponitur colum.* II. *& consi.* CLXXIII. *incip. in causa. col. 1. & consi.* CLXXIX. *incip. dubia. col. pen & consi.* CCXXXVII. *incip. Dynus. col. 1.* Verbumque est quod in ore frequenter habebat recolendæ memoriæ Hieronymus a doctoribus Eques & Jurisconsultus egregius, mihi cum multis officiis tum maxima familiaritate conjunctissimus, & patriæ nostræ tunc decus & ornamentum, is et-

is etiam (ut revertamur unde discessimus) opus suum super toto juris corpore sacro collegio doctorum Bononiensium dedicavit, quod testatur in *prin. Codicis*, electusque fuit alias ad corrigenda Bergomatum statura, ut refert in *l. 1. col. 1. C. de novo Cod. compon.* & orator tempore *Benedicti* Papæ XII. annoque domini. 1340. magnificorum dominorum *Jo. Episcopi Novariensis & Luchini* Vicecomitum dominorum *Mediolani*, & fusius ut per eum *in l. jubemus nulli col. 1. C. de sacrosanct. ecclesf.*

18. *ÆMILIUS FERETUS*, Patria *Anconitanus* eloquentium jurisperitissimus, & jurisperitissimorum eloquentissimus, floruit anno 1544. Avinioni toto tempore vitæ suæ docuit, ibique etiam mortuus est, commentaria reliquit in ordinarias partes matutinas & vespertinas, quæ postquam edita fuerunt, non modo expectationem æquarunt, verum etiam longe superarunt, doctrina & eloquio.

19. *ÆMILIUS PAPINIANUS*, sublimissima prætoriana præfectura decoratus fuit, ut in proœmio digestorum & *in l. lecta in prin. ff. si certum petatur.* Vir, mitto quod in ejus vita *Rutilius*, deque eo loquens *Cotta*, dicant ipsum esse *juris Asylum*, ac *doctrinæ legalis thesaurum.* Verbaque formalia sunt Ælii Spartiani gravissimi historiarum scriptoris, profecto subtili ingenio, acutissimus, prudentissimus, disertissimus, & maximus Jurisconsultus *l. cum acutissimi. l. cum virum C. de fideicomm. l. cum papinianus C. de sen. l. fi. C. de insti. sed quia, inst. de fideicomm. hær.* late Albericus in loco de quo supra, idest *in §. tertio autem anno in proœ. Digest.* nonnihil *Bal. in l. omnes populi col.* VII. *ff. de justit. & ju. & Anchara in repe. c. canonum statuta col. 316. extra de constit.*

20. *AFRICANI* vita non aliter scribitur a Rutilio, sed quæ monumenta tantum reliquerit, ideo & nos de industria hoc etiam solum adjiciemus, quod omnes leges fere ejusdem obscuritatem quandam præ se ferre videntur, usque adeo ut jam factum sit tritum sermone proverbium: *Africani lex est, ergo difficilis*, ut per Bart. *in l. cum quis, in princ. ff. de sol. & Angel. in l. fi. ff. de nego. gest. & Deci. senio, in l. ejus qui in provincia in prin. ff. si cer. pet. ubi etiam ego. Et in l. frater a fratre in prin. ff. de condict. indeb.* quodque ab Æmilio Papiniano instructus Alexandri tempora, & imperium illustravit.

21. *ANDREAS ISERNIA* egregius Jurisconsultus fuit qui Neapoli ut inquit *tex. in l. advocati C. de advoc. div. jud. ibi militant* namque advocati, militabat in consistorio regio, is occisus est, a Gallo

quodam domum rediens, ante portam *Petrucii*, quia contra ipſum ſententiam tulerat, ut Previdellus, Regienſis, de quo infra crimenque hujusmodi, læſæ majeſtatis habitum eſt, ob viri excellentiam, officiique dignitatem. Reliquit is egregia commentaria, in conſtitutiones feudales omnibus nota, eumque ſummis extollit laudibus. *Angel. conſil.* CX. *incip. Sanctiſſima, col. 6.* Et factum tam atrox refert *Antonius Capici. deciſi. 130. incip. primum dubium num. 43.* & eum maximum feudiſtam vocat *Curt. junior. conſil.* CXXXVIII. *Habita, num. 20.* Et, Evangeliſtam in regno. *Grammat. voto 30. incip. Illuſtriſſime numero ſextodecimo.*

22. *ABBAS PANORMITANUS*, alias *Nicolaus Siculus* vir præſtantiſſimus fuit, quo tempore floruerit, quæque monumenta reliquerit, in ejus vita apud alios legi poteſt, eſtque notum omnibus, id tamen ſilentio haud involvendum putavi, quod *Franciſcum Zabarellam* Florentinum Cardinalem habuit præceptorem, quem ipſe honorifice citat, *in c. extirpande in* §. *qui vero in rep. colum. 5. de præben. in rub. de judi. in c. 1. colum. 1. de cau. po. & prop. & in cap. potuit in fin. de loca. & conſil. 102 incip.* Circa, *col. 1. vol. 2. & in diſputa. incip. Titius, col. 9.* quodque legit Senis ut colligitur ex dictis ejusdem, *in c. dilectus de ſeq. po. & fruc. & in cap. decernimus, in fi. de judi. & in c. fi. col. 12. de ſo. compe. & in cap. 1. colum. 6. de lit. con. & in cap. 1. col. 2. de ſpon. & in c. quoniam Abbas, col. 2. de. offi. de. & in cap. eccleſia S. Mariæ, col. 6. de conſtit. & in cap. fi. ad fi. de fur:* legit etiam Parmæ annos ſex, ut teſtatur *in d. c. 1. colum. 4. de lit. con.* & Abbas dicitur per excellentiam, quia eſt nomen dignitatis, etiam quod hujusmodi eſſet, & quia æquiparatur epiſcopo qui eſt dignitatis culmen, ut per *Archi. in cap. licet, de præben. in 6.* Milis *in* §. *dignitas, verſi. tertio.* Et quia Abbas idem eſt quod pater, ex quo lingua ſyra *abba* nil aliud ſignificat.

23. *ANTONIUS PORCELLINUS*, doctor & Eques Patavinus, floruit anno 1532. legit hic aliquot annos, orationem habuit Venetiis in creatione Ducis *Andreæ Gritti*, inque adventu illuſtrisſimi & Reverendiſſ. F. Piſani Cardinalis, Epiſcopi Patavini, anno 1523. & 1529.

24. *ANTONIUS ZACHUS*, doctor Patavinus, floruit anno 1504. legit libros inſtitutionum, biennio poſtea fluxu ſanguinis nobis præreptus eſt, juvenis certe, niſi periiſſet tantæ ſpei tunc, quantæ alius quisque, a quo ſum ego quoque olim primus illis rudimentis edoctus.

25. *ÆGUINARIUS BARO Leonensis*, fuit maximus Jurisconsultus docebat Biturigibus, & floruit anno 1542. aliqua reliquit, testantia eloquii & doctrinæ profunditatem, & maxime tractatum de dividuis & individuis obligat. quem si videbis tantum probabis, ut ea in re nil tibi aliud quærendum sit.

26. *ARCOANUS BUZACHARENUS* Antonio Zacho successit eosdemque libros legit, & nisi ipse juvenis quoque fuisset nobis ereptus, tam magnam spem de se pariter conceperat, ut non possit aliter dici nisi quod jacturam incredibilem, posteritas morte istorum juvenum, omnino passa sit.

27. *ANDREAS ALCIATUS* Mediolanensis, nostra hac ætate floruit & quia novum modum scribendi invenit, tam magnum nomen sibi compararat, ut dictu mirabile sit. Erat enim gravis Jurisconsultus, literisque Latinis & Græcis eruditissimus, quod præclarissima ejusdem monumenta multa sane edita declarant, juvenis mortuus est, literatis desiderium relinquens, quoniam multum etiam si vixisset profuisset posteritati, docuit *Biturigibus*, *Papiæ*, *Avinioni*, *Bononiæ*, & *Ferrariæ*, magno evocatus stipendio, ab Hercule Duce Illustrissimo, & literatorum omnium fautore maximo, mortuus est anno 1548. Papiæ ibique sepultus in divi Epiphanii templo.

28. *ANTISTIUS LABEO*, jurisprudentia clarus, & (ut in ejus vita dicitur, quam alii conscripserunt) Trebatii auditor fuit, eaque præstantis animi liberalitate ut Octavio rerum potiente, nihil probarit, quod non justum sanctumque esset, inque Romanis antiquitatibus legisset quemadmodum Attejus ait apud *Gel. lib.13.c.12.* refertque ultimo Balduinus interpres optimus. Inst. de codicil. in princ. & bene a verbo Labeonis de quo ibi occasione sumpta.

29. *ANDREAS a BARULO*, sæpe ab interpretibus nostris citatus, & potissimum per Bart. ea de re ipsum magnum & famosum dicunt ac vocant, præsertim *Iser. in l. 1. in prin. de prob. offi. occas. in consti. Neapol.* & in specie *Afflict.* quod fuit advocatus fiscalis incomparabilis tempore Regis & Imperatoris Federici, quo in regno cœperunt collectæ antea non impositæ in *c.1.* §. *& extraordinaria nu. 43.45. 46.* quæ sint *regal. in usib.*

30. *ANTONIUS a SANCTO LEONARDO*, *Patavinus* præstantissimus Jurisconsultus fuit, qui ingenio & memoria plurimum pollebat, adeoque tenaci, ut omnia vel esset lex, vel glossa, (mitto cæteros quoque doctorum apparatus) ad literam sine libris recitaret.

ret. Floruit anno 1506. monumentorum autem ingenii sui nihil reliquit, quanquam aliquot annos hic in patria docuerit.

31. *ALOYSIUS DISCALCIUS*, senior *Patavinus* elegantissimus & Doctissimus Jureconsultus, floruit anno 1530. in patria hic multo tempore docuerat, & subinde etiam in inclita civitate Venetiarum, patronus forensia negotia causasque summa cum sua laude & gloria pertractaverat, mortuus & sepultus senex in patria.

32. *ACHILLES SENENSIS* nobilis, & natus ex Comitibus ILCII, floruit anno 1519. legit Papiæ & hic, forte annos 15. postea a Ferdinando S. Severino, tunc Salerni Principe conductus, magno stipendio, in itinere periit, is fuit coetaneus meus, eodemque tempore *HIERONYMUM BUTIGELLAM*, & *CAROLUM RUINUM*, præceptores habuimus, egoque post suum discessum in ipsius locum (prius enim decennio eram jus pontificum interpretatus) ab Illustrissimo Dominio nostro, sive ab amplissimis viris, tuncque Gymnasii reformatoribus Georgio Pisano, & Marino Georgio suffectus sum.

33. *ANTONIUS ROSELLUS*, *Aretinus* doctor celeberrimus floruit anno 1480. scripsitque multa, quibus tamen temporum injuria caremus, & si quid est quod passim legi possit est inquam mirabilis ille tractatus, de potestate Papæ, quem vulgo *monarchiam* vocant omnes. Is etiam fuit Eques, Comes, & Advocatus consistorialis, optime meritus, ut multæ ipsius subscriptiones declarant & testantur, quæ hinc inde fecit ad consilia aliorum excellentissimorum jurisconsultorum.

34. *ALEXANDER NEVUS*, *Vicentinus*, juris ac legum interpres juvenis admodum, floruit anno 1457. hic docuit multo tempore & suæ virtutis etiam multa reliquit monumenta, maxime consilia in materia usurarum, nunquam apud posteros interitura.

35. *ANDREAS GAMMARUS* *Bononiensis* vir sane clarus fuit, in patria docuit, & floruit anno 1512. multa scripsit, & præsertim quæ legi possunt, *Topicorum libros tres*, & subtilissimum ac utilem tractatum *extensionum*, repetiit etiam *c. 1. de rerum permut. in 6.* & dum esset scholaris, alium tractatum de cognitione juris in lucem emisit, quasi Arrhabones suarum laudum virtutis & gloriæ.

36. *ANTONIUS DANDULUS* *Venetus*, nobilis patria nobilior genere, doctrina vero nobilissimus vir magni ingenii fuit, ut testa-

testatur *Jo. Bap in tracta supra allegat. de studio lega.* docuit Petrusii, hic, & Pisis, suique desiderium maximum moriens reliquit posteris.

37. *ANTONIUS BERNARDUS* Venetus adhuc vir magni ingenii fuit, qui etiam hic docuit per aliquot annos, & summa cum laude quidem postea in patriam reversus est, & per omnes dignitatum gradus pervagatus omnibus apertissime demonstravit qualis quantusque foris domique semper fuerit, cujus laudes, nec idem auctor in loco præallegato tacuit.

38. *ANTONIUS LEONUS Patavinus*, hic in patria legit multo tempore, nomenque Doctoris textualis, & optimi quidem, omnium judicio sibi vendicavit licet non satis constet nobis præcise quando floruerit.

39. *ANGELUS BUZACHARENUS Patavinus*, aliquot annos pariter docuit, hic in patria majorum suorum vestigia sequutus, sed postea labores hos continuos pertæsus, ut ferunt, se totum studio camerario tradidit, & inglorius, senex admodum, ex hac vita discessit, memoria dignus tamen, quia vir optimus erat, & inculpatæ vitæ.

40. *ALEXANDER PAPAFAVA Patavinus*, ut patriæ suæ honori esset, & emolumento, ejusdem amantissimus, nec laboribus aut vigiliis pepercit, unquam studendo & docendo, & nisi morbus incurabilis ei supervenisset, in virum evasisset, præstantissimum, quoniam magnæ admodum spei tunc erat adolescens.

41. *ALVAROTUS ab. ALVAROTIS*, *Patavinus*, *Petri* de quo infra, Pater, hic docuit, & floruit anno 1384. Post hunc fuit alius, qui docuit hic pariter & floruit anno 1455. & alius demum, *Jacobi Alvaroti* Junioris, cujus mentio paulo ante facta est, frater, qui suo tempore etiam claruit, anno tamen 1498. quique etiam hic docuit, postea Romam profectus est. Hicque rursum Canonicus erat Cathedralis Ecclesiæ, ibi vero Sancti Petri, optime meritus, sic sua multa exigente virtute, & nisi juvenis admodum decessisset, in curia ipsum brevissimo temporis curriculo, magnum ecclesiæ Romanæ columen sine dubio vidissemus.

42. *ALEXANDER SOCINUS Senensis*, Mariani junioris filius eo tempore quo pater hic docebat, floruit anno scilicet 1538. tertiumque locum matutinis horis legit biennio pariter, postea *Maceratæ* conductus fuit stipendio satis honesto, pro loci conditione, ibique inopinata morte præreptus est patri, & studiosis, quod nisi fata permi-

permisissent, tam magnam spem de se opinionemque concitaverat, ut ipsum alterum Socinum seniorem ac juniorem futurum sine controversia, omnes conjectura facile judicaverint.

43. *ANSUINUS MEDICES* Florentinus, elegantissimus jurisconsultus, literis cum Latinis tum Græcis eruditissimus, floruit anno 1545. legit *Biturigibus*, hic, *Bononiæ*, & Pisis ibique seu verius *Florentiæ* adeo juvenis mortuus est, calculi morbo, ut dolendum sit valde tanti viri florenti ætate nobis erepti jactura.

44. *AUGUSTINUS FATIUS* Patavinus discipulus meus fuit, delectabatur summopere literis humanis præter juris prudentiam, & Etruscis pariter, eo præsertim tempore, quo industria ac studio quam maximo Petri Bembi Cardinalis florere cœperunt, hic in patria docuit jus Pontificium aliquot annos & juvenis admodum vivis adhuc parentibus non sine ipsorum acerbissimo luctu, atque amicorum omnium mœrore decessit, anno 1520. sepultus est, in templo divi Francisci.

45. *JOANNES ANTONIUS RUBEUS Alexandrinus*, Collega noster olim, & compater, Jurisconsultus eloquentissimus, comes, ac supremi consilii Excellentissimi Ducis Sabaudiæ Senator, & eminentissimæ scientiæ vir, post Curtii junioris mortem, quæ fuit anno 1533. magno stipendio ab Illustrissimo D. nostro conductus est, hicque cum summa omnium laude suique gloria docuit, prius Taurini, Valentiæ in delphinatu, & Papiæ, multa scripsit commentaria & consilia, quæ præ manibus habentur, & diem suum obiit extremum anno 1544. sepultus in templo D. Joannis Baptistæ in viridario.

46. *ANTONIUS CORSETUS Siculus* acutissimus floruit anno 1489. legit hic multo tempore, & præclarissima reliquit commentaria, & quæ sibi magnum nomen pepererunt, singularia adeo pulchra & utilia, ut nihil pulchrius, nil utilius possit a studiosis desiderari, & consilia, etiam aliquot pro tuitione sacri montis pietatis.

47. *BARTOLUS Saxoferatensis* eminentissimæ scientiæ juris, vir suo tempore clarus fuit & illustris, quod ex ejus vita, quam accuratissime *Joan. Fichardus* scripsit, satis superque satis constat, adde tu, floruisse anno 1347. quodque omnia vidit ut post *Bald. testatur Steph. Fed. in tracta. de mt. ju. col. 91.* & Ancha. ipsum magnum legistam vocat, *consil. 429. Pro evidentia col. 1.* & lumen juris *Buti. in l. 1. nu. 50.* & auri-

aurigam *in §. siquis ita nu. 11. in fi.* & maximæ auctoritatis *in d. l. 1. nu. 102. ff de verb. obl* & Jason magistrum legistarum, *in l. 1. col. 7. ff. sol. mat.* & idem *Bal. in c. primo in prin. colum. ultim. de suc. feud. in usib.* quod fuit subtilis, quodque semper tenebat opiniones placentes laicis, & quod istud sibi multum honoris attulit, fusius ibi Afflict. *num. 141.* Et summum juris apicem *Fed. adhuc in tractat. præallegat. col. 35.* & rursum *Bal in l. 1. col. 10. C. qui ac. non poss.* quod multum inhæsit practicæ, quod fuit primus *assessor Tuderti*, postea *Pisis*, & quod ibi cœpit legere, ubi omnia habuit a *Francisco Tigrini*, quem nunquam citat tamen, & advertit Angel. *in l. siquis servo. ff. de sol.* aliquid idem Bal. *in l. si avus col. pe. C. de libe. præter. & in c. primo in §. primo Ep. vel Abbat. in usib.* & quod Pisis legerit ipsemet testatur in *l. hoc articulo, in pen. col. ff. de hær. insti.* postea Perusium profectus est, ubi in præstantissimum Jurisconsultum evasit, & comperio ipsum etiam *consil. 198.* In quæstione *ad fi.* sic dicentem, & ita consului Veronæ postquam Patavium accessi, non nihil *Cur. Seni. consi. 57.* Super *eo. nu. 10.* quod est lucerna juris, post *Ang.* in loco per ipsum allegatum *ibi. & idem* Curt. etiam Juni. *consi. 5. Videretur. nu. 23.* & fuit ejusdem Baldi præceptor illustris, de quo ipse gloriatur in *l. edita, in ult. col. in prin. C. de edend. lectur. secunda* Perusina & in *l. in fin. colum. quinta C. de oper. lib.* & quod præceptor Bartoli fuerit prius Jacobus Butrigarius quem sæpe citat & refert, testatur ipse *in l. 1. col. 2. C. de pœna Jud. qui. ma. Jud.* est verum quod non multum practicus fuit juris canonici, quod apparet quia aliquando canonistas consuluit ut in *q. habeo filiam. u. ad fin.* Nec silentio involuendum est commentaria quæ a pluribus tribuuntur Bar. ejusdem non esse, maxime in *titul. de agricol. & const. lib. 10.* & in plures alios, librorum trium codicis, sed *D. Contilio de Perusio*, qui opus ab ipso Bartolo inchoatum absolvit, quod testatur *Alex. consil. 50. incip. Visis, col. ulti. vol. 2. & consil. 125. incip. Viso, col. ult. vol. 7.* Is etiam, quod non dicitur in ejus vita, accepit insignia doctoratus anno 1388. Mense Julio, in vigilia S. Petri & Pauli refertque Baldus discipulus, *in l. 1. in fin. C si quacunque prædi. potesta.* & quod ejusdem auctoritas maxima sit, ex eo plane liquet, quod *in hispania lege cautum est ne ab eo in dubiisque opinionibus discedant hispallenses*, ut *Seve* testatur in *tractat. de modo studendi.* & post eum *Gig.* in *tractat. pensionum. qu. 66. col. 2.* & hac de re, non immerito dici solet rursum, quod inscitiam ostendunt, qui ei adversantur. *c. inter. illa. 11. q. ℟ Tindarin. tractat. de testi. c. 9, nu. 3.* ubi etiam subjicit quod anno

44. vita functus est, aliter Joannes Fichardus cui potius credendum sit judica tu vestigia ipsius igitur sequenda sunt ut inquit *Angel. in l. 1. C. de judic. & Crot in l. omnes populi. in prin. ff. de just. & jur.* quia semper in ore habebat veritatem. *Ro. teste. consi. 69. incip.* Quoad primum in *fin. & Crot. in l. 4. in § Cato in 3. oppo. ff. de verb. obl.* tamen aliquando sibi ipsi contrarius fuit, ut ostendit *Anton. Rosel in tractat. concilior.* in verbo postquam *nu. 8.* ejusque sententia interdum mollis & effeminata, ut inquit *Jacobus Can. tractat. repressalia. in prin. in nu. 35.* Imo quod expressum ejus errorem detegit. *Zasi. in tractat. substitutio. de pupilla. in princ. & in compendiosa nu. 2.* quodque plerunque est etiam contra casum legis loquutus, ut dixi ego *in lib. observat.* de Baldo scribens, & in libro qui *Enchirid. rerum sing.* inscriptus est *c. 1.* & infra *in libello invectivarum*, quod tamen novissime fuerit magister legistarum ut supra, tradit etiam *Alexandri. Collega. consi. 149. incip. in contractu. nu. 11.* & dux cæcorum, admonet *Curt. junior consi. 81. incip. Viso. nu. 2.* & juris illuminator, *Abb. consi. 3. incip. Casus col 2. vol. 1.* & terrestre numen *Purpu. in l. 1. in prin. C. de summa trin. & si catho.* multa Gramma. *decisio. 63. incip. Honorabilis nu. 14. 15. Seyssel. in l. ut vim*, in repe. *col. pe. ff. de justi. & ju.* & hæc sufficiant quoniam in locis supra allegatis a me satis etiam dictum fuit, & si quid amplius addendum est, id solum addi potest, quod legebat bis in die, ut *ex l. edita col. 5. C. de eden.* colligitur. & ex *l. unica in prin. C. de sen. quæ pro eo. & aliud* si placet, quod fuit expositus, quodque adhuc effigies Tolosæ manet ante portam hospitalis S. Jacobi juxta pontem subracii, Gallico distico parieti dicti loci inscripto, & ut plenius etiam testatur *Bermo. Choveroni. in tractat. concubinat. fol. 365. nu. 97.* & conferunt ad dicta ejusdem *Bar. in l. quidam cum filium. ff. de verb. oblig.*

48. BALDUS UBALDUS, *Perusinus* subtilissimus juris interpres fuit, cujus vita etiam a *Jo. Fichar.* scribitur, nosque multa in *libris observationum* de eo locuti, pariter diximus. Sed quia non tantum adhuc dici potest, ut non supersit semper aliquid dicendum, addendum est, (quicquid alii sentiant) ipsum floruisse anno 1365. seu & verius quod ipsemet testatur *in l. edita. lectu perusina. in fin. C. de eden.*) anno 1378. sub Francisco Carrariensi *Laudutiam* ad propositum quoque uxorem habuit, quæ anno 1359. duos sibi peperit filios, quod adhuc meminit ipse *in l. arboribus lectu 2. col. 1. ff de usuf.* Docuit in patria, hic, & Papiæ, & dolore pedum correptus aliquando cessavit a lectionibus, docebatque ejus loco *Rogerius*, ut inquit rursum *in l. si. ff. de*

de aqua plu. ar. magna est igitur ejusdem laus, quod nullum ignoraverit *tex.* secundum *Jas. in l. lecta. col. 8. ff. si cer. pet. refertque Savilia. consi. 92. incip.* Scripsi, *nu. secundo & consi. 166. incip. licet nu. 4. vol primo.* Insuper certum est, quod præceptorem habuit Bartolum quodque ipsius opiniones maxime in consulendo sequutus est *c. primo in prin. de suc. feu. & ibi Afflic. n. 141. in usib. Bal. met. in l. pater filium ff. de inoffi. testa. & in l. in rem, in §. 2. & in l. ex diverso in prin. ff. de rei vend. & in c. 1. de benefi fra. in usib.* & ibi etiam idem *Afflic. nu. 9. & in c. 1. in §. vasallus ad fi. si de feud. fue. controver. inter do. & agna. eo. lib.* & dicit Sever. *in l. frater a fratre in prin. ff. de condict. indeb.* quod non dabat operam studiis, nisi duabus horis diei, præterquam in illa *l. quæ est Africani* & consequenter difficilis, ut inquit Bartolus *in l. cum quis in prin. ff. de solut.* & quod magna fuerit & sit ejusdem auctoritas testatur *Savil. consil. præallegat. 166.* ita ut non habeat contradicentem & observari debeat, inquit *Alex. in l. gallus, in §. essent col. 4. ff. de liber. & posthu.* & post eum *Restaur. Castal. in tractat. de Imperator. q. 48. ad fin.* licet tamen subtilissimus juris interpres sit, fatetur nihilominus se plerunque habuisse oculos nicticoracis *in l. ex hoc jure col. 2. ff. de justi & ju.* quod etiam confirmat Joannes Parisiensis *in tractat. de primogenitu. q. 25. col. 2.* Sed nihil est, cum hoc idem ipse non alius dixerit moderationique animi est adscribendum. Et quod maximæ auctoritatis fuerit, eaque omnimodo attendi debeat ut supra, probant *Regiensis consil. 3. incipien. de pluribus, nu. 18. vol. secundo. & consilio 58. incipien. Visis, nu. 15. vol. tertio.* & docet Por. *adhuc in §. item Romæ, col. 2. insti. de excus. tu.* statutum factum fuisse tunc, cum Papiæ doceret, neminem examinari potuisse, qui ipsum in promotorem non accepisset, eodem tamen auctore ex his quæ scribit *Curt. Juni. consil. 5. incip. videretur, nu. 12.* quem uberrimum juris fontem rursus appellat *Barba. in l. cum acutissimi col. 105. C. de fideicom.* & illustrem *Aluarot. in proœ. feudo. col. 2. & Angel. in q. Usurarii col. 5* juris utriusque monarcham sanguine germanum alimonia, ætate, & doctrina patrem *& Gerar. Pet. Sanç. in singul. suis 29. incip.* tu habes quod omnia scivit ut Bartolus & ante eum *Jas. in l. 1. in 2. lec. col. 13. C. de sum. trin. & fi. catho. & idem Cremen. Singu. 19. incip.* Tu scis, & specialiter primum consilium quod ex commissione judicis dubitantis unquam emiserit fuit in casu *l. ad probationem C. de probat.* ut ibi per eum citat etiam in *addit. spec. de lib. concep. in fi.* Franciscum Petrarcham, & astruit fuisse tunc poetam maximum. Consilium quoque schismatis ejusdem positum sub titu-

lo *ſi quis aliquem teſta. probib. C. divinum appellat Jaſ. in l. 1. ff. de condict. ob turpem cauſ. & in l. de fideicommiſſo. col. 1. C. de tranſact. & in §. ſed iſte nu. 110. inſt. de acq. & in l. 3. col. 2. C. de libe. præter.* & de ſeipſo locutus iterum, præmiſſo prius eo quod communiter allegari ſolet, loco proverbialis ſchematis, uſurpatum quod habet.

Nec te collaudes, nec te culpaveris ipſe,
Hoc faciunt ſtulti, quos gloria vexat inanis.

Gloriatur ſe plenius in materia quadam ſcripſiſſe quam fecerit alias Nicolaus Materellus *conſil. 439. incip. amplius in fin. vol. 3.* fuit inſuper contemporaneus Angeli, uterque vero Bartoli diſcipulus. De Baldo jam dictum fuit ſupra, & *Franciſci Tigrini*, docuitque quod adhuc dictum eſt Papiæ ſub *Philippo Maria Mediolanenſi* Duce. Anno 1423. deceſſitque menſe Aprilis, & ibi ſepultus eſt in ædibus ſacris D. Franciſci. Etſi præſcriptum modum horum duorum juris conſultorum, prætergreſſus videbor, agnoſcat lector velim, quoniam his tantum tribuendum eſt, ut quemadmodum de *Donato*, *Servio*, & *Priſciano*, inquit Valla, in proœ. 2. *poſt eos quicunque aliquid de juris prudentia ſcripſerunt, balbutire ſeu mavis ineptire videantur.* Quamvis dicat rurſum Paulum Caſtrenſem quod aliquando volavit per aëra & nubes, quodque tantum ſubtilizat plerunque ut ſeipſum frangat *in l. 1. C. quando non pe. par. & in l. edita in prin. C. de eden. Placet* & addere quod ipſius temporibus, erat maximum inter Urbanum Sextum, & Clementem ſeptimum, ſchiſma, quorum, quilibet ſe Petri ſucceſſorem eſſe dicebat, viresque ſuas ita extendit, & amplificavit, ut in toto orbe chriſtianitatis partialitas debaccharetur, ad quæ conferunt quæ infra etiam in vita *Jo. Pogliarenſis* dicemus, & quod quanquam fuerit tam magnus Juriſconſultus non erubuit tamen dicere ſe in materia legationis didiciſſe pulcherrimam diſtinctionem ex conſilio collegii noſtri Patavini, *in l. inter cauſas, in §. non omnia col. 2. ff. mandat.*

49. *BARTHOLOMÆUS SALICETUS*, *Bononienſis* contemporaneus Petri Ancharani, ut ex ejus *conſi. licet elicere. 188. incip. Viſis in prin.* Monarcha eximius juris *a Cuma*, appellatus eſt, *conſi. 138. incip. hoc maxime in fine.* Vitaque ejus & mores ac loca in quibus docuerit a Jo. Fichardo pulcherrime deſcripti ſunt. Hoc ſolum addendum eſt, (quicquid dicatur,) floruiſſe anno 1404. & 1408. & quamvis pro veritate rei opiniones ſuas confutet, quoad intellectum *l. hac edictali. C. de ſecun. nup. Fulgo. conſi. 97. incip. Antonius, col. ult.* ejusdem tamen præ-

præceptor fuit, quem clarissimum eo in loco vocat, atque etiam *Jacobi Alvaroti*, quod ipse testatur pariter in procœ. *feudor. col. 2.* quem realis scientiæ doctorem vocat *Barba. in repe. c. Raynaldus col. 22. de testa. & refert 59.* quod aliquando fuit caput partis, expulsus ac relegatus propter partialitates. Docuit in patria, & hic, & aliquando vixit & Ferrariæ ibique tantæ autoritatis fuit, apud *Albertum* Ducem, ut a Bonifacio Pontifice maximo obtinuerit eo in loco, Gymnasium erigi anno 1398. primusque fuerit, qui ibidem leges interpretatus sit, quod etiam Fichardus enarrat, sed non adeo plene, ut lectori sufficiat, hoc ipsum fusius scire cupienti. Et adeo subtili ingenio fuisse videmus, ut ejusdem opiniones fere sint semper contra omnes, & attestatur quoque *Alexandr. consil. 134. incip. Præmisso*, columna ultima volumine primo.

50. ***BARTHOLOMÆUS BOLOGNINUS***, docuit in patria, & floruit anno 1498. sub *Jo. Bentivolo II.* tunc ejusdem urbis domino. Scripsit multa præclarissima commentaria, licet non inveniantur nisi *in authen. habita C. ne fil. pro pa.*

51. ***BARTHOLOMÆUS BELLENCINUS***, *Mutinensis*, auditor rotæ fuit excellentissimus, floruit anno 1475. ut in glossa *regu. cancella. 10.* legitur, tractat. *de charitati. sub.* reliquit, editum, quod in procœ. testatur anno 1477. regnante Sixto IV. Pontifice maximo, quo tempore florebat etiam *Jo. Franciscus Pavinus* Patavinus, de quo inferius & alii quamplures egregii ac excellentes jurisconsulti, scripsit etiam multa super certis *tit. 3. lib. decretal.* & nisi curia ipsum vocasset, habuisset hæc nostra scientia, alterum Alexandrum multosque labores alleviasset posteris, ut ille, qui hodie est lucerna Juris civilis, inquit *Felin. ejusdem Bellencini discipulus, in c. ex parte col. 15. de rescript.* nonnihil *in c. cum sit ro. colum. pe. de. ap.*

52. ***BERTUCCIUS BAGAROTUS***, *Patavinus* floruit anno 1506. jurisconsultus excellentissimus, & in foro magnus practicus, magnificus & liberalis, hic in patria multos docuit annos summa cum laude, & pontificium quidem jus fere semper interpretatus est, multa scripsit, quæ tamen cum tota Italia retroactis temporibus arderet bello casu perierunt.

53. ***BARTHOLOMÆUS URBINAS*** Patavinus ejusdem Bertucii collega, magnus & ipse corpore atque ingenio juris interpres, eodem tempore floruit, nec alibi ipse quoque, quam hic in patria docuit, memoria adeo tenaci erat, ut omnia non secus ac *Antonius a S. Leo-*

Leonardo, cujus paulo ante mentionem fecimus, ſemel viſa vel audita, mitto lectiones quotidianas, ex tempore recitaret, dictuque incredibile eſt magnam partem ff. veteris, quocunque in loco quis legere cepiſſet, ſine aliquo temporis intervallo, vel lex fuiſſet, vel gloſſa me multisque aliis audientibus, clauſo poſtea libro memoriter percurriſſe, & totum ut conjicio ſi audire voluiſſemus, is non admodum ſenex ex equo delapſus periit, ſine ſobole, nec diuturnitatis, ut dicitur in l. liberorum in fi. ff. de verb. ſi. ſibi memoriam in ævum reliquit. Multa ſcripſit & ipſe, ſed conſanguineorum ignavia omnia perierunt, & deperdita ſunt.

54. *BARTHOLOMÆUS LAURARIUS Patavinus* elegantisſimus Doctor, latinis literis & ethruſcis delectabatur mirum in modum. Is hic & Venetiis belli temporibus cauſas egit forenſes, poſtea notariatus artem docuit ſtipendio ſatis condecenti & honeſto, conductus ab illuſtriſſimo Duce noſtro. Floruit anno 1531. & cum unico filio, quem mirifice diligebat, *CASTOREM* nomine, juriſconſultum pariter, orbatus manſiſſet, voluntarium elegit exilium, & ruri ſe contulit, ubi ſenex admodum prolixa barba & capillo contentus modico vixit, & tandem viam univerſæ carnis ingreſſus eſt, multa etiam ipſe ſcripſit, quæ tamen ſuorum ignavia pariter nunquam exierunt in lucem.

55. *BALTHASAR CARDUCCIUS Florentinus*, ſeditione civium patria pulſus eſt, Juriſconſultus graviſſimus. Floruit anno 1520. hic magnoque ſtipendio docuit jus Cæſareum & Pontificium, deinde poſt aliquod tempus, Venetias ſe contulit, mox in Galliam ultimo loco vero in patriam reſtitutus, ibi admodum ſenex deceſſit, eoque tempore quo jus Pontificium hic profitebatur ab illuſtriſſimis Ducibus meis, loco Antonii Franciſci a Doctoribus tunc ipſius collegæ fui ego honorificentiſſime legendi munere cohoneſtatus, congreſſus fere nunquam ſecum, quoniam morte chariſſimæ conjugis afflictus atque animo conſternatus, hinc diſcedere coactus eſt.

56. *BERNARDINUS CLARICINUS GAMMARUS Bononienſis* in locum Carducii evocatus, eisdem temporibus floruit, hicque docuit & prius in patria multos annos, vir enim erat ingentis Spiritus, & naris emunctisſimæ, quod tum ſcripta quæ reliquit teſtantur, tum hi qui ipſum audiverunt, quique cum eo etiam familiariter vixerant, locupletisſimum perhibent teſtimonium, & ego longe magis, quo cum ſæpisſime congrediebar ſuo tempore, deceſſit ætate admo-

admodum viridi, anno 1528. & in templo D. Mariæ ab Avantio, amicorum cura ſepultus eſt.

57. *BARTHOLOMÆUS SOCINUS Senenſis* Juriſconſultorum facile princeps, aliorum pace dixerim, Floruit anno 1498. legitque etiam advocatus conſiſtorialis exiſtens in patria, Piſis, hic, & Bononiæ. Ejusdem præceptor fuit *Thomas* neſcio quis *Senenſis*, & Alexander Imolenſis ut ipſemet teſtatur in *l. legem col. 2. C. de pact. & in l. certi condition. in prin. col. ulti. ff. ſi cert. petat.* & breviter ſcripta oſtendunt, eum talem fuiſſe, ut futura ſecla deſperent, aliquem ſibi ſimilem, ullo unquam tempore futurum. Mordet eum Decius Junior, tamen quod in cauſa pro utraque parte conſuluiſſet aliquando, in *l. precibus col. 2. de impube.*

58. *BULGARUS* non illaudatus vir etiam fuit. & ſuo tempore clarus de quo tamen non aliud nobis conſtat, niſi quod patria erat *Piſanus*, & gloſſator antiquus. ut per *Bart. in l. hac conſultiſſima in prin. C. qui teſta. fa. po.* & Vicarius Imperatoris Bononiæ, quodque conſuetudo in curia ipſius inducta eſt, uxorem ſi uſufructuaria a marito relicta ſit, filiis hæredibus inſtitutis, nil aliud conſequi poſſe, niſi præeminentiam in domo & alimenta, ut per *gloſſ. Et ibi Salyc. pulchre in authen. hoc locum col. 2. C. ſi ſecun. nup. mu. Bart. plene in l. titia. in §. titia. nu. 3. ff. de lega. 2. Soci. conſil. 1. col. 3. vol. 4. Alex. conſi. 74. incip. In cauſa ad fi. volum. 7. Deci. conſil 15. incip. Viſa in prin. vol. 3.* & quæſtionem vulgarem appellat *Ro. in l. 1. §. fi. in prin. ff. de publica. multa Savilia. conſi. 32. incip. Teſtator, col. 1. & 2 vol. 1.* Non omittentes etiam quod Odofredus os aureum Bulgari vocat, in *l. qui reſtituere col. 4. ff. de rei. vin. aliter Deca. 7. F. Leand. hiſt. Bononienſis ſcriptor*, quod dum Jus Cæſareum publice profiteretur ira percitus Azonem occidit. J. Conſ. egregium quanquam obſcuro loco natum, quodque ipſe ea de re quoque ultimi ſupplicii pœna mulctatus eſt, non ſine maximo ſtudioſorum hominum luctu, & honorificentiſſime poſtea ſepultus in S. Gervaſi & Prothaſi templo.

59. *BERTRANDUS Montis Faventini*, fuit vir eminentiſſimæ ſcientiæ, de quo per Bart. in *l diem functo. ff. de offi. aſſe.* quod ex eo liquet, quia, ut ibi Alber. teſtatur col pe. eam legem repetiit in *Monte peſſulano*, quodque erat magnus juriſta, & quod ob ejus eminentem literaturam, ad dignitatem Cardinalatus evectus fuit, & ſic quod eum vidit in collegio Cardinalium ſummo cum honore, argumentum ſane apertiſſimum ipſius *Alberici* tempore floruiſſe, & idem quod Al-

ber. dicit etiam *Nico. Boeri. decis. 6. incip. Et videtur num. 8. part. 1.* Addendumque est, ut idem Bart, inquit in *l. 1. in §. divus num.* XII. *ff. de va. & extraord. cogni.* quod fuit collega. *Guiliel. cu.* quodque decessit tempore pestis, quæ fuit anno 1348. eodem adhuc teste, in *l. naturaliter col. ult. ff. de acqui. poss.*

60. *BULGARINUS BULGARINI*, *Senensis*, fuit subtilis Doctor, & maximæ eruditionis floruit anno 1493. in patria docuit, & Pisis, & aliqua etiam edidit sane a studiosis multum laudata præsertim in *tit. de verb. obl. & qui admir.*

61. *BAPTISTA à S. BLASIO Patavinus*, Jurisconsultus non condemnendæ auctoritatis, floruit anno 1473. docuit hic in patria semper multo tempore multaque etiam scripsit, nec ex his quæ jam edita circumferuntur, nobis ignota sunt, sed inter cætera consilium stupendum extat in materia divisionis feudi, ac ad declarationem *c. 1. §. præterea ducatus, de prohibit. feud. alie. per Fed.* positum in *volu. consilio. feudalium, Alber. Brut.* Aliudque pro sacro monte pietatis, & licet Baptista dixerimus, nomen ejus tamen erat Jo. Baptista.

62 *BENEDICTUS RAYMUNDUS*, filius Raphaelis Cumani subtilis Doctoris nomen sibi vendicavit, quoniam ingenio paterno pollebat plurimum, floruit anno 1447. hicque docuit annos triginta & amplius, monumentorum vero, nihil (quod ego viderim) reliquit.

63. *BENEDICTUS SALA Patavinus*, omnium eminentissimus, floruit anno 1445. & in patria pariter hic scilicet, summa cum sua laude docuit, & memoriam solum nominis, nobis reliquit.

64. *BARTHOLOMÆUS CEPOLA Veronensis* Jurisconsultus maximus, Eques, & Advocatus consistorialis, optime meritus, floruit secundum aliquos anno 1458 hic docuit semper, & ut ipse testatur, Cautel. *207. anno 1466.* multaque etiam scripsit & edita quantum posteritati profuerit, demonstrant, maxime consilia civilia & criminalia *tract. de servitut. de simulatio. cont. de cognit. lib. de impe. militum diligen. Caute. de ver. sig. de usucap. pro empto.* & alia propemodum innumera quæ non habentur.

65. *BERNARDINUS BONFIUS*, *Patavinus*, & ecclesiæ majoris Decanus, juris utriusque Doctor, & discipulus meus, claruit per hæc tempora anno scilicet 1545. hic in patria docuit, stipendio satis honesto, jus pontificium, horis matutinis, ingenio erat promptus, & aptus ad omnia munia perferenda, & nisi morte immatura,

matura, o fallacem hominum ſpem, nobis fuiſſet ereptus, tam magnam de ſe conceperat opinionem, tantumque emolumenti & honoris erat patriæ, parentibus, & poſteritati allaturus quantum quisque exoptare potuiſſet, quoniam juvenis erat & nondum annum XLVI. attigerat.

66. *HIERONYMUS BUTIGELLA*, *Papienſis* Jurisconſultus egregius, & ſingularis, ac omnium eloquentiſſimus profundisſima memoria fuit, quod ego locupletiſſimum teſtimonium perhibere poſſum, quandoquidem illum quadriennio continuo audierim, & ſi quid in me eſt, illi id totum acceptum refero, hic igitur docuit, & Papiæ prius, poſtea Romæ, quo in loco etiam deceſſit, & in Templo Minervæ ſepultus eſt, floruit anno 1504. multaque etiam ſcripſit quæ edita in ordinarias partes matutinas & veſpertinas teſtantur, qualis quantusque fuerit vir ille divinus, ingenio, memoria, & eloquio.

67. *JO. FRANCISCUS BURLA*, *Placentinus* collega Achillis Senenſis, cujus mentionem fecimus ſupra, eodem tempore, quo & ille floruit, anno ſcilicet 1529. Doctor erat eloquens, & acutus, literisque humanis delectabatur plurimum, quod eo argumento conſtat, quia Cælium Rodiginum, virum alioquin eruditiſſimum, deque literis optime meritum, quod teſtatum faciunt divini illi libri antiquarum lectionum, quos edidit, per id tempus quo hic docuit, ſecum ſemper habuit, nec omittendum cenſui Papiæ prius etiam docuiſſe. Hinc diſceſſit, & cum negotia Clementis VII. Pontificis maximi, nuncius ageret in Germania apud Carolum V. Imp. ex quo triſtem habuerant exitum, nec obtinuerat, quod impetrat, animi mœrore, ut ferunt admodum juvenis in patria ex hac vita diſceſſit.

68. *AUGUSTINUS BEROUS Bononienſis*, ætate & doctrina graviſſimus legum Monarcha, floruit anno 1550. & in patria toto tempore vitæ ſuæ, jus pontificium docuit, magno etiam quantum dari conſuevit Bononienſibus emeritis, ſtipendio, multa vivens edidit, maxime quæſtiones familiares, commentaria in ordinarias partes, fere totam decretalem complectentia, propediem plurima conſiliorum volumina, quæ admirationem non parvam videntibus & legentibus ſunt allatura.

69. *BARTHOLOMÆUS CAPOVACENSIS Patavinus*, illuſtris & excellens fuit, docuit hic in patria multo tempore nihil monu-

monumentorum reliquit, præter consilium, contra *Richa. Malumbra* quod insertum est, inter *vol. Bal. 3. consil. 419.* Floruit anno 1348.

70. *CAROLUS RUINUS Regiensis*, quem ego pariter aliquot annos audivi. Fuit gravis quoque & magnus legum interpres, floruit anno 1520. hic docuit, Papiæ prius, & ultimo Bononiæ, ubi etiam mortuus, anno 1530. & in Divi Francisci templo sepultus est, orbatus unico filio tantum, priusquam ex hac vita migrasset, quem hic susceperat, non sine magno ipsius luctu & familiæ suæ jactura, multa scripsit editaque etiam sunt, & adeo multa quidem, ut multis quoque spem scribendi auferant.

71. *LUDOVICUS CATUS, Ferrariensis* Doctor & Eques vere Catus cognomento, quandoquidem nil aliud sonet quam acutus; ipse vere omnium acutissimus erat, quod re ipsa multi experti sunt, & scripta ejusdem multa pariter declarant, præsertim contra Alciatum, & ad interpretationem *l. quinque pedum C. fini. regun.* aliaque plurima quanquam adhuc non edita, floruit in patria anno 1550. ibique toto vitæ suæ tempore docuit, adeo Alfonso patri, & Herculi filio Ducibus carus, ut a Venetis, & Bononiensibus sæpe vocatus, & magno ab his invitatus stipendio, nunquam discedere potuerit, & sic in patria senex, & podagra maxime laborans fatis concessit, Renato filio relicto, Jurisconsulto apprime erudito, qui mortui parentis imaginem ingenio, doctrina, & morum elegantia referret protinus.

72. *CAMILLUS VISITARINUS Laudensis*, floruit anno 1518. Ferrariæ docuit, nec aliud reliquit quod ego viderim, nisi commentariolum, non illaudatum certe, *in rub. ff. solut. mat.*

73. *CORRADUS BOSCHUS Papiensis* Butigellæ collega, hic docuit, & eodem tempore floruit, quo ille, anno scilicet 1504. & prius in patria, sed nullum, quod videri possit ingenii sui monumentum reliquit, eaque ratione potissimum, quia ingruente tunc bello, inter Maximilianum Cæsarem, & Venetos hinc discedere coactus est, & quia senex etiam in patria non multo tempore post, ex hac vita discessit.

74. *CINUS Pistoriensis*, fuit elegantissimus Jurisconsultus, & Francisci Petrarchæ coetaneus, ac Poeta mirabilis, quod ex pluribus locis ejusdem Petri elicitur maxime, *nel sonetto Piangete Donne. & Senuccio mio, & nella Canzona Lasso me ch'io non so*, ibi, *La dolce vista e'l bel guardo soaue, principio d'una altra di Cino.* Cujus vitam & mores ponunt

ponunt *Severinus & Fichardus.* Sed quicquid dicant, ſcias floruiſſe an. 1335. & addas amplius, dum ajunt *Dynus* præceptorem habuiſſe, quod hoc idem ipſemet teſtatur in *l. instrumenta ad fi C. de fideicom. & in l. cum ſervum col. 1. C. de ſer. fugi.* & quod fuit examinatus in materia *l. fi. C. de uſufr.* ibique *Bal.* ipſum mordet *colum. 2.* & refert *Barb. in l. cum acutiſſimi col. 75. C. de fideicom.* qui dicit quoque *in repet. c. Raynaldus, col. 20. de teſta.* quod ipſe *Richar. Malumb. & Rayn.* Mirum in modum in jure floruerunt, ante tempora Bartoli & quoniam errores canoniſtarum ſæpe damnabat in ſpecie ipſum reprehendit *Abb. in c. fi. col. 4. de ſo. compe. & in c. ſuper literis, col. 2. de reſcript.* nonnihil *Præp. Alex. in c. per venerabilem, in §. primo nu. 135. qui fi. ſint legi. & Steph. Fede. in tracta. de int. jur. col. 90.* Et Bal. *in l. 1. colum. 2. C. communia de lega.* nititur oſtendere, ipſum adhuc eſſe contra caſum legis locutum. *Et in l. 1. col. 1. C. de his qui ante aper. tabu.* ait quod aliquando mutavit opinionem in deterius. Et in *l. Paulus. ff. de ſtatu hom.* quod etiam ſæpe ſomniavit in Parnaſſo. Bononiæ ſepultus eſt in ædibus ſacris *D. Dominici* ut atteſtatur etiam Frater *Leand. Decad.* in hiſtor. Bononienſ.

75. CHRISTOPHORUS CASTILLIONEUS, *Mediolanenſis*, ejusque vita & mores deſcribuntur a Joanne Fichardo, quo tempore floruerit & reliqua. Igitur hoc ſolum addendum eſt, dum inter cætera dicit, quod præceptor Fulgoſii fuit, & veriſſimum eſt, ipſum Fulgoſium hoc idem teſtatum reliquiſſe *conſil 25. incip. Spectabilis, col. 1.* & plus quod etiam Legiſtarum principem, archidoctorem legum comitem illuſtrem & Doctorem ſuum præcipuum vocat in dicto loco, inque jure Pontificio Jo. Caſtillioneum, *conſi. 108. incip. in propoſita quæſtione in prin.* & pro veritate rei, nullus eſt qui ipſum tantum extollat & admiretur, quantum facit *Jaſon* vulgoque *alter Scevola* tunc appellatus eſt. Scripſit multa conſilia, repetitiones & tractatus, & præcipue de *duello* quem legiſſe te non pœnitebit, ſi ipſum cum aliis contuleris.

76. CHRISTOPHORUS ALBERICIUS, *Papienſis*, declarativus doctor, & cumulativus fuit, quod ex multis conſtat, licet nihil editum ſit, & maxime *ex rep. l certi condictio §. ſi nummos ff. ſi cer. pet.* quam ego manuſcriptam habeo, & ibi ſumpta occaſione ex verbo illo, cum quotidie credituri mutuam pecuniam ab alio poſcamus &c. argumentum a ſolitis tractat quod in jure frequentiſſimum eſt. Floruit anno 1494. & docuit hic ſummo cum honore, Papiæque prius,

& cum nuptui collocasset filiam Curtio Juniori nec pacisci potuisset ac consequi quantum stipendii sibi solvendum erat, ab illustrissimo Duce nostro pro dignitate (ut ipse tamen dicebat) personæ atque loci, sumpta occasione ab amico discessit & aliorsum vela tetendit.

77. *FRANCISCILINUS CURTIUS* qui Junior dictus est, ut a seniore distinguatur ipsius avunculo, & præceptore, ut testatur, *in l. 2. nu. 32. C. de eden.* patria Papiensis fuit, Jurisconsultus consumatissimus, & gravis, ac Christianissimi Francorum Regis consiliarius optime meritus. Floruit anno 1531. & docuit in patria multo tempore, & cum ab exercitu Cæsareo obsessa captaque fuisset, nec ipso quoque manus hostium effugisset venetiasque applicuisset, vadimonio obstrictus se redimendi causa, quod effecit postea ab illustrissimo Dominio magno stipendio coronatorum mille ad docendum hic conductus est, cum quo tunc ego utpote filius cum patre amanter & benevole congrediebar, multa scripsit, editaque sunt hic quia notissima, non aliter annotanda, deinde anno 1533. morbo appopletico absumptus est, non sine luctu tunc universæ Scholæ Patavinæ quod attestatur quoque *Socinus Junior* mihi uti frater honorandus, qui per id tempus hic pariter docebat *consil. 30. incip. Inspectis nu. 19. vol. 1.* & sepultus in ævum inque D. Francisci templo hic conquiescit.

Curtius Senior infra. Franciscus.

78. *HIERONYMUS CAGNOLUS Vercellensis*, Excellentissimi Sabaudiæ Ducis Senator, Eques, & Jurisconsultus disertissimus, Taurini multo tempore docuit, postea hic, & tunc maxime floruit, anno 1546. Post Alexandrini mortem, sumque ego pariter cum eo congressus, usque ad Tiberii Deciani Utinensis viri alioquin doctissimi & eruditissimi adventum, qui in ejus locum postea suffectus est. Egregia reliquit in ordinarias partes matutinas commentaria, & simul de regulis juris, pluraque alia edidisset nisi inevitabile fatum sibi vitam eripuisset, antequam sexagesimum ut mihi dixerat pridie quam moreretur, quæ fuit 1. Feb. 1551. attigisset annum.

79. *CHRISTOPHORUS AB ALEXANDRIS Patavinus*, vir sane optimorum morum, & laudabilis vitæ, floruit anno 1470. & hic in patria tantum legit pluribus annis, nec aliquid scripsit.

80. *CATO SACHUS Papiensis* celebratissimus fuit Jurisconsultus, qui toto vitæ suæ cursu, docuit in patria, ibique sepultus est, in Carmelitarum templo sacro claruit temporibus Baldi inque ejus tumulo, ferunt, nil aliud scriptum reperiri, nisi istud. *CATONIS*

RELI-

RELIQUUM, sæpe citatus est, sed quod quicquam ediderit nescio.

81. *COMES ALVAROTUS*, Pater *Jacobi Junioris* & *Alvaroti*, quorum mentio facta est superius abunde senex erat venerandus, prudens & dissertus, floruit anno 1490. & in patria docuit aliquo tempore, nec a majoribus suis virtute eloquentia & doctrina degeneravit.

82. *JOANNES CALDERINUS Bononiensis* fuit vir magnæ scientiæ, & inculpatæ vitæ, ut attestantur, qui ipsius vitam scripserunt, de eo loquuti, quodque non ab re *Joannes And.* ipsum uti filium adoptavit. Adde tu quod ita etiam ante eos dixit *Bal. consil. 226. incip. Reperitur in fi. vol. 1. & Abb. consi. 58. incip. In quæstione. col. 3. vol. 1.* (referendo singula singulis) scripsit multa & inter cætera de interdictis ecclesiastiacis & consilia, ut infra in vita Casparis, aliaque innumera pene, ratione brevitatis institutæ, non aliter referenda.

83. *CLAUDIUS SETSELLUS Sabaudiensis*, Senator Regius fuit, absolutissimus omnium sui temporis Jurisconsultus: floruit anno 1487. & docuit Taurini, in locum *Jacobi a S. Georgio*, suffectus, multa scripsit studiosis non ignota, talia & tanta ut honoris plurimum sint eis allatura, qui eadem in cathedra referre aliquando, non dedignantur, quodque sæpissime Cagnolus facere solebat & aquensem (Claudius etiam ab aquis vocabatur) semper habebat in ore, & merito quidem.

84. *PHILIPPUS DECIUS Mediolanensis*, Jurisconsultus & Christianissimi Francorum Regis consiliarius illustris, scientia clarus & incomparabilis. Floruit anno 1502. Docuitque in Delphinatu, Papiæ, Patavii, Florentiæ, Senis, & Pisis, Commentaria (ut notum est) cum juris Pontificii, tum Cæsarei, in omnes ordinarias reliquit partes, & consiliorum volumina tria, propemodum divina, quæque post Alexandrum sunt tanti ponderis, tantæque auctoritatis, ut ipsum pro oraculo habeant judices, si in causis, quod sunt judicaturi, ab eo id decisum esse compererint. Erat etiam Decius promptus, habebantque responsiones ejus aliquid salis ut videri potest in l. precibus col 2. C. de impuber. Et dum sibi diceretur, quod Jacobus quidam niger Bononiensis, impugnaverat quasdam suas opiniones, & Ripa similiter, melius fecissent (inquit) ille non denigrare chartas, iste vero obmutescere, quoniam flumen non attingit.

85. *DANIEL A RIDO*, *Patavinus* fluruit anno 1370. & hic in patria tantum docuit aliquo tempore, nec aliquid memoratu dignum, quod legi possit, constat reliquisse.

86. Qualis & quantus fuerit *DINUS MUGELANUS* scripta demonstrant, maxime de *regul. jur. in 6.* & utinam præclara ejusdem opera haberemus quæ multa & varia fuerunt, ex quo nos in tenebris cæcutientes, ad lucem perducerent, & ut latius Severus atque *Fichardus* ajunt, in ipsius vita, brevi admodum & succisa, Adde tu, quod fuit ex rossonis dicto in loco, & ut per *Bal. in l. si ita. in §. dominus ff. de usu. & ha. melius & verius Jo. Villa. in annalib. suis lib. 8. c. 64.* summus & mirabilis legum interpres, inquiunt Veronens. *consi. 34: incip. Si unquam nu. 19.* causarum criminalium quodque ejus opera usus est multum *Bonifacius octavus*, & maxime in compositione *Sexti Decretalium*, & non ab re inquit idem *Bal. in l. cum antiquioribus col. 6.* quod in dicta aurea compilatione error inventus non est. *C. de ju. delibe.* & ipsum Bonifacium tollit ad sydera idem *Dyn. in prin. titul. præallega. de regu. ju.* & repetitio ipsius *Dyn. in c. nullus pluribus eo. tit. & lib.* in materia cumulationum laudat adhuc Bartolus & dicit subtilem ac pomposum *in l. edita, col. 5. C. de edend.* & quamvis *Innocentius* ipsum præceptorem appellet, *in c. gravis. de restit. spol.* reprehendit tamen quia tenuit opin. ejusdem Bart. in l. propemodum in §. sin autem alterutra. C. de judi. quod judex non possit condemnare victum in expensis, si non sit petitum aliquid *Jas. in l. vinum, col. pe. limitatione 10. ff. si cert. pet.* fuit etiam præceptor Cyni, ut ipse testatur in *l. instrumenta. ad fin. C. de fideicom. & in l. cum servum, col. 1. C. de ser. fugi.* Et Oldradi, ut per *Ro. consi. 171. incip. Pro decisione in princ.* Mortuus tandem Bononiæ anno 1303. quicquid alii dicant, inque ædibus sacris D. Dominici sepultus, ut in historia Bononiensi legitur. Et horrendum dictu refert *Angel. in l 1. C. de fal. cau. ad.* habuisse a quodam S. viro, quod Dynus apparuerat sibi in somno, dicens se fore damnatum, quia in quadam causa contra jus consuluerat. Idemque *Barba. consi. 65. incip. Circa dubium, col. 4. vol. 2. & Purpu. in l. edita col. 3. C. de edend.*

87. *DOMITII ULPIANI* vitam describit *Rutilius* deque eo multa dicit, & inter cætera quod assessor Alexandri Severi fuit Christiana Mammea geniti. Adde tu, claruisse anno domini 228. quodque alibi nobilis appellatur, in *l. 2. in §. amplius. ff. de excus. tut.* & egregius in *l. 3. in §. fi. ff. qui pet. tu.* & disertissimus in *l. fi. C. de instit.* & summi ingenii vir in *l. unica. in §. ne autem. C. de cadu. tol.* & amicus

cus ab eodem Alexandro in *l secundum. C de contrahen. & committ. stip.* sicuti & ego licet indignus, aliquando, ab Illustrissimis Ducibus Ferrariæ, Florentiæ, & Urbini, in causis consultus, & quod ipse ac Julius Paulus Patavinus noster claruerint ejusdem Alexandri temporibus testantur multi, ex nostris vero *Bald. in l. 1. in princ. C. de in offi. dona.*

88. *DIONYSIUS FRANCISCUS Venetus* hic docuit aliquo tempore, & floruit anno 1483. nec in postremis habitus est, licet nihil videamus, quo possit patria longe magis, tanti viri memoria ac recordatione gloriari.

89. *LANCELOTUS DECIUS Mediolanensis*, frater carnalis Philippi fuit, clarus & ipse. Floruit maxime anno 1495. & Papiæ docuit, ac præclara etiam reliquit commentaria in ordinarias partes matutinas & vespertinas, eratque acris judicii, Brevis & acutus, pungebatque tantum difficultates, nec prolixitate delectabatur. Et quod ego viderim neminem habuit, qui ipsum quasi æmulum insectaretur, præter Curtium Juniorem, quod factum nec laudo nec vitupero, sed hoc ipsum aliorum judicio missum facio.

90. *ÆGIDIUS BELLAMERA* multa scripsit commentaria, præsertim in *decretales, consilia & decisiones*, quæ tanquam Apollinis delphici oracula ab omnibus judicantur. Fuit auditor sacri palatii apostolici, & claruit anno 1374. & 1378. quo tempore schisma XXII. in ecclesia Dei obortum est. Ultimoque loco in Episcopum Avinionensem electus ibi reliquum vitæ tempus exegit, suique moriens his præclarissimis monumentis, posteritati testimonium virtutis & doctrinæ suæ locupletissimum perhibuit. Nec si quo in loco docuerit, exploratum habemus & minus qua in patria ortus sit, sed istud nobis erit satis, quod *mundanus* fuerit, ut dicebat Socrates, *ipsique virtute & sapientia non inferior.*

91. *FELINUS SANDEUS* canonicus *Ferrariensis*, in patria multo tempore legit, atque etiam, eodem teste in *c. fi. in fi de constit.* Pisis postea in collegium auditorum Rotæ a Sixto IV. Pontifice maximo fuit cooptatus, non ut *Fichardus* inquit ab Innocentio octavo. Adde floruisse temporibus *Antonii Francisci* a doctoribus Patavini cujus erat Ferrariæ collega & coætaneus etiam Decii junioris, ejusdemque Pisis collega pariter, ut ipse testatur in *rub. de ap. col. 2.* Et senioris, quia ipsum vocat compatrem, & citat in *l. 2. col. 1. C de in jus vocan.* Et quorum omnium mentio facta est supra; commentaria reliquit

multa in decretales, & consilia quædam paucula, quæ omnia tamen si legantur adeo copiosa sunt & prægnantia, ut posteris non spem scribendi reliquisse videatur, sed potius ademisse.

92. *CURTIUS SENIOR Franciscus* nomine, ad junioris differentiam, qui *Franciscbinus* vocabatur, ut suo loco diximus. Papiensis ex nobilissima Curtiorum familia floruit, in patria pariter anno 1482. ibique toto tempore vitæ suæ *Jus Cæsareum* docuit, majorumque suorum vestigia, qui innumerabiles fuere, sequutus præclara facinora egit, quæ videri possunt, cum multa sint, & adeo multa quidem, ut cæteris exemplum præbuisse videatur, virtute tantum contendere, ut brevitatem vitæ posteritatis memoria compensent.

93. *FRANCISCUS RAMPONIUS* doctor *Bononiensis* solemnis & nunquam satis laudatus, ut inquit Severinus, floruit anno 1404. & docuit hic, Pisis atque in patria summa cum laude, ipsius mentio fit sæpe, ab interpretibus & doctoribus nostris, extantque plura ejusdem consilia, inter volumina consiliorum Baldi, inserta mihique *421. incip. Super eo præcipuum visum est omissis aliis vol. 3.* cui se tunc subscripserat, & Jo. Lignanus & alii præclarissimi Jurisconsulti, verisimileque est plura etiam scripsisse, licet in lucem non exierint.

94. *FRANCISCUS PORCELLINUS Patavinus* magnus etiam Jurisconsultus habitus est, temporibus Pauli Castrensis, & etiam multo post, floruit anno 1440. legitque hic in patria, & Ferrariæ, anno 38. multaque etiam scripsit, testantia tantum in scholis profuisse, quantum nocet posteritati nunc ea, temporum injuria, & imprimentium avaritia, nunquam edita fuisse, quamvis nec tractatus de inventario, aliisque manu scriptis quibusdam maxime consiliis ad interpretationem multorum statutorum nostrorum, quæ circunferuntur fraudati fuerimus.

95. *JO. FRANCISCUS CAPILISTIUS Patavinus* annos XL. publice docuit hic, multaque etiam commentaria in ordinarias partes vespertinas scripsit, & responsa dedit, nunquam tamen edita. Contemporaneus Fulgosii & Cumani, quod ex ejus subscriptionibus constat, ad illorum consilia, & tantæ auctoritatis denique ut a multis etiam citatus sit in pluribus locis, & novissime *a Socin. in l. frater a fratre nu. 15. ff. de condict. indebi.* Missus amplius ab illustrissimo Duce nostro ad concilium Basiliense anno domini 1434. in quo adeo egregie se gessit ut amplissimis privilegiis a Sigismundo anno imperii primo velut optime meritus cohonestatus sit.

96. *FRAN-*

96. *FRANCISCUS BAROTIUS Venetus*, docuit hic pariter jus Pontificium, & floruit temporibus *Antonii Rosselli*, de quo supra, eo argumento quoniam collegam illum habuit. Nec idem etiam silentio involvendum, quod nepos fuit *Pauli II.* Pontificis maximi ex sorore.

97. *FRANCISCUS BREVIUS Venetus* hic rursum & Romæ etiam multo tempore docuit, postea cum ad Episcopatus gradum evectus fuisset, desponsata sibi Cœnetensi Ecclesia a publico docendi munere se statim abdicavit, imo quod auditor Rotæ etiam fuit, & ferunt floruisse anno 1478.

98. *FERDINANDUS LOAZES Hispanus* floruit anno 1518. & Papiæ tantum docuit, monumentaque doctrinæ suæ multa reliquit præsertim de justitia & jure & de legatis.

99. *FRANCISCUS FATIUS Patavinus* Augustini frater major natu, multo tempore docuit hic in patria jus Pontificium, & juvenis admodum decessit sui desiderium bonis relinquens, & parentibus vivis lachrymas, ac suspiria. Floruit anno 1501. literis humanis ut frater, multum delectabatur, & sacris amplius, quandoquidem prælatura quoque esset decoratus, & picturæ mirum in modum deditus. Imo quod plerumque tam belle penicillo, naturam imitabatur certis in rebus, ut nil melius fingi potuerit, ac desiderari a quovis etiam probatissimo artifice, & breviter quam charus omnibus fuerit, infrascriptum carmen, quod sibi in morte tumulo appositum est declarat.

Hic ego religio canos laniata capillos
Mæsta fleo, nostra hic contegit ossa lapis.
Ilicet ut charum rapuit mors tristis alumnum
Injecitque avidas in mea sacra manus,
Justitia interiit, latuerunt jura nec usquam
Victima grata deo, sanguine tinxit humum.
F. Fatium luget pietasque fidesque
Lætentur quamvis sydera, terra dolet.

100. *FRANCISCUS PARMA*, collega Caroli Ruini, eo tempore florebat, nec alio in loco docuit nisi hic anno XII. vel circa, nec rursum aliud cognomen habebat nisi patriæ. Erat doctor parum cultus, sed acumine ingenii cultissimus, subtilis & acer ridebat semper

urgen-

urgendo in congressibus collegam, ipse vero ira percitus excandescebat, tandem eo ventum est, ut cum famulo nescio quid denegasset, ab eo miserrime proditus & occisus sit.

101. *FRANCISCUS SFRONDATUS Cremonensis* Petri Pauli Parisii Consentini collega, eodem tempore floruit quo ille, ann. scilicet 1518. Erat enim tunc elegantissimus jurisconsultus & magnæ spei, quod exitus demonstravit postea, & nedum hic docuit verum etiam Papiæ, postea sic sua multa exigente virtute Senator Mediolani primum factus est mox *Caroli V.* Imp. vicarius Senis, deinde Cremonæ patriæ suæ Episcopus, & tandem ad Cardinalatus fastigium *Paulo Pontifice tertio* imperante, evectus, & nisi morte immatura præreptus fuisset, aliud majus etiam nobis ipsis polliceri facile poteramus.

102. *FRANCISCUS TIGRINI Pisanus*, fuit vir eminentissimæ scientiæ & sanctæ vitæ, in patria docebat ut testatur *Bal. in c. 1. in §. 1. ad fi. ep. vel Abb. in usib. & Barba. in l. cum cautissimi col. 75. C. de fideicom. qui dicit* etiam in rep. *c. Raynald. col. 14. de testa.* quod est vir observandæ memoriæ. Etiam ferunt ejusdem *Bal.* præceptorem fuisse, præcipue Rimi. *in rub. de eden. C. col. 2.* floruit eo tempore quo ibi etiam Bart. cœpit legere: & ut inquit *Ang. in l. si quis servor. ff. de sol.* Ab illo multa habuit licet non dicat, viderenturque furta Bart. nisi temporum injuria scripta tanti viri ut idem Angelus ait periissent, fusius *Afflic. post Bal. in c. 1. in* §. *vasallus 1.* ad fidem; *si de feu. con. sit inter. do. & agna. in usib.* quod singularium rerum memoriam habebat.

103. *FRANCISCUS NICONITIUS Nigro Corcireus* Referendarius apostolicus discipulus meus, quod etiam multis in locis testatum reliquit, jurisprudentiæ fuit studiosissimus, floruit anno 1526. & multa in jure scripsit *sol. mat. de novi. op. nunciat. de eden. de probat. de testa. consilia, & alia*, fuit a Secretis Serenissimi Poloniæ Regis aliquo tempore, & cum Romam reversus esset, domumque in monte Quirinali conduxisset, noctu a famulis proditoribus occisus est, non sine maxima literarum jactura.

104. *FRANCISCUS ACCOLTI Aretinus* jurisconsultus egregius, quem quod ad suarum laudum cumulum accedit, sæpissime *subtilitatum principem* appellat *Jason.* & id quidem commentaria testantur in omnes partes ordinarias, ac consilia quæ reliquit. Floruit tempore Felini Sandei, hoc idemque conjectura facile assequimur, quoniam (*ut ait in proœ. de rescript.*) ipsum audivit Pisis, eique utpote præceptori, totum quod habet, acceptum refert, & ego alias in Aretio patria

sua

sua Thusiæ civitate vetustissima, inque divi Augustini templo ejus imaginem ad vivam effigiem vidi expressam, manu Lucæ Signorelli Pictoris egregii, mecumque copiam illius attuli, præseferentis nil aliud certe, nisi quod in effectibus erat, dum in humanis esset.

105. *FRANCISCUS ZABARELLA Patavinus*, legum interpres fuit, & Cardinalis Florentinus, præceptor & dominus *Abbatis Panormitani*, & compater *Petri Ancharani*, ut ipse testatur *consi 188. incip. Visis. in prin.* qui (ut notissimum est) multa edidit commentaria, & consilia adeoque multa, ut patria hæc nostra, in qua floruit anno 1400. vetustate, pulchritudine & nobilitate illustris, tanti viri gloria illustrior reddita sit, cujus ossa sita sunt in Ecclesia Cathedrali, inque sacello divæ Mariæ virginis a latere sinistro.

106. *FEDERICUS PETRUCCIUS Senensis*, vir recolendæ memoriæ, & præceptor Baldi *ut inquit in l. si quis ad declinandam col. 6. C. de ep. & cle.* magnæ scientiæ fuit, quod testatur. *Jo. And. in c. 1. col. 2. de majo. & obe. lib. 6.* Docuit in patria, & Perusii illisque temporibus floruit, quibus prædicti Baldi scilicet & Jo. Andreas ex quo illius (ut diximus) præceptor fuit & dominus, istius vero contemporaneus, quandoquidem disputasse id referat in loco præallegato, de quo tunc dubitare contingerat, imo (ut ipsemet inquit) quod Jo. And. præceptorem habuit in proœ. consil. suorum, quodque Perusii eadem fecit, & illius correctioni amplius summisit.

107. *FEDERICUS a SCALIS*, *Bononiensis*, fuit quoque magnus Doctor, si Bartolo credendum est, qui ita dicit, *in l. siquis sub conditione nu. 16. ff. de testam. tut.* & cum sit antiquus (ut ibidem subjicit) non satis exploratum habemus quo tempore floruerit, credentes tamen ut verisimile est, in patria docuisse, quem solemniter etiam citat Angel. *in l. 1. in § pueritiam ff. de postu. & Alex. consi. 61. incip. circa col. 1. vol. 4.*

108. *FLORIANUS a S. PETRO Bononiensis* consumatissimus legum interpres fuit: & ut inquit *Barba. in l. cum acutissimi col. 78. C. de fideicomm. omnium* elegantissimus in patria docuit, & floruit anno 1497. 1498. & 1505. quodque ipse in disputatione *incip. Baro.* etiam testatur, multa scripsit, & præcipue super. ff. veteri, & in titulos maxime, qui ordinarie non leguntur, floruit temporibus *Raphaelis Cumani*, quoniam ejusdem consiliis etiam se (ut videri potest) subscripsit aliquando.

Franciscus Curtius, supra Curtius.

109. *FRANCISCUS PAPAFAVA Patavinus*, floruit anno 1550. multa ſcripſit, præcipue conſilia non edita, & quod videri poſſit in lucem, conſilium eſt egregium tantum, in materia uſuraria, & ad ſacri montis pietatis hujus magnificentiſſimæ urbis, propoſitum, quod paulo antequam e vita diſcederet imprimendum curavit, juvenit admodum & valetudinarius deceſſit.

110. *FRANCISCUS PEPUS Florentinus* qui ſcripſit copioſam & utilem repetitionem *authen. præterea. C. unde vir & uxor.* Piſis docebat & floruit anno 1494.

111. *GABRIEL ab OSSELETIS* doctor *Mutinenſis* fuit, magnæ exiſtimationis apud omnes, ipſumque magni facit *Alber. Roſa.* & citat *in l. 3. col. 1. C. de aſſeſſor.* & in *l. omnem in fi. prin. in proœ. ſſorum. & in l. fi. in fi. ff. de conſtit. prin. & in l. 3. ff. de ſtat. hom. & in l. qui in utero. ff. eo. & in l. generalis, & in l. non enim col. 1. & 2. & in l adoptio non jure facta ff. de adopt. & in l. item lapilli. ff. de re. di. & in l. Barbarius. col. 7. ff. de offi. prætor. & in l. nec quicquam. ff. de offi. proconſ. & in l. ſenatusconſultor. in fi. ff. de offi. præſid. & l. quæ acta in ult. col. ff. de offi. procu. Caſa. inq.* pluribus aliis locis. Idemque facit Fulgoſius conſi. CLXXIII. *incip in cauſa* argumentum plane apertiſſimum, virum hunc talem fuiſſe, qualem ipſi exiſtimabant. Non conſtat aliter tamen an docuerit, vel ſi docuit, ut pars eſt, quo in loco id fecerit, & quo tempore floruerit. Sed veriſimile eſt, poſtquam certi aliud non habemus eodem tempore vel paulo ante Albericum floruiſſe, ſcripſit multa, ut ex locis ſupra allegatis elici poteſt, & in ſpecie tractatum de fama, quem idem Albericus celebrat multum in *d. l 3 ff. de aſſeſſor.*

112. *GASPAR ORSATUS* Patavinus, Antonio de quo ſupra conſanguineo non inferior, floruit anno 1503. & aliquo tempore docuit hic in patria, ſenexque admodum, poſtquam a legendi munere ſe abſtinuiſſet non minus patriæ charus quam parentibus & amicis ex hac vita diſceſſit.

113. *GUILIELMUS CUNIUS* ſingularis vir a Bartolo ſæpe relatus, fuit collega *Bertrandi, Montis Faventini*, de quo per eundem Bartol. in *l. diem functo ff. de offi. aſſ ſſo.* fuſius ubi hoc idem teſtatur in *l. 1. in §. divus nu.* XII. *ff. de va. & extraordi. ço.* Eoque tempore floruit, quo & Albericus ut ſupra *Albericus & Bertrandus.*

114. *GALIANUS ANGARANUS Vicentinus* collega fuit *Jacobi Alvaroti* junioris, eoque tempore floruit hic, & Jus civile docuit aliquot annos, omnium profecto eloquentiſſimus, poſtea in patriam reverſus

ſus deceſſit admodum juvenis, & filium *GABRIELEM* præ cæteris reliquit, juriſconſultum eruditiſſimum, qui niſi quoque juvenis e vita diſceſſiſſet non abſimilis patri futurus erat, quia multa pollicebatur magnamque de ſe opinionem conceperat.

115. *GALEACIUS a GURGO*, *Vicentinus* pariter iisdem temporibus floruit & *Antonii Zacchi* collega fuit, in ſtudiis aſſiduus, ita ut fere ſemper hac de re oculorum lippitudine laboraret; in patriam quoque reverſus, juvenis mortuus eſt, ſcripſit multa ſed nunquam edita fuerunt.

116. *GEORGIUS CAVALLINUS Clericus Patavinus* Decretorum Doctor, fuit ſatis clarus, textualis, & utilis auditoribus, plurimum floruit anno 1507. & hic in patria tantum jus Pontificium docuit, ſed quia ad aſmum erat proclivis, ſe a munere legendi abſtinere in totum coactus eſt, unde non multo tempore etiam poſt, ex hac vita migravit.

117. *GASPAR MALMIGNATUS*, ex Oppido munitiſſimo Lendenariæ natus, in hac noſtra Patavina Academia ſemper gradatim aſcendens docuit. Collegam habuit ultimo loco *Marianum Socinum juniorem*, eoque tempore floruit, anno ſcilicet 1538. Et cum ſibi maximam comparaſſet gloriam ac immortale nomen, in medio vitæ curſu febri ethica corruptus admodum juvenis, nobis præreptus eſt.

118. *GUIDO PAPA Gallus* in Curia Parlamenti Delphinatus magnus ſui temporis Conſiliarius fuit & graviſſimus juriſconſultus. Floruit anno 1442. ut colligi poteſt ex his quæ dicit *deciſio. 453. incip. Camera. fiſcalis col. 1.* Multa ſcripſit quæ velut notiſſima transeo, *commentaria*, *deciſiones*, *ſingularia*, *& conſilia*, ex quibus tantum frugis poteſt quis facile conſequi, quantum dici poteſt, ſi legere hæc eadem non detrectabit.

119. *GASPAR CALDERINUS*, filius fuit *Joannis Calderini*, de quo ſupra, qui patrem ſuum ad unguem adeo imitatus eſt, ut doctrina & moribus unum ab altero haud ſejungamus, ex quo fit ut non ab re, utriusque reſponſa etiam ſimul edita legantur, nec minus pulchra ſint, & copioſa quam utilia, & poſteritati frugifera.

120. *GUILIELMUS DURANDUS*, vulgo *Speculator* appellatus fuit, maximus vir, ut per Severini & Fichardum. Adde ſolum *Albericum* teſtatum. Quantæ auctoritatis fuerit in *c ſuſpicionis ad fi. de offi. de.* Quodque prædicti non meminerunt ipſum ſcripſiſſe etiam opus

Nnn 2 de

de *Concilio*, nunquam ſatis laudatum, & quod ei nondum attingenti annum 24. commiſſa alias fuit cauſa dum in humanis eſſet, cœpta antequam naſceretur, quod refert Jaſ. in l. properandum colum. 11. C. de Judi.

Hieronymus Butigella. Supra *Butigella.*
Hieronymus Cagnolus. Supra *Cagnolus.*
Hieronymus Prævidellus. Infra *Prævidellus.*

121. *HIERONYMUS PAULUS Berchionenſis*, Vicerector & magnus practicus Romæ diu ſumma cum laude in curia verſatus eſt, ut teſtatur Severinus in tracta. *de penſionibus q.* XXX. *col. 11.* ſcripſit librum a Sancta Sede Apoſtolica approbatum, qui inſcribitur *provincialis*, ſeu *practica cancellariæ*, & hujuſce rei locupletiſſimum perhibuit teſtimonium Cardinalis in *clemen. prima in §. irritum. colum. 2. de elect.* & Gomes olim collega, in proœ. *regula. cancellar. nu. 16.*

122. *HENRICUS HEBREDINENSIS*, quondam Eccleſiæ Archipræſul, & Cardinalis Hoſtiæ, per Antonomaſiam Hoſtienſis dictus appellatusque eſt, forte quia per eum tanquam per hoſtium patuit aditus omnibus ad jurisprudentiam. Hunc magnum canoniſtam dicit *Gemi. conſi.* CXIV. *incip. ſi procurator. col.* III. *& Abb. in c. ex conqueſtione, col. 6. de reſtit. ſpol.* quod ſolet utplurimum reprobare opiniones rigoroſas Innocentii, eoque magis laudandus eſt cum a villa Secuſia originem duxerit ut ipſe teſtatur, *in c. nonnulli, in §. cum autem, in princ. de reſcript.* & nihilominus evectus ſit tunc ad Cardinalatus faſtigium ut ſupra. *Barba. quoque ait in rep. c. Raynaldus col.* CLXXI. *de teſt.* quod iſte *& Innoc.* fueruntduo luminaria cœli & *col.* CLXIV. quod ipſe rurſum Jo. Andreas & Bernardus ſuis acutiſſimis ingeniis illuſtrarunt ſacros canones. Et quia in cæteris ſatis clarum eſt, quid quantunque valuerit quæque opera & monumenta reliquerit tranſeo.

123. *HIERONYMUS TORTUS Papienſis* magnus juriſconſultus, a quo multa habuit Jaſon citatusque ab ipſo ſæpe, floruit anno 1485. tempore Laurentii Medices, & regnante *Galeacio Maria Sforcia Inſubrium* Duce ſexto. Docebat in patria frequentiſſimo auditorum concurſu, ibique mortuus eſt. Multa ſcripſit quæ ego vidi non edita tamen, in ordinarias partes veſpertinas, ſolum legitur conſilium pro potentiſſimo Florentino populo alias factum, multa eruditione refertum.

124. *HIE-*

124. *HIERONYMUS JUSTUS Patavinus* decretorum Doctor honestus sane vir, & exemplaris floruit anno 1476. docuit hic in patria annos xxx. & ut cognomento erat justus, ita quod memoria proditum est erat vita & moribus.

125. *HIPPOLITUS MARSILIUS Bononiensis Jurisconsultus* disertissimus, his temporibus floruit, maxime anno 1524. in patria semper criminalia docuit, multa scripsit omnibus nota, repetitiones, consilia, singularia, aliaque ad praxim pertinentia, pene innumera, & copiosissima quidem, unde tanquam ex penu singula pro cujusque desiderio expromi possint. Petasatus semper incedebat, prolixaque Barba, ut gutturosus enim erat turpitudinem tegeret.

Henricus Hebredinensis: supra Hostiensis.
Jo. Baptista a S. Blasio, supra Baptista.
Jo. Calderinus: supra Calderinus.
Jo. Antonius Rubeus, supra Alexandrinus.
Jo. Franciscus Burla: supra Burla.
Jo. Franciscus Capilistius, supra Franciscus.

126. *JACOBUS ALVAROTUS Senior* & *Junior* diversis temporibus floruerunt. Ille anno 1439. iste vero anno 1500. uterque hic in patria docuit & commentaria *in constitutiones feudales quam* elegantissima, senior reliquit, multaque etiam consilia *in vol. consil. feudalium*, Alber. Bruni inserta, discipulus Cardinalis Zabarellæ, & compater (ut ipse testatur in prœ. feud. col. 2.) Junior vero, post certum tempus ab *Alfonso quondam* Ferrariæ Duce, *Herculis* patre, in consiliarium ascitus est, apud quem honorifice vixit inque summo honore donec diem suum obierit extremum, quique mihi etiam dum hic doceret præceptor fuit & dominus sempiterno memoria & recordatione colendus. Sepultus est Ferrariæ in templo divi Francisci.

127. *JO. BAPTISTA ROSELLUS Patavinus* jurisconsultus illustris, qui tamen ab *Antonio Rosello* de quo supra ortum habuit, hic in patria multos docuit annos, & si quinquaginta dixero non errabo. Floruit anno 1489. & a legendi munere nunquam destitit, imo quod senex admodum textus duntaxat & glossas interpretabatur tantumque frugis assequebantur auditores, ut ordinarias lectiones omitterent & solum Rosellum adirent, statura erat parvus, ingenio tamen maximus, & Antonio Rosello supradicto non inferior; Collega Jo. Campegii Bononiensis, nihil monumentorum reliquit, nisi consilia quædam

pro sacro pietatis monte, tametsi multa scripserit, quoniam capta urbe alias depopulataque ipsius domo, prædonum incendio & rapina, perierunt.

128. *JACOBUS LEONISSA Patavinus* juris utriusque Doctor & Canonicus optime meritus Ecclesiæ Cathedralis fuit, ac magnus patricius in spectantibus ad curiam tantæ existimationis ut *Papa Martinus* anno 1460. eum legatum in tota *Romandiola* de latere constituerit, deque anno 1466. ad Romanorum Regem destinaverit nuncium Apostolicum, exactorem & Capellanum suum perpetuum. Cujus etiam præclarissima extant monumenta & præcipue consilia, non aliud arguentia licet nunquam impressa fuerint, quæque apud *Petrum Leonissam* jurisconsultum Patavinum Joannis filium, & ipsius Jacobi hæredem, aliaque multa longe præstantiora inveniuntur. Docuit etiam multo tempore hic Jus Pontificium, & floruit anno 1449. anno vero 1474. in suprascripta Ecclesia sepultus est, inque ipsius tumulo, nil aliud inscriptum, nisi verbum hoc. SACRUM

129. *JACOBUS RAVAMACUS*, scripsit super ff. veteri & cum nihil certi habeamus, unde fuerit quo tempore floruerit, quove in loco docuerit, hoc ipsum dixisse sat sit, quod eum citat *Alber.* sæpe & potissimum *in proœ. ff arum col. 4.*

130. *JACOBUS ZOCHUS Ferrariensis*, Decretorum Doctor magni nominis fuit. Multa scripsit super decretalibus, quæ tamen edita fuerunt nunquam, extatque solum tractatus, *de Jejunio*, & repetitio *c. omnis utriusque sexus, de peni. & re.* & difficulter hæc quoque invenitur. Floruit anno 1440. usque ad annum 1460. legit in patria, & hic, ubi etiam mortuus est & sepultus in Divæ Justinæ templo, prope altare majus, a latere sinistro, ipsum citat *Alexandr. consil.* XXVI. *incip. cumulatissime, in fine vol. 7.*

131. *JACOBUS CANIS Patavinus*, multa scripsit paucula edita sunt, & si quid est quod legi possit est tractatus de represaliis; docuit hic in patria multo tempore, & floruit anno 1452.

132. *JO. ANDREÆ Bononiensis*, tuba juris Canonici fuit. Contemporaneus *Nicolai Materelli*, & præceptor *Pauli Leazarii*, ut testatur Cardinalis in *proœ. Cle. in princip.* Primus omnium qui scripserunt, & cæteris non tantum ordine, verum etiam re & emolumento præferendus. Floruit anno 1316. & legit annos L. Bononiæ, Pisis, & hic Paduæ, decessitque ut Severinus & Fichardus ajunt; Verumque est, tempore mortalitatis quæ fuit de anno 1348. & meminit *Bartolus in l. naturaliter*

raliter col. ulti ff. de Usucapio. quo mortuus est etiam *Bertrandus montis Faventini*, ut per eundem Bart. *in l. 1. in §. divus nu. 12 ff. de var. & extraordi. cogn.* ego, supra Bertrandus, & quod Joannes Andreæ *Tuba juris Canonici* fuerit, & fons, testatur *Bal. consi.* CCXXVI. *incip. Reperitur in fi. vol. 1. longe plura Cur. Junior. consi. 1. col.* IV. *in prin.* Et quantæ fuerit auctoritatis apparet, ex verbis *Ro. consil.* XII. *incip. Viso. col. 11. & Pet. Anch. dicentis consi.* CCCCXI. *incip.* Prima facie, in princ quod ipse & *Hostiensis Illustre* Jus Canonicum reddiderunt, quodque non est tutum recedere ab eorum opinionibus. Idemque Barba. in *repet. c.* Raynaldus *col. 164. de testam. & inquit etiam Aretin consil. 2. incip.* Intellecta, *col. 4.* quod ipse adhuc & *Federicus* Senensis sunt *patres canonum*, quodque eis in materia plurimum credendum est, & deferendum. Nonnihil Baldus de eo, deque Magistro Gentili Fulgineo, vide quantum eis tribuat in authentica habita *col. 1. C. ne fil pro pa.* & quod in judicando & consulendo non parum urgeat ejus auctoritas, scribit *Alex. in l. 2. col. 3. ff. sol. mat.* hoc etiam non prætermittentes, quod clerici filius fuit, antequam tamen pater initiaretur sacris natus, ut idem *Bal. refert. in l. imperialis, in §. his illud, in prin. C. de nup. ipsemet Jo. And. in rub de fi. præsbiter.* Scripsit ultra memorata a Fichardo in ejusdem vita, tractatum etiam de interdictis civi. de sponsalibus, de consanguinitate & affinitate.

133. *JACOBUS ARDIZONUS Veronensis*, summam in usibus feudorum scripsit, ex qua qualis & quantus fuerit plane liquet. Imo quod Baldi præconio dicentis, eam subtilem esse & laudabilem, inter maximos & egregios Jurisconsultos est sine controversia dinumerandus, *consil. 190. incip ad evidentiam col. 2. vol. 3.* & ad idem inquit etiam *Alva. in proœ. feudo. col. 2.* quod adeo redundans est, ut nihil intactum penitus relinquat, quod possit in materia desiderari.

134. *JO. ANANIA Bononiensis*, Archidiaconus fuit, & Alexandri Imolensis præceptor, ut ipse refert, *consil. 178. incip. viso processu, col. 4. vol. 7.* Nec non Barbatiæ *sub quo anno II.* suorum studiorum publice de jure respondit, quod testatur in *rep. c. Raynaldus col. 83 de testam. & dicit col. 160.* quod erat ætatis anno 70 & valetudinarius, quodque quotidie missam audiebat etiam quod legeret, & quod denique divinum officium ut sacerdos pariter dicebat. Scripsit tantum super V. decretalium, & consilia. Docuit in patria, & floruit anno 1450.

135. *JO. PALATENSIS* fuit doctor *Senensis*, Baldi magister, & hac de re, eo tempore floruit quo ipse Baldus literis operam navabat, & in

& in patria profitebatur, ac etiam pro magno testuali habitus est, ut refert *Alex. in l. si fundus, in fi. ff. sol. mat.*

136. *JO. CAMPEGIUS Bononiensis* eo tempore floruit quo *Joannes Baptista Rosellus* anno scilicet. 1489. Jurisperitorum eloquentissimus & eloquentium Jurisperitissimus, qui multo tempore hic docuit, Bentivolis Bononiæ imperantibus. Quibus a Julio II. Pont Max. postea expulsis in patriam reversus est, ibique usque ad supremum vitæ exitum ut inquit l. *cons. inc. l. 1 v. ff. de adi. le.* eodem interpretandi munere functus est. Scripsit multa in ordinarias partes matutinas, non edita tamen, quæ apud multos manu scripta reperiuntur, & præter hæc tractatus varios, præcipue *de dote, de exactione dotis, & de pactis dotalibus.* Fuitque non solum Doctor & jurisconsultus egregius ac illustris, verum etiam advocatus consistorialis, ut ipsemet in subscriptionibus consiliorum suorum positorum *in vol. consiliorum feudalium Alber. Bruni*, testatur.

137. *JO. FABER* dictus est, non *ferrarius*, ut verbum sonat, sed quia libenter operabatur, & operari faciebat, ut ipsemet cui magis est credendum quam aliis testatur *in §. e diverso, in prin. instit. de rerum div.* Et inquit *Jas. insti. de acq. in prin. col. 7.* quod est magnæ auctoritatis, alibi vero insignem, & fundamentalem doctorem vocat, *in l. naturaliter, in §. nihil commune, col. 11. ff. de acquir. po.* & Alexander subtilem, *in rub. de no. o. nun. col. 11.* & testatur ipsemet rursum *in §. fi. insti. quib. ex cau. ma. lic.* quod forensibus negociis operam dederat, agendo causas in foro scilicet annos XIII.

138. *JO. FASOLI*, Doctor non ignobilis fuit, qui multa scripsit, & præcipue tractatum de summariis cognitionibus, de quo per Albericum honorifice mentio fit in *l. 1. C. de his qui in eccl. man.* quoad alia, quia nihil constat, transeo.

139. Quis fuerit *IRNERIUS*, Patriam, mores, quo tempore floruerit, quo in loco docuerit, quando decesserit, & reliqua, satis superque satis edocet Jo. Fichardus, ita ut a me solum addendum sit, quod potestatem legis condendæ non habuit, sicuti nec *OBERTUS AB ORTO*, de quo infra, qui fuit causarum patronus, in curia Mediolanensi. *c. 1. in prin. quæ fue. prima cau. be. amit. in usib.* & primum testatur *Alex. in l. 2. in §. quod si in patris, col. 2. ff. sol. mat.* Alii in *l. 1. ff. si cert. pet. & in authen. ex causa. C. de liber. præter.* Parisi. *in c. de quarta, in fi. de præscript.* Item quod fuit primus legum glossator tanto in pretio tunc habitus, ut nihil supra, quod ultra Odofredum in *l. jus autem civile.*

ff de

ff. de just.& Jur & Severinus de mo. stu. Refert etiam *And. Gammar.* in tractatu extensio. *in prin. col. 3* aliter inquit *Canciunt. in tracta. de offi. Jud. col. 1.* quod in transcribendis authenticorum textibus aliquando vel dormitavit vel punica religione fidem servavit & Cynus in *l. cum testamentum, in prin. C de Jur. & fact. ignor.* quod ejus opinio ibi de libro esset abradenda, & nimirum, quoniam multis aliis in locis erravit reprobataque est potissimum *in l. precibus. C. de impuber. & in l. singularia ff. si cert. pet.*

140. ***JACOBUS PUTEUS*** præceptor Jasonis fuit, quem ipse honorifice nominat, *in l. 1. col. pen. ff. de no. ope. nu.* eoque tempore floruisse liquet paulo ante annum. 1498. & hoc idem omisit Fichardus in vita Jasonis ut infra Jason.

141. ***JO. BLANASCUS*** Doctor antiquus, est contemporaneus Jacobi Balduini, de quo infra, adde quod ipsum citat sæpe *Baldus* potissimum in *l. nequicquam in §. de plano lectu. 2. ff. de offi. proconf. & consi.* CCLXXXXI. *incip* ad evidentiam *col. 4. vol. 2.* ipsum vocat nobilem & subtilem, & testatur, præter ea, quæ in ejus vita dicit Fichardus tractatu de feudis & homagiis etiam scripsisse.

142. ***JO. IMOLENSIS***, Vita ponitur a Jo. Fichardo, id solum addendum est quod nedum Alexandri verum etiam Barbatiæ fuit præceptor, ut ipse testatur *in c. Raynaldus in repe. col. 5. de testam. & colum. 7.* & in apostillis *ad Bal. in l. 2. C. de liber. & eo. liber.* Dum etiam tempus sui obitus dicit. Adde aliud tu, quod Bononiæ obiit ubi docebat, sed quo in loco loci sepultus sit, non satis constat, nisi, quod in Divi Dominici templo jacet, & memoratu dignum est, quod scripta sua aliquando incendio perierunt ut ipsemet testatur in *l. fi. col. 6. ff. de hær. insti.* ita ut mirum sit, quomodo sic egregia ejusdem monumenta inveniantur.

143. ***JO. POGLIARENSIS***, fuit primus Baldi Perusini præceptor, alius qui singularium rerum memoriam habebat, Franciscus Tigrini, de quo supra, sed qui multum contulit suo ingenio, fuit Bartolus Saxoferratensis, quos omnes longo tempore audivit, & raro se ab ipsis separabat, subjiciens eundem Bartolum dicentem audivisse, quod ingenium adhuc suum fabricaverat lectura Cyni Pistoriensis in *c. 1. in §. vasallus, in princ. si de feud. fuer. controverf. inter Dom. & agnat. in usib.* Nihil monumentorum reliquit, nec nobis constat, quo in loco præcise docuerit, nisi Perusii conjectura hoc ipsum assequamur fecisse.

144. ***JO. LEONISSA*** *Patavinus*, nepos ex fratre Jacobi cujus mentio paulo supra facta est, Jurisconsultus gravis & prudens, floruit

anno 1496. docuitque aliquo tempore hic in patria, aſſeſſorque Illuſtrium virorum quam ſæpiſſime fuit & in Epiſcopali curia magnus cauſarum patronus, diu vixit & ſenex admodum honoratus ex hac vita diſceſſit, anno 1535.

145. *JACOBUS BALDUINI Bononienſis* Accurſio ſucceſſit, & contemporaneus Joannis Blanaſchi de quo ſupra; fuit ſolemnis & egregius Doctor, qui aliquando ſe ab hoc legendi munere abſtinuit præſertim cum Januæ prætor eſſet deſignatus, ut inquit *Alber. in l. lecta col. 4. ff. ſi cer. pet.* ſubjiciens quando periti tales eliguntur, civitates optimi regi, & gubernari, male vero cum imperiti dominantur, ut hodie in Italia & aliud (quod eſt annotatu dignum) in *l. 1. C. ubi Sen. vel cla.* quod eo tempore cum laqueo ſuſpenſus fuiſſet nobilis ob grave ſcelus, eo ſic jubente municipali lege non obſtante, quæ contrarium diſponebat, nec ab re quoniam quandoque licet leges tranſcendere, ſecundum *Innoc. in c. 1. de conſtit. l. per omnes. C. de defenſ. civil.* Januenſes aliam tulerunt legem, quod nullus Doctor poſſet amplius eligi, & male. Citat eum quoque idem Alber. in *l. in tantum in §. religioſum, ad fi. ff. de re. div. & in l. Barbarius, col. 7. ff. de offi. prætor.* & ferunt Innocentii etiam præceptorem fuiſſe ut infra.

146. *JO. CORASIUS*, Tholoſanus, elegantiſſimus juriſconſultus, floruit anno 1546. diſcipulus Curtii Junioris, ut ipſe in pluribus teſtatur locis recordorque ego, cum hic Patavii ſecum congrederer. In patria docuit, & Ferrariæ, & juvenis admodum mortuus eſt, elegantiſſima reliquit commentaria, & interpretationes in varias juris partes.

ADDITIO.

Falſo rumore perlato, ita ante hac creditum ſcriptumque eſt, nunc (ut certo ajunt multi) adhuc vivit, inque ſuprema Pariſiorum Curia præſidet, tanta auctoritate quanta alius quiſque

147. *JO. FRANCISCUS OZERIUS, Tolentinus*, legit hic, & Romæ pluribus annis & in libros inſtitutionum præclariſſima ſcripſit commentaria, quæ edita arguunt, quantum in hac noſtra juriſprudentia ſemper profecerit, & proficiat, floruit anno 1524. nunc vero quieſcit in patria.

148. *JACOBUS ISOLANUS* Juriſconſultus veriſimiliter egregius fuit, licet non ſatis exploratum habeamus, qua in patria ortus ſit; ſi docuit quove in loco, eo ſolo argumento, quod ipſum ſocium veneran-

nerandum appellat Baldus dum illius consil. se, ut moris est, subscripsisset, in suis *vol. 1. consi.* LXXXVIII. *incip. ex infelicitate fati in fin.* & sic eodemmet tempore quo Baldi conjectura facile assequimur etiam floruisse. Et idem de Fulgosio pariter dici potest, quem similiter socium & amicum vocat, *consil.* CVIII. *incip.* Quaeritur in *fin. eo. lib.*

149. *JO. FRANCISCUS MUSSATUS Patavinus* floruit anno 1520. docuit hic aliquo tempore & multa scripsit, sed nihil editum est, nisi index locupletissimus ad Baldum, quo si usus fueris etiam quod illum *Antonii a Prato* veteri non habeas, facilem tibi ipsi viam ad ea quæ scire desideras quam maxime comparabis.

150. *JO. LUDOVICUS LAMBERTATIUS Patavinus* erat (ut memoriæ proditum est) magnus textualis & tunc Patavinorum primarius, floruit anno 1382. & hic in patria multo tempore docuit, simulque multa collegii nostri statuta edidit, quæ adhuc vigent, & sunt, quod ajunt, etiam in viridi observantia.

151. *JO. FRANCISCUS PAVINUS Patavinus*, sacræ Theologiæ, & juris utriusque Doctor fuit nec non sacri Palatii Apostolici Auditor, an in patria docuerit, aliove in loco prius, non invenimus, id certo tamen non omittentes, allegationes pulcherrimas in causa beati Simeonis, tractatum de visitatione, de officio ac potestate capituli sede vacante reliquisse, quibus declaratur quam magnus fuerit in Curia Romana, & domi Doctor atque Auditor. Floruit temporibus PAULI II. Pontificis Maximi, & SIXTI IV. anno 1464. & 1471. non nihil dictum est etiam supra, in *Bartholomæi Bellencini* vita.

152. *JO. FRANCISCUS BALBUS Taurinensis* acutissimus juris interpres, floruit anno 1510. Docuit in patria semper, & præclarissima ingenii sui ac doctrinæ monumenta reliquit, omnibus nota, adeo ut illa scribere in præsentiarum opus non sit, & siquid studiosorum usui ex omnibus est inquam aureus ille *præscriptionum* tractatus, cui similis nunquam editus est, nec in futurum edetur, quoniam nihil reliqui fecit, quod amplius scribi possit, & a republica literaria desiderari.

153. *JACOBUS BELVISIUS* patria Bononiensis fuit magnus Jurisconsultus, sæpissime citatus a Bartolo, multa scripsit, & præter dicta ab his qui ipsius vitam literis mandarunt, tractatum etiam de excommunicationibus. Floruit anno 1475. & doctorem perspicuum appellat Aluarotus in *procæ. feudor. col. 2* & inquit *Bal. in c. 1. in §. fi. de feu. mar. in usib.* quod una cum Petro de Cer. tanquam doctores boni & antiqui delectabantur Brocardis, quorum auctor a principio fuit Pyleus medina, in

 libello

libello ſuo diſputatorio, cujus etiam meminit Bartolus *in l. ſi quis ſub conditione, nu. 27. ff. de teſtam. tut.*

154. *JACOBINUS A S. GEORGIO* diſcipulus Jaſonis ut infra Jaſon per ea tempora floruit, & Taurini docuit ubi Patriæ ſuæ Gymnaſium florentiſſimum ſemper viguit & viget, & ex quo non ſecus, ac ex Equo illo Trojano innumerabiles viri omni virtutum omnium genere cumulatiſſimi prodiere, anno 1482. poſtea ejus loco Claudius ab aquis, de quo ſupra, & merito quidem, ſubrogatus eſt, multa edidit in ordinarias partes matutinas, quæ adeo lucent, & a doctiſſimis quibusque probantur, ut ſint in perpetuas æternitates manſura.

155. *JO. FRANCISCUS PURPURATUS Pinerolius Taurinenſis*, Juriſconſultus egregius, Senator & in ſupremo excellentiſſimi Sabaudiæ Ducis Senatu Præſes fuit, optime meritus; floruit an. 1523. & in patria docuit ſemper præclariſſima reliquit & ipſe commentaria in ordinarias partes matutinas, adeo prægnantia, copioſa, & multarum rerum eruditione plena, ut nil amplius deſiderari poſſit, quia omnia legiſſe & conſideraſſe, judicio enim erat exquiſitiſſimo, videtur.

156. *JOANNES GLOSSATOR*, non ſecus ac ille qui juris civilis tenebris occurrens, magnus legum interpres judicatus eſt, ſua tempeſtate etiam clarus fuit, nec minori commendatione dignus, quandoquidem ipſe quoque tenebris juris pontificii pariter occurrens, tantum effecerit, ut ejus ope Sanctorum Patrum decreta, prius ſenſibus variis & diverſis obvoluta, nunc quam facillime intelligantur, floruit anno 1256.

157. *JO. FRANCISCUS RIPA Papienſis* ex recentibus juriſconſultis maximus certe floruit anno 1519. & docuit in patria Valentiæ in Delphinatu, & Avinioni, multaque ſcripſit in utroque jure, cum Pontificio, tum Cæſareo, adeo ſtudioſis grata, ut in ſcholis legantur, & magno etiam ſilentio audientium excipiantur. Sepultus eſt in patria, inque fratrum Carmelitarum Eccleſia.

158. *INNOCENTIUS IV.* Pontifex maximus, Januenſis patria fuit, nunc tantæ auctoritatis, neminem enim noſtrum latet, in decretales opus ſane ſcripſiſſe, abſolutiſſimum, ut ejusdem opiniones, cætera de induſtria omittemus, quoniam a Severino & Fichardo ſatis dictum eſt, in Conſiſtorio Papæ, velut ſacrum Evangelium teneantur, quod atteſtatur *Rot. ſingula 165. incip. Judex a quo, in fin*, quod autem fuerit Papa quodque ejus lectura quotidie utamur, firmat etiam *Abb. in c. quoniam contra col. 10. de prob.*

159. JO-

159. *JOANNES CROTUS* Monferratensis floruit anno 1513. docuit Bononiæ, & Pisis, juvenisque admodum mortuus est, multa scripsit maxime repetitiones quibus adeo delectantur legum studiosi (ordinate enim distincte & copiose loquitur) ut cætera prætermittant, quasi stomachati, & solum Jo. Croti audire considerationes pro temporis opportunitate contendant.

160. *JO. PETRUS FERRARIUS Papiensis* fuit insignis Doctor & magnus practicus, quod testatur opus illud egregium, cujus titulus ab ipsius auctoris patria inscriptus est. Practica *Papiensis pater & verus interpres statutorum Papiæ*, ut inquit Curt. Junior consil. 5. incip. videretur, col. 14. floruit anno 1400.

161. *JOANNES SADOLETUS* Mutinensis, Bononiæ docuit multo tempore floruit anno 1492. scripsit multa, sed quod ego viderim, non aliud editum est, nisi paucula quædam in titul. *de confessis, & in l 3. ff. de legat. 1.* omnimodo arguentia ipsum & ingenio & doctrina valuisse plurimum. Et dicit *Barbat. in repe. c. Raynaldus col. 171. de testa.* quod iste & Hostiensis fuerunt duo luminaria cœli.

162. *JO. FRANCISCUS BEBIUS Regiensis* juvenis admodum, hic docuit, non multo tempore tamen floruit anno 1526. quo *Marinus Georgius* amplissimus vir, & Gymnasii nostri Patavini Moderator, Præturam gerebat, in disputando acer, in docendo clarus, quique etiam adeo pure loquebatur, ut nullus tunc desperaret, se brevi assecuturum, quod suis doctissimis lectionibus pollicebatur, recessit postea, consenuit in patria, & cum se sacrarum literarum studiis totum tradidisset, devenisset que a negocio ad otium podagrosus decessit.

163. *JO. GEORGIUS BRANDITIUS Vicentinus* juvenis & ipse admodum per aliquod tempus hic docuit, & floruit anno 1494. & prout ex commentariis quos in libros institutionum editos reliquit, elici potest, in maximum evasisset jurisconsultum, si cœpto operi tam ardenter incubuisset, & in recessu ostendisset, prout pollicitus est in fronte.

164. *JACOBUS BUTRIGARIUS* ex auctoritate Severini & Joan. Fichardi scriptis in ejus vita, fuit præceptor Bartoli, adde quod eum etiam maxime extollit Baldus *in l. quicunque in fi. C. de epis. & cleric.* quod omnium Jurisconsultorum totius Italiæ (magnum verbum est) fuerit tunc excellentior, & lumen juris civilis, *consil.* CCCCXCIII. *incip. circa, colum. I volum. 2.* & quod fuerit præceptor Bartoli ipsemet testatur *in l. 1. num. 3. C. de ped. jud. qui ma jud.* Aliquid *in l. si quis sub conditione nu. 27. ff. de test. tut.* multa scripsit super ff. & C. ut prædicti referunt, ad-

de tu etiam tractatum de dote, de compromiss. de renunciationibus & de testibus.

165. *JASON MAYNUS* Doctor eximius Ducalisque Senator Mediolanensis, cæterisque præstat doctrina & eloquio, talis & tantus jurisconsultus, ut dubium sit forte an Mediolanensis patria, aliquem ipso præstantiorem habuerit unquam. Multa scripsit, omnibus sane nota, quia leguntur quotidie in scholis. Docuit Papiæ & hic multo tempore, habuitque prius præceptorem Jacobum *Puteum* ut ipse testatur *in l. 1. in pen. col. ff. de nov. op. nun.* & discipulos qui in viros excellentissimos evaserunt, præ cæteris *Jacobinum a S. Georgio*, de quo supra quod ipsemet dicit. *in rub. de edict. div. adr. toll. col. 2.* alias *nu. 3.* & ad idem inquit Cotta in *memorabilium libro* quod ipse & Philippus Decius de quo etiam supra, tanto majores cæteris fuerunt, quanto Mediolanum Civitas alias omnes excellit, sive (addas tu) quanto olimpicum stadium cæteris pari numero factis, anteit & præstat; floruit anno 1485. & 1498. Sepultus est Papiæ extra portam qua itur Mediolanum in ædibus Sacris D. Jacobi, inque ejus tumulo sic inscriptum.

Jason Maynus Mediolanensis in consilio Comes & Eques talis qualis ille fuit hic jacet.

166. *JACOBUS ARENA Parmensis* super ff. & C. scripsit, ut *Severinus & Fichardus* testantur, adde quod extant etiam ejusdem tractatus de *excussione bonorum* de commissar. depositionibus, de expensis, de sequestratione de Banno, de quæstionibus, de cessionibus ac aliaque multa. Floruit anno 1302 nec quo in loco docuerit constat aliter.

167. *JOANNES LIGNANUS Doctor Bononiensis* egregius tempore Urbani V. anno scilicet 1380. floruit, multo tempore docuit in patria, nec minus multa scripsit in omnes *Decretalium libros,* licet edita nunquam fuerint, ad præsens in majoris Ecclesiæ Bibliotheca hic repe- riuntur manu scripta, quæ ego vidi & legi, aliaque etiam in studiosorum gratiam edita, de horis canonicis, de censu Ecclesiastico, de pluralitate beneficiorum, de duellis & de amicitia.

168. *LUDOVICUS GOZZADINUS*, illustris patria & genere floruit anno 1530. Docuit tantum eo in loco, ubi natus erat, alitus & educatus, Bononiæ scilicet, multaque scripsit in Jure repetitiones, & consilia doctissimis viris non ignota, quæ adeo eruditione sunt plena, ut legentes trahant quoscunque in sui admirationem, ibique mortuus est anno ætatis suæ 60. obitus vero 1537.

169. *LUDOVICUS BOLOGNINUS Bononiensis* Doctor, Eques,

Eques, Advocatus Consistorialis, & Ducalis, ac Regius Consiliarius, floruit anno 1499. & summa cum laude vixit, ac docuit in patria toto vitæ suæ tempore, multa scripsit quæ edita sunt, *repetitiones*, *interpretationes* legum veteres & novas, *consilia, tractatus*, *additiones ad consilia etiam Jo. Ananiæ*, aliaque pleraque arguentia ipsum talem fuisse, qualem orbis totus prædicat, & extollit. Sepultus est in D. Dominici templo, cum hac inscriptione tumulo ejus. *Omnia bona mea mecum porto*, dictumque fuit olim *Biantis Pryenæi.*

170. *LAURENTIUS CAMPEGIUS Bononiensis* Joannis de quo supra, Filius, juvenis admodum eo tempore floruit quo pater, hicque docuit una cum eo, & postea Bononiæ, deinde in Cardinalium collegium cooptatus est, & cum ad majora animum magnum atque excelsum elevasset, nihil monumentorum reliquit, nisi quod nomen (cum esset eloquentissimus, & acerrimus sanctæ sedis Apostolicæ defensor, & conservator) immortalitati consecravit.

171. *LAMBERTINUS RAMPONUS Bononiensis* Doctor egregius & advocatus antiquus fuit, quem extollit maxime Bart. *in l. 1. nu.* IX. *C. de sen. & int omn. jud.* & profundæ scientiæ magistrum suis se inquit *Jo. And. in c si pater col.* 11. *de testam. in. 6.* floruit anno 1313. & in patria docuit, nec monumentorum ipse quoque aliquid reliquit, quod videri possit, memoria tamen colendus, posteaquam viri tam celebres, ut Jo. Andreas & Bartolus (duo lumina illa juris) ipsum ad sydera tollunt. Novissime tamen in lucem venerunt distinctiones quædam, super. ff. vet. appositissime inquam conscriptæ.

172. *LANCELOTUS GALLIAULA Papiensis*, floruit anno 1513. in patria docuit, & Valentiæ in Delphinatu, multaque egregia reliquit scripta, quæ arguunt nisi admodum juvenis decessisset, digito cœlum tangere, ferireque sydera ut ajunt vertice potuisse.

173. *LAPUS CASTELLIONEUS* Florentinus, fuit etiam illustris Doctor & Advocatus Consistorialis, qui temporibus Jo. Lignani, Joannis Calderini, Butrii, & Richardi Salyceti anno scilicet 1334. seu verius 1347. floruit, magnaque erat ejus auctoritas ut testatur Rof. *sing. 39. incip. an habens in fine*, multa ingenii sui præclarissima reliquit monumenta, maxime allegationes & tractatus *de hospitalibus, & de canonica portione.*

Ludovicus Catus, supra Catus.

174. *LUDOVICUS PONTANUS* patria *Romanus* fuit, ob id quia Romæ commoratus erat, sed tamen ex Spoleto alias ortum habuit Umbriæ civitate, ut inquiunt qui vitam ipsius scripserunt, & bene vir sane

ne divinus, & doctrina ingenio ac eloquentia tunc nemini secundus, quo tempore floruit, quove in loco docuerit, & alia ex eisdem assequi poteris, solum illud addentes, quos is primo anno quo licentiatus fuit, in jure civili, legit primam partem *ff.* novi ut ipse testatur, *in l. si finita, in §. Julianus, in fi. ff. de dam. inf.* quodque habuit in punctis (*alla barba* (*il voglio pur dire nella nostra lingua per esser meglio inteso*) *delli nostri che si dottorano hoggi*) *l. si quis in tantam*, quæ repetibilis est. *C. unde vi.*

175. *LAURENTIUS RODULPHUS Florentinus* nobilis patria & ingenio, floruit anno 1503. inque ea docuit aliquo tempore, & tractatum uberrimum de *usuris* etiam scripsit, repetitis, *rub. & c. consuluit* eo. tit. de usur.

176. *LUDOVICUS GOMES Hispanus*, urbis Oriolæ Regni Valentiæ, hic scholaris postea Doctor jus civile & Pontificium aliquo tempore est interpretatus mihique dum simul doceremus in collegam datus fuit. Deinde Romam profectus, Auditor Rotæ declaratus est, anno 1518. dignitateque Archiepiscopatus Sarnensis auctus, & non multo post juvenis ex hac vita discessit, multa scripsit, *in libros institutionum, sexti decretalium, & regularum Cancellariæ Apostolicæ*, & nisi tam cito mors ipsum nobis eripuisset, absque dubio ad Cardinalatus fastigium fuisset evectus.

Lancelotus Decius, supra Decius.

177. *LANCELOTUS POLITUS Senensis*, floruit tempore Leonis X. Pontificis Maximi, anno scilicet 1512. docuit in patria, & multa scripsit, sed si quid est maximo in pretio apud omnes, & adjumento studiosis, est tractatus *substitutionum* omnibus numeris absolutissimus, repetitionesque multiplices, præsertim *l. filium quem habentem. C. famil. her. & l. re conjuncti. ff. de leg.* 111. & nisi relicto seculo fuisset religionem ingressus, alia verisimiliter edidisset, sicuti cuculatus fecit adversus Lutherum opus sane frugiferum, & multarum rerum eruditione, in spectantibus ad fidem tamen refertum, is senex admodum mortuus est, qui non amplius Lancelotus, sed nomine mutato *Ambrosius* etiam vocabatur, dum in humanis esset.

178. *LUDOVICUS BRAYNUS Patavinus* Decretorum Doctor & Jurisconsultus egregius fuit, floruit anno 1539. Patriarchæ Venetiarum per id tempus Vicarius etiam generalis, & Giberti quondam Episcopi Veronensis. Deinde reversus in patriam, cum esset quoque in cathedrali Ecclesia perpetuus Custos, docuit multos annos Jus Pontificium, & licet multa etiam scripserit, nihil tamen hucusque editum est.

179. MAR-

179. *MARTINUS GLOSSATOR Bononienſis*, licet Fichardus non dicat in ejus vita, *Goſianus* cognomento appellatus eſt, eoque argumento licet elicere, quia tenentes ejusdem opiniones, ſæpiſſime reprobatas, imo fere ſemper, Goſiani appellantur ut per Cynum *in l. unica, in §. taceant, in fin. C. de rei uxor. act.* & notandum eſt (ut ibi ſubjicit) quod erant nobiliſſimi ob partem Gibellinam expulſi.

180. *MARTINUS SILIMANI, Bononienſis* fuit etiam Illuſtris, & Antiquus Doctor, veriſimile eſt quicquid dicant Severinus & Fichardus multa ſcripſiſſe, cum ibi docuit (ut teſtatur Alberin. in proœ. C. in fin. extatque ejusdem *feudorum* tractatus, ſane laudatus nunquam ſatis, cætera ut per eos.

181. *MODESTUS POLENTONUS Patavinus* Juriſconſultus egregius, Orator maximus, & Eques, Siconis Polentoni Poetæ, & Oratoris facundiſſimi filius, floruit anno 1480. docuit hic in patria, & multa etiam ſcripſit licet edita nunquam fuerint, obiit anno 1490. ſepultusque eſt in templo Divi Joannis Baptiſtæ in viridario.

182. *M. BLANCUS Patavinus*, diſcipulus meus, Juriſconſultus eruditiſſimus, floruit anno 1545. docuitque hic in patria aliquo tempore criminalia inque agendis cauſis primus (aliorum pace dixerim) erat judicatus, tractatum reliquit editum eo vivente, *de compromiſſis*, nec non *de indiciis & tortura*, pulcherrimos, & niſi juvenis e vita exceſſiſſet, alia vidiſſemus longe pulchriora & præſtantiora.

183. Qualis quantusque fuerit *MARIANUS SOCINUS Bartholomæi Socini* pater, Senenſis patria, conſilia atque in decretales commentaria, nec non tractatus de oblationibus & de viſitationibus teſtantur, ita ut plane ſupervacaneum ſit, aliud de illius egregiis virtutibus, doctrina, eruditione & moribus in præſentiarum ſcribere, rei enim demonſtratæ demonſtrationem adjicere fruſtra eſt l. 1. ff. de dote prælegatæ & ſi quid amplius dicendum eſt, id ſolum a me dictum ſit, patriam illam Senarum nobiliſſimam & antiquiſſimam gloriari poſſe, tam magnos & divinos propemodum juris theſauros, non ſecus ac noſtra hæc Julium Paulum Zabarellam, aliosque innumerabiles peperiſſe.

184. *MARSILIUS PAPAFAVA* patricius Patavinus, Franciſci de quo ſupra frater, major natu, excellentiſſimus Doctor fuit; floruit anno 1524. legit hic in patria aliquot annos, & juvenis admodum deceſſit, calamitoſo illo tempore, quo multi alii ſane per totum terrarum orbem contagione quadam inſolita Mediciſque tunc parum nota, miſere perierunt.

185. *MARTINUS Fanensis*, Doctor celebris fuit, sed non satis nobis liquet, quo in loco docuerit, quove tempore floruerit, at solum quod aliqua scripsit, maxime tractatum de modo studendi, ut per *Alberin proœ. ssarum col. 1. qui postea dicit in §. quib. col. 2.* quod non invenitur communiter, testatur etiam *in rub. de stat. hom. in prin.* quod alium tractatum fecit pariter pulchrum & longum. Forte de jure emphiteutico ut mihi retulit Horatius Calliensis discipulus meus acutissimus & studiosus antiquitatis admodum, se vidisse alias manuscriptum, adde tu alium ejusdem *de negativa probanda*, in studiosorum gratiam editum.

186. *MARTINUS SILLANIANUS*, celebris Jurisconsultus fuit, quod eo argumento plane nobis liquet, quoniam ipsum tanquam dominum & præceptorem citat Jo. Andreæ fons legum & tuba Juris Canonici & ejusdem opinionem sequitur in *c. in præsentia*, ibi ut refert *Abb. in 14. col. in fin. de probat.* quo in loco docuerit, patriam reliqua, nobis aliter non constat.

187. *M. ANT. BAVERIA* Imolensis excellentissimus Jurisconsultus fuit, floruit an. 1493. docuit Bononiæ, Pisis, & hic aliquo tempore, scripsit in libros institutionum egregia commentaria, a doctis viris probata quam maxime, aliosque tractatus minime negligendos, & maxime de viribus juramenti, & de mora. Sepultus est Bononiæ in D. Dominici ecclesia una cum Baveria patre.

188. *MARTINUS LAUDENSIS* non est etiam sua laude fraudandus, quandoquidem fuerit ipse quoque Jurisconsultus prudentia & sapientia plenus, docuit Papiæ & Senis, & floruit maxime anno 1438. & 1445. egregiaque reliquit commentaria, adeo multa ut non facile possint enumerari.

189. *NICOLAUS MATERELLUS* Jo. Andreæ fuit contemporaneus, quod ex eo constat, quia simul in quadam causa, sibi ad consulendum commissa hic colloquium habuerunt, ut ipse Jo. Andreæ testatur *in addit. Spec. 1. ad fin. in §. sequitur videre de confess.* Docuit hic rursum Bononiæ, & Pisis, multa etiam scripsit commentaria nunquam tamen quod ego viderim edita, & etiam consilia eoque argumento licet etiam videre, quia Baldus ut suo loco diximus, gloriatur in suis 439. *in cip. Amplius in fine vol. 3.* scripsisse fusius in quadam materia, quam ipse Materellus fecisset, quem novissime citat *Cuma. consi.* XXXII. *incip. inculpatus in fine.*

190. *NICOLAUS BELLONUS Casalensis Jurisconsultus* optimus fuit, floruit an. 1542. Dolæ summa cum laude & admiratione docuit,

cuit, & Placentiæ, ut ipse testatur, *consi.* XLV. *incip.* Viso instrumento, *in fi. præclaraque* etiam commentaria reliquit, *supputationes* maxime, *repetitiones*, *tractatus Antinomiarum Juris dissolutiones*, *consilia*, *& alia quamplura*.

191. *NICOLAUS SPINELLUS Neapolitanus*, legum Doctor sublimis, scripsit in tres libros Codicis & institutiones præclara commentaria, hicque docuit, & in patria, sed quo tempore floruerit exploratum non est. Et si conjectura aliquid assequi possumus, floruit anno salutis 1342. Joanne Neapolitano Reginæ Roberti regis filiæ, olim Consiliarius, omnium calculo præcæteris sapientissimi eruditissimique Juris Monarcha Judicatus.

192. *NELLUS S. GEMINIANI* Patricius *Florentinus* fuit magni ingenii, & multum practicus, ac verus statutorum interpres, floruit anno 1423. & præclara virtutum suarum monumenta reliquit, nunquam interitura, & maxime tractatum de testibus & quod omnes alios pondere, numero, & mensura longe superat, de *Bannitis*, & quod fuerit magnus practicus locupletissimum ipsius testimonium perhibet *Franciscus Pepus* conterraneus suus *in authent. præterea, col. 69. C. unde vir & uxor.*

NICOLAUS TUDISCUS Abbas Panormitanus Siculus supra loco suo, *Abbas.*

193. *OBERTUS AB ORTO* cujus mentio in feudis sæpissime facta est, imo ipse fuit, qui *librum feudorum* compilavit, ut in *c. 1. quæ fuer. prima cauf. bene. ami. quique* magnus causarum patronus in Mediolanensi curia floruit, sed non habuit, sicuti nec Irnerius ut suo loco dictum fuit satis potestatem legis condendæ, hunc consumatissimum Jurisconsultum vocat Aluarotus in *proœ. feudor. col. 2.* & quia maxima dubitatio est, an solus feuda compilaverit; An vero ei adjutor fuerit *GIRARDUS CAGAPISTI*, nec ipse Jurisconsultus ignobilis, licet Bald. dicat, *in c 1. in prin. colu. 3. hic fine* lex Domini Federici quod fuerunt duo pecora, ad longum videndus est post multos *Molendin. in consuet. Parisien. par. 1. in princ. num. 46.*

194. *PETRUS BESSUTIUS Doctor Mediolanensis*, & *Comes* sæpe a Jasone citatus, fuit multum subtilis & insignis, ut idem refert, in *l. si ego in 2. colu. in fi. ff. si cer. pet.* Docuit Papiæ, sed quo tempore floruerit, non aliter pro nunc mihi constat.

195. *PAULUS CASTRENSIS*, consumatissimus legum vertex fuit, & juris Asylum, ut de Papiniano *Lampridius* inquit, innotescit-

que omnibus ex ejus præclarissimis commentariis & consiliis, qualis quantusque fuerit omni tempore, floruit quicquid dicatur anno potissimum 1457. in cæteris quo in loco docuerit & reliqua tibi *Joan. Fichardus* in ejus vita declarabit, & testabitur, id unum nos haud prætermittentes, jam tritum in omnium ore proverbium extare, *adeo textum bene enucleasse glossas & cætera*, *ut dicatur*, *si non esset Bartolus quod esset Paulus*.

196. *PAULUS LEAZARIUS* suo tempore clarus Decretorum Doctor fuit, quem una cum *Raynerio Foroliviensi* celebrat Abbas *in cap. cum secundum, colum. 1. de secund. nupt.* scripsit multa sed quo tempore floruerit non constat,&inter cætera quæstiones ejusdem editæ sunt adeo copiosæ & utiles,ut frugi homo eas maxime faciat.

197. *HIERONYMUS PRÆVIDELLUS Regiensis* non obscurus Jurisconsultus fuit, qui cum ad doctoratus apicem pervenisset, brevi temporis curriculo, tam magnum nomen sibi comparavit, ut non dubitaverint Bononienses tunc cum Bononiæ doceret *Ruinus*, cujus etiam fuerat discipulus publico stipendio, & quidem satis honesto sibi legendi munus demandare, in quo obeundo adeo egregie se gerebat, ut futurum eum alterum Ruinum omnes affirmarent, inque ejus locum si vixisset, nec sicarii cujusdam manu contra quem patrocinium præstiterat interfectus fuisset, absque dubio successurum, floruit anno 1523. nil aliud relinquens, nisi tractatum de peste sane utilem & pulchrum, in quo tanti juvenis ingenium, doctrinam & eruditionem tanquam in speculo contemplabis.

198. *PAULUS ORIANUS Brixianus* patria, Doctor legum, & juvenis admodum, floruit anno 1520. Docuit Papiæ, & luculentissimam atque copiosissimam repetitionem edidit *rub. & l. 1. ff. de offic. ejus*, nunquam satis laudatam. Alius fuit *ORIANUS senior*, qui hic docuit, & floruit anno 1488. quique præclarissima ingenii sui monumenta reliquit. *de probat. de jurejur. de testam. de verb. signif. de vulgari & pupillari substitutione* & alia multo plura, quæ tantum splendoris adjecerunt huic familiæ, ut inter alias Illustres jure merito possit connumerari.

199. *PILEUS MEDINA*, cum Jac. Beluisio & Petrus Cernitus Doctores antiqui delectarentur Brocardicis ipsorum fuit auctor in libello suo disputatorio, quo tempore tamen floruerit, quove in loco docuerit exploratum nobis non est, & fuit Baldi memorabile dictum in *cap. 1. in §. fi. de feud. mar. in usib.* deque isto libello Pilei disputatorio, quodque alias scripsit quæstiones, testatur Alber. in *l. fin. in fi. C. de off. præ-*

præfect. prætor. Afr. & in l. 1. in fin. C. ut quæ de advoc. & in l. 1. in prin. C. ne quis in sua cauſ.

200. *PETRUS SONCINUS Patavinus* Doctor præclarus floruit an. 1494. docuit hic in patria annos 28. & juvenis admodum mortuus eſt, multa ſcripſit in ordinarias partes veſpertinas nunquam tamen edita, quia nec recognita fuerant veriſimiliter, ex quo (ut vidi ego) mutilata ſunt, & cum invida mors dum floreret, ipſum eripuerit, recognoſci facile non potuerunt.

201. *PAULUS PICUS Papienſis*, nobilis & acutus Juriſconſultus, floruit anno 1493. docuit in patria, edidítque ſane commentaria ita ſubtilia ne copioſa dicam & prægnantia, ut non facile ſibi æqualem inveniat.

202. *PAULUS ex FRESCHIS* Oppidi Maroſticæ Vicentini diſtrictus civis ac juvenis ingentis ſpiritus & magnæ ſpei, dum hic jus civile profiteretur, anno quo maxime florebat 1498. domum rediens ab hoſte nocturno obtruncatur, quod carmen tumulo ejusdem inſcriptum declarat, tibique hoc ipſum dixiſſe ſit ſatis, qualis quantusque erat, qualis quantusque futurus, niſi livor edax illi vitam ademiſſet; ſed jam audias carmen, & caſum innocentiſſimo juveni calamitoſum atque funeſtum deplora.

Cui genus ex FRESCHIS cui clara MAROSTICA tellus.
PAULUS in exiguo contegor hoc tumulo.
Doctor eram juris cenſura clarus utraque,
Et juvenis tota notus in Auſonia.
Nocte domum repetens, nocturno obtruncor ab hoſte
Me dedit huic virtus invidioſa neci.

203. *PROSDOCIMUS COMES Patavinus* vir ſingularis & doctrina exquiſita, floruit temporibus *Raphaelis Cumani* & Fulgoſii de quibus ſupra, quod videre licet ex ſubſcriptionibus ejusdem ad conſilia prædictorum. 1. 24. 57. 70. 81. 102. 104. 128. Docuit in patria multo tempore, præſertim jus pontificium, multaque etiam ſcripſit licet nihil editum ſit niſi tracta. differentiarum Juris Civilis & Canonici, necnon de conſanguini. & affini.

Petrus Andreas Gammarus Bononienſis, ſupra Andreas.

204. *PETRUS MAUROCENUS Venetus* legum Doctor celeber-

leberrimus qui tanquam de literis optime meritus postea ad Cardinalatus fastigium evectus est, floruit anno 1424. & scripsit commentaria super. VI. Decretalium, licet impressa nunquam fuerint, magna literatorum hominum, & maxime Juris Pontificii jactura.

205. *PETRUS PAULUS Parisius Consentinus*, magnus legum professor, qui hac de re primum Auditor Cameræ Apostolicæ electus est, postea Cardinalis, sub Paulo III. Pontifice Maximo creatus, floruit anno 1518. Docuit Romæ primum, hic postea, & Bononiæ, magno stipendio, multaque scripsit, sed nihil editum est nisi *repetitiones & commentaria* in *Decretales*, ac *titulos*, quosdam & *ingentia consiliorum volumina* ex quibus sibi etiam maximum auri pondus comparaverat.

206. *PAULUS CITTADINUS Mediolanensis*, docuit Friburgi, & floruit tempore Maximiliani Imperatoris, anno scilicet 1500. & aliqua scripsit præsertim tractatum & præcipuum quidem *de jure patronatus*, si maxime cum alio, *Rochi Curtii*, Papiensis, de quo infra, legere aspernatus non fueris.

207. *PAULUS DOTUS Patavinus*, erat etiam magni nominis Jurisconsultus, quod ex subscriptionibus ad consilia Cumani, & Fulgosii factis liquet, eo tempore igitur quo & *Prosdocimus Comes*, & *Christophorus Castellioneus*, & *Jo. Lignanus*, & *Florianus S. Petri*, & prædicti *Cumanus ac Fulgosius* de quibus supra, & infra sine dubio floruit, docuit hic in patria, & multa super Decretalibus scripsit, licet edita (quod ego viderim) nunquam fuerint.

Papinianus, supra Æmilius Papinianus.

208. *PETRUS ALVAROTUS Patavinus*, aliis non inferior, nec tam illustri domo indignus, aut degener, decus auxit & gloriam, & non solum hic, verum etiam Bononiæ docuit, ut ex quibusdam subscriptionibus apparet, floruit anno 1393. monumentorum nihil reliquit tametsi scripserit multa.

209. *PETRUS FRANCISCUS RAVENA*, legum interpres, docuit hic, & Ferrariæ multo tempore, & floruit anno 1474. verisimileque est scripsisse etiam multa, sed nihil circumfertur, quod legi possit, nisi alphabetum utriusque juris editum jam multos annos utile admodum studiosis & frugiferum.

210. *PETRUS SAXONIA* fuit Doctor alicujus nominis, sed non quod certi aliquid habeamus, sicuti nec de aliis quampluribus, quo tempore floruerit, vel quo in loco docuerit, nisi quod ipsum solemniter citat *Flor. in l. regula in §. 1. in fi. ff. de jur. & fact. ignor.*

Parisius

Parisius, supra Petrus Paulus Parisius.

211. *PHILIPPUS DECIUS Mediolanensis*, satis notus est ex dictis supra, in verbo *Decius Junior* novissime tamen addendum putavi, obiisse Pisis (quod ibi dictum non fuit) anno 1535. vidique ego ipsius tumulum in loco, qui vocatur campus sanctus, prope Ecclesiam Cathedralem, refertque etiam Marianus Socinus Junior, ejusdem compater, *consil. suo 127. incip. Viso themate, num. 2. volu. 1.*

212. *PETRUS ANCHARANUS*, nec in vita istius esset immorandum, quoniam scribit Fichardus, sed quia non satis, addendum est, floruisse anno 1385. & 1399. secundum alios, & si Salycetus contemporaneus fuit (ut ferunt diximusque in vita ejusdem supra) erit annus 1408. Docuit hic, & Bononiæ, & ipsum Doctorem illustrem vocat Aretinus consil. XXX. *incip. Viso themate, col. 3. & 5. & consil.* LXXIII. *incip. diligenter, colu. 4.* non quia veram haberet dignitatem, sed ob præclarum ejus ingenium, morum elegantiam, & literarum eruditionem, ut in simili de Jacobo Ravennate inquit Baldus quod & ipse quoque hac de re illustris appellabatur *in proœ. ffarum, in fin.* verum juris interpretem quoque dicit *Barba. in l. cum acutissimi, colu. 97. C. de fideicom. & quod consi. 349. incip. de jure. & consil. 385. incip.* Licet, aliquid habuit, ultra hominem *Jas. in l. certum, col. 2. ff. si cert. pet. & quod* fuerit discipulus *Baldi* ut inquit idem Fichardus, ipsemet *Ancharanus* testatur in pluribus locis; præsertim *consil. 142. incip. Clarior col. 2. & consil. 144.* incip. posset argui. *col. 1. & consil. 163. incip. Visis, col. 1. & consi. 170. incip. principaliter, col. 1. & consil. 172. incip. in causis, colum. 1. & consil. 202. incip. Circa, col. 1. & consil. 213. incip. pro isto col. 2. & consil. 220. incip.* Hæc quæstio, *colum. 2. & consil. 237. incip.* Quia in primo, *colu. 2. & consi. 269. incip. Pro declaratione, colum. 2. & consi. 283. incipit Jure stricto, in fine* ubi non solum Dominum suum & præceptorem vocat, sed etiam legum patrem, & *consil. 308. incip. Prima facie, col. 2. & consil. 427. incip. Circa primum, col. 1. & quod super ff. novo. & Cod.* etiam scripserit nedum in Decretales Sextum in Clementinas, ut adhuc idem Fichardus ait, liquet ex eo, quod consilium supra allegatum 269 testatur, se de materia illius consilium dixisse, in *l. si quis arbitratu ff. de verbo. obl. & consi. 350. incip. In quæstione, col. 2.* dum dicit late scripsisse, an propter majoritatem rationis inducatur legum correctio in *l. 2. C. de noxa.* Non omittentes hoc unum quoque quod fratribus minoribus longe magis quam aliis favebat, quoniam eos etiam plus diligebat, nec aliunde favor proveniens, ut ipse ingenue fatetur *consi. 214. incip. Franciscus in princ.*

Panor-

Panormitanus, ſupra Abbas.

Romanus, ſupra Ludovicus Romanus.

213. *RAPHAEL CUMANUS* ex nobiliſſima *Raymundorum* familia fuit, eodemque tempore *Fulgoſius Placentinus*, duo lumina Juris, ut duo illa fulgura belli, Scipiadæ, floruerunt anno 1426. quicquid dicatur ab his qui ipſorum vitam ſcripſerunt. Imo quod Cumanusmet, ſe hic diſputaſſe meminit, an quod legitur in §. *habeat in Authen. ut Ecclеſ. Rom.* procedat nedum civili jure, verum etiam Canonico. anno 1424. *conſi. 67. incip. Statuto in fine* adde etiam quod *Bald. conſi. 108. incip. quæritur, in fine volu. 1.* Fulgoſium ſocium & amicum vocat, quodque ſic Jacobum Iſolanum eodem tempore florentem appellat pariter, *conſil. 88.* Ex infelicitate fati, *in fine eod. libro* & quod denique Cumanus (de Fulgoſio notum eſt, ſepultus fuit in templo Divæ Juſtinæ prope altare S. Proſdocimi, a latere dextro) & præter hæc ſubtiliſſimus a Jaſone Mayno judicatus eſt, *in l. cum filius familias, col. pen. ff. ſi cer. pet.* ſicque etiam dicit *Barba. in c. Raynaldus in repe. colu. 6. de teſtam.* quod ſuo tempore hujusmodi erat, imo quod ambo libenter contra communes opiniones tenebant, adeo ſubtili erant ingenio.

214. *RECUPERUS a S. MINIATO*, fuit Doctor antiquus & maximæ autoritatis, ex eoque conſtat, quia Bartolus honorifice ipſum citat, *in l. conditioni, in fi. C. de inſti. & Bal. in l. non ſolum in §. fi. ff. de excuſ. tut. & in l. ubi adhuc, col. pe. C. de jure dot.* ſi docuerit, & quo in loco, neſcimus, certi tamen ex his, quod temporibus Bartoli & ejusdem Baldi maxime floruerit. Atteſtatus etiam in *l. Libertinus in fi. ff. de ritu nupt.* quod fuit diſcipulus Joannis Andreæ.

215. *ROCHUS CURTIUS Papienſis*, in patria jus Pontificium docuit, & floruit anno 1525. ſcripſit multa præſertim tractatum de jure patronatus cujus etiam ſupra mentio facta eſt, & de conſuetudine *repetitio c. fi. eo. ti.*

216. *ROBERTUS CREMONA* nec iſtius certi aliquid habemus, niſi id tantum, quod idem Baldus aliquando dedignatus non eſt, ejusdem opiniones referre, in materia ſtatutorum Bononienſium & Patavienſium, ſi occiſor pacem habuerit ab uno ex hæredibus occiſi, & non ab aliis, an gaudeat beneficio ſtatuti, quod ſoluta certa quantitate pecuniæ communi eximatur a banno in *l. 2. col. 2. C. de liber. & eo. libe.*

217. *ROLANDUS PLACIOLA Patavinus* Doctor maximus fuit, qui non ſolum hic in patria docuit verum etiam ſcripſit *Rolandinam ſummam*, & in *conſtitutiones feudorum* egregia commentaria, ut Alvar.

Alvar. ibidem *in proœmio* teſtatur, & *de pace tenen. col. 2.* Tantæ auctoritatis amplius, ut Baldus omnium princeps ipſum citare non erubeſcat, in dicta *ſumma ſub rub. inventarium ab hæredibus &c.* quod in inventario non requiruntur multæ ſolennitates quodque ſufficit quod factum ſit coram judice citatis citandis, in *l. fin. in fi. prin. C. de jure delib.* Sepultus eſt, in Cimiterio eccleſiæ Divi Antonii Confeſſoris, juxta capellam luporum, ubi tibi ipſi mutuabis tempus, quo floruerit, & alia longe plura, virtutis & excellentiæ tanti viri teſtimonium locupletiſſimum perhibentia.

218. *ROBERTUS MARANTA, Venuſinus*, floruit anno 1519. docuit Salerni, pluraque ſcripſit, repetitiones, diſputationes, & ſpeculum advocatorum, quod *Pomponius* ejus filius diſcipulus meus elegantiſſimus, Juriſconſultus egregius, in lucem dedit, me impulſore, ob memoriam tanti viri, longo intervallo poſt ipſius auctoris mortem.

219. *RICHARDUS MALUMBRA Cremonenſis Juriſconſultus* fama ſuper æthera notus, ſæpiſſime ab interpretibus noſtris citatus, & cujus vitam *Severinus ac Jo. Fichardus* optime deſcripſerunt, adde tu dum idem *Fichardus* ait, hic floruiſſe, & docuiſſe tempore Regis Roberti, Cynum ita referre & amplius quod eo vivente, ex hac vita deceſſit, *in l. ſi viva matre, in fin. C. de bon. mater.* quodque fuit diſcipulus & auditor *Jac. Are.* & præceptor *Alber. Roſa.* ut ipſe teſtatur *in proœ. digeſtorum col. 1. & in l. omnem, col.* IV. & quod denique Ancharanus vocat ipſum patrem legum *conſi. 248. incip.* Ad prædicta *col. 3.* & Barba. ſolemnem doctorem *in rep. c. Raynaldus col 18. de teſt.* & quod ipſe Cyn ac Raynerius mirum in modum in jure floruerunt ante tempora Bartoli *col. 20.* citat ipſum etiam *Baldus in diſputat. incip. habet conſuetudo, quam hic fecit, conſil. 429. incip.* Ad evidentiam, *col. 2. volum. 3.* & dictu mirabile eſt, quod aliquando fuerit Bononiæ relegatus, ut per Bartolum *in l. ſiquis ſub conditione nu. 27. ff de teſtam. tut.* Hic leges etiam compoſuit Reipublicæ Venetæ, ab Illuſtriſſimo D. noſtro Vocatus, Venetiisque ſepultus eſt, in Cimiterio Fratrum S. Jo. Pauli, prope portam eccleſiæ. Fuit etiam alius *Richardus de Senis*, qui Neapoli docuit, ad Cardinalatus faſtigium poſtea evectus, cujus meminit *Cyno in l. fi. in fin. C. de fer.* ſed non Malumbre, ut ſentit *Cæpolla Lapſus. in l. 1. nume. 5. ff de ædilit. edict.*

220. *RICHARDUS SALYCETUS*, Bononienſis Doctor, fuit (ut ferunt) magnus textualis, floruit anno 1360. quamvis Severinus teſtetur floruiſſe potius Baldi temporibus, cui credendum eſt Judica tu.

221. *RAYNERIUS ARSENDUS Forolivienſis*, floruit anno 1330. fuitque Bartoli præceptor, (ut ipſe teſtatur quæſtione *incip. judex. 19. & in l. ſi is qui pro emptore col. 4. ff. de uſucapion.)* mirandumque eſt maxime, quod in caſu dixerit alibi ipſum male conſuluiſſe, *in l. ſi pater, in fi. C. de inſti. ubi Paul. Caſtrenſ.* reprehendit Bartolum. Docuit Piſis, Bononiæ, & hic, fuit etiam Auditor ſacri Palatii, & Conſiliarius Caroli Boemiæ Regis. Repetiit *l. omnes populi. ff. de juſtitia & jure* anno ætatis ſuæ 35. & dicere ſolebat etiam quod nullum conſilium inveniri poteſt contra legem. Sancimus *C. de donat. ut refert Baldus conſil.* CXIII. *incip.* Quædam ad *fin. vol. 1.* ipſumque ſolemnem doctorem appellat *Abb. in c. cum ſecundum*, una cum Paulo Leazario, de quo etiam ſupra, *de ſecund. Nupt.* & idem facit Albericus teſtatus amplius licet viva voce ipſum non audieritis, ſcripta ejus tamen legiſſe, quodque viſa ſibi fuerunt, ſubtilia, utilia, delectabilia, & realia, & quod ſua laus comparative eſt infima, *in proœ. ff. novi col. pe. aliquid Bartolus* deque aliis de quibus ſupra *in l. ſi quis ſub conditione nu. 27. ff. de teſta. tute.* & præter hæc, nonnihil nos etiam infra, Signorolus Homodeus.

222. *RAYMUNDUS BARCHINONENSIS*, fuit vir admodum literatus de quo *in proœ. Decretalium ibi ſane diverſas conſtitutiones, & Decretales, epiſtolas &c. Per dilectum filium fratrem RAYMUNDUM CAPELLANUM & pœnitentiarum noſtrum, in unum volumen redigendas procuravimus*, oriundus, ut *ibi dicit* Abbas in fin. ex Catalonia, ubi ex promiſſo non datur actio, & ad propoſitum quod dictæ compilationis cauſa efficiens proxima fuit Greg. IX. Pontifex Maximus quem ſummopere extollit idem *Abb. in c. Piſanis, col. 5. de reſtit. ſpol.* remota autem Deus a quo cuncta procedunt. Inſtrumentalis vero Raymundus prædictus, qui ſub eodem Pontifice, floruit anno maxime 1227. ſcituque dignum eſt, eundem Gregorium, Peruſii Gymnaſium extruxiſſe, Raymundum autem, ut Platina inquit graviſſimus auctor, ita quoſdam laudare, ut nemo majori commendatione laudari poſſit.

Speculator, ſupra Guilielmus Durandus.

223. *SI-*

223. *SIGNOROLUS HOMODEUS Mediolanensis*, præclarissimus fuit Jurisconsultus, Miles & Comes Palatinus, multaque reliquit commentaria selectarum quarundam legum, & volumen consiliorum, satis amplum. Fama ab omnibus tunc notus & quem etiam vita functum, ipsius recordatione posteritas colit & veneratur, ipsiusque inter cæteros honorifice mentionem facit Albericus *maxime in l. qui in utero, col. pe. ff. de statu. hom.* Floruit tempore *Raynerii Forolivienfis*, de quo supra, quod eo argumento licet videre, quia fuit ejus discipulus, contra quem scribit, quia in quodam casu voluit se & suum errorem corrigere, ut ipse Raynerius testatur *consil. ult.* quod inter consilia ejusdem *Signoro* insertum est, evenitque istud ipsum dum hic idem Raynerius actu legeret, Imperantibus *JACOBO ET JACOBINO CARRARIENSIBUS*, quo in loco idem Signorius docuerit non satis exploratum habemus, nisi Vercellis quanquam verisimile sit Taurini quoque vel Papiæ, quod aliis Mediolanensibus negatum est nunquam, absque dubio etiam docuisse.

224. *SIGISMUNDUS BRUNELLUS Patavinus Doctor* excellens, floruit anno 1538. Docuit hic in patria Jus Pontificium aliquo tempore, & juvenis admodum vivo adhuc patre Jacobo nondum annum 40. ingressus, ex hac vita decessit, anno 1543. scripsit verisimiliter, sed cum nihil unquam ad lucem pervenerit credibile est hæredum incuria omnia periisse.

225. *SALVIUS JULIANUS* est qui dixit, & si alterum pedem in sepulchro haberem, adhuc tamen addiscere vellem, memorabilisque vox apud *Pomponium extat l. apud Julianum ff. de fideicom. libert.* testaturque etiam Rutilius & quod jam annum sexagesimum agebat Petrus Ancharanus consil. 410. incipit *Ponderata, col. 2.* late Pragmatica Sanctio *in §. cui rei, in gloss.* juvenibus & ad idem dicebat quoque Solon, multa quotidie se discentem consenescere, & Plato ille divinus, quo nihil majus habuit Græcia, Philedono cuidam, ipsum carpenti, quod non minus in dicendo, quam in docendo studiosus ac sedulus esset, & quoad discipulus esse vellet interroganti, quod hujusmodi esse volebat, donec meliorem atque peritiorem esse ipsum non pœnituisset, argumentum plane apertissimum, qualecunque horum sapientissimorum hominum dictum acutius contemplemur, menteque revolvamus semper, & a quocunque discendum esse, etiam si quercus loquatur, hunc ad propositum citat et-

iam *Africanus in l. frater a fratre ff. de condiƐt. indeb.* & ejus auctoritate fretus Paulus, condidit *l. Julianus ff. eod.* nec dubitarunt in *l. non sine C. de bonisque liber.* Leo & Anthemius Impp ipsum magnæ existimationis virum, & disertissimum Jurisconsultum appellantes, opinionem ejus tunc sequi, æquitati maxime convenientem, Et quod sapientissimus fuerit legum & perpetui edicti conditor, ut idem Rutilius ait & bene, habetur etiam originaliter in authentica *quib. modis natur. effic. le.* in prin. & in l. 2. in §. contrarius, in fi. ver. sed quia divinæ quidem res. C. de ve. ju. enuclean. nonnihil in l. siquis servum, in fi. C. de condic. inde. ibi. & hujusmodi sententiæ, subtilissimum testem adducit Salvium Julianum summæ auctoritatis hominem, & Prætoriani edicti ordinatorem.

Socinus, dictum est supra Bartholomæus Socinus.

226. *THOMAS PARPALEA Taurinensis*, floruit an 1510. & docuit in patria tantum, multaque edidit præclarissima commentaria, fuit ordinatus, eruditus, & subtilis, omnesque veneres, in hac nostra juris prudentia, complexus est.

227. *THOMAS ZANECHINUS Vicentinus* inter egregios Doctores absque dubio est enumerandus quandoquidem in dicendo, ac disputando non minus promptus esset, quam in disponendo prudens & gravis, eoque magis quia in Inclita Venetiarum Civitate, multo tempore forenses egit causas, postea hic Jus Pontificium docuit, summa cum laude, & gloria, donec laboribus fractus, senex admodum vitam cum morte commutavit an. 1538. unde elicere potes, quo etiam tempore floruerit, scripsit multa, sed nihil unquam edidit.

228. *VINCENTIUS SALVIOLUS*, alias ab ocha appellatus Bononiensis, floruit anno 1518. docuit in patria, & hic, multaque præclarissima commentaria & consilia scripsit, sed nihil editum est quod legi possit, nisi subtilis admodum & copiosa repetitio *rubr. sol. mat.* erat enim bonus vir, plenus modestiæ, & humanitatis, & *Petri Pauli Parisii*, de quo supra, concurrens, dum hic simul magnis profiterentur stipendiis.

229. *VINCENTIUS RUBEUS Patavinus* Jurisconsultus celeberrimus magnus Practicus, & assessor illustrium virorum sæpissime fuit, floruit anno 1539. & hic in patria per aliquod tempus etiam docuit, & cum postea a publico docendi munere se abstinuisset, curæ reipublicæ admi-

administrandæ animum adjecit, & cum, ut est in proverbio, jacuisset sub pondere cymba, gravi morbo oppressus, anno cretico ætatis suæ, 63. ex hac vita discessit.

230. *VINCENTIUS HARCULANUS Frisius*, sic vulgo appellatus, patria Perusinus fuit, honestis ortus parentibus, & Juris prudentia clarus, qui docens in patria tam magnum nomen sibi compararat ut per totam Europam undique personaret, diceretur que tunc vulgo, (quemadmodum de Socrate Laertius ait) *Mortalium unus Frisius vere sapit.* Floruit anno 1502. suique moriens præclarissimis monumentis memoriam reliquit posteris, in ordinarias partes (ut ajunt) vespertinas quæstiones aliquot, cum elegantes & doctas, tum utiles & quotidianas, multarumque rerum eruditione refertas, nec non ingentia consiliorum volumina, quæ etiam præter cætera, ut fama est, propediem imprimentur.

231. *UBALDINUS EX MALAVOLTIS*, fuit magnus Advocatus, quod ex eo constat, quia meminit post Cynum Bartolus in *l. si quis sub conditione, in fi. ff. de testam. tut.* ubi aliorum præstantissimorum Doctorum tunc temporis florentium, opiniones etiam recitat, præsertim Jacobi Butrigarii Raynerii Foroliviensis Richardi Malumbræ & aliorum quo tempore tamen floruerit, & quo in loco docuerit exploratum non est, & minus quod monumentorum aliquid reliquerit, hujus etiam meminit Baldus *in l. inter socerum in. §. cum inter col. 7. ff. de pact. dot.*

232. *UBERTUS BOBIUS* sæpe etiam a Doctoribus citatus est, solum istud addendum putavi, quod in Gymnasio Vercellensi legebat actu ut testatur *Albericus in l. de creationibus, col. 2. C. de episc. audient.* Verum quo tempore non satis constat. Scripsit libellum cujus titulus est, *patria potestas*, ut idem *Albericus dicit in l. 1. C. de his qui in eccl. man. & in l. 3. col. 2. C. de jura. cal. & col. 10. tracta. de positio.* & alia quæ non refero.

233. *UBERTINUS ZUCHARDUS Corrigiensis*, floruit anno 1536. Docuit Ferrariæ, & multas egregias repetitiones edidit, vivens, maxime qui admitti, de edicto divi Adriani tol. *de bonor. poss. contra tab.* & pleraque alia si vixisset absque dubio dedisset in vulgus, verum senex decessit, nec potuit, ut mihi dixerat cum essem Ferrariæ secum, exequi quod animo conceperat.

Alios quamplures scripsissemus, in hoc albo, sed quia non satis nobis constat, quo tempore quove in loco docuerint, silentio eos præteri-

 re

re decrevimus, molestiam hanc relinquentes aliis, putantesque satis esse horum paucula hæc quoque percurrisse, nec rursus præsentium mentionem fecimus de industria qui florent nunc Biturigibus, Tholosæ, Romæ, Pisis, Neapoli, Bononiæ, Ferrariæ, hic Papiæ, aliisque in locis, Germaniæ & Hispaniæ scholis & quia etiam moris non est, vel ut ipsi denique post funera cum loquendi tum scribendi posteris materiam quoque præbeant juxta illud tritum jam factum sermone proverbium. *Præsentes judicent posteri.* Et si in aliquo erratum est, quo lector offendatur, supradicti *Rutilius* scilicet *Severinus*, *S. Blasius*, *Cotta*, *Nevizanus*, & alii omnino supplebunt.

Laus Deo Optimo maximo.

Ἐλέγχαν.

1. CENSURA NONNULLORUM JURISCONSULTORUM ex diversis scriptis excerpta. Invehitur *in ROMANUM Barbatia* eumque appellat *miserum* quia erravit in *l sciendum, col. 15. ff. de verbor. obl.* & subjicit, quod arbitratus est eo in loco, se summam Minervæ arcem superasse, nec tamen oculos habuit, qui eam videre potuerint.

2. In *SOCINUM Decius* Junior, quod in causa magni ponderis luce, consuluerat contra ipsum leviter, quodque postea viso suo consilio, ad literam rationes refert, eisdemque respondere conatur & minus sufficienter, in *c. at si clerici, in princ. colum. 6. de judic.* & quod uterque locutus est contra text. in *terminis* ostendit *Galliau.* ac in casu, de quo per eum, *in l. Centurio, col. 12. de vulga. & pup. sub.*

3. In *BARTOLUM Corsetus*, quod non fuit bonus Canonista, in *singular. venditio 2. aliquid Ancharan. consil. 429. incip. pro evidentia col. 1.* & plus quod nititur ostendere Romanus *singula. 332. incip. malefidei*, quod est locutus contra casum legis, *in l. cum proponeretur, in §. prædiis. ff. de legat. 3.* Idemque facit *Bald. in l. hæreditas, in fi. C. de his quib. ut indig.* & ore rotundo, *in l. super longi col. 4. C. de præscrip. long. tempor. & Ang. in l. in his, in §. 1. col. 2. ff. sol. mat.* quod non est recordatus de tex. *in l. si servus communis ff. de don. int. vir. & uxor.* & quod non recte intellexit *l. defunctis C. de legit. hær.* Idem Baldus ibidem *col. 2.* & quod erravit alibi, etiam in *l. executorem, col. 3. C. de execu. rei jud.* nonnihil *Abb. in c. fides Apostolica, colum. ult. de rescript.* & quod fuerit sibi ipsi contrarius, *in l. quod te. ff. si cer.*

si cer. pe. & in l. Paulus col. 3. ff de sol. ostendit Jason in *d. l. quod re. col. 6. & in l. hæc verba, col. antepe. ff. de lega. 1.* immo quod dixit adhuc, contra casum legis, docet ibidem *col. pe. & in l. ejus qui in Ver. quas vero, col. 2. ff. si cert. pet.* quodque erravit rursum in *l. cum procurator in §. si dominus ff. de nov. oper. nun.* testatur Baldus *in c. 1. in §. sancimus col 2.* quo tempor. *mi. in usib. alibi* vero quod inadvertenter loquatur, idem Jason demonstrat, in *l. si unus, col. 2. C. de testam.* & contra casum legis, novissime idem Bald. in *d. c. 1. in §. 1. col. 2. quo tempor. mi. in usib. & in l. 1. col. 2. ff. de donat.* & quod erravit, in intellectu. *l. amicissimos. §. Lucius Titius ff. de excus. tut. ibidem col. 2. & in l. comparationes, col. 3. C. de fide instru.* & plus dicit consi. 486. incip. licet volu. 3. quod assessores sequentes ipsum *in l. eos. ff. ad legem Corn. de fals.* sunt cæci, & quod erravit ibi in positione casus.

4. In BALDUM *Barbatia,* quod in *l. ut vim. Ver.* quinto quæritur *ff. de justit. & ju. allegat tex. in l. cum alienam C. de legat.* quod amicus levi amicitia conjunctus, amicum sine mandato non defendit, & nescivit cum ille tex. hoc non dicat adducere glossam *in l. in testamento ff. de fideicom. lib.* subjiciens illustre ingenium Baldi in hoc defecisse, in *l. cum acutissimi col. 41. C. de fideicom.* & in alio dum dicit adhuc ibidem, quod amici veniunt appellatione suorum, & nihil allegat cum de hoc sit gloss. *in l. 2. C. in quib. caus. colon. cens. lib. 10.* invehitur etiam *Alex. in l. quod meo col. 3. de acquir. pot.* quod multa mirabilia dixit, in Decretalibus, quæ tamen non probavit, & quod in intellectu *l. Macedoniani. C. ad Macedon. erravit,* tradit Roma in *l. si donatione in fi. C. de collat.* & testatur Jason quod aliquando est etiam ipse locutus contra casum legis, refertque idem *Alex. in l. cum ex filio, in §. quidam, col. 1. ff. de vulg. & pup. subst.* Idem *Jas. in l. si ex tribus col. 2. C. de inoffi. testa.*

5. In CYNUM Baldus *in l. fi. in fin. C. de usuf.* quod gloriatur se mirabilia dixisse in *d. l. fin.* & scit Deus (inquit Baldus) si dixerit veritatem, quod etiam refert Barbatia in *l. cum acutissimi col. 75. C. de fideicom.* Et quod est locutus ipse quoque contra casum. *in l. 1. Col. 2. C.* communia de legat. & pejus dicit, *in l. 1. col. 1. C. de his qui ante aper. tab. Bar. in l. eandem col. pen. ff. de duo. reis* & quod in *l. 3. C. plus val. quod agit.* erravit in intellectu *c. ad nostram, de jurejur.* firmet *Abb. consi. 77.* in præsenti consultatione *col. 2. vol. 1.*

6. In ABBATEM & BUTRIUM, idem *Barbatia in d. l.* cum acutissimi, *col. 104. C. de fideicom.* quod erraruut, quodque defecerunt in salutari suo

ſuo volentes in *cap. tanta qui fil. ſint*, legi illa verba legitimi habeantur, eſſe verba fictionem importantia, quia non eſt verum cum ſint prolata a legislatore, & debeant conſequenter pro veritate capi, & ut ibi per eum Fuſius.

7. In *MARTINUM Gloſſatorem*, quod ſolus erat in opinionibus, licet totus mundus teneret contrarium. Gloſſa. *in regul. Cancellar. 32. col. pen.* quod nihil aliud eſt facere quam deſipere, quodque ſcutum albo nigroque variabat, ut telorum omnem vitaret amaritudinem *l. hæres §. fin. ubi gloſſ. ff. de petit. hær.*

8. In *INNOCENTIUM* & *BUTRIUM* ſe involventes *Abb. in c. cum Eccleſia Sutrina col. 4. de cauſ. pop. & prop. & 11. pariter, & in c. quoniam contra col. 10.* de probat. & *in c. dilectus. 2. de ſimon. & in c. 2. col. 8. de lib. oblat.* imo quod nititur oſtendere, in *c. extirpandæ, in §. quæ vero col. 24. de præbend.* quod idem Innoc. in caſu de quo ibi eſt ſibi ipſi contrarius. Dicit etiam in *c. ex conquæſtione col. 6.* ad fin. quod Hoſtienſe ſolet reprobare ejusdem opiniones rigoroſas, & de Butrio quod eſt locutus contra caſum legis, teſtatur *Alex. in rub. ff de offic. jus in puncto de quo ibi col. 2.*

9. In *PETRUM ANCHARANUM*, quod non fundavit ſe ſuper firmam Petram, *conſil. 192.* incipiens *in auxilium*, quodque aurum & pecunia corruperunt veritatem & juſtitiam, & quod denique coegerunt eum male conſulere, in caſu de quo per Jaſ. *in l. 2. col. 4. ff. de juriſ. omn. judi. Areti. conſil. 94.* incip. Reſpondeo col. 1. in fi.

10. In *JO. ANDREAM* ſeu *Archidiaconum*, quod eſt locutus contra caſum legis, Romanus ſingular. 693. incipiens. *Ex longæva, & ſingula. 667. incipien. Nos ſumus.*

11. In *OLDRADUM LAUDENSEM*, quod ſit locutus contra caſum legis pariter oſtendit *Bald. in l. 1. in princ. C. de fur.* nonnihil quod imperite loquitur, *in l. ex teſtamento, in fin. C. de fideicom. & in l. 2. col. 2. C. de liber. & eo. liber.* quod vacillavit, & *in l. 1. quod* adhuc contra caſum legis locutus eſt *col. 2. ff. de donat.*

12. In *AZONEM* Abbas quod ejus opinio eſt contra caſum legis, in *c. relatum, col. 1. de offic. dele.*

13. In *ALEXANDRUM IMOLENSEM*, quod ſimili modo locu-

locutus est contra casum legis, Decius *seni. in l. 1. col. 5. ff. de offic. ejus, & Jason. in l. si ex toto, in §. si ita legatum col. 4. de lega. 1.*

14. In *SIGNOROLUM HOMODEUM, Raynerius Foroliviensis,* Præceptor, inque Præceptorem *Signorolus* discipulus, iste *consil. 69. incip. In quæstione. ille consil. 263. incip.* Ad confusionem cujusdam nostri discipuli, quod insertum est in volumine consiliorum præfati Signoroli, & Baldi etiam quod ipse male intellexit Doctores *in l. 1. C. de bon. ma. in l. fi. in §. ubi autem. C. de bonis quæ libe.*

15. In *NICOLAUM MATERELLUM*, quod in levi puncto erravit, Bald. *in l. fi. in §. si autem. C. de jure delibe.*

16. In *JACOBUM ARENAM*, quod est locutus contra casum legis, *Bal. in l. 1. col. 2. C. communia de lega.*

17. In *PETRUM & JACOBUM RAVENA*, Baldus quod eodem modo erraverint, loquentes pariter contra casum legis, Bartolus *in l. eandem, in penultimo col. ff. de duo. re.*

18. In *SPECULATOREM*, quod in eadem navigaverit navi, idem Bartolus *in l. cum oportet. columm. 2. C. de bonis quæ libe.*

19. In *SALYCETUM* Paulus Castrensis *consil. 154. incipien.* Super primo, *in fin. volu. 1. quod in l. cum te. C. de donat. ante. nupt.* utatur verbis & expositionibus grammaticalibus, quæ tamen debent intelligi, secundum communem usum loquendi.

20. In *BUTRIUM Jason. in l. generaliter ad fi. ff. de in jus voc.* quod in *c. 2. in princ. de treug & pac.* immodeste locutus est, quando dixit appellatione asinorum venire clericos, nec ab re quoniam rationem tibi assignat tex. in *c. laicos, & in c. laici. 2. q. 7.* igitur mirandum non est.

21. In *RICHARDUM MALUMBRA*, *Bartholomæus Capovacensis Patavinus, consil. 419. incipien. Ad evidentiam, col. 2. volu. 3. consiliorum Baldus* quod erravit in quadam disputatione, quam hic fecit *incip. Habet consuetudo, an debitum bonorum subsidium, per statutum tolli possit.*

22. In *PETRUM BELLAPERTICA*, *Baldus consil. 425. incip. Visis col. 2. vol. 3. quod in l. si certis annis C. de pac.* erravit quoad intellectum. *c.* querelam *de elect.*

23, In *JASONEM Seyssellus*, quod est locutus contra casum legis, in *l. fi. colum. ult. ff. de constit. princ.* & Curtius Junior. in *l. diem functo, nu. 39. ff. de offic. assess.* quod graviter erravit in *inductione l. si pecuniam. ff. de condict. ob causam.*

24. In *DOCTORES MODERNOS Petrus Bellapertica* quod in illa difficultate, an & quando pœnalis stipulatio incipiat a præcedenti conventione graviter errant. *q. 177. incip. Si tu quæras.*

25. In *ALEXANDRINUM, DECIUM, & RUINUM, Tiraquellus*, quod sunt sibi ipsis contrarii, in consiliis *in tractat. constituti per. 3. limi. 3. fol. 119. nu. 14.*

Et ad propositum his sic statibus dicendum est, (ut dicit Hieronymus) reprehensiones vitare non posse nisi qui omnino nihil scribit, maxime quia etiam ex Cratis Thebani sententia, impossibile est aliquem invenire, qui aliquando lapsus non sit, veluti in malo punico, in quo granum quoque aliquod putridum semper invenitur, & quia nemo omnibus horis sapit. Nec est in medico semper relevetur ut æger.



IV. JOAN-

IV.
JOANNIS BAPTISTÆ DE GAZALUPIS
SUCCINCTA
HISTORIA INTERPRETUM
ET
GLOSSATORUM JURIS.

V.
CATELLIANI COTTÆ
JCti MEDIOLANENSIS
RECENSIO BREVIS
INSIGNIUM JURIS INTERPRETUM
ET DOCTORUM.

VI.
MATTHÆI GRIBALDI MOPHÆ
JCti CHERIANI
CATALOGUS INTERPRETUM
JURIS CIVILIS.

JOANNIS BAPTISTÆ DE GAZALUPIS SUCCINCTA HISTORIA INTERPRETUM ET GLOSSATORUM JURIS.

NOn curet ſcholaris in uſu multos libros habere. Nam lectio multorum autorum omnis generis voluminum habet aliquid vagum & inſtabile. Certis ingeniis immorari oportet, ſi velis aliquid trahere, quod animo fideliter ſedeat. Nuſquam eſt quod ubique eſt. In peregrinatione exiſtentibus hoc evenit, ut multa habeant hoſpitia, multas amicitias. Idem accidit his, qui nullius ingenio ſe familiariter applicant: ſed omnia curſim, & properanter transmittunt. Nihil æque ſanitatem impedit, quam remediorum crebra mutatio. Nec prodeſt cibus ſumptus qui ſtatim ejicitur. Non convaleſcit planta quæ ſæpe transfertur. Diſtrahit librorum multitudo. Itaque cum legere non poſſis quantum habueris, ſatis eſt habere quantum legas. Sed modo hunc librum evolvere, modo illum, raro eſt fructuoſum. Faſtidientis ſtomachi eſt, multa deguſtare: quæ ubi varia ſunt & diverſa, inquinant, non alunt. Non refert quam multos, ſed quam bonos libros habeas: Lectio certa prodeſt, varia delectat &c. Hæc *Sen. in epiſt.* II. *pro majori parte*, unde Dominus *Cardinalis Flo. in d. cle.* I. *de magiſtris*, dicit, quod expedit ſcholari paucis libris vacare, ut poſſit commendare memoriæ quæ fuerint opportuna: ut puta ſcholari in jure ſtudenti convenit memoriæ commendare textus & gloſſas, ſine quibus fruſtra laborat, ad ſubtilitates quas non poſſet jure probare. Doctor autem indiget multis libris, & ſi fieri poſſet, omnium qui ſcripſerunt: ut ex multis poſſit elicere veriora. Tu ſi volueris plenius videre, an expediat habere multos libros, vide eundem *Sen. in libr. de Beneficiis. c.* II. & *in lib. de Vita & moribus philoſophorum. in* III. parte & *Hieron. in epiſt.* XI. & *Oldradum conſilio* LXXXV. Quod ſi omnino voluerit illos habere, & cum perfectus fuerit, illis uti: notum ſibi facio, quod

PRIMUS qui cœpit gloſſare textus & leges, fuit *GUARNERIUS*, ſeu *IRNERIUS*, dum ſtuduiſſet legibus ex ſeipſo: & legit Bononiæ unde tunc fuit maximi nominis: Et merito appellatus *Lucerna juris*: tanquam primus illuminator noſtræ ſcientiæ. Ita dicit *Odof. in l. jus civile. ff. de juſtit. & jure.* Poſt eum ſecuti ſunt *BULGARUS, MARTINUS, PLACENTINUS, JOANNES, AZO, ACCURSIUS*: quorum gloſſæ qua autoritate factæ fuerint, non me memini legiſſe; ſed circum

cum ſcripta licentia principis, an impune licuerit gloſſare, vide *Gloſſ. in l.* 11 §. *hoc autem.* (*C. de veter. jur. enucl.* Notabis tamen circa prædicta aliqua demulcentia aures auditorum. Primo notabis, quod prima *ſumma* quæ fuit in jure noſtro fuit compoſita a *RUGGERIO:* ut dicit *Odof. in rubr. C. ad legem Jul. repet.* Hujus diſcipulus fuit *ROFREDUS BENEVENTANUS:* ut colligitur ex dictis *JOAN. ANDR.* in *addit. ſpecul. in tit. de fructibus & intereſſe & in titul. de confeſſ.* Sciendum eſt etiam, quod dominus *PLACENTINUS* præclarus & famoſus juriſperitus apud Montem peſſulanum ſuper Codice & Inſtitutionibus ſummas laudabiles compoſuit: ut dicit *Azo* in *procemio ſuæ ſummæ ſuper Codice*, & incipit dicta ſumma Placentini: *Cum eſſem Mantuæ*: & iſta ſumma Placentini erat tunc melior aliqua alia quæ publicata eſſet usque ad illa tempora: ut dicit *Odofr. in l.* 1 *ff. de pactis.*

Poſt hæc *JOANNES BASIANUS* Cremonenſis fecit unam ſummam breviſſimam ſuper Pandectas, de quo *Odofr. in l.* 1. *in princi. ff. de edendo.* dicit, quod erat ventoſa, & quod illam ſolum fecit ut Placentinum reprehenderet, & quod aliquid boni non eſt in illa ſumma. Idem Joannes fecit quandam lecturam ſuper *C.* Iſte Joannes fuit præceptor Azonis: ut in ſumma Azo. *ſuper C. in tit. pro ſocio.* de quo in gloſſa fit ſæpe mentio. Floruit anno domini MCC. Iſte fuit juris lucerna, & ſpeculum mundi, ut inquit *Angel. de Peruſio in repeti. l. falſis. C. de furtis.*

Eodem tempore fuit *BULGARUS.* ut habetur in *l. bene a Zenone. C. de quadri. præſcr.* Supervenit *AZO*, qui primo fecit minorem apparatum ſuper *C. & ff.* deinde fecit ſummam quam habemus, & dicitur Azonis, & eſt: licet quidam dixerint olim, illam ſummam quæ attribuitur Azoni, fuiſſe Joannis Baſiani Cremonenſis: ſed male dixerunt, nam Joannes tantum fecit ſummam ſuper Pandectis, ut dixi, hoc dicit *Odofr. in l. legem. C. de pact.* & illi ſummæ Azonis Odofredus fecit additiones, quas in aliquibus ſummis incorporatas vidi. Poſt hanc ſummam idem Azo fecit magnos apparatus ſuper Digeſtum vetus: Optimus fuit, ut dixit Odofr. in *l. Julianus ff. de condict. inde.* Hunc Azonem *Baldus in l. contractus. C. de fide inſtrum. & l. cum aliter C. de fidejuſ.* dixit fuiſſe fontem legum, & vas lectionis. *LOTARIUS* fuit contemporaneus Azonis, ut per Bartolum *in l. ſancimus C. de judic.* *ROFREDUS BENEVENTANUS*, qui fecit utiliſſimum opus libellorum in jure civili & canonico, fuit diſcipulus Rogerii in initio, ut prædixi: poſtea diſcipulus Domini Azonis, ut ipſemet ſæpius atteſtatur in dicto opuſculo libellorum.

Suc-

Succurrit deinde tenebris juris civilis *ACCURSIUS Florentinus*, qui glossavit Digestum, Codicem, Institutiones, librum Autenticorum, & tres libros Codicis tempore Gregorii IX. pontificis CLXXXV. & Friderici II. in ordine Imperatorum XXIV. Tempore quo glossavit librum Autenticorum currebant anni Domini, MCCXXVI. ut ipse notavit in Autentica *ut præpo. nomen impera. § si qua vero. super verbo indictionis.* & consequenter a glossatione Accursii usque ad præsentem annum cucurrerunt anni CCXXXVI. vel circa. Iste Accursius fuit discipulus Azonis, ut ipsemet notavit *in l. fi. super verbo, possum. ff. de condict. ob caus.* *JACOBUS BALDUINI* fuit præceptor Odofredi floruit anno Domini MCCLXX. de isto sæpe Odofredus in lecturis suis facit mentionem. *INNOCENTIUS* IV. qui fuit *Januensis* de domo *de Flisco*, & de comitibus Lovaniæ, fecit apparatum solennem super decretalibus: fuit magnus legista: floruit anno Domini MCCXLIV. ut per *Jo. And. in addit. Spec. in tit. ne sede vacante.* Dominus *BER. COMPOSTELLANUS* scripsit super primo decretalium usque ad titulum *de transla. prælat.* fuit capellanus Innocentii prædicti, & edidit illud de mandato Innocentii. *ODOFREDUS* fecit lecturas super *C. & ff.* floruit anno Domini MCCLX. colligit ex dictis ejus *in l. imperium ff. de jurisd. om. jud.* Vivebat etiam tempore Joannis Andreæ, ut colligitur in *addit. Spec in tit. de locat.* *HOSTIENSIS*, id est, *Dominus HENRICUS Cardinalis Hostiensis*, qui fuit de Segusia secundum Joannem Andream in *addit. Spe. in tit. de rescript præsentatione*, fuit præceptor Speculatoris, ut dicit Joannes Andreas in *addit. Spec. in tit. de offic. judicis*, fecit summam mirabilem, & edidit lecturas super Decretalibus. Speculator, *GUILIELMUS DURANDI*, fuit provincialis: ut colligitur in *Spec. in tit. de feudo.* Tempore quo condidit librum Speculi, currebant anni Domini MCCLXXI. patet in Speculo *de instrum. editi. §. 1. versic. item hodie.* *JACOBUS de BELUISIO* legit sæpius librum Autenticorum & fecit optimam lecturam super illo libro, & multas disputationes. *BARTHOLOMÆUS Brixiensis*, qui fecit additiones ad glossas Decreti, fecit etiam quæstiones Dominicales & Veneriales, floruit tempore Gregorii noni. *GARSIAS Hispanus* floruit an. Domini MCCLXXXIII. *GUIDO de BUISIO Archidiaconus Bononiensis* floruit eodem tempore: commentavit solenniter Decretum & Sextum Decretalium. *DYNUS Mugelanus* claruit anno Domini MCCXCVII. tempore Bonifacii VIII. pontificis CCI. Adolfi imperatoris: scripsit subtilissime super *ff. & super titul. Instit. de Act.* Fecit etiam mirabile commentum

super

ſuper *tit. de reg. jur. in* VI. Huic diſputando determinanti aliquam quæſtionem adeſſe videbatur tota ſynodus legalis philoſophiæ: ut dicit *Cyn. in l. unica. C. de ſententiis quæ pro eo. quod intereſt.* Reperiuntur etiam conſilia ejus elegantiſſima. *JACOBUS de RAVENNA* provinciæ Lotaringiæ legum profeſſor, in Theologia magiſter, ac Verdunenſis civitatis in dicta provincia epiſcopus ſcripſit ſuper *ff. & C.* & multa ſimpliciter tradita a majoribus, reduxit ad Dialecticum arguendi modum: ut per *Cyn. in l. quicunque C. de ſervis fug. q.* VI. *PETRUS de BELLA PERTICA Burgundus*, doctor illuſtris, ſcripſit ſuper *ff. & C. & ſuper inſtitutionibus.* Edidit etiam infinitas diſputationes, ut audivi, numero centum Floruit anno Domini MCCC. ut colligitur ex dictis Cyni & Bart. in *l. 1. C. de ſententiis quæ pro eo quod inter.* & fuit contemporaneus Dyni.

JACOBUS de ARENA Parmenſis cujus opiniones ut plurimum ſunt de mente juris, ut dicit *Bartolus* in ſua diſputatione quæ incipit, *Statuto Lucanæ civitatis.* Scripſit breviter, ſed utiliter ſuper *C. & ff.* & fecit multas diſputationes. *MARTINUS de SILEMANIS* fuit contemporaneus Dyni. Iſte fuit præceptor Joannis Andreæ in legibus: ut refert *Joannes Andreas in additionibus Specul. in titulo de arbitris.*

BARTHOLOMÆUS DE NEAPOLI fuit contemporaneus *Dyni*, ſecundum Joannem Andream *in addit. ſpec. in tit. de jurament. calumn. & in tit. de donation.* *FRANCISCUS ACCURSIUS* fuit etiam contemporaneus Dyni, ſecundum Doct. *in l. unica. C. de ſententiis, quæ pro eo quod inter. & Cyn. in l. fin. C. de ſuſpectis tut. & Bart. in l. 1. §. ſuſpecti. ff. ad Sct. turpil.* *ALBERTUS ODOFREDI* fuit contemporaneus Dyni, vidi conſilium ſubſcriptum ab utroque: de quo patebat publico inſtrumento in archivo Senenſi. *RICHARDUS DE PETRONIBUS* de Senis Cardinalis, unus ex compilatoribus ſexti decretalium, fuit de ſequacibus Franciſci Accurſii ut refert *Cyn. in l. tutori C. de neg. geſt.* obiit Januæ anno domini MCCCXIV. ut vidi patere publico inſtrumento. *GUILHELMUS DE TYNO* Doctor ultramontanus, qui legit longo tempore in ſtudio Aurelienſi, fecit brevem apparatum ſuper *C. & ff. veteri.* fuit doctor illuſtris.

RICHARDUS MALUMBRE Cremonenſis, qui legebat Paduæ tempore regis Roberti ſecundum *Cyn. in l. ſi viva matre C. de bon. mater.* fuit valentior doctor Italiæ ſuo tempore, ut dicit Baldus *in l. quicunque C. de epiſc. & cler.* Iſte Richardus fuit condemnatus de hæreſi, ut *in d. l. quicunque* per *Jacob. Butrigarium & Baldum* multa ſcripſit, quorum copia

pia rara. Floruit anno domini MCCC. Dominus *BARTHOLOMÆUS DE BUTRIGARIIS* extollitur a Joanne Andrea in *addit. spec. in tit. de accusat. in III. parte.* *JOANNES ANDREAS* fons & tuba juris canonici, fecit novellas super Decretalibus: glossavit & sextum & Clementinas: fecit Novellam super sexto: & Mercuriales, opus dignissimum, & ultimo loco fecit mirabile opus Additionum *speculi: anno Domini* MCCCXLVII. ut colligitur ex his quæ ipse dicit *in additionib. prædictis, in tit. ne sede vacante & in tit. de filiis presbyterorum.* Mortuus est anno domini MCCCXLVIII. tempore magnæ pestis, ut scribit *Joannes Calderini* ejus filius adoptivus *in c. vestra de cohab. cler. & mulier.* De qualitate patris Joannis Andreæ, & aliis ad notitiam sui pertinentibus, vide in dictis *addit. & in tit. de filiis presbyter. & in tit. de ætate & qualitate: & in tit. de success. ab intest.* Hunc virum tibi propone, patre ludimagistro, tenuisque fortunæ homine natum: qui ista molestissima utriusque juris studia & pertulit & didicit, pelle ursina tectus, citra lecti delicias, neque postea uxorius factus solitam diligentiam intermisit. Huic ad urbem venienti (ut refert *Nicolaus Everardi* in locis suis legalibus, loco ab autoritate) dixit Pontifex: Bene venerit qui lux mundi cognominatus est. Plura alia his similia de juris doctoribus referuntur in dicto loco ab autoritate. *CYNUS DE SIGISBULDIS* de *PISTORIO* florebat anno domini MCCCXIV. quo anno in die sancti Barnabæ apostoli finivit lecturam *super C.* quam inchoaverat anno præcedenti. Ista lectura perfecit ingenium Bartoli ut inquit Baldus *in c. si vasallus in tit. si de feud. fuer. controv. inter dom. & vas.* Scripsit plane super prima parte ff. veterum usque ad titulum *si ex noxali causa* agatur. inclusive: & super *tit. de rebus creditis in II. parte:* super reliquis parvam additionem scripsit: fuit iste Cynus amicus Joannis Andreæ, ut attestatur *Joan. Andr.* in addit. *in tit. de locato.* Fuit discipulus *Dyni:* quem præceptorem suum reverendissimum fuisse profitetur in mille locis. *OLDRADUS DE LAUDE* fuit contemporaneus Joannis Andreæ & Cyni & fuit discipulus Dyni. Fuit advocatus consistorialis. Edidit super jure civili plures lecturas, quarum rara copia reperitur: solenne opus consiliorum fecit. Floruit anno MCCCXX. Vixit imperante Ludovico IV. vidi ejus compendiosam & utilem lecturam super *feudis.* circumfertur hodie ejus tractatus de *Legitimatione*, cum aliis: qui sunt multum utiles.

NICOLAUS DE MATERELLIS, doctor *Mutinensis*, fuit contemporaneus Joannis Andreæ, ut colligitur in additionibus ad *spec. in*

 tit.

tit. de confessis. §. *sequitur.* Edidit pulchras lecturas *super ff. & C.* illarum copia rara.

JOANNES CALDERINI Bononiensis adoptivus *Joannis Andreæ* Doctor. magnæ scientiæ & vitæ sanctæ, floruit tempore Joannis Andreæ & post commentavit Decretales, & fecit pulchrum opus consiliorum.

GASPAR DE CALDERINIS floruit paulo post. *JOANNES FABRI*, doctor ultramontanus, qui fuit Aquitanicus, scripsit super Codicem & Institutiones fere per eadem tempora *JACOBUS DE BUTRIGARIIS* scripsit super *ff. veter.* & super C. fecit duas lecturas veterem & novam. Item commentavit tit. Institutionum de Action. Edidit etiam infinitas disputationes. Fuit unus ex præceptoribus Bartoli, floruit anno Domini MCCCXX. *REINERIUS DE FORLIVIO* alius præceptor Bartoli, qui commentavit etiam jus nostrum, obiit anno Domini MCCCLVIII. ut refert *Nellus de Sancto Geminiano in parte ult. bannitorum. q.* XII.

FREDERICUS PETRUCIUS de Senis fuit contemporaneus *Joannis Andreæ, Cyni, Oldradi, Nicolai de Materellis*, & aliorum, de quibus paulo supra. Floruit anno domini MCCCXV. Edidit notabile opus consiliorum. *RECUPERIUS DE SANCTO MINIATE*, & *JOANNES PAGLIARENSIS* de Senis fuere contemporanei Frederici, & viri singulares. *LAPUS* de *CASTELLIONE* contemporaneus prædictorum fecit inter cætera opus notabile Allegationum suarum. *BARTOLUS DE SAXOFERRATO Picenus* speculum, pater, & lucerna juris civilis, natus anno domini MCCCIX. incœpit studere in jure civili anno domini MCCCXXIII. idem publice de jure respondit anno domini MCCCXXX. obiit anno domini MCCCIX. ætatis suæ anno XLVI. fuit discipulus *Cyni, Jacobi Butrigarii & Reinerii*: ut colligitur ex dictis ejus *in l. si is qui pro emptore ff. de usucap. & in l. quidam cum filium. ff. de verb. oblig.* ibi conjicere potes quibus parentibus natus sit Bartolus & *in l. 1. C. de sum. trinit. & ex repetitione* domini *Nicolai Alexandri* ejus generi *in l. etsi filium ff. de munerib. & honor.* Edidit mirabilia commenta in jure nostro, quæ propter eorum celebritatem notoria sunt. *FRANCISCUS TIGRINI de Pisis* floruit tempore Bartoli, fuit doctissimus, & sanctæ vitæ.

FRANCISCUS DE ALBERGOTIS de Aretio solidus doctor, ut plurimum imitatur Bartolum, floruit per eadem tempora. *ALBERICUS DE ROSATE Pergamensis* eximius commentator floruit

ruit anno domini MCCCI. fuit contemporaneus Bartoli. Bartolus non vidit ipsius commentarios, qui continent super ff & C. multa volumina, quorum copia frequens est in Lombardia. *ALBERICUS* tamen vidit Bartolum, nam allegavit eum in suo tractatu statutorum *parte* II. *q.* CCXIX. *& pluribus seq.* *SIGNORELLUS DE HOMODEIS de Mediolano*, fuit contemporaneus Alberici, ut colligitur ex dictis Alberici. *MARTAGNANUS DE AZOGNIDIS de Bononia* floruit tempore juventutis Bartoli: obiit ætatis suæ ann. XXV. fecit multas disputationes, quas vidi: & illarum copia rara. de illo mentionem facit Baldus in *l. assiduus. C. qui pot. in pign. hab.* *BALDUS, PETRUS, & ANGELUS* magistri *Francisci de Ubaldis de Perusio* germani fratres, utriusque juris excellentissimi doctores, discipuli *Bartoli, Francisci Tigrini, & doctoris Joannis Pupillarensis* in jure civili floruerunt longo tempore. Obiit Baldus anno domini MCCCXXIII. in aprili; Papiæ jacet sepultus in ecclesia fratrum minorum. Hinc ajunt scioli quidam, & juris ejusque scientiæ studiosos odio Vatiniano prosequentes, inscalatum fuisse, quod nescio quid in Archetypo Pisano immutasset. *Alciatus* tamen in Paradoxis negat eos libros Archetypos, insipienterque agere, qui ob eorum inspectionem feria omittunt. Inter alia eademque innumera ingenii sui monumenta scripsit Baldus divinum consilium *de schismate*, in favorem pontificis Urbani VI. & præjudicium Clementis VII. pseudopontificis a Gallis creati, ea spe ut Romana curia in Gallia persisteret: & Urbani causam defendit etiam *JOANNES LIGNANUS.* Contra ædis Vedasti abbas, idem a consilio regis Franciæ monumentis literarum Urbanum damnat. *Angelus* decessit Florentiæ eodem anno. Ambo isti videlicet *Baldus & Angelus* illustraverunt jus civile, *Petrus* illuminavit jus canonicum. De *Baldo* & ejus doctoratu mentionem facit *Bartolus in l. quidam suo. ff. de cond. instit. in fin.* *RICHARDUS DE SALICETO* floruit eodem tempore, & ambo commentaverunt jus civile. *PETRUS DE ANCHARANO Bononiensis* fuit discipulus Baldi, floruit tempore Saliceti, scripsit plene super Decretalibus, Sexto, & Clementinis, & pulchrum opus consiliorum. Scripsit etiam super *ff. veteri & ff. novo.* hunc Pontanus in suis consiliis extollit usque ad sydera. *ANTONIUS DE BUTRIO de Bononia* vir excellens & sanctæ vitæ commentavit Decretales & Clementinas: & fuit contemporaneus Petri de Ancharanis, doctor omni veneratione dignus. Edidit etiam opus consiliorum, & duo pulchra repertoria, unum in jure Canonico, & aliud in jure Civili. *FRANCISCUS DE ZABARELLIS de*

de Padua, Cardinalis Florentinus, floruit anno domini MCCCC. commentavit *Decretales & Clementinas* solenniter.

CHRISTOPHORUS de CASTELLIONO de Mediolano floruit eodem tempore: multa tentavit contra communem doctrinam, quæ licet ingenia excitaverint, confusionem tamen fecerunt scholaribus hebetis ingenii. *RAPHAEL FULGOSIUS de Placentia*, & *RAPHAEL CUMANUS* (vel melius diceretur *Comensis*) contemporanei & subtiles Doctores in Jure Civili claruerunt Paduæ MCCCCXX. imitati sunt mores Domini Christophori eorum præceptoris. *PETRUS MAUROCENUS* Cardinalis Venetiis floruit anno Domini MCCCCXXIV. scripsit super sexto Decretalium solenniter. *JOANNES de IMOLA* claruit eodem tempore, commentavit primum, secundum & tertium Decretalium, item Sextum & Clementinas: præterea Infortiatum: & obiit anno Domini MCCCCXXXVI. XVIII. Februarii. *PAULUS de CASTRO* clarus & utilis Doctor scripsit super *ff.* & *C.* Edidit etiam pulchrum opus consiliorum. Obiit paulo post *Joannem de Imola*, cujus fuerat contemporaneus: legit Florentiæ, Senis, & Paduæ. *DOMINICUS DE SANCTO GEMINIANO* floruit per eadem tempora, commentavit egregie Sextum Decretalium. *LUDOVICUS PONTANUS* origine, sed incolatu Romanus: doctor memoriæ singularis, & quasi stupendus: scripsit super aliquibus partibus Digestorum, & Codicis copiosissime. Edidit Consilia solennia, & Repetitiones aliquas fecit: inter quas obtinet principatum repetitio *Autent. similiter C. ad leg. Falc.* & ibi omnia specialia piæ causæ collegit. Floruit anno Domini MCCCCXXX. fuit discipulus *Dom. Joannis Petrucii*, de quo infra. Tanta fuit hujus Pontani autoritas ob eximiam doctrinam in concilio Basiliensi, ut Eugenium modo damnaverit, damnatum rursus patribus reconciliaverit.

NICOLAUS quondam *Monacensis* abbas, postea archiepiscopus Panormitanus, origine de Catania oppido Siciliæ juxta montem Ætnam, floruit eodem tempore cum Ludovico Pontano: ambo clarissimi facti sunt in almo studio Senensi, & in concilio Basiliensi commentavit iste Dominus Abbas modernus Decretales solennibus, claris & ordinatis commentis: incœpit commentare Decretum. Edidit multas Disputationes, Repetitiones & Consilia. Ejus fama (ut opinor) quotidie crescit. *PETRUS de MATHEILLANIS* de Bononia floruit eodem tempore. *JACOBUS ALVAROTUS de PADUA* floruit per eadem tempora: commentavit egregium librum Feudorum.

JOAN.

JOANNES de ANANIA tandem archidiaconus Bononienſis, floruit Bononiæ longo tempore, commentavit Decretales. Obiit anno Domini MCCCCLV. vel circa. *THOMAS DOCTIUS Senenſis* Doctor verus, & clarus juris interpres, obiit anno Domini MCCCCLX. *JOAN. PETRUCII de PERUSIO, & ANGELUS de PERIGLIS de PERUSIO* præceptores mei, primus de mane, alius de ſero, florebant anno Domini MCCCCLXI. quo anno incœpi ſtudere in jure civili. Obiit Dominus *Angelus* anno MCCCLXV. Dominus vero *Joannes* obiit anno MCCCCLXII. quorum animæ requieſcant in pace: fuerunt illuſtres doctores, ut notum eſt. Multi alii fuerunt viri ſolennes in jure civili, ut *ANDREAS de ISERNIA* commentator Feudorum & Conſtitutionum regni. *ALBERTUS GALEOTII Parmenſis*, qui fecit opuſculum quod dicitur *Margarita*. *ANDREAS de PISIS*, qui ſcripſit ſuper ff. *ARGENTINUS* Domini *Reinerii de Forli*. *BENEDICTUS de PLOMBINO*, qui commentavit aliquos titulos in prima parte ff. novi. incipiendo a titulo, *de manumiſſ. ff.* fecit etiam ſolennes repetitiones & diſputationes. *BARTOLUCIUS de PRESBYTERIS de Bononia*. *BARTHOLOMÆUS de CAPUA*. *Comites de Peruſio*. *DIONYSIUS de PERUSIO*. *FRANCISCUS de RAMPONIBUS de Bononia*. *FREDERICUS de SCALIS de BONONIA*. *FLORIANUS de ſancto Petro de Bononia*. *GANDIMUS*, id eſt, *ALBERTUS de GANDINO de Cremona*. *GUIDO de SUZARIA*, *UGOLINUS de FONTANA Parmenſis*. *HOMOBONUS Cremonenſis*. *ONOFRIUS Bartholini de Peruſio*. *JACOBUS de ARCHIZONO de Verona* commentator Feudorum. *JACOBUS de ISOLANIS* olim Cardinalis. *LANFRANCUS de LUCA*. *MARINUS de CARAMANICO de regno* gloſſator conſtitutionum regni. *MARSILIUS de MANTIGELLIS de Bononia* illuſtris Doctor, cujus multæ diſputationes inveniuntur. *MATTHEUS de MATESILANIS* de Bononia, cujus reperiuntur notabilia dicta quædam, & clara opuſcula. *NICOLAUS CREMONENSIS*. *NICOLAUS FURIOSI*, qui gloſſavit librum feudorum. *NICOLAUS de NEAPOLI* maximus textualis. *NELLUS de SANCTO GEMINIANO*, qui edidit illuſtre opus bannitorum. *HOSPERTUS de CREMONA*, qui fuit primus doctor qui incœpit legere Peruſii. *PETRUS DECER*, qui ſcripſit ſuper libris Feudorum. *PETRUS de BOACTERIIS* de Bononia. *PETRUS BOEMUS*. *TANCREDUS de CORNETO*, cujus reperitur

tur opusculum quod dicitur compendiosa. *UBERTUS de BONACURTE. UBERTUS de BOBIO*, & alii plures. Item in jure canonico prænotatus *ABBAS ANTIQUUS*, *BERNARDUS* glossator Parmensis. *BONA GUIDA* Aretinus. *BERTRANDUS HISPANUS*, qui scripsit super Clementinas. *BASIANUS BERENGARIUS* olim cardinalis, qui inter cætera fecit pulchrum repertorium super speculo. *EGIDIUS Bononiensis. FRANCISCUS Vercellensis. GOFFREDUS Beneventanus*, cujus reperitur utilis summa. *GRATIANUS ARETINUS. GUILIELMUS de MONTE* Laud. ultramontanus. *GUILIELMUS NASO. GANDULFUS. GUILIELMUS de bonis consiliis* de Bononia. *HENRICUS BOHIC. JOANNES* glossator decreti. *JOANNES de DEO* Hispanus. *LAURENTIUS* antiquus Doctor. *LAURENTIUS de PINA*, qui scripsit super Clementinis. *LAURENTIUS de RUDOLFIS de Florentia*, cujus reperitur egregium commentum super usuris inter cætera. *MATTHÆUS ROMANUS* qui scripsit super Clementinis. *NEPOS de MONTE ALBANO. PAULUS de LEAZARIS. PETRUS de SAXONIA. PETRUS MANDUCATOR. PROSDOCTINUS de PADUA. SIMON de BURSIANO.* Cardinalis Mediolanensis qui scripsit super Clementinis. *STEPHANUS Provincialis*, qui similiter scripsit super Clementinis. *STEPHANUS TROCHES, & PETRUS de STAGNO*, qui similiter scripserunt super Clementinas legentes apud Montempessulanum. *TANCREDUS* glossator. *LUCAS de PENNA* Doctor Gallicus. *THOMAS de PIPERATA. RAYMUNDUS de PENNAFORTI. VINCENTIUS* antiquus Doctor. *VGUSIO Vercellensis*, *ZENZELINUS Vltramontanus*, *JOANNES de BLANASCO* Burgundus, *JOANNES Faventinus*, *JOANNES de SANCTO GEORGIO* de Bononia, *JOANNES de MORIO* de Florentia. *JOANNES de FANTUSIIS* de Bononia, *JASON de MAGNO* doctor celeberrimus, & profecto admirabilis est suus in primis docendi modus: eruditio nova omnino, atque incredibilis pollitio, inaudita & lacteo fonte exuberans facundia. Scripsit super ff. & C. Edidit insuper Consilia solennia. Item fecit additiones ad Christoforum Porcum in Institutionibus *PHILIPPUS DECIUS* doctor memoriæ singularis scripsit egregie in jure canonico. *JODOCUS LAUVERINIS* utriusque censuræ doctor valde subtilis almæ universitatis Tholosanæ, edidit multas disputationes, & nonnullas fecit repetitiones, super *l stipulationes*

tiones non dividuntur. ff. de. verb. oblig. & ſuper *l. rem majoris pretii. de reſcind. vend. C. & alii infiniti*, quorum tempora, patrias, celebritatem, & opera tu ipſe proſequaris.

Duorum ſolidiſſima ingenia, in quorum dictis rarius invenitur error, tibi propono, ut illos eligas, tanquam principatum tenentes inter commentatores juris: ſcilicet *JOANNEM ANDREAM* in jure canonico, & *BARTOLUM* in jure civili. Illi ſunt tibi colendi ultra cæteros. *JOANNEM ANDREAM* in jure canonico cæteris præferendum eſſe ordine & emolumento, exclamat *CARDINALIS FLORENTINUS* in *proœmio Clementinarum:* dicit enim, quod ſapientiam canonicam adeo locupletavit ſuis commentis, ut a centum annis ſimul omnes commentatores reliqui non æque commentaverint: & merito datur ei principatus, ut ejus commenta textui ſint appoſita Sexti, & Clementinarum. Recolo etiam quod ipſe idem *JOANNES ANDREAS in addition. Spec. in tit. de filiis presbyter.* dicit ſibi puero fuiſſe revelatum a quodam religioſo viro, ipſum illuminaturum jus canonicum. Bartolum etiam in jure civili fuiſſe principem, quis negabit? Hujus dictis ſemper fere ineſſe clauſulam veritatis, re ipſa patet: ut Pontanus exclamat conſilio CCCCXVII. Propterea in Hiſpania, & Luſitania decreto regio & communis illarum partium eſt ſancitum conſtitutione publica (ut alias audivi a quibusdam auditoribus meis illarum partium) quod in caſibus, in quibus requiritur contradictio doctorum, opinio Bartoli prævaleat, tanquam principalior, & ſecundum illam judicetur. Si Hiſpani tantum defecerunt Bartolo, nos Italici quid faciemus? Intrepidi ſua ſcripta curemus habere, ſcire, imitari: quia *BARTOLISTA OPTIMUS JURISTA* cenſendus eſt.

CATELLIANI COTTÆ MEDIOLANENSIS JURECONSULTI TRACTATIO DE JURISPERITIS.

JUris Civilis ſcientiam plurimi & magni viri profeſſi ſunt, inter quos eorum qui maximæ auctoritatis apud P. R. fuere, mentio habetur per *Pomp. in l. II. §. Juris Civilis ff. de orig. Jur.* & retulimus in aliis Memoralibus in dictione Juris. Verum quoniam ipſe nobis ſolum referre potuit illos, qui ad ejus usque tempora claruerunt: reliquum eſt, ut

ut nos quoque ſigillatim referamus, qui poſt eum usque ad ætatem noſtram, in eodem jure, & etiam in pontificio nomen meruerunt: non tamen quoscunque, nam dies hic nobis ſatis non faceret: ſi tamen prius ex archetypis Florentinis, & ex Juſtiniani in Pandectas præfatione, Politianoque recenſuerimus aliquos Jureconſultos, & numeros librorum, quibus quinquaginta Digeſtorum libri conſarcinantur. Inter quos antiquiſſimus omnium traditur *QU. MUTIUS SCÆVOLA*, P. F. Pontifex Max. qui ut in lib. VIII. ſcribit *Valer. Max.* clariſſimus legum vates, & certiſſimus extitit. Hic quotienscunque de jure prætorio conſulebatur ad Furium & Caſellium (quia huic ſcientiæ deditî erant) conſultores rejiciebat: quo quidem facto moderationem ſuam magis commendabat, quam autoritatem minuebat: ab his negotium aptius explicari poſſe confitendo, qui quotidiano ejus uſu callebant. Sapientiſſimi igitur artis ſuæ profeſſores ſunt, a quibus & propria ſtudia verecunde, & aliena callide æſtimantur. De *Scævola* meminit etiam *Cicero Epiſt Famil. libro ſeptimo, ad Trebatium:* & *Aulus Gellius* Noctium Atticarum *libro ſeptimo, capit.* XV. Hujus extant infinita reſponſa, memoria digna: Furii autem pauciora. De *CASELLIO* grata habetur mentio per Pomponium & *Valerium Maximum* in ſeptimo libro de quo Horat.

Recte concedi, conſultus juris & actor
Cauſarum mediocris abeſt virtute diſerti.
Meſſalæ, neſcit quantum Caſellius Aulus.

Scævolæ meminit & Pomponius ejusque in Pandectis accerſitur unus tantum liber diffinitionum. Fugiens in veſtibulo ædis Veſtæ occiſus eſt, una cum cæteris nobilibus, qui Romæ inventi fuere a L. Damaſcio prætore, ex voluntate C. Marii conſulis; ut apud *Livium* legimus *libr.* LXXXVI. Epitomatum.

GALLUS deinde *AQUILIUS*, qui Ciceronem oratorem judex audivit, & quem familiarem ſuum Cicero idem in Topicis appellat. Hujus prudentiam populus Romanus in cavendo, non in decipiendo, perſpexit, ut qui juris Civilis rationem nunquam ab æquitate ſejunxerit: quique ita juſtus & bonus vir fuerit, ut natura, non diſciplina conſultus fuiſſe videatur, ejus tantum reſponſis irrigantur Digeſta.

SERVIUS quoque *SULPITIUS*, cujus grata mentio per Pomponium multa ſcripſit: De quo etiam Tullius, Philippica nona:

Nec

Nec vero silebitur admirabilis quædam & incredibilis, & pene divina ejus in legibus interpretandis æquitas, explicandis scientia. Omnes qui ex omni ætate hac in civitate intelligentiam juris habuerunt, si unum in locum conferantur, cum *Servio Sulpitio* non sunt comparandi. Neque enim ille magis jurisconsultus, quam justitiæ fuit: eaque quæ proficiscebantur a legibus, & a jure civili, semper ad facilitatem æquitatemque referebat. Neque constituere litium actiones malebat, quam controversias tollere. Cui si ætatis nostræ Jureconsulti similes se præstarent, melius nobiscum actum esset: neque numerosa hæc librorum bibliotheca adeo expetenda videretur. Postea *LABEONIS* Antistii huc adsciscuntur libri octo *Pythanon*, id est *credibilium* seu *verisimilium*, & item posteriorum decem. Hoc æquiparat Petronius Arbiter illo carmine:

Atque esto quicquid Servius & Labeo.

Fuit autem Labeo, quem vocat Horatius insanum; hic ut in Noctibus Atticis scribit Gellius, juris civilis disciplinam principali studio exercuit, & consulentibus de jure publice responsitavit: Cæterarum quoque bonarum artium non expers fuit: & in grammaticam sese atque dialecticam, literasque antiquiores altioresque penetravit: Latinarumque vocum origines rationesque percalluerat, atque ea præcipue scientia ad enucleandos plerosque juris laqueos utebatur. Sunt ideo libri post mortem ejus editi, qui *Posteriores* inscribuntur: quorum tres continui, *trigesimus octavus*, *trigesimus nonus*, *& quadragesimus*, pleni sunt id genus rerum ad enarrandam & illustrandam Latinam linguam conducentium.

Post hos *TREBATIUS*, cujus in Pandectis plurima mentio. Hic *TESTA* appellatus est, *Ciceronis, Julii Cæsaris, & Augusti* familiarissimus: ad quem sæpiuscule idem *Cicero in septimo libro Epistolarum* scribit, qui tribunatus officium sibi a Cæsare oblatum sprevit.

MASURIUS vero *SABINUS*, qui primus publice scripsit: de quo meminit *Athenæus*, & apud nos *Persius Satyr. quinta*, illo versu.

Excepto si quid Masuri rubrica vetavit.

SALVII quoque *JULIANI Digestorum nonaginta libri, de ambiguitatibus* unus, *ad Minutium* sex, *ad Arsejum* quatuor. Floruit hic Adriani temporibus, & judicanti fuit in consilio: magnæ vir auctoritatis: bis consul, & præfectus urbi: quem amicum & virum clarissimum appellabant Divi fratres, ut refertur a Jureconsulto *in l. divi fratres.*

tres. ff. de jure patrona. Avus etiam fuit *Didii Juliani*, Mediolanensis, deinde principis, ut scribit *Spartianus* & *Merula*, circa principium suæ historiæ Refertur etiam a scriptoribus alius ejusdem nominis, Didii avunculus, vir nobilis, & jure peritissimus: quem quidem cum superiori confundunt. Advocantur etiam Neratii Prisci regularum quindecim, membranarum septem, responsionum tres. Hunc sibi putatur Trajanus amicorum consensu successorem destinasse, sic ut ei dixerit aliquando: *Commendo tibi provincias, si quid mihi fatale contigerit:* ut apud Dionem & Spartianum legimus. Eundemque mox Adrianus Imperator habuit in consilio. *LUCIUS* quoque *VOLUSIUS*, Jureconsultus est habitus celeberrimus, quo multum est usus *Adrianus* idem, quique docuit *M. ANTONIUM* principem cognomento Philosophum, ut in vita M. Antonii scribit Capitolin. Veniunt eodem igitur illius quoque libri, *fideicommissorum sedecim, publicorum quatuordecim.* Sed *Metiani* nomen in *Martianum* depravatur a librariis. Fuit enim *ÆLIUS MARTIANUS* ipse quoque juris auctor, a Didio Juliano principe occidi jussus, qui libros huc contulit institutorum sedecim, regularum quinque, de appellationibus duos, publicorum duos, item singulares quos Græci μονοβιβλους, his titulis, de delatoribus, hypothecariæ, ad S. C. Turpilianum. *JULIUS* quoque *CELSUS* Adriano fuit in consilio, qui Digestorum libros undequadraginta composuit. Sed & *VALENS*, qui Fideicommissorum septem, *MARCELLUS* quoque, qui Digestorum scripsit unum & triginta, responsorum unum, sed ad leges

Item *JABOLENUS*, cujus acciti huc libri sunt: ex *Cassio* quinque, epistolarum quatuordecim, ad Plautium quinque, his duobus usus est Antoninus Pius.

Claruit his temporibus etiam *SERBIDIUS SCÆVOLA*, cui *Marcus Antonius* philosophus operam dedit, ac deinde factus Imperator, multum illo est usus. Hic & *Severum* docuit, illum qui sibi post *Pertinacem* magna virtute imperium paravit. Docuit & *Papinianum*, de quo mox dicemus. Sed Scævolæ hujus libri deducuntur in Justiniani Pandectas, *Digestorum quadraginta, quæstionum viginti, responsorum sex, regularum quatuor, de quæstione familiæ unus, quæstionum* publice tractatarum *unus.* Hujus auditor (ut diximus) *PAPINIANUS*, libros ad Pandectas affert, *quæstionum triginta septem, responsionum unumdeviginti, diffinitionum duos, de adulteriis unum, Ædilicum unum.* Hic habitus est omnium acutissimus, eumque *juris asylum* vocat *Ælius Spartianus*

tianus in *Severo*, Doctrinæque legalis thesaurum, sic ut ab illo studiosi legum qui profecissent, appellati *PAPINIANISTÆ* quandoque fuerint: ut etiam testis est *Justinianus* princeps in præfatione Digestorum, amicus & Severo principi, sed a condiscipulatu: neque non affinis, per secundam uxorem: successor eidem quoque in administratione fisci. Denique moriens *SEVERUS*, filios suos non alii magis quam Papiniano commendavit. Erat autem præfectus urbi Papinianus, ac plus potens in aula quam volebat. Itaque sæpe deponere nocituram potentiam frustra conatus, tandem ab *Antonio Caracalla* Severi filio militum gladiis objectus, & securi percussus est, quod *Getæ* fratris *Antonini* partes fovisset, vel quod excusare parricidium noluisset: ut scribit *Spartianus*, ejusque urna ætate *Mariani Socyni* argentea Romæ reperta est a quodam rustico, in qua verba hæc legebantur: *ÆMILII PAPINIANI* JURECONS. ET PRÆFECTI PRÆTORIO REQUIESCUNT HIC OSSA, CUI INFELIX PATER ET MATER SACRUM FECERUNT, MORTUO ANNO SUÆ ÆTATIS XXXVIII. vel aliter, ut in antiquis marmoribus legitur: *ÆMILIO PAULO PAPINIANO* PRÆFECTO PRÆTORIO JURECONSULTO, QUI VIXIT ANNOS XXXVI. DIEBUS DECEM, MENSIB. III. *PAPINIANUS HOSTILIUS*, *EUGENIA GRACILIS*, TURBATO ORDINE IN SENIO HEU PARENTES FECERUNT FILIO OPTIMO. Aliter tamen, & minus recte, tempora & mortem Papiniani refert *Corneus* post *Paulum Castrensem, in l. ultima, columna secunda. C. de institut. & substitut.* Hujus assessores in præfectura, *JULIUS PAULUS*, & *DOMITIUS ULPIANUS:* quos nonnulli Græco vocabulo *coryphæos* appellant. Quoniam quasi verticem legitimæ disciplinæ cum Papiniano tenuerunt. Feruntur & *ULPIANI* libri *ad edictum tres & octuaginta: ad Sabinum vero unus & quinquaginta, ad leges viginti, pro tribunali decem, de officio proconsulis decem, regularum septem, fideicommissorum sex, opinionum sex, de adulteriis quinque, de appellationibus quatuor, de officio consulis tres, institutorum duo, de censibus sex, responsorum duo*; tum singulares hi: *Regularum rursus, de sponsalibus, de officio præfecti urbi, de officio præfecti vigilum, de officio curatoris Reipublicæ, de officio prætoris tutelaris, de officio quæstoris.* Eloquentissimus, etiam Justiniano teste, natus Phœnices (quæ urbs Syriæ est) & nobilis appellatur a Jureconsulto *in l. secunda. ad fin. de excusat. tutor.* & nobilissimus, etiam dicitur *in l. diximus. eo. tit.* & sapientissimus, ab Imperatore *in §. ultim. in authenti. de æqualitate dotis.* præfectus prætorio Alex ut testatur *Alexand. lex* ex divi Pii

C locati. ubi eum parentem suum appellat. Ejus etiam consiliarius, & scrinii magister fuit, & apud eum in maximo fuit honore. Ut in vita *Alexandri Severi* scribit *Lampridius.* Sed quamvis tam multa scripserit ULPIANUS, tamen PAULUS multa plura edidit. Ejus enim numerantur hi libri: *Ad edictum octoginta*, *quæstionum viginti sex*, *responsorum viginti tres*, *brevium viginti tres: ad Plautium duodeviginti*, *ad Sabinum sedecim*, *ad leges decem*, *regularum septem*, *sententiarum vel factorum sex*, *sententiarum iterum quinque*, *ad Vitellium quatuor*, *ad Neratium quatuor*, *fideicommissorum tres*, *decretorum tres*, *de adulteriis tres*, *manualium tres*, *institutorum duo*, *de officio proconsulis duo*, *ad legem Juliam* (vel ut aliter lego) *ad legem Æliam* duo, item ad legem *Æliam Sent am* tres, *de jure fisci duo*, *regularum autem unicus.* Rursus *regularum* secundo, mox tertio, *de pœnis paganorum*, *de pœnis militum*, *de pœnis omnium legum*, *de usuris*, *de gradibus & affinibus*, *de jure codicillorum*, *de excusatione tutelarum*, *ad regulam Catonianam*, *ad S. C. Orficianum*, *ad S. C. Tertyllianum*, *ad S. C. Syllianum*, *ad S. C. Vellejanum*; *ad S. C. Livonianum*, *seu Claudianum*: *de officio præfecti vigilum*, *de officio præfecti urbi*, *de officio prætoris tutelaris*, *de extraordinariis criminibus*, *hypothecaria ad municipalem*, *de publicis judiciis*, *de inofficioso testamento*, *de septemviralibus judiciis*, *de jure singulari*, *de secundis tabulis*, *ad orationem divi Severi*, *ad orationem divi Marci.* *Ad l. Vellejan. ad l. Cinciam*, *ad l. Falcidiam*, *de tacito fideicommisso*, *de portionibus*, *quæ liberis damnatorum conceduntur*, *de juris & facti ignorantia*, *de adulteriis*, *de instructo & instrumento*, *de appellationibus*, *de jure libellorum*, *de testamentis*, *de jure patronatus quod ex l. Julia & Papia venit*, *de actionibus*, *de concurrentibus actionibus*, *de intercessionibus fœminarum*, *de donationibus inter virum & uxorem*, *de legibus*, *de legitimis hæreditatibus*, *de libertatibus dandis*, *de senatusconsultis.* Hic Patavinus fuit, ejusque statua etiam hodie in patria videri potest. Fuere autem PAULUS & ULPIANUS præfecti ambo: sed quidam factos ab *Alexandro Severo* dicunt, quidam vero ab *Heliogabalo*: qui tamen ULPIANUM removit, ut virum bonum. Cæterum Alexander utrumque magno in honore habuit, maxime autem ULPIANUM, qui consiliarius ei quoque fuit, & scrinii magister. Nec unquam ad eum solus admissus quisquam est, nisi præfectus, atque *Ulpianus:* tum si quando alter adhibitus, semper tamen ULPIANUS rogari jubebatur: ut apud *Lampridium* in vita *Alexandri Severi* legitur. Proinde non immerito vertices legum appellati sunt a *Modestino in l. scire oportet.* §. *aliud autem. ff. de excusat. tutor.* ut etiam

etiam jure optimo dicat *Baldus in l. omnes populi. de just. & jur.* Jureconsultos habuisse intellectum transcendentem: ut de ingenio adepto *Aristotelis* scribit *Averroes*. *SABINUS* autem ille ad quem libros *ULPIANUS* scribit, puto etiam ad quem *PAULUS* & *POMPONIUS*, vir fuit insignis, & consularis, ab Heliogabalo jussus occidi: cujus filius etiam *FABIUS SABINUS* Alexandro fuit gratissimus, & *CATO* sui temporis dictus est. Illud dubium est, an hic filius idem sit *SABINUS*, qui consularis ac præfectus urbi per tumultum fuste percussus in populo, & occisus, atque in publico derelictus fuerit. De illo quoque ambigitur, uterne de jure scripserit, filius an pater? Scripsit vero *juris civilis tres*, ex *Proculi singularem*, sed *epistolarum libros octo*. Pomponio quoque collati sunt eidem libri, scilicet ad *QV. MUTIUM* lectionum *unum de quadraginta*, ad *SABINUM quinque & triginta*, *epistolarum viginti*, *variarum lectionum quindecim*, *ad Plautium septem*, *fideicommissorum quinque*, *Senatusconsultorum quinque*, *regularum unus*, *enchiridii duo*. *CAJUM* vero citat & *Boetius in Ciceronis Topicon commentariis*: hujus huc adhibiti sunt, *ad edictum provinciale libri duo & triginta*, *ad leges quindecim*, *ad edictum publicum quindecim*, qui soli tamen reperti fuerunt: *aureorum septem*, *dodecadelri* (hoc est, duodecim tabularum) *sex*, *institutionum tres*, *de manumissionibus tres*, *fideicommissorum duo*, *de casibus unus*, *regularum unus*, *dotalitiorum unus*, *hypothecariæ unus*. Sumpserunt haustus, qui *Tribonianum* juverunt, ex *VENULEI* quoque *stipulationum libris undeviginti*, *actionum decem*, *de officio proconsulis quatuor*, *de pœnis paganorum uno*, *publicorum tribus*, *de interdictis sex*. *Item ex MAURITIANI ad leges sex*, *ex Terentii Clementis ad leges viginti*, *ex APHRICANI quæstionum novem*, *ex FLORENTINI institutorum duodecim*, *ex TERTULLIANI de castrensi peculio* uno, *ex JUSTINIANI constitutionum viginti*, *ex TRYPHONIANI disputationum libris uno & viginti*, *& CALLISTRATI de cognitionibus sex*, *edictorum monitoriorum sex*, *de jure fisci quatuor*, *institutorum tribus*, *quæstionum tribus*, *ex MENANDRI militarium quatuor*. *Et MODESTINI responsorum undeviginti*, *Pandectæ duodecim*, *regularum decem*, *differentiarum novem*, *excusationum sex*, *de pœnis quatuor*. *Item ex ejusdem unicum de præscriptionibus*, *de inofficioso testamento*, *de manumissionibus*, *de legatis & fideicommissis*, *de testamentis*, *de eurematicis*; *de enucleatis casibus*, *de differentia dotis*, *de ritu nuptiarum*. *Ex TARRUNTII Paterni militarium quatuor*, *ex Macri militarium duobus*: *icoston*, *seu verius icaston*, *duobus*: *de appellationibus*, *duobus*. *Ex ARCHADII de testibus*

stibus uno, ex Ruffini regularum duodecim: ex ANTHI sive PUBLII FURII, Anthiani patris, edicti quinque libris: ex MAXIMI ad legem Falcidiam, ex Hermogeniani epitomarum sex libris. Hæc est denique tam juris conditorum, qui symbolum dederunt, quam librorum quoque & titulorum, quibus nostræ Pandectæ se habent, exactior nomenclatura. Nam cæteri non intexuntur, sed tantum citantur: quidam tamen in codicibus depravatis, quamvis omnino immunes, munificibus tamen adnumerantur: tituli præterea nonnulli, sicuti de *excusationibus tutorum* pene integri Græce sunt editi. quos indoctus aliquis (ut apparet) in Latinum transtulit. Post hos Jureconsultorum nomina monumentaque desiderantur, propter barbarorum adventum in Italiam, qui fana profanis miscentes, totum Latium igni ferroque devastarunt: utque Romanum nomen deleretur in perpetuum, librarias etiam bibliothecas diripuere. Propterea jus nostrum (ut alia liberalia studia) per aliquod tempus jacuit, paulatimque antiquæ leges vetustateque incuria aboluerunt: quarum etsi jam modicus sit usus, notitia tamen necessaria videtur. Novæ autem leges a *CONSTANTINO CÆSARE* cœperunt, & reliquis succedentibus, erantque permixtæ & inordinatæ. Postea vero *THEODOSIUS MINOR AUGUSTUS*, ad similitudinem *Gregoriani & Hermogeniani* codicem factum Constitutionum a Constantini temporibus, sub proprio cujuscunque Imperatoris titulo dispofuit: quem a suo nomine *Theodosianum* vocavit. Demum successit *JUSTINIANUS* Justini filius adoptivus, & nepos ex sorore. XVII. *Constantinopolitanus* Imperator. Hic (ut scribit Suidas) in primis orthodoxus, id est rectæ fidei, literarum vero omnium expers fuit, atque etiam (quod ajunt) *Analphabetus*, id est qui ne elementa quidem literarum novit, & tamen tanquam legem quandam animatam Deus eum misit hominibus, ut ipse testatur *in §. ultim. in authent. de consulibus.* Is itaque gloriæ cupidus, operam dedit, ut Jureconsultorum non responsa, sed oracula in quinquaginta Digestorum libros redigerentur, quibus epigramma hoc adscripsit Græcum.

Βίβλον ἰουστινιανὸς ἄναξ τεχνήσατο τήνδε,
ἣν ῥὰ τριβωνιανὸς μεγάλῳ κάμε παμβασιλῆϊ.
δι᾽ ἅζ τις ἡρακλῆϊ παναίολον ἀσπίδα, τεύξας,
ἧς ἐπὶ μαρμαίρουσιν ἀγάλματα πάντα θεμίστων.

Κιθρω-

Ἄνθρωποι δ' Ἀσίηςτε δορυκτήτυ τε Λιβύσσης.
Εὐρώπης τε πίθονται ὅλον συμάντορι κόσμυ.

Quod in latinum vertit *ANDREAS ALCIATUS* Græce Latineque doctiſſimus:

JUSTINIANUS opus princeps hoc edidit, omnis,
Quod Tribonianus rectori condidit orbis,
Tanquam aliquis varium componens aſpida magno
Alcidæ: namque hic fulgent mira omnia legum.
Aſt Aſiæ, Europæque homines, Libycique ſubacti,
Omnis ſignifero mundi haud parere recuſant.

Codicem etiam edidit,novellasq; conſtitutiones,& inſtitutionum libros quatuor: uſus doctrina *THEOPHILI, DOROTHEI,*& aliorum maximeque *TRIBUNIANI,* qui, *teſte Suida,* natione Græcus quamlibet religionem contempſit, & maxime Chriſtianam, aſſentator & fraudulentus extitit: perſuaſit Juſtiniano, ne mortem timeret: quippe qui in cœlum cum carne aſſumendus eſſet. Quæſtor fuit Juſtiniani, ingenio doctrinaque nemini ætatis ſuæ ſecundus: ſed avaritiam in tantum coluit, ut lucri gratia jus ſemper venale habuerit: legesque prout amici res poſtulabat, & latas revocavit, & novas tulit. Fuit ſermone blandus & ſuavis, avaritiæque morbum doctrinæ præſtantia facile obumbrare potuiſſet. Perſuaſit itaque Juſtiniano, ut legum prolixitatem amputaret: & ob id multorum Jureconſultorum nomen deletum eſt. Edictum quoque propoſuit, ne quis novas leges interpretaretur. Quod etiam hodie legitur *in l.* I. §. *noſtram autem. C. de vet. jur. enuc.* Hujus exemplo *GRATIANUS, S. Proculi monachus,* patria *Ethruſcus,* regnante *CONRADO SUEVO* x. Romanorum. Imperatore, decretorum volumen accuratiſſime collegit, Anno Domini 1105. ut ipſe innuit *in c. appellatione interpoſita. in* §. *forma. ſecunda quæſt.* VI. licet gloſſator ibi dicat, compilatum anno 1105. de quo late *Calderinus* in proœ. *Decretalium, in* III. *col. & Cardin. Alexander in præfatione decreti,* in primis verbis. Hujus tamen opiniones non ſemper recipiuntur: & reprobatur in multis, ut late etiam teſtatur *Card. Alexand. in præf. decreti in prima col. & D. Felin. in c.* II. *col.* XXIV. de reſcriptis. de autoritate decreti etiam tractans, Bononiæ floruit.

Poſt quem non multo tempore medio *OBERTUS DE ORTO*

TO Mediolanensis, magni nominis Jureconsultus Feudales consuetudines digessit. Deinde *PALEA* Gratiani discipulus, quædam ad præceptoris monumenta addere studuit. Hic etiam rubricas, imo potius summaria (ut ita dicam) ad eundem librum composuit: præter primam, quæ compilatori totius decreti adscribitur, ut etiam testis est *Jo. Andreas* in sua *ad Specul. paraphrasi*, *in tit. de disput. & alleg. ad fin.* & late reassumit *Jo. de Imola*, post *Salicetum in rub. ff. de verb. oblig. in* I I. & I I I. *coll.* Primus autem qui Justiniani edictum contempserit, traditur *HIRNERIUS*, quem aliqui *GUARNERIUM* vocant. Iste omnium primus leges civiles aperuit, glossasque composuit: Et propterea *juris lucerna* appellatus est: sed falso, cum eo legum tenebræ potius initium sumpserint. Hujus enim auctoritatem eo tempore maximam, sequuti sunt alii: nobis usque ad trecenta librorum volumina relicta sunt. Sed tamen hoc potius Justiniano adscribendum est, quod profecto dolendum est, pulcherrimam illam & tot librorum admirabilem bibliothecam, quot a sanctissimis legum conditoribus scripti erant, deperisse opera illius, qui ne elementa quidem noverat. *Putastine te* (Justinianum alloquor) *posteritati consulere, dum perdidisti tot illustrium scriptorum congestos labores, tot libros, prope divinos, & tantam elegantiam, doctrinamque, quam quanti nunc emeremus, exprimere nequeo. Existimasti fortassis, plurimum conducere utilitati studentium* (ut in tua in Pandectas præfatione asseveras) *si quod ante multitudine tractatuum tardius efficerent, coangustatis postea libris citius assequi possent? Sed non animadvertebas, quod dum lucem tenebris attulisse te putas, luci tenebras injecisti.* Videmus enim ineptos sæpissime variosque intellectus, contrariasque sententias: quotque legentium articuli (ut ita dicam) tot pene interpretationum volumina, quibus etiam indies magis magisque oneramur. Et propterea in tanta scribendi licentia, ne unus inter tot operi intentissimos desidiosus videar, dolium, exemplo Diogenis, ego quoque volvere, & in sylvam ligna ferre institui. Sed ad *HIRNERIUM*, unde digressi sumus, redeamus: qui Justiniani etiam principis novellas constitutiones in breviarium redegit, & post leges Imperatorum digessit: non tamen per hoc legis condendæ potestatem est assequutus, imo in multis reprehenditur: ut etiam testis est *D. Alex. in l.* I I. §. I. *in* I I I. *col. ff. sol. matr.* Deinde Bononiæ etiam claruerunt *BULGARUS* patria *Pisanus: PILEUS*, & *HUGO*, regnante *Federico* I I. Rom. Imperatore, qui cognomento *Barbarossa* dictus est. Quorum duo primi glossas in feudo-

feudorum librum conſcripſerunt. Licet eorum opus poſtea conſummaverit *JACOB. COLUMBI de RHEGIO*, cujus gloſſis hodie utimur. Eodem tempore extitit *ROGLERIUS*, *Odofredi Beneventani* præceptor, qui Placentiæ per aliquod tempus primas partes ſibi merito vendicavit. Hic etiam primus *paratitla* conſcripſit, id eſt rerum ſummas titulatim appoſitas, quod a Juſtiniano promiſſum fuerat: ut legitur in præallegata *l.* I. §. *ultimo. C. de vet. jur. enuc.* ubi mendoſe *piraticia*, pro *paratitla* ſcriptum eſt. Hic in opere rivalem habuit *PLACENTINUM*, *JOAN. BOSIANUM Cremonenſem*, & *BOSIANI* diſcipulum *AZONEM Bononienſem*, qui *electionis vas* (velut alter Paulus) *& legum fons* a Baldo appellatus eſt. Claruerunt regnante *HENRICO* XII. Germanorum Imperatore, anno 1200. Quo tempore etiam nomen meruit *MARTIANUS BOSIANUS Cremonenſis LOTARIUS*, & *ODOFREDUS*, *Beneventanus*. Per hujus temporis curricula *GREGORIUS* IX. qui *TIBALDUS* antea dicebatur, Decretales epiſtolas in quinque libros digeſſit, uſus opera *RAYMUNDI Barchinonenſis* viri doctiſſimi. His ſucceſſit *ACCURSIUS Florentinus*, quem uberrimum fontem juris civilis appellat *Bald. in c. circa med. de major. & obe.* hic quadragenarius cœpit Bononiæ huic ſcientiæ operam dare, adeoque profecit, ut *ODOFREDUM*, præcellentem tunc doctorem, longe ſuperaret. Fuit *AZONIS* auditor, Pandectarumque volumina & Cæſarum conſtitutiones interpretari contra Juſtiniani edictum veritus non eſt, ut ipſemet dicit in præallegato §. *ult. in verbo, Commentarios.* Florebant anno 1227. imperii Federici ſexto, ut ipſe teſtis eſt *in l. pen. C. de accuſat.* quo anno Bononiæ codicem Juſtiniani interpretatus eſt: licet jam per annos ſeptem ante ſcripſiſſet ſuper authenticorum libro ut colligitur ex his quæ dicit in authentica *ut præpon. nom. imper. circa princ.* in verbo, *Indictionis.* Et cum poſt Cyprianum antiquum enarratorem, eſſent Bononiæ duæ tunc ejus artis factiones, qui *BULGARUM*, & qui *MARTINUM GESIAM* ſequerentur: eos omnis ipſe ſcientiæ fama ad ſuas ſcholas convertit. Deceſſit anno vitæ LXXVIII. Salutis 1229. ſepultus Bononiæ apud ædem *Minorum* loco celebri. Poſt Accurſium duabus Olympiadibus mediis claruerunt, *JACOBUS BALDUINI*, qui etiam ruri publice profeſſus eſt, ut ſcribit *Felin. in c. Rudolphus. col.* X. *de reſcriptis.* *INNOCENTIUS quartus*, patria Genuenſis, familia *Fliſca*, qui *SENEBALDUS* antea vocabatur, Pontifex Romanus,

creatus vivente etiam *FEDERICO* XI. Hic maximam autoritatem in jure divino assecutus est, & fuit pater & organum veritatis, secundum *in c. pia. de except. in* VI ut refert *D. Felin.* ubi eum permultum laudat *in c.* II. *col.* XXV de *rescript. & interd.* cætera doctrinæ suæ monumenta Commentarios super Decretali celeberrimos conscripsit. Vita functus Neapoli. ibique requiescit in æde divi Laurentii. Hujus exemplo & diligentia excitatus *BERNARDUS Compostellanus* ejus familiaris, & sacerdos, anno 1245. librum in primum decretalium confecit. Post hunc indictione una media leges nostras illustravit *ODOFREDUS*, alter a superiore, qui super ff. & C. libros, interpretationes duplicavit.

Hos subsequuti sunt *HENRICUS HOSTIENSIS* & ejus discipulus *GUILIELMUS DURANDI.* Horum prior vir humani divinique juris peritissimus *Alexandro* pontifice suadente scripsit super decretalibus, & summam etiam composuit. Alter vero qui magister practicæ appellatur, provincialis, & ordinis prædicatorum, juris speculum composuit, & alia plura, anno 1270. Non multo post vixerunt *JACOBUS DE BELVISIO*, qui inter cætera super *authenticorum* libro, & *feudis* diligentissime scripsit, licet forte inferiori ætate rectius attribueretur: una cum *JACOBO BUTRIGARIO* qui (si *Baldo* credimus *consilio* CXL. *hæc quæstio fuit in* IV. *lib. consil.* IX. *ad evidentiam in* IV. *lib.*) floruerunt anno 1300. *BARTOLOMÆUS Brixiensis, juris canonici* doctor clarissimus qui decreti glossas auxit & digessit. Hic *VINCENTIUM* audivit, ut ipse refert *in c. juravit. de probat.* qui Mediolanensis fuit, ex antiqua & nobilissima Castellionum familia, ut quidam referunt: valentissimus canonista, ut Panormitani verbis utar, in *c. si quis contra in quinta col. in foro compet. & in c. cum contingat. in* II. *col. de jurejurand.* *GUIDO DE BAIPHO, Bononiensis Archidiaconus,* ut etiam refert Bartolus *in l. semper §. quibusdam ff. de jure immuni*, *& GARSIAS Hispanus* pontificii juris interpretes, anno 1285. qua etiam tempestate, duobus tamen lustris mediis, *BONIFACIUS octavus* patria *Anaginus*, qui *BENEDICTUS GAIETANUS* antea vocabatur, *sextum Decretalium librum* publicavit, suo jussu a tribus doctissimis viris compilatum: & maxime opera *RICARDI DE PETRONIBUS Senensis* SS R. *Ecclesiæ Card.* & *vicecancellarii*, cujus auctoritas eo tempore fuit maxima. Quibus duabus olympiadibus intermediis successerunt: *JACOBUS DE RAVANI:* hic ut etiam testis est *CYNUS*, ea quæ simplici sensu majores nobis tradiderunt,

runt, ad dialecticum arguendi modum deduxit. *PETRUS DE BELLAPERTICA Aurelienſis*, doctor conſummatiſſimus, qui tam ſuper Pandectis quam ſuper Codice de inſtitutionibus interpretationes edidit. Compoſuit etiam *centum diſputationes*. Hujus domus etiam hodie oſtenditur in patria, ibique ſepultus quieſcit. Et *DYNUS MUGELANUS*, qui cum plures annos Bononiæ docuiſſet, vocatus a *BONIFACIO octavo*, componendo *ſexto decretalium* libro, præcipuam impendit operam: deinde muneribus tantum quibusdam donatus, *Bononiam* rediens mœſtus animo; quod ſpe honoris maximi ac cardinalatus, qua venerat, fruſtratum ſe vidiſſet, in itinere ſubitum incidit in morbum, quo periit. Hujus contemporanei fuerunt *NICOLAUS DE NEAPOLI* magnus textualis: *MARTINUS SYLIMANNI, JOANNES ANDREAS* præceptor in legibus: *JACOBUS DE HARENA* Parmenſis, cujus opiniones, ut etiam teſtatur Bartolus, ſemper de mente juris veniunt: *FRANCISCUS ACCURSII* filius, qui paternis gloſſis aliquid addere ſtuduit: & *ALBERTUS Odofredi* diſcipulus. Poſt hos claruit *GUILIELMUS DE CUNEO Gallus: RICARDUS MALUMBRÆ* Cremonenſis, ætatis ſuæ doctiſſimus, qui hæreticus judicatus fuit: & hoc tempore *JOANNES* XXII. qui *JACOBUS Cartucenſis* ante vocabatur, *CLEMENTIS* V. conſtitutiones, quas ipſe auctor in Viennenſi concilio ediderat, iterum publicavit, anno 1314. His ſucceſſit *LABERTINUS DE RAMPONIBUS, BARTOLOMÆUS Butrigarii;* tempora vero ſua illuſtravit *JOANNES ANDREÆ*, patre *Andrea* presbytero, & matre concubina natus, apud *Mugellium* agri Florentini oppidum: juris ſcientia virtutibusque aliis natalium pudorem contexit: nam domi apud patrem primo edoctus literarum rudimenta, Bononiam admodum adoleſcens venit, ubi ob paupertatem pædagogum geſſit, Scarpectam filium Mainardi Ubaldini erudiendo: cujus ſane fretus ope atque amicitia, juri pontificio otioſe vacavit, brevique effecit, ut in ea facultate facile princeps haberetur, atque in eodem loco annos prope XLV. profiteretur. Tanta alioquin vitæ abſtinentia, ut annos XX. pelle tectus urſina, citra lecti delicias noctibus cubitaret, & frequentibus jejuniis ſuppliciiſque invigilans, ætatis ſuæ extitit conſummatiſſimus: proinde a *Baldo* jure optimo *canonici juris fons & tuba* appellatur. in conſilio CCXVI. reperitur. in I. libr. *Novellas ſuper decretali* edidit celeberrimas, & in *ſextum librum* juvenis adhuc *commentarios* compoſuit, quos poſtea retractavit. deinde *CLEMEN-*

TIS conſtitutiones accurate gloſſavit. Conſcripſit etiam opus ſuum *Mercuriale*, & ad *ſpeculum* paraphraſin eorum quæ ſibi ad ejus operis perfectionem deeſſe videbantur. Senex vita functus eſt Bononiæ ex peſte, anno 1348. ſepultus in æde divi Dominici. Cujus vitæ curſum, & perſonæ qualitatem, cum mecum ſæpiuſcule mente revolvo, ſtatim veniunt in mentem verba divi *AMBROSII* præſulis noſtri ſanctiſſimi, quæ nobis melius conveniunt: *quid nos ventris animalia unquam tale faciemus? quos ſi ſecunda hora vigilantes offenderit, oſcitamus, & manibus faciem deſricamus. JOAN. ANDREÆ* ſententiam plurimi ante nos etiam commendarunt, ex quibus nonnullos refert *Franciſcus de Cur. conſilio*, I. *col.* IV. Hac etiam tempeſtate floruerunt, *CYNUS Piſtorienſis*, ex nobili *Symbaldorum* familia: *OLDRADUS Laudenſis Conſiſtorialis* advocatus, qui (*ſi Paulo Caſtrenſi* credimus) tempore ſuo *pater legum* nuncupabatur, ut etiam teſtatur *Socyn. conſilio* CXIX. *in* I. *lib.* Fuere ambo *Dini* auditores, & *Joannis Andreæ* familiariſſimi. *NICOLAUS Mutinenſis*, nulli ex coætaneis inferior. *JOANNES Monaci* Cardinalis, ſexti libri gloſſator. *JOANNES Calderini Bononienſis*, *JOANNIS ANDREÆ* præcipuus filius & diſcipulus, vir magnæ virtutis & ſcientiæ: ut teſtatur *Baldus* conſil. CCXXI. reperitur *in primo libro.* Cujus vigiliæ in jure divino extant. Florebant etiam anno 1350. *FEDERICUS PETRUCIUS Senenſis*, *RAYNERIUS Forolinienſis* nomine, inſignis *Bartoli* præceptor, *JOANNES Fabri*, ultramontanus, doctor magni ingenii, qui compoſitiſſima brevitate codicis libros, inſtitutionesque venuſtavit, & *JACOBUS BUTRIGARII*, alius Bartoli præceptor: *SIMON de BURSIANO Cardinalis Mediolanenſis*, & *PAULUS de ELEAZARIIS*, Joannis Andreæ auditor Decretorum eximius: qui ſcripſerunt ſuper Clementinis. Hi omnes ſimul claruere usque ad annum 1355. *RAYNERIUS* vita functus eſt anno 1358. poſt hos *LAPUS ſancti Miniatis Abbas*, qui ſcripſit ſuper ſexto & Clementinis. *JOANNES Palatenſis de Senis*, Baldi præceptor, & magnus textualis, a quo *Baldus* multa mutuatus eſt. *ANDREAS de ISERNIA*, quem jure optimo ſummum *feudiſtam* appellat *Dom. Jaſon in l. Gallus* §. *etiamſi parente. in ſexta colum. de liberis & poſthumis. & in comment. in l. ſi is qui pro emptore. colum.* 50. *de uſucapionibus.* Et *BARTOLUS SAXOFERRATUS*, qui merito magiſter & princeps Academiæ legalis nuncupatur. Hic teſte *BALDO in l. prima. in nona colum. qui accuſar. non poſſ.* fuit homo multum inhærens practicæ, & primo fuit aſſeſſor Tuberti, poſtea Piſis, ubi deinde

de legere cœpit. Mox Perusium profectus est, unde legendo optimus evasit jureconsultus. Hujus auctoritas quanta sit, nemo est qui nesciat. Audivit *PETRUM de BELLAPERTICA*, *CYNUM*, *RAYNERIUM*, & *JACOBUM BATRIGARII*. Vita functus est anno 1355. ætatis suæ XLVI. de cujus studiis ipsemet dixit *in l. quidam cum filium ff. de verb. oblig.* qui (*si Rom.* credimus *in sing.* DCCXXIV. *quæro a te*) comedebat ad pondus, ut haberet ingenium pariter dispositum, & nunquam alteratum, ut ejus verbis utar. Eadem tempestate cum Bartolo claruit *FRANCISCUS TIGRINI PISANUS*, cujus vita ac mores doctrinam ejus maxime ornaverunt. Hic rerum singularium magnam copiam habuit, & fuit doctor *BALDI ut Baldus* attestatur *in c. vasallus. & secundo, si de feud. fuer. controvers inter dom. & agnat.* *NICOLAUS ALEXANDRINUS*, *BARTOLI* gener, qui inter alia repetiit §. *si initium. in l. si quis ex argentariis. ff. de edendo*, licet illa repetitio falso *Bartolo* ad scribatur, ut etiam testatur *Andr. Barbatia* post *Joannem de Platea in repetit. rubri. de fide instrum. colum. penult. & Caccialupus in tractatu de modo stud.* & Alexander, licet non clare exprimat, *in l. jure gent.* §. *quod fere. ff. de pactis.* qui & etiam idem sentit, si recte ejus verba corrigantur, in dicto §. *si initium.* in prima *colum.* *FRANCISCUS ALBERGOTTUS Aretinus*, *Bartoli* familiarissimus. *ALBERICUS ROSATIUS Bergomensis*, Doctor magnæ practicæ, cujus scripta (studio tamen privato composita) extant laudatissima, & *SIGNOROLUS HOMODEUS Mediolanensis*, quem laudabilis & egregiæ memoriæ virum vocat Baldus *in c. clerici.* circa medium. *de judiciis. & in consilio* CCLXIV. statuto cavetur. *in primo libro.* & profundum famosumque dicit *Jacob Alu. in c. 1. in prin. in quinta col. quis dicatur Dux, vel Marchio.*

BARTOLI nomen excepit *BALDUS de UBALDIS Perusinus*, ejus discipulus, qui una cum *ANGELO* & *PETRO* fratribus tempora sua illustravit. Horum monumenta extant laudatissima. *BALDUS* tres habuit præceptores, *JOANNEM POGLIARENSEM*, *FRANCISCUM TRIGINI*, & *BARTOLUM*: qui multum contulit ingenio suo, ut ipsemet Baldus scribit in *dicto c. Vasallus.* & secundo ubi dicit, se hos tres longe tempore audisse, & raro ab eis se discendi studio separasse. Is præter ingenii monumenta, quæ de se prædicant, & *Bartoli* scriptis pares ferunt gressus, in vita etiam tantus fuit, ut facile omnes alios juvenis adhuc superaverit: ideo jure optimo præceptor meus *D. Jason* (de quo etiam infra dicemus)

ſæpiſſime admiratione quadam motus dicebat, *BALDUM* nihil unquam ignoraſſe. Hocque ego auſim etiam ſub religionis juramento affirmare, eum qui Baldi ſcripta diligenter præ manibus habuerit quamlibet difficilem quæſtionem facile dijudicaturum. Præceptor fuit *GREGORII XI.* ante ejus pontificatum obque famam poſtea a *Joan. Galeazio* Mediolanenſi duce, & Virtutum comite, Papiam aſcitus. Hic diem obiit an. Domini 1400 IV. Cal. Maji. requieſcit in baſilica divi Franciſci, hoc epitaphio honeſtatus:

Vita, labor, ſtudium, divini cultus amoris,
Artes naturæ, regis fulgentia dicta,
Legales normæ, paſtorum cœlica jura,
Ornant Baldi animum: quem pandit dogmate claro
Quisquis, nunc liquit mortalis pondera carnis,
Dulcia jam guſtans auctoris paſcua ſummi.
Clauditur hic Baldus Franciſci tegmine fultus,
Doctorum princeps, Peruſinaque editus arce.

Eodem etiam anno Florentiæ deceſſit *ANGELUS* quem venerandum & excellentiſſimum fratrem ſuum appellat *BALDUS* conſilio CCLXIV. in primi libro.

PETRUS juri divino operam dedit, & tulit auxilium: ejusque plurima mentio inter *Baldi, Angeli* & aliorum ætatis ſuæ conſilia. Eodem tempore claruerunt, *RICARDUS, & BARTOLOMÆUS de SALICETO, Bononienſes:* hujus commentarii perutiles circumferuntur. *BENEDICTUS de PLOMBINO*, qui ſcripſit ſuper aliquibus titulis ff. novi, & fecit nonnullas repetitiones quæ extant. Hic fuit *Baldi* auditor, & ſubtilis ingenii, ut teſtatur *Domin. Alexand. in l. ſi ex toto. § ulti. de legat. primo.* Claruit & *FRANCISCUS Baldi* filius: cujus inter patris conſilia plurima mentio. Non multo poſt in lucem venerunt, *JOANNES de LEGNANO:* quem canonum & legum, & philoſophiæ ſummum & illuſtrem capitaneum appellat *ANDREAS SICULUS in tract. de præſt. Cardinal.* in prima quæſtione primæ partis: hic bigamus fuit, & ideo in Cardinalem eligi non potuit: ut dixit *Baldus in c. at ſi clerici. in penult. col. extra de judic.* & propterea ſunt qui putent eum ſuperioribus potius adnumerandum. Quibus aſſentio, quia invenio eum Bononiæ legiſſe anno 1360. *LAPUS de CA-*

STELLO

STELLO *Florentinus*, alter a superiore: cujus auctoritas est magna: fuit advocatus consistorialis, ut etiam refertur a *Ludovico Romano singular.* XLI. conscripsit *allegationes* memoria dignas, & hunc quidam cum priori confundunt, & quidem imprudenter, ut colligi licet ex his quæ ipse scribit *allegatione 101. in civitate Florentiæ.* Floruerunt etiam cum istis, *JOANNES de FANTUCIIS, GASPAR CALDERINI, LAURENTIUS de RADULPHIS Florentinus: PETRUS de ANCHONA*, qui audivit *Baldum: ANTONIUS de BUTRIO, Anchorani* discipulus: omnes Bononienses. Hic legatus missus est a *Gregorio* XII. ad regem Franciæ, propter schisma Benedicti: eoque anno mortuus, optatum finem illius schismatis non vidit, ut dicunt *Dominicus & Dom. Felin. in proœm. GREGORIUS* florebat anno 1400. *FRANCISCUS ZARABELLA Patavinus Cardinalis*, ac præsul Florentinus, in cujus funere *Poggius* oravit (quamvis sint qui hunc putent floruisse superiori ætate, circa annos Domini 1370.) audivit *LAURENTIUM de PINI* & *JOANNEM de LEGNANO*, ut ipse testis est *in præfat. Clementin. & JOANNES PETRUS FERRARIUS Papiensis*, qui judicialem practicam composuit, usque ad annum 1410.

His successerunt, *CHRISTOPHORUS CASTELLIONEUS*. Mediolanensis subtilitatum princeps: cui jure optimo conveniunt versus illi poetæ *Carmelitani, secundæ Parthenices libro 1. in hanc sententiam*:

Atque voluminibus legum stipate duarum,
Abstrusos animo sensus voluebas, ut acris
Ingenii vegetas acies figebas in omne
Quod tenebris ænigma latet, mysteria miris
Involuto modis visu penetrabas acuto.

Et duo fulmina juris, *RAPHAEL Comensis* videlicet & *FULGOSIUS Placentinus*: qui Castellionei præceptoris scripta furto subtracta inter se diviserunt, & Patavii publicarunt, anno 1420. ut etiam innuit *D. Jas. in l. prima. ff. de pactis.* Deinde *FRANCISCUS de RAMPONIBUS*, Imolæ præceptor: *PETRUS MAUROCENUS Venetus*, S. S. R ecclesiæ Cardinalis, *JOANNES Imolensis*, qui vita functus est 1436. XII. Calend Martii

PAULUS DE CASTRO, doctor aureus: qui Paduæ decessit, ubi profitebatur, anno ætatis suæ LVII. ut aliqui volunt. *DOMINICUS*

CUS DE S. GEMINIANO, & *MATTHÆUS MATTHESILANUS Bononienſis* ambo *Antonii de Butrio* auditores. *Matthæus* ſcripſit ſuper aliquibus libris Digeſtorum, maxime de appellationibus notabilia quædam dicta collegit. Compoſuit & aliquos tractatus: alii integra ediderunt Commentaria. Eadem ætas tulit *LUDOVICUM ROMANUM*, ingenio & memoria illuſtrem: quem tamen aliqui ſcribunt admodum ineptum in dicendo extitiſſe. Adſcribitur etiam ei nota aliqua, quod mendax fuerit: quippe qui cum aliquod ſomnium conabatur affirmare, falſos auctores citare non verebatur: & præſertim juvabatur auctoritate antiquarum deciſionum Rotæ, cum ſit difficile illas quotas invenire, quæ adeo usque in illum diem excreverant, ut cum difficultate perlegi poſſent. & ob hæc dicebat *Do. Alexand. in l. ſi cum dotem.* §. *eo autem tempore. in tertia col. ff. ſolut. matrimon.* quod parum Romano credebat. Tulit etiam *CHRISTOPHORUM PORTIUM Raphaëlis* Com. auditorem: *NICOLAUM de TUDISCO Catanienſem*, *Siculum abbatem* & *archiepiſcopum Panormitanum*, ordine & claritudine laudatiſſimum. florebat Senis anno 1430. *JACOBUM ALVAROTUM* feudiſtam, *PETRUM MATESILANUM:* Florianum de S. Petro, ejus diſcipulum, & *JOAN. DE ANANIA Bononienſem Archidiaconum*, divini juris interpretem eximium, & theologum eruditum, veritatis ſectatorem. hic obiit anno 1455. Hoc tempore floruerunt *PETRUS BESUTIUS* Mediolanenſis Doctor inſignis: *ANGELUS de PERIGLIS: JOANNES PETRUTII: ANGELUS DE ARETIO: JOANNES DE PLATEA: JOANNES BAPTISTA CACIALUPUS*, advocatus conſiſtorialis: *ANTONIUS DE ALEXANDRO: MARTINUS LAUDENSIS: & JACOBUS PUTEUS.* hi interpretationes ſcripſerunt. Quibus ſucceſſit *ALEXANDER IMOLA*, a quo (ut de Tibullo cecinit Ovid.) ceu fonte perenni

Vatum Pieriis ora rigantur aquis. Hic quaſi canon fuit poſterioribus, legum præcepta petentibus ab eo velut a lege quadam: & eum jure optimo una cum Bartolo & Baldo aliis præponimus; legit Bononiæ, Paduæ, & Ferrariæ. florebat autem anno 1460. & 1470. audivit *Florianum* & vere dicit *D. Felin. in c.* 11. *colum.* XVI. *de reſcript. quod* eſt lucerna ardens cathedris juris civilis. *MARIANUS* quoque *SOCYNUS Senenſis*, quem celeberrimum Jureconſultum fuiſſe teſtatur Alexander conſil. IV. in primo libro & doctorem immortalem appellat *D. FELIN. in proœm. Gregor. in octava columna. BARTOLO-*

TOLOMÆUS CEPOLA Veronensis *Alexandri* concurrens, in gymnasio Patavino: qui obiit anno 1477. *ANGELUS DE CASTRO*, Pauli filius, qui Paduæ floruit anno 1470 *BENEDICTUS CAPRA: JOANNES BERTACHINUS Firmianus*, advocatus consistorialis, qui ob copiam auctoritatum laudem sibi comparavit: *LAURENTIUS CALCANEUS: BALDUS BERTOLINUS*, alter a superiore: itidem *Perusinus*, jureconsultissimus & *FRANCISCUS ARETINUS*, de quo id dici jure optimo potest, quod de *Epicuro* dicit *Lucretius*, verbis tamen paululum immutatis:

Hic genus humanum ingenio superavit, & omnes
Restrinxit stellas, exortus ut æthereus sol.

Nam præter jura, cæteras etiam liberales artes est adeptus, & princeps sæculi sui habitus. huic enim legum anguli clarius patuere: vixit in cœlibatu, opibus tamen inhians, quas cumulatissimas cognatis demum coactus reliquit, cum tamen maxime cuperet collegium fundare: eumque celeberrimum Jureconsultum dicit *D. Alexand.* consilio IV. lib. primo.

Eadem etiam tempestate Bononiæ claruit *ANDREAS Siculus*, quem vulgus *BARBATIUM* appellat. audivit *Joannem Imolens.* ut ipse testatur in *repetit. rubric. de fid. instrumento. col. trigesima quarta.* Multa scripsit, quæ tamen non sunt in communi omnium usu. Studio enim impugnandi communes opiniones, sæpissime deliravit: ut dicit *D. Felin. in c. cæterum. colum. octava, de rescriptis.* Hic rivalem habuit *BARTHOLOMÆUM BELLENCINUM*, *Mutinensem*, quem postea audivit *FELINUS*, eumque mirifice commendat *in c.* II. *col.* XVI. *de rescript.* Floruerunt non multo post *PETRUS PHILIPPUS CORNEUS*, *Perusinus:* qui *Florentiæ*, Ferrariæ, & in patria annos prope quinquaginta professus, decessit ætatis tertium supra septuagesimum agens annum. *BARTOLOMÆUS SOCINUS Senensis*, Doctor celebratissimus, Mariani. Filius & Alexandri discipulus, qui Patri Paduæ & Bononiæ docens, jam fessus vivendo linguæ instrumento privatus per triennium, Senis demum mortuus est circa annum 1457. *JOANNES MARIA RIMINALDUS*, *Ferrariensis*, quem acutissimum discipulum suum, & postea clarissimum J. U. doctorem appellat *D. Alexand. consil.* CXXVII. viso testamento. in primis verbis. *in* I. *libro.* *FRANCISCUS DE CURTE*, qui vita functus est III. Calendas Augusti 1495. *LANCELLOTUS DE-*

CIUS Mediolanens. vir integerrimus Alexandri discipulis: obiit Papiæ pridie nonas Februarii 1500. Hi omnes in jure Cæsareo scriptitarunt In pontificio vero, *FELINUS SANDEUS*, *ANTONII* filius, Lucensis episcopus, & Rotæ Romanæ auditor, cujus scripta hodie post *ABBATEM SICULUM* multum frequentantur. Audivit *ARETINUM*, licet scribendi genus diversum a præceptoris stylo affectaverit, natus in oppido Felinæ, agri Regiensis. ut testatur ipsemet *in c. Rodulphus. de rescript.* ubi etiam de parentum suorum origine posuit. Hic Pisis floruit Claruit & *JOAN. ANTONIUS DE SANCTO GEORGIO* Mediolanens. ex collegio judicum, postea ob multiplicem doctrinam divi Ambrosii in urbe nostra præpositus sanctissimus, Alexandriæ episcopus, & S.S.R. ecclesiæ Cardinalis dignissimus. obiit superioribus diebus Romæ VI. Calend. Aprilis 1509. annum septuagesimum agens, cum ingenti totius Italiæ desiderio, & præsertim inclitæ patriæ, cui se civem optimum præstiterat. Seculum vero nostrum & Ticinensem Academiam exornant & excolunt duo superioribus haud aliqua parte cedentes, *JASON MAYNUS*, & *PHIL. DECIUS Mediolanensis* præceptores mei. Hi leges & jura canonica supra omnes maxime illustrarunt. & tanto majores cæteris sunt, quanto Mediolanensis civitas alias excellit, ut de *Virgilio & Hesiodo*, & *de Mantua & Ascra* dicunt historici, quorum laudes recensere in tanta omnium notitia superfluum duco, & præsertim, cum singuli propriis vigiliis sint clarissimi. Ex eorum Academia, ut etiam ex equo illo Trojano, multi consummatissimi doctissimique Jurisconsulti in lucem prodierunt; quas sigillatim non referam, ne sim in præsente opere, quam par est diffusior. eos quilibet pro voluntate poterit adnotare. *ALCIATUM* tamen omittere piaculum esset, qui Jureconsultorum consultissimus sine controversia appellari potest Is legum commentaria ad Latinam linguam restituit. Plura scripsit, ex quibus quantum legali scientiæ præstiterit, quilibet judicare potest. Cui optime convenit illud quod *Pythius Apollo* apud *Ennium* dixisse fertur, eum se esse, unde reges & populi, & omnes sui cives consilium expetant, suarum rerum incerti. *MAYNUS* diem extremum clausit XII. Calend. Maji 1519. annum agens LXXXIV. *DECIUS* vero obiit anno 1535. jam annorum nonaginta.

MAT-

MATTHÆI GRIBALDI MOPHÆ
JCTI CHERIANI
CATALOGUS ALIQUOT INTERPRETUM JURIS CIVILIS.

DE DINO.

PRimi ex antiquis DINO debentur honores:
Interpres legum maximus hercle fuit.

DE CINO.

Jurisconsultum celebrem, celebremque Poetam
Nosse cupis: CINI scripta diserta legas.

DE OLDRADO, AC ODOFREDO.

Consilio OLDRADUS pollet: clarissima legum
Commentis præstas sensa ODOFREDE tuis.

DE SPECULATORE.

Dat tibi fœcundus praxim SPECULATOR, & artem:
Ad fora qui properas, hoc duce carpe viam.

DE PETRO, JACOBO ET FABRO.

Subtiles olim Gallos dixere Latini:
Hoc tribuere illis PERTICA, ARENA, FABER.

DE BARTOLO.

Militiæ vexilla sacræ fert BARTOLUS: errat
Qui sibi vult alium præposuisse Ducem.

DE BALDO.

Nemo (quod hunc latuit) scivit: si jura monarcham
Ferre queunt, tanto hic nomine dignus erit.

DE ANGELO, ET PETRO UBALDIS.

En tibi quot radios effudit UBALDA propago?
Post BALDUM fulgent ANGELUS atque PETRUS.

DE SIGNOROLLO HOMODÆO.

Ingenium vivax, atque ingens copia legum,
Vota hujus nunquam demoritura probant.

DE ALBERICO ROXATO.

Omnis in ALBERICI fulgent ſudore vetuſtas:
Antiqui vindex nominis iſte fuit.

DE BARTHOLOMÆO SALICETO.

Cæſaribus verum Doctor SALICETUS honorem
Reſtituit Baldi ſplendida ſigna ſequens.

DE CHRISTOPHORO CASTELLIONEO.

Vivit, & æternum hic vivet, quem rere ſepultum.
Quid mirum? ſolo vivitur ingenio.

DE PAULO CASTRENSI.

Accipe CASTRENSIS commenta fidelia Pauli:
Nemo tibi leges explicat utilius.

DE FULGOSIO ET COMENSI.

Volve Raphaeles docti duo fulmina belli,
Quisquis ab ingenio ſcripta probanda putas.

DE JOANNE AB IMMOLA.

Corneli lux prima fori ſibi vendicat omnis
Cenſuræ, ingenio, fruge, labore decus.

DE LUDOVICO ROMANO.

ROMANO vere dignum Pontane theatro,
Ingenioſa ſatis te monumenta probant.

DE PRATICO Papienſi.

Dat Tricinenſis veram tibi PRATICUS artem,
At quartum hic ſacris detrahit eccleſiis.

DE MATTHÆO MATHESILLANO.

Dant MATHESILLANO multam ſucceſſio laudem
Legitima, & numeris dicta notata ſuis.

DE AN-

DE ANGELO ARETINO.

Angelicos ſpirat ſenſus minor ANGELUS: hunctu
In caſtigandis conſule criminibus.

DE CHRISTOPHORO PORTIO.

Perlege CHRISTOPHORI juvenis commenta diſerti:
Explicat hic nitido prima elementa ſtylo.

DE ALEXANDRO.

Quam belli Macedo clarus fuit ille triumphis,
Tantum hic Romanæ ſplendet honore togæ.

DE FRANCISCO ARETINO.

ACCOLITI illuſtris ſubtilia ſcripta revolve,
Ingenio (dices) non habet iſte parem.

DE ANDREA SICULO.

Ingenium velox, & prompta memoria, clarum
Andreæ Siculi nomen ad aſtra ferunt.

DE CORNEO PERUSINO.

Priſca Peruſinæ caderet ſi gloria gentis,
Qui decus inſtauret CORNEUS unus erit.

DE MARIANO ET BARTHOLOMÆO SOCINIS.

Socinos venerare ſacri duo lumina Juris:
Jus geminum illuſtrant filius atque pater.

DE JASONE MAYNO.

Quis MAYNUM ignoret? quo non pervenit Jaſon?
Theſſalus haud tantum cognitus ille fuit.

DE PHILIPPO DECIO.

Tempora quid DECII miraris cana PHILIPPI?
Jus nemo hoc melius novit utrumque viro.

DE LANCELLOTO DECIO.

Ætas me fratri, fratrem mihi gloria præfert:
At germanus amor nos facit eſſe pares.

DE LANPHRANCO ET CALCANEO Brixienſibus.

Hi duo victuras referunt tibi Brixia laudes,
Ille legens, alter conſilio eximius.

DE BARTHOLOMÆO Veronenſi.

Cautellis Cepolla tuis qui noverit uti
Legitime, hoſtiles non metuet laqueos.

DE GUIDONE PAPÆ.

Conſiliis te Guido juvat: deciſio verum
Fertilis, æterna laude perennis erit:

DE FRANCISCO ET FRANCISCHINO CURTIIS.

CURTIA perpetuis domus eſt celebranda trophæis,
Ex qua tam clari proſiliere viri.

DE CAROLO ROYNO.

Explicat hic legum nodos velut Oedipus alter:
Nunquam habuit talem Felſina docta virum.

DE JOANNE CROTTO.

Exiguos CROTTI lector ne ſperne labores,
Invenies ſtudiis plurima digna tuis.

DE HIPPOLYTO MARSILIO.

Crimina legitimis qui vis compeſcere pœnis,
Utile Marſilii jam tibi conſtat opus.

DE CORCETO SICULO.

En tibi præclarus Siculis Corcetus ab oris,
Tranſcribit calamo dicta notanda tuo.

DE CLAUDIO AQUENSI.

Claudius Allobrogum primos defendit honores.
Noſtra ætas tanto præſule clara fuit.

DE FRANCISCO BALBO.

Utilis æternum reddit præſcriptio Balbum,
Omnibus id numeris tam bene conſtat opus.

DE JA-

DE JACOBINO A SANCTO GEORGIO.

Feuda Jacobini lector studiose revolvas:
Fama quidem meritis est minor ipsa suis.

DE ALBERTO BRUNO.

Si Bruni formam, augmentum reliquosque labores
Inspicias, dices hunc vigilasse diu.

DE FRANCISCO RIPPA.

Judicium, ingenium, consummatique labores,
Hunc vivum seclis omnibus efficient.

DE FRANCISCO PURPURATO.

Purpureos redolens sensus tua dogmata Præses
Inclyte: majorem vix habet Italia.

DE JOANNE ANTONIO ALEXANDRINO.

Quanta sit Antoni legum tibi copia, quanto
Ingenio excellas, urbs Patavina probat.

DE HIERONYMO CAGNOLLO.

Jurisconsultos inter Cagnolle disertos
Censeri, merito te tua scripta jubent.

DE LANCELLOTO GALIAULA.

Quid raptum defles GALIAULAM *ætate virenti?*
Invida mors claris non nocet ingeniis.

DE BERTRANDO CARPENTORACTENSI.

Vota tua, atque ingens probitas Bertrande, favorem
Non cessant famæ conciliare tuæ.

DE JOANNE IGNEO.

IGNEUS *extinctos Gallorum suscitat ignes.*
Doctrina certe magnus, & ingenio.

DE AYMARO RIVALLIO.

Historiam Juris splendens RIVALLIUS *ornat:*
Præstitit hæc juvenis, nunc mihi quantus erit?

DE GUILLIELMO BUDÆO.

BUDÆUS Pater elegantiarum,
Ne Galli invideant, facit, Latinis.

DE UDALRICO ZASIO.

Doctus maxime, maxime & disertus,
Leges restituit suo hic nitori.

DE ANDREA ALCIATO.

Consultissimus ornat ALCIATUS
Musas, eloquium, sacrasque leges.

DE ÆMILIO FERRETO.

Inter conspicuos nitet modernos,
Lingua & moribus elegans FERRETUS.

Συμπέρασμα.

Sic vivent, quoscunque opera ad sublimia virtus
Traxerit, & nullo tempore fama cadet.
Hæc quoque venturos accedent clara nepotes,
Et grave ad ascensum nomine calcar erunt.



VII. AL-

VII.

ALBERICI

GENTILIS

DE

JURIS INTERPRETIBUS DIALOGI

SEX.

I. SCÆVOLA
II. PAULUS
III. CATO
IV. TREBATIUS
V. POMPONIUS
VI. ANTIPATER.

ROBERTO DUDLÆO ILLmo COMITI LEICESTR. ALBERICUS GENTILIS S.P.D.

QUæ magnis, ac nobilibus viris offerri solent, ego ipsa tibi viro maximo & nobilissimo jampridem debita, in præsentia trado. Isti sunt lucubrationum mearum fructus primi, qui lucem videant, quosque dum tuo favore sum Oxoniæ & collegi, & oculis omnium nunc sub felicissimis auspiciis tuis expono, ac quidem si ejusmodi non sunt, ut sermonibus respondeant, quos vel clariss. Jo. Bap Castellioneus, *vel doctiss. ille, & disertiss.* Thob Matthæus, *aliique nobiles viri, & magnæ pariter æstimationis de me tecum habuere, hoc certe efficere debent, quod vel unum cupio, ut testata ex hoc quantulocunque facto maneat summa erga te observantia mea, animique mei tibi omnium devinctissimi significatio. Tu me sesquianno abhinc hominem peregrinum, & incognitum penitus, quæ tuæ est singularis naturæ benignitas, sic suscepisti, ut & commendatione tua hic in celeberrima Oxoniensi Academia cooptatus sim in splendidissimum Doctorum ordinem, & profitear etiam Jura Civilia, quo nescio, an majus ullum beneficium potuerit a quoquam rebus meis afflictis obtingere, nam qui Oxoniam norint, & ii norint, necesse est, ut mecum agatur, qui Oxoniæ vivo, in ea scil. civitate, quæ situs amœnitate felicissima, magnificentissimis studiosorum Collegiis proculdubio augustissima in toto orbe, scholasticorum numero admirabilis, & omnes antiquorum vestrorum munificentia aluntur lautissime, doctorum copia virorum omnis generis clarissima censeri debet. Quid præterea? Oxonia me, meaque omnia ita est cunctis officiorum generibus complexa, tenetque, ut in crudeli hoc meo exilio, si est exilium potius quam beatitudo, persecutionem pati propter Justitiam Christi, nihil non amantissime præstet, quod possit ullum mihi solatium afferre. Atque hæc a te sunt, pro quibus & debeo, & volo tibi debere maxime, & si non facio, sum ego omnium mortalium aut ingratissimus aut longe stupidus, qui illa vere non senserim. Excipe igitur, Comes Excme qua reliqua soles, fronte hilari & istud testimonium voluntatis meæ erga te: nam si primus etiam hic ingenii mei fætus non displicebit, dabo operam, ut alii, quos cogito, majori a me tum cura, tum alacritate procedant. Vale. Oxon.* x. *Kal. Octob.* MDLXXXII.

ALBERICI GENTILIS
DE
JURIS INTERPRETIBUS DIALOGUS PRIMUS.
SCÆVOLA.
COLLOCUTORES:
QUINCTUS. ALBERICUS.

CONTENTA DIALOGI.

Scopus Dialogi est ostendere, circa acquirendum in juris disciplina habitum magis inservire lectionem scriptorum Veterum Jureconsultorum, qui post revocatum jus romanum vixerunt, quam ex recentiorum, qui ALCIATUM *imitati fuerunt, JCtorum scriptis hauriri queat utilitas. Juniores aliena & a legum scientia remota juris studio intulisse, ea autem ita comparata esse, ut illis pro dignitate tractandis ne quidem hominis vita sufficiat, tantum absit, ut jurisconsulti veri nomen ambiens alienis prorsus a legum & morum studio immorari queat. Nimis confidenter de sua scientia sentire JCtos illos, qui pene omnium scientiarum ambitum complecti volunt. Hæc dialogi materia.* QUINCTUS *recentiorum JCtorum,* ALBERICUS *Glossatorum & Veterum autorum causam agit.*

QUINCTUS.

TU igitur, ALBERICE frater existimas, veteres illos Juris interpretes *Accursium, Bartolum*, cæterosque ejusdem farinæ homines nostris *his elegantioribus* anteponendos? [1]

ALBERICUS. Ego, quidem, ut mihi ex animi mei sententia soleo in istis quæstionibus satisfacere, ita cum aliis non libenter tracto, nec facio unquam, nisi vi quadam, & necessitate eo adactus: quid enim de doctrina eorum differere, eos sub comparationem producere, a quibus discere debemus? & ab illis disco ego, & ab istis disco. Odiosa hæc sunt, mihi crede, argumenta: nescio, an eruditior possit ex ipsis quisquam evadere. Excidit mihi illud, dum te nostro impulsu animatum ad studia Jurisprudentiæ cupio ei uni rei addici totum, ut *Accursius*, ut *Bartolus*, ut reliqui omnes usque ad ætatem hanc nostram fecere, quando novam instituit sectam ALCIATUS. Dicebam, quia *Bartolus* & *Accursius*

[1] *Duar. lib. 2. disp. anniv. cap. 18. ait, cujusdam valde eruditi hominis esse orationem de dignitate veterum Interpretum.*

toti

toti erant in Jure dies ac noctes, mirum non esse, si summi evaserint, Jurisconsulti & summi Juris interpretes; recentiores hos e contrario non tantos videri, quoniam vagentur latius per omnia omnium artium genera, & disciplinas, & scientias omnes: siquidem & alii dixerunt, & est verissimum, *Ubi quisque intenderit, ibi ejus valere ingenium.* Audivi ex *Platone* [1] aliquando, in bene constituta Republica illam fore legem perquam utilem, qua singulis singulæ artes demandarentur, negarentur plures, & erat ratio optima, quia constet singulas res & copiosius, & præclarius, & facilius evenire, si unus unam rem, & ex sua natura, rerum cæterarum studio plane abdicato, tractarit.

SCÆVOLA noster, quod notarunt & alii, intra suæ artis cancellos ita se continet, [2] ut quæstionibus Juris contentus ab aliis omnibus non solum abstineat, sed etiam maxime abhorreat: & inter coripheos Jurisconsultorum refertur a *Modestino*, [3] ipso hoc non contemnendo auctoritatis Jurisconsulto. Ut, si rationes, si auctoritates, si exempla quidquam omnino valent, opiner ego, non inepte me in eam sententiam descendisse. At, si libet de litteris agere, aliæ proferantur quæstiones, has missas penitus faciamus.

QUINCT. Immo ego in præsentia nullam cupio tractationem, quam de INTERPRETIBUS JURIS CIVILIS; ac ne cupio quidem nisi istam, ista mihi & jucunda, & utilis, & necessaria sola est in præsentia, ut qui parem me ad illa studia; & magistros nancisci bonos, optimum sit. Pernecessarium est, ut cognoscam, cui itineris duci fidam magis, quem sequar. Quod sit tuum institutum in re isthac; quo pacto ea tibi verba exciderint, jam haud sustineo audire. Si me amas, quem unice semper amasti, illud desidero, & tu debes mihi explicare, quibus rationibus adductus *recentioribus Alciateis interpretibus existimes antiquiores Accursianos esse præferendos.* Comparationes, quæ quid in scriptoribus pulchrum, quid sit minus aptum docere possunt; hæ (opinor) non damnantur; alioquin & sublata omnis esset disciplina, sed quæ temerariam quandam auctoritatem ei vindicare videntur, qui habet comparationem: istæ vituperantur, quæ sunt de auctoribus potius, quam de operibus & sententiis eorum, & hujusmodi audimus hodie plerasque omnes, fateor, magno illorum dedecore, qui proponunt, agitantve. Tu aliter ages, scio.

[1] *Lib. 2. de Repub. & lib. 8. de Legi.* [2] *Duar. ad l. qui Romæ 122. §. Agerius 4. ff. de verb. oblig.* [3] *l. Scire oportet de exc. tut. 13. ff. l. ad exhibendum 5. C. ad exhib.*

ALBER. Sit ita, & tu audiſti jam ſententiam meam, & ſententiæ quoque rationes. *Et veteres & novi interpretes, frater, poſſunt tibi adjumento eſſe: utroſque ſequi potes.*

QUINCT. Audivi equidem quædam, ſed vix quædam: deduci ipſa cupio non aliter, atque periti belli duces ſolent acies etiam extendere, ne ab adverſariis circumcurſantibus in gyrum & anguſtias redactæ ſatis omnino loci non habeant poſt, in quo poſſint omnes pugnare milites, & ita undique cædantur. Quid enim? audio multos & ſummi nominis viros, qui veram juris diſciplinam contendentes penes hoſce novitios eſſe, & rationes explicant in eam partem, moventque multas adverſus tuos Accurſianos. Hos PLEBEJOS vocitant; ad juventutem inſtituendam plurimum obeſſe ajunt.[1] Aliquos poſuiſſe ſe meliores annos in Accurſianis ineptiis, in quibus etiam dediſcendis plus temporis fuerit dandum An igitur ego cum iſtis ero? quos SOPHISTAS appellant alii:[2] alii hoc ipſum rident, quod ſint, qui barbaras & impolitas tuorum interpretationes elegantioribus noſtrorum præferant, & horum tritico neglecto, cum illis, quaſi cum Atavis ſues glandibus veſcantur. Si tui illi nullas omnino bonas artes tenuere, qui fiet, ut iſti verum non dicant?[3] Profecto non diſpicio ipſe; niſi qui Andabatarum more currunt, hos cenſeamus & recte curſum tenere poſſe.

ALBER. Quantum video, tu jam indiges minime documentis meis in re iſthac.

QUINCT. Ego aliorum verba recenſeo: quibus equidem ſi dicam non moveri, illud protinus dixero, hanc de interpretibus tractationem me non curare: nam cum & tuis verbis, tuoque facto trahar etiam in contrarium: ita cupio ab ea moleſtia liberari, ut nihil ſupra.

ALBER. Si ſic animo ſedet tuo, ut ex me audias, quos magis probem interpretes, faciam quidem: ſed ea lege, ut rationem potius inſtituti mei videar explicaſſe, quam interponere voluiſſe judicium ullum de tantis viris: illud enim non præſtare ignavi eſſet; iſtud ſibi aſſumere impudentis & confidentis nimis: dicam autem breviſſime. Scito, me nunquam ita addictum fuiſſe veteribus, quin libenter diverterer aliquando ad iſtos interpretes recentiores. Dum *Peruſii*, dum alibi poſt doctoratus lauream in Italia vixi, ſemper his politioribus tribui aliquas horas: non enim multas potui praxi deditus; & vix *Hottomanni* tunc temporis quædam tranſierunt alpes; aliorum nec nomina cognoſcebamus.

[1] *Duar. in epiſt. ad Guill. & in orat. pro Bug. Bayſ. in lib. de re veſt.* [2] *Alc. in epiſt. ad lect. ante prim. vol. op. ſuo.* [3] *Baro in l. 11. ff. de Senat.*

mus. Poſtquam ex Italia abii, quæ librorum copia in *Carniola?* partem operum BARTOLI nactus ſum ſolam: *Tubingæ*, *Hidelbergæ*, *Neoſtadii*, ubi potuiſſem forte hos homines audire, non ſubſtitimus. Hic in Anglia innotuerunt mihi quamplurimi: nec defuit omnino facultas cognoſcendi opera aliquorum: ſed tu ſentis, quam exiguum ſit hoc ſpatium ſeſquianni, quod & auditoribus meis, non mihi, debui; & hi ſolidam veramque Juris ſcientiam ſectantur potius, quam iſtorum recentiorum chartas delicatas: egregius enim doctiſſimusque Jurisconſultus GRIFFINIUS LOIDUS *Regius profeſſor* noſter legitimam illam præmonſtrat viam. Legi tamen nonnulla. Jam dico, quibus in rebus defeciſſe antiquorum operam adnotabam, & neotericorum ſtudia profeciſſe maxime deprehendi (ut his me aliquid debere fateor, & jus obligationis libenter profero) ego horum induſtria uſus, quæ ACCURSII & ſuorum eruditionem effugere, videor plane percipere poſſe. Et quoniam id mihi conſilii ſumpſi, in eo vivo, & non infeliciter, (ut ſpero) cadet, illud idem tibi imitandum & ſequendum propono. *Eſto cum veteribus, novos inviſas, conjunge utriusque factionis ſtudia. Eſto cum veteribus, quia ipſi vere Jurisconſulti & vere Juris interpretes: alia enim nec attingunt, in quibus vel præcipue ſunt iſti recentiores. Cum illis civilem ſapientiam tibi parabis; ex iſtis ornamenta quædam haberi poſſunt. Oportet ſane magnum adhibere judicium & magnam cautionem, ne horum delicatioribus lucubrationibus abripiaris longius, quam par eſt: nam ſi ipſos novitios ſequi velis, vereor, ut mutetur principale, quod dicitur, in acceſſorium, & hoc illius locum occupet atque gradum.* Hæc reliquis conjunge, quæ dicta ſunt, & habes ſententiam meam, quam petis.

QUINCT. Nihil minus expectabam, quam ut finem dicendi faceres, principium vix ingreſſus. Quid ad illas [1] reprehenſiores auribus tam ſurdis? en altercatum ab Accurſianis ſæpiſſime de lana caprina. Confuſaneum, ineruditum, redundans horum cum ſcribendi, tum profitendi juris genus. Serviliter & ſordide ab eis tractata diſciplina juris, gravique ignorantiæ morbo afflictata. Nihil in ea elegans, nihil liberale per iſtos eſt. Iſti, quos tu laudas, interpretes, confuſionem juri attulerunt & obſcuritatem. [2] Quis ego cum iſtis, aut ab iſtis? impuri, ſordidi, barbari, ſycophantæ, vitiligatores, peſtes ingeniorum, fœdiſſimæ ſophiſtarum lacunæ. Qua ratione, non dico ſim cum ipſis, ſemper, ſed vel tantillum temporis immorabor? [3] li-

[1] *Fa. in epiſt. ante op. Connani. & ipſe Conn. in præfat.* [2] *Hott. in præf. ad 4. lib. obſ.* [3] *Reub. in præf. ad tract. de teſt.*

bro-

brorum numerus infinitus? & illi ingeniorum carnificina; plerique omnes ita conſcripti, ut non tam ad erudiendos, quam ad excruciandos ſtudioſorum animos propoſiti videantur: attende rationes. [1] Quid enim acciderit aliud, ſi defuit plane docendi ratio? Quod poſitum in una cognitione erat, partiti ſunt in infinitam, perverſa docendi ratione. Si quis ex eorum ſcriptis delibet, quæ appoſite nonnunquam & commode ad vitæ noſtræ conſuetudinem tranſtulerunt, brevi libello poterit omnium eorum doctrinam concludere; nulla ut cauſſa ſit, cur ad eos poſt hac tam longis & laborioſis itineribus adeamus: immo ut his, qui metalla veſtigant, poſt magnas impenſas atque labores accidit ſæpe, ut plumbum pro argento inveniant, plerique ſpe deluſi oleum & operam perdunt; ita qui antiquorum ſcripta ingentia volvunt, non raro ab illis abeunt cum magna temporis jactura. Si hæc vel ex parte vera ſunt, quid mihi cum illis antiquioribus?

ALBER. Tu meæ orationis finem non expectabas, quaſi principium tenentis; ego tuorum verborum credebam illud nondum eſſe: ſcio namque volumina confici poſſe ex hujuſcemodi novitiorum maledictis. Sed non debes, Quincte, ab horum vociferationibus præjudicium de antiquis interpretibus in medium afferre. Illud conſiderare oportet, falſæ ſint accuſationes, nec ne: nam eſt alioquin valde ſtolidum, auribus ſentire alienis, oculis videre, mente ſapere aliena. His ego GALLIS poſſem noſtros Italos Juriſconſultos opponere; ſi recta hæc eſſet ratio differendi.

QUINCT. Id eſt, quod a te contendo, ut, omnibus ſepoſitis præjudiciis, diceres omnino latius de optimis legum interpretibus, quod tibi videtur, & ſuaſum eſt. ITALORUM inſtituta aut nihil, aut parum poſſunt me loco movere, ut qui duci volo, non trahi. Succurrunt etiam illæ voces, [2] quibus Itali profeſſores traducuntur: *deliri, miſeri, non intelligentes quod loquuntur, blaterones, deſipientes, improbi, ambitioſi, avari* & cujus ſunt illæ voces? dixit Juriſconſultus noſtri ævi, Princeps Juriſconſultorum, Phœnix doctorum, Sol, anima Juris civilis, lex legum, vir plane divinus; ille, qui in toto orbe terrarum ſolus docere poteſt Jus civile. Rides?

ALBER. Lex legum, & Dominus dominantium. Qui iſti laudatores? jam vero, aut tot eſt mihi ſuccumbendum conviciis, & glorioſis clamoribus, aut de iſtis interpretibus morem tibi gerere debeo.

1 *Fa. Reub. Con.* 2 *Cujac. in præfat. ad Parat. Dig.*

Mo-

morem geram. Satius est. Sed an aliquid prius non dixero de ITALIS nostris? quos appellat iste Princeps? quos vidit? sed videre potuit SOCINUM NEPOTEM, ALCIATUM, TORNIELLUM, BELLONUM, MANTUAM, CEFALUM, DECIANUM, MENOCHIUM, CAGNOLUM, CALEFATUM, RIMINALDUM, innumeros hujus nominis: PERUSINOS meos, qui usque inde a Bartolo continua serie sibi vindicare videntur in facultate nostra summum honorem, PONTANUM, CASTALDIUM, ORADINUM, præceptores illos meos RODULFIUM, NONIUM, LANCELLOTUM, ODDUM, SEVERUM, EUGENIUM, GALIFFUM, plerosque omnes editis operibus satis etiam illustres. An solidiori scientia consulti Juris vixerunt, aut vivunt in toto orbe? si exigit politiores, versatiores in aliis disciplinis, an isti non satisfaciunt? an audebit ipse eidem meo RODULFIO se comparare? petat a suo MURETO, qui ille vir siet, & vel CARDANETUS [1] renunciabit. Quid TAURELLOS, ALDOBRANDINOS, PANCIROLIOS recenseam, aliosve? de quibus ab optimo hujus controversiæ arbitro dictum est: profiteri eos in Italia eximia cum laude jus civile, noctes vigilare serenas, splendidiorem colere doctrinam, excellenti præditos humanitate, proxime ad antiquorum laudem latine scribendi elegantia accedere. Probioris ingenii homines GALLI [2] quid? illustres ITALOS juris professores & gravis auctoritatis, excellentissimos legum interpretes, quibusque professor [3] *Tolosanus*, *Andegavensis*, *Aurelianensis*, *Parisinus* veluti recoquendum se daret. Inter mortuas literas cœpisse in Italia reviviscere. [4] Italiam acerrimis ingeniis semper florentem. Ex Italia ortos eruditissimos homines, qui terras omnes humanitatis participes immortali sui nominis gloria compleverint. Satis sunt. Laudes Athenarum tibi Atheniensi non proponam latius. Illud ajo. Si eos non vidit Princeps jurisconsultos, aliosve similes, nihil est, quod aliquando dicat, sibi infeliciter accidisse; nam si ad GERMANI adolescentis conspectum erubuit, quod ipse, nescio quam ob rem, scribit, quid fecisset, si Italos illos vidisset? si hos vidit, & hi sunt sibi improbi & indocti, qui in omnium bonorum & eruditorum oculis lucent, nil profecto amat ipse nisi tenebras suas, & convicia: suspicorque, non immerito ab homine suæ gentis *impudentissimum maledicum* [5] appellari: nec minus illud credo, quod, cum in forum venisset famo-

[1] *Manut. de leg.* [2] *Coras. in ep. ad Minut.* [3] *Duar in epist. ad B.*
[4] *Conn. in præf. Commen. La.* [5] *Bodin. in ep. ante lib. de rep. ad Fabr.*

ſus iſte *Biturigenſis profeſſor*, eſſetque de leviſſima quæſtione interrogatus, obmutuerit plane: opera enim teſtantur ſua, & luculentiſſimum perhibent teſtimonium de ſtudiis ſuis in hoc genere. Mitto plura: nam ſolent iſti acutulis ſuis dicteriis mirifice etiam de nobis per omnes ſuas chartas, ſi Dis placet, triumphare; & nos gentem Æneæ appellant, & ajunt eam ſuatium laudi non favere: merendam tamen Cyprii bovis. Quid alter? ZASIUM ſcilicet vel Italis placere potuiſſe, qui exteros tamen non admodum laudent. Ita ne vero? magnum crimen, ſed impudentiſſimum mendacium. Ubi enim vixerunt, vivunt exteri majori cum laude? ſi in re ulla Itali excellunt, in iſta maxime: res ipſa loquitur. Ecquid obſecro, dicerent, ſi Italus ea conviciorum plauſtra evomuiſſet, quæ anima legum? verum jam ſatis, & nimium multa dedimus velitationibus. Et boni habent aliquid novi interpretes: eorum tu ſine maledicta hæc: nimio alienarum ſcientiarum ſtudio ne abripito, ac ne ullo quidem. Si quid habent jurisprudentiæ proprium id unum tene. Antiquiores leges; recentiores penitus non omiſeris. *Illorum ne te deterreant immenſa volumina, ſunt etiam impolita & incondita; iſtorum maledicendi pruritus & minus ſolida litteratura, vel peregrina ingenia animum tuum non afficiant, ſic ut neque illos, neque iſtos ames, ſequarifve: ſed connivendo ad peccata, quorum nemo eſt expers, devorando has omnes moleſtias, macte ingenti animo ad ſublimia civilis ſapientiæ culmina cum utriſque tendere jamjam incipe.* Me autem ſic augurari placet, ducem ad aliquam usque viæ partem habebis, ſocium & pone acclamantem in reliquo, quod majus tractabis opus. At placet omnia latius audire.

QUINCT. Illud unum, nec aliud omnino in præſentia.

ALBERIC. Rem igitur iſto modo exordiamur. *Si quæratur* (ait CICERO) [1] *quiſnam juriſconſultus vere nominetur, eum dicerem, qui legum & conſuetudinis ejus, qua privati in civitate utuntur & ad reſpondendum, & ad agendum, & ad cavendum, paratus eſt.* Addamus nos, *qua etiam ipſa civitas utitur*, quoniam non de *jure privato* ſolum, ſed etiam de *publico* eſt prudentia juris; & ſcio a CICERONE omiſſum ſuo in juriſconſultos perpetuo odio; ne ſcilicet videantur iſti curare, niſi tenues privatorum cauſas: addamus etiam, & AD JUDICANDUM, quandoquidem & hoc juriſconſulti munus dici poteſt ex conſtitu-

[1] *Lib.* 1. *de orat. De officio juriſconſulti libros ſcripſit quidam Cincius, referente Alc. lib.* 2. *Parerg. cap.* 32.

tione

tione Justiniani, [1] nec attigit ille, quia ætate sua proprium jurisconsulti non erat, gerere magistratum, aut judicare. Hæc omnia passim confirmantur in jure nostro, dum leges, senatusconsulta, principum rescripta, orationes, cognitiones, sententiæ, cætera hujusmodi laudantur ab auctoribus juris nostri: dum illud non infrequenter legimus, *hoc jure utimur*, *ea sententia obtinuit*, *prævaluit*, cum similibus. Sic, ut luce clarius pateat, juris & consuetudinis peritum esse jurisconsultum, oportere. Quis autem dubitet, respondendi munus ad eundem non spectare, agendi, cavendi, judicandi? cum autem legum interpres nihil sit aliud, quam futuri jurisconsulti informator; hunc, QUINCTE, quem esse dicemus, si eum non dicimus, qui ita leges tractare possit, ut auditorem suum in quadruplici illo actionis genere instructum reddat? id vero cum sit etiam operis perardui & perdifficilis, rogo te, an opineris, non dico, qui hæc præstiterit, bonus censeri debeat juris interpres; nam optimum appellavero, qui perfectum & absolutum opus præstat, sed qui velit alia præterea cognoscere & edocere, possit is talis esse, qualis vel maxime vellet.

QUINCT. Sane videtur opus immensum.

ALBER. Sane ita est, frater; & neminem posse in pluribus excellere, alii etiam demonstrarunt. Sunt quidem artes & scientiæ omnes nexu quodam ita conjunctæ, ut altera alterius auxilio videatur indigere semper; non tamen ita sunt conjunctæ, ut non sint etiam distinctæ, & qui unam cognoscere velit, is aliam discere opus habeat: tunc enim non plures artes, sed una longe melius appellaretur. Non ita sunt conjunctæ, ut ex se una nequeat stare sine alterius cognitione; quoniam ea perfecta nuncupari non debet, ac ne quidem ars dici; & insipide nimis a nostris illis legum conditoribus ablegaremur ad peritos in arte.

QUINCT. Video quorsum tendas: artes scilicet ita conjunctas, ut suis tamen finibus contentæ sint, & magis a vicino accipiant commodato, quod utile sibi sit, quam ut vindicent in possessionem suam ullo modo. Quare & hoc esse jurisconsulti & juris interpretis officium, intra limites consistere artis suæ.

ALBER. Vere collegisti, & verum est; & quidam omnino nihil dicunt, dum uni artifici omnes artes attribuunt, & tamen contendunt has esse distinctas & illum unius artis esse professorem: an enim ita artes distinguntur & artifices, ut ille distinguit? præcipue, inquit, ars sua secta-

[1] *Proœm. Inst. in fine, & proœm. Dig. §. discipuli igitur. & §. ult.*

tur, præcipue artifex ſectatur, quæ ſunt propria artis ſuæ. Quid illud eſt? *Præcipue, plene debere omnes cognoſcere, ſed illa magis*, quis non rideret inaniſſimum verborum fucum? ars ab arte diſtinguitur, non quia hæc illud magis, ea magis iſtud; ſed quia ſingulæ ſingula diverſa, ſi non contraria ſequuntur argumenta: non aliter enim in artibus eſt, quam in ſpeciebus, quæ differentiis propriis, non intentione, aut remiſſione ſejunguntur. Quoniam ſola mediocritate diſtat ſcapha a navi non genere, recte PAULUS notavit LABEONEM, [1] quod ſcapham credidit navis eſſe inſtrumentum; & eſt relatum inter leges: quo enim pacto fiet, ut diverſa cenſeantur, quæ diverſis finibus non diſtinentur? memini a patre audire, Leonis carnem non differre a carne Cervi, niſi quatenus anima differt ab anima: & eadem non erit ars, quæ leviſſima quadam notatione diſcernitur? confundi igitur vi ipſa non debent diſciplinæ & nomine tenus differentes ſolum relinqui. Artifex autem unam ſuam tractet. Faber lignarius a ferrario accipiat ferramenta; ſutor ab aliis acum, formam calceorum, quam vocant, çorium, reliqua; ſic ſartor, ſic aurifex, ſic cæteri hujus generis agant. Conſulat juriſconſultus, & juris interpres Grammaticum de verbo aliquo & aliqua oratione, conſulat, ſi opus eſt, Dialecticum de ſuis ſyllogiſmis; conſulat medicum, obſtetrices, ruſticos de his omnibus, quæ propria illorum ſunt, Theologum omnino conſulat, nihil ipſe niſi ex Theologi præſcripto enuntiet de re Theologica: permittit ſuo tantundem oratori Cicero. Quam enim facile ſit errare in aliena arte, vel ex hoc liqueat, quod turpiter erratur & in ſua ſæpius, quam par eſt, erratur in aliena regione, ut inquiunt. Belli iſti homines, & ambitioſuli indignantur, ſat ſcio, ſi ulla in re deberent ad aliorum auxilium unquam confugere: quod tamen feciſſe Gallum, Servium, Ciceronem, [2] legimus, & pulchre diſputat firmatque Antonius in primo de oratore, & credendum omnino eadem ratione de aliis eſt. Quid ni? & juriſconſulti juriſconſultos in quæſtionibus juris pluries conſuluerunt, quod multis in locis librorum noſtrorum animadvertere eſt: nec etiam puduit. Sed attende, QUINCTE, nec poteſt etiam quis juri huic noſtro vacare, & horas etiam aliquas ponere in aliis artibus. Scio, ſpecioſas videri novitiorum partes, noſtras has viles & abjectas: nam & HIPPIAS quidam, ut audio, viſus eſt maxime placere, quod gloriaretur, nihil eſſe ulla in arte rerum omnium, quod ipſe neſciret: [3] etiam anu

[1] *l. ult. ff. de fund. inſtr.* [2] *Cic. in Top. l. 2. de orig. jur.* [3] *Cic. lib. 3. de orat.*

lum,

lum, quem haberet, pallium, quo amictus, soccos, quibus indutus esset, se sua manu confecisse, narraret. Placere is visus est, sed Græculis suis; sapientioribus enim Romanis, ut nimis progressus, improbatur; & his Romanis, frater, qui hujusmodi aliquid vel ipsi sunt professi, & oratori libentissime vindicant, CRASSUS & CICERO, si recte memini, pueri quod accepimus. Et sane quis hosce audiret HIPPIADAS? dixit ille *Non omnia possumus omnes.* Risit ille conservos, quod ii scire se affirmarent omnia. Ars hæc nostra, non minus quam Medicina, immo etiam illud magis sentit *Ars longa, vita brevis, experimentum periculosum, judicium difficile.* Nam ubi ego animum converto, ut spatia, & latifundia civilis sapientiæ metiar, ni viribus plane frangor, haud mihi videor parum præstitisse. Immensum quid jus est, & experientia rerum certissima magistra docet; postquam truncatum, decurtatum recurrit ad naturam suam, angustis cancellis claudi nesciam, indignantem, impatientem. Hinc innumeri illi libri, quos dicebas, & in infinitum diducta legum cognitio. Nequeunt infinita certis, iisque arctissimis terminis contineri: ea sunt, quæ indies nova cnntingunt in communi hominum consortio: [1] falluntur que, *qui paucis legibus omnia absolvi* posse opinantur; &, ut dixi, contra experientiam pugnant. Nam, si quorundam populorum sine ullis, aut multis legibus tranquillam vitam nobis opponunt, ne ego ille dicere possum. justitiam non in tranquillitate & otio, sed in æqualitate positam esse: justitiam esse, tribuere unicuique, quod suum est, non illud, ut quieti homines degant: hoc enim apparere, non dicam esse, vel inter sceleratos potest, & sub sceleratissimo tyranno. Recitabatur aliquando, legem eam meliorem censeri, quæ minores, paucioresve gignit lites; & ego protinus assentior, [2] ut qui legerim non absimilia in jure nostro, sed assentior ita, ut fiat sine cujusquam injuria; alias non lex, sed vel tyrannica, vel barda bardis dicta constitutio nuncupabitur. Quid de Patalis & Brasiliis, nescio quibus, tu judicas? gentes, quæ neque lites, neque judicia habent, & litteras ignorant, homines simplicissimi. Quæ ibi justitia in tenebris stupidissimæ ignorantiæ? quæ apud Arabes modo, & ulteriores Sarmatas, apud quos jus in armis, jus in lacertis. Ubi homines vere homines, ibi leges, ibi justitia. Paucas vellent leges? pauca dent negotia Uno etiam spiritu ille se exhausturum pollicebatur mare, si ostia omnium fluminum clauderentur, ne illuc intrarent jugiter novæ & infinitæ: tollant isti commercia innumera, innumeras homi-

1 *Vives.* 2 *In Aut. de nupt. in prin. & alibi.*

num actiones, & satisfiet petitioni. [1] Dum tot negotiis jus formam præstituere conatur, quot præstituere negotiis debet, si ars esse vult non boni & quietis solum, sed etiam æqui & sanctæ quietis, quantum ipsum? dum nos præceptis & documentis propriæ artis impleri debemus, an non in his solis immensa tentabimus, & qualibus vix possit nostra vita sufficere? sensit Justinianus, [2] qui dixit, Diam Platonis sententiam didici: felicem eum, cui vel in senectute detur, ut legitimas sententias assequatur, quoniam & tunc non infrequenter fiat, ut homines bonum istud non adipiscantur.

QUINCT. Nescio, an tua ista oratione terrear, an ipsam credam abs te haberi ad laudem jurisconsultorum asserendam potius, quam pro veritate: quoniam tenuem cognitionem juris affirmaverit CICERO, & facilem, quæ vel triduo ab homine occupatissimo disci valeat.

ALBER. Nihil ad amplificandam dignitatem nostri ordinis dico. CICERO a sua malitia non discedit: quum enim duæ res essent, quæ in civitate Romana primos tenerent gradus (vel hujus scriptis attestantibus) *Oratoria facultas, & Juris civilis prudentia*, Orator hic potiorem omnino locum tentavit semper Oratoribus vindicare: quare ex tractatione amplissima amplissimum Oratoris munus, ex tenuissima tenuissimum munus jurisconsulti adstruere & adprobare nititur. Sed vellem, rationibus Antonii rationes opposuisset suus Crassus, non desiderium, non voluntatem: vellem, docuisset, præstari ab homine tanta posse, quanta cupit in Oratore, & negarat alter. Facile est, dicere, immensa Oratoris spatia, jurisconsulti angustissima, si asserentis arbitrium est metiri: quid enim & trihorio SCALIGER non fuerit Ciceronianus? quantæ id operæ, si tanto fiet tempore?

QUINCT. Facile adducor, ut credam, Ciceronem vel sibi, vel amicis & caussis hac in re dare solitum etiam multa.

ALBERIC. Ego ad illa studia meæ primæ pueritiæ non recurro; sed sat memini, præclarissima quæque nobis ab eo homine tributa, & sicubi denegentur, caussas stare quas perstrinxisti. Sit igitur amplissimum juris civilis studium quibusque invitis Oratoribus. Sed an tu perterrearis? an vulgatum illud non tenebas? *Difficilia pulchra.* Tu contra audentior ito.

QUINCT. Igitur, nec per totam vitam alibi esse poterimus, quam in jure civili?

[1] *l. 1. ff. de jur. & just.* [2] *In Const. Deo nobis.*

ALBERIC.

ALBERIC. Ea eſt mea opinio, quod nec tota vita ſufficiat diſciplinæ civili: nam quidam etiam dixit, totas ætates vel in minima ſcientia otioſiſſimorum hominum eſſe contritas. [1] Quid ſi nos noſtram volumus prætérea aliis atque aliis ſtudiis occupare? ecquid, putas, confici poterit? *Experimentum periculoſum*, mi frater, nam de fortunis & capite hominis agimus; & ni omnia ſapienter pertentemus, magna admitti crimina, neceſſe eſt. Deridetur Nerva: Paulus ipſe ſuam fatetur ignorantiam; injuſtam accuſat cauſſam ſuam: notæ ubique errata: alii inepti, alii ſtulti ex ipſis auctoribus juris: BARTOLUS temere ſummo afficit ſupplicio hominem *Bononiæ*, ODOFREDUS *Florentiæ*. Plura quid recenſeam? & ſi iſti viri errarunt tam pernicioſe, qui tamen toti erant in Jurisprudentia occupati; quid facient, obſecro, qui bonam temporis partem in aliis diſciplinis conſumunt? forte illi errarunt, quia hoc unum agebant, quod agebant, nec aliud prætérea quidquam; ut vel ſomnia ipſis eſſent de jure civili, ni BARTOLUS mentitur, qui refert alicubi de ſe ipſo. *Difficile munus eſt, ſive reſpondendi, ſive agendi, ſive judicandi; & eorum nullum ita obire poſſumus, ut non magnæ difficultates nobis occurrant.* Mitto glorioſos hos imperatores, & milites glorioſulos ipſorum: hos nihil moror, qui ſibi facilia quæque pollicentur. Certe, ſi ſtatum quæſtionis cognoſcere merſum plerumque & multis circumſeptum ambagibus; pluribus ſemper, quam ulli unquam morbi complicati appareant oculis medicorum, iſtis facile videtur, & jus commode conſultationi reſpondendo aptare, quod nunquam, profecto raro certum reperitur in eo, quod ex facto tractatur, ipſi vel ſupra Papinianos, Scævolas, Modeſtinos, ſupra humanum captum ridicule ſe collocant, atque reponunt. Quid de ſolertia in agendo, de prudentia in cavendo, de ingenio in judicando dicam? iſta omnia, iſta ſingula, quanta debent eruditione, exercitatione, meditatione informari? eamus igitur & totam ætatem non occupemus in ſtudio Juris. Antiqui, qui difficultatem ſcientiæ noſtræ viderunt, [2] Pontificibus & Auguribus relicto jure Pontificio ipſi ſe totos tradidere Civili: & ſequuti ſunt illud exemplum etiam noſtri interpretes & juriſconſulti usque fere ad hanc ipſam ætatem: nam DECRETORUM *Doctores alii*, alii LEGUM fuere. LEGISTÆ falcem in alienam meſſem credebant ponere, ut etiam abſtinerent, ſi quando de jure Canonico dicendum fuiſſet: CANONISTÆ idem, ſi argumentum incidebat, quod ex legibus componi debuerit;

[1] *Lib. 1. de orat.* [2] *Duar. in l. qui Romæ. 122. §. Augerius. 4. ff. de verb. oblig.*

buerit; & alteri ad alteros remittebant auditores suos, & consultores; quod multis locis ex eorum operibus ostendere promptum est. Nunc, benigniori scilicet Cœlo nati, non modo UTRIUSQUE JURIS DOCTORES existunt, sed & Medicinæ periti, & Theologiæ, & universæ Philosophiæ, nec non omnium Historiarum, & totius, quæque illa sit, litteraturæ, cunctarumque linguarum eruditissimi singuli. Majus illud est, QUINCTE. In aliqua juris parte quidam se exercuere,[1] jus universum aggredi minime ausi, & de *Tholosano* quodam scribit DUARENUS,[2] & exemplo antiquorum res non caret: mirum autem videri non debet stante juris infinitate,[3] in qua vel jurisconsultorum maximus annum jamjam agens octuagesimum desudabat: etiam, quia non omnes in omnibus (ait Cæsar) sed certi per certa vel meliores, vel deteriores inveniuntur. Sic VALENS de Fideicommissis solum scripsisse legitur; MENANDER de re militari, item PATERNUS; MAXIMUS ad legem Falcidiam, GALLUS de verborum significatione; JUSTUS constitutiones collegit Divorum fratrum; nemo, nec ULPIANUS, nec PAULUS jus universum tractavit. Quid ita? quia universum nemo novit, ut ea, quæ quisque explicavit: & inde facile est colligere, quod ut quis scribat in uno magis, quam in altero argumento, aut fit, quia scripserit nemo in illo; aut quod in eo putet se placere magis & excellere posse: hoc autem confirmat, quod dico; & illud prætexere nemo potest, quia isti jurisconsulti non scripserunt soli in suis illis argumentis. Si vitam, inquiunt, non suffecisse, vel negotia fuisse impedimento; placet; quoniam & illi & nos idem genus. Restat maximum. Refert ex suo præceptore ALCIATUS,[3] & rationibus urget: eos non recte fecisse, qui munus interpretandi sustinere voluerint, & præterea respondendi; tam est visum difficile viris prudentibus, vel in parte posse se bonum præstare Jurisconsultum. Nos PROCULI videmus solas *epistolas*, solas AFRICANI *Quæstiones*, sola AQUILÆ *responsa*. Hæc ita se habent, mi frater.

QUINCT. Igitur nec universo juri Civili vacabimus; nec eam particulam, cui vacabimus, tractare debemus, nisi uno modo?

ALBERIC. Ego, ut ea omnia probem, quæ de aliis extraneis disciplinis, & de jure canonico narrata sunt, ita admisero ægre, partem in jure nostro cognoscere, satis esse; sed potius minime jurisconsultum arbitrabor, qui omnia jurisconsulti munera obire nequit: nam, ut ista nostra scientia latis certisque differentiis a reliquis disterminatur; ita ejusdem

1 *In dicto §. Augerius.* 2 *l. apud 20. ff. de fideic. libert.* 3 *In const. Deo nobis.* 4 *Lib. ult. cap. ult. Pareig.*

par-

partes a partibus sejungi non nisi turpiter, & infeliciter possunt. Male PICUS, ALCIATUSQUE ab hominum vitiis inferunt ad artis mutilationem, & quoniam RUYNUS, alii iniquas caussas, respondendo, promoverunt, iccirco debere nos ab eo respondendi munere abstinere, si male nolumus officio interpretis fungi. De antiquis quod dicunt, id refellitur facile nimis; nam etiam si nulla responsa ULPIANI legamus, nulla priorum interpretum; sunt tamen SCÆVOLÆ, MARCELLI, aliorum; novendecim sunt PAPINIANI responsorum libri, unus & viginti sunt MODESTINI, Pauli tres & viginti: ingentia volumina edidit BALDUS; & ea non est responsio, quantum ad istum attinet, quia ex lectione *Perusii* tenuia sibi honoraria præstarentur, quodque BALDUS utrique provinciæ sufficere potuerit, ut qui tot interpretationum volumina condiderit, in quibus nullam juris nostri partem intactam relinqueret: satis enim patet, hæc, sive PICI, sive ALCIATI, verba ad hominem, quod dicitur, se habere, non ad artem: nec puto affirmari posse, BALDUM excelsissimo loco positum si excelsiori adhuc reponamus, illuc, aut etiam supra valere neminem pertingere. Fuerunt ante ipsum excellentiores; quid ni queunt & in futurum? Medicis AVICENNA minus probari videtur, quia voluerit nunquam se praxi dare; & ex dimidio medicum audivi ipsum appellari. Nobis qui erit Jurisconsultus, *qui tantum interpretabitur, non respondebit, non cavebit, non aget, non judicabit?* idem mihi videtur jurisconsulti & juris interpretis munus, nisi quod hujus nomen quasi latius sonat, prout a cujus schola alterum procedere videamus ad tribunalia, & ad civitatem. Non possumus, QUINCTE, difficillimo studio juris satisfacere, & non unis prudentiæ civilis voluminibus vacare semper. Illi *Auguribus*, isti *Canonistis* Pontificium reliquerunt & jus Canonicum: quidam etiam vix partem sui Civilis attigerunt. Quidam hoc tractandum censent a singulis non omni ratione atque modo, sed tanquam partibus distributis & discretis ministeriis. Laudo prudentiam omnium, & pudentiam quoque, istos recentiores ter magnos non sequor. Hoc age, QUINCTE, quod agis, & ages recte.

QUINCT. Voces eorum hæ sunt, qui cæterarum artium rudes ex trivio clamant, ait Alciatus. [1] Libet paullulum garrire. Audio veteres jurisconsultos disciplinas omnes complexos; Pandectas tales esse, quæ omnem prope philosophiam contineant. [2] Ipse legi definitionem jurisprudentiæ, quod *sit divinarum atque humanarum rerum notitia*; &

[1] *In ep. ante 4. lib. Parerg.* [2] *Aug. in præf. ad lib. emend.*

intelligo vel BUDEUM inde collegisse argumentum pro enciclopedia. Rogo, si hæc sunt, qui fieri poterit, ut recte alius, & id te contra non scripserit, jurisprudentiam vix quenquam ex veritate profiteri, [1] nisi aliarum quoque doctrinarum haud parum multa loca tractaverit. A via, idem inquit, declinare sibi eos videri, qui aliter opinentur, quique post *Accursianas* glossas vulgatis quorundam commentariis tantum legis amplitudinem metiuntur, solitariaque eorum lectione suffarcinati de portu, de bravio, de statione glorientur. CICERO [2] autem cum ALCIATO non minus adversum te clamaret, scio: nam & adversus eos, qui cancellos quosdam Oratori ponebant clamare etiamnum videtur, eloquentiam ipsius viribus, non imbecillitate cujusquam metiri oportere: has esse vulgi voces, & hominum leviter eruditorum, qui quæ complecti tota nequeunt, hæc facilius divulsa & quasi discerpta existiment contrectanda, & contrectent ipsi. Ais, fieri non posse, ut plures artes consequi valeamus: ait CICERO, non esse istud a rerum natura denegatum: ajunt novitii politi jurisconsulti, non illud præcipi ad perfectam omnium cognitionem, sed certum usque ad finem, quousque scilicet inservire nobis possint in studio nostro primo. Et si responderis, moras necti; ajunt ipsi: qui inermem a pugna ad armamentarium retrahit, commodisque ad victoriam armis instruit, aut qui ingressum iter aliquandiu detinet, dum omnia viæ compendia edocet, non is aut victoriæ moram fecisse, aut profectionem tardasse videtur; quin potius ad utrunque magna adjumenta attulisse. Sed longior fui, quam decuit.

ALBERIC. Recte, mi QUINCTE. Sed ex trivio non sunt illa, verum PLATONIS, SCÆVOLÆ, rationes: eorum, qui dum nullam assequi disciplinam timent, si omnes sequantur, prudentissime eo modo clamant, & uni se totos penitus atque penitus addicunt. At vero; opinaris tu tuos omnes novitios favere enciclopediæ? sane adversatur DUARENUS, & EGUINARIUS BARO [3] jurisconsulti eruditissimi, si qui sunt recentiorum. Tu antiquorum prudentum auctoritatem & exemplum in primis urges. *Ego tempora jurisconsultorum distribuo bifariam.* Si qui ante SERVII SULPITII tempora jurisconsulti per plures diversasque versabantur disciplinas, mitto quod respondet DUARENUS, sapientes illos fuisse potius quam jurisconsultos, ajo, illud accidisse, quia disciplinæ omnes, & hæc ipsa juris, continebantur adhuc paucissimis quibusdam, tenuissimisque præceptis, ut non magnum fuerit multarum disci-

[1] *Zas. in orat.* [2] *In orat.* [3] *Duar. in illo §. Agerius 4. Baro in l. 1. ff. de stat. hom.*

plina-

plinarum quæque cognoscere; nam admodum multa esse non poterant tum quidem ipsis nascentibus disciplinis. Videres vel ab infirma muliercula gestari posse. Ac satis quidem commode, infantes plures. Videres prædiola plurima excoli ab aratore uno: eadem prædia, eadem domus, quæ olim non tam multis abundabant, quibus augeantur postea, a singulis etiam curari valebant, nunc divisis per partes ministeriis & vix, & a pluribus poterunt. Hoc est alterum tempus, Quincte, post SULPITIUM, de quo nunc erat nobis sermo: neminem ætate sua extitisse accepimus, qui & *pontificium, & civile* jus adire auderet. Creverant illæ scientiæ miris modis: nemo aptus videbatur utranque sustinere, nemo utranque excolere; sicut nec ea mulier, ac ne robustus quidem homo plures infantes factos homines sustineret. Nec industrius laboriusve colonus illa prædiola, quæ fines in immensum protulerint suos. Ille HIPPIAS, de quo paullo ante, artes omnes, etiam mechanicas in prima illa artium ruditate, dum vix essent dolatæ, forte etiam tenere potuit; sed quid, obsecro, si illum hodie audiremus, vel anulum, pallium, soccos suos videremus: Scimus qualia hæc antiquorum fuerint. Hodie ne rusticus quidem Hippiana admitteret ornamenta: sic suscepere incrementum omnes artes. Video quorsum isti tendant enciclopedei; ut scilicet transversos ambulantes foro novos Manilios, [1] & in solio domi sedentes eos adirent homines, non solum ut de jure civili ad ipsos, verum etiam de filia collocanda, de fundo emendo, de agro colendo, de omni denique aut officio, aut negotio referretur; ipsi nec responsorum suorum deberent reddere rationem ridicula.

QUINCT. Videris mihi non recte dicere.

ALBER. Quid ita?

QUINCT. Si post SERVIUM vixere JULIANUS, POMPONIUS, PAPINIANUS, ULPIANUS, reliqui, quorum e scriptis consutas ajunt vestras Pandectas; certe de his non minora in hoc argumento dicuntur, quam de ÆLIIS illis, CORUNCANIS, SEMPRONIIS, ATTILIIS, cæteris ante SULPITII ætatem; & in ipsis Pandectarum libris notari ista omnia confirmant liquido.

ALBER. Is est inveteratus interpretum mos, si ingeniosiores volunt videri, ut ea in auctore, ad quem scribunt, videant ipsi, quæ nec ille cogitavit vel per somnium, nec cognovit unquam. Sic isti illa notant in monumentis Jurisconsultorum, quæ nunquam jurisconsulti co-

1 *Lib. 3. de orat.*

gnoverunt, ut ſcilicet doctos ſe ſe auditoribus ſuis oſtentent & in aliis diſciplinis, dum verba faciunt de omnibus, ac ex jurisconſultis argumentum obtendunt. JULIANUS ſcilicet ADRIANI Imperatoris adſeſſor ita erat a publicis negotiis civilibus otioſus, ut omnes licuerit ipſi ſcrutari artes ac diſciplinas: licuerit PAPINIANO intra primam juventutem mortuo, magiſtro libellorum, præfecto Prætorio ſub SEVERO & ANTONINO: licuerit ULPIANO adſeſſori Papiniani & Scrinii magiſtro, *Alexandri* Imperatoris tutori imperiique, præfecto annonæ, præfecto Prætorio: licuerit PAULO, reliquis occupatiſſimis ſemper circa publicas adminiſtrationes, & negotia publica. Illud primum. Quod vel ex TRAPEZUNTIO & SCALIGERO nos animadvertere noſtris temporibus potuiſſemus: hi enim (ut accepi talia) ex ARISTOTELE habere videntur, qualia Ariſtoteles habuit proculdubio nunquam, *de Trinitate, de Chriſto Jeſu, de irradiationibus Spiritus Sancti,* de hujusmodi divinis non paucis. Quid SIMON PORTIUS patris præceptor ex ſonettis quibusdam Petrarchæ non colligebat? omnis philoſophia amatoriis illis ludicris breviſſimis carminibus clauditur. Ridiculum maxime illud GRIBALDI, qui poetam jurisconſultum neſcio quem deprehendit, quod apud eum viſus eſt legere *Fructus pendentes fundi pars eſſe videntur.* Quaſi carmina omnium fermè generum, [1] & multa vel imprudentes non effutiant homines. Quid ſi OVIDIUS jurisconſultus? At etiam ſecundo. Sunt univerſalia quædam, quia univerſalia, univerſis nota, ſic ſaltem facta, ut ex ſenſu illo communi & cognoſcere, & narrare poſſimus omnes. Hujusmodi erunt (non dubito) pleraque omnia, ſi omnia non ſunt, quæ iſti admiratores, admirationisque magiſtri ex penetralibus philoſophiæ, aliarumque artium eruta, & in ſuos libros translata a noſtris jurisconſultis credunt. Sic tota eſt philoſophica ZASIO *Lex* [2] *in venditionibus*, de contr. empt. ſic ALCIATO lex rerum mixtura. *De uſucap.* ſic eſt omnibus & philoſophicus & medicus de *ædilitio edicto* titulus totus. Sic alia: quæ longum eſſet narrare. Miror ſane viros hos non minimum eruditos in his omnibus non vidiſſe, philoſophice, mediceve nihil a jurisconſultis explicari ex artium illarum ſingularibus ullis documentis, ſed omnia ex notione illa communi. Id an videbitur impoſſibile? ait ſi male non memini, CICERO, [3] *Non eſt philoſophia ſimilis artium reliquarum. Nam quid faciet in Geometria, qui non didicerit? quid in Mu-*

[1] *Cic. in orat. ad Bru.* [2] *In l. ſi quis in fundi* 4. *ff. de leg.* 1. *Lib.* 2. *Præterm.*
[3] *Lib.* 3. *de Orat.*

ſicis?

ficis? aut taceat oportebit, aut ne sanus quidem judicetur. Hæc vero, quæ sunt in philosophia, ingenuis eruuntur ad id, quod in quoque verisimile est, eliciendum acutis atque acribus. Id an magis non est de Medicina? Medici affirmant. Jam pete ab eo, qui omnino nihil viderit, audiveritve philosophicum, quid corpus, quidve materia sit, ni is tantundem præstabit cum ULPIANO, mendax sim in perpetuum. Pete vel a puro puto Grammatico, quotuplex sit corporum species, si Grammaticus tria illa non proferat genera, quæ scripsit POMPONIUS, admirer ego tales interpretes, & ipsorum sagacitatem: quid enim non observaverit diversas illas Corporis significationes Grammatista in auctoribus suis? ex signis quibusdam demonstrari plerunque vitia; vel in toto corpore, vel in parte morbum esse; interdum vitium corporale ad animum usque penetrare; cum similibus, quæ in illo titulo scripta sunt plurima, quis vel etiam rudis non teneat? doctissimi illi viri ornarunt, excoluerunt, concinne scripserunt (illa non est minima laus) aptarunt juri. Sunt definitiones, sunt divisiones? at tales, quæ possint eodem referri; & ex nullis medicis auctoribus habentur, ut verisimiliter fuissent desumptæ, si isti nostri consulti medica scripta tractassent unquam. Id est secundum, communem scilicet intelligentiam emicare eo modo aliquando ex Jurisconsultorum libris: & ea nos possumus contenti esse, quando nec Oratori [1] videbatur sufficere non posse: nec enim illa elementa quisquam desideret, quæ ut nemo tradat, omnes tamen cognoscunt; & non omnia sic sunt facta, ut si quis ea tractare debeat, id aliter facere non possit, quam cum præceptis suis. Ultimum, quod respondeo, erit ex ALEXANDRO ab ALEXANDRO, quid enim a hujus *libros Genialium* non habeant studiosi in sua bibliotheca, thesaurum omnium antiquitatum? quæ hæc est novitiorum impotentia? exulet a bibliotheca CONTII [2] *Alexander*, sit cum AUGUSTINO, PRATEJO, TURNEBO, COTTA, BARONE, aliis, recte Alexandro nostro consultum, perspectum. *Is capite primo libri tertii Genialium* Barbari viri doctissimi recenset disputationem de nave tota refecta, quæque habeat nihil ex priori materia, de ædibus etiam; de populo, qui nunc est, an idem sit, qui ante centum annos erat; de judicibus substitutis & subrogatis, an iidem sint cum prioribus, an eadem navis, eædem ædes; refertur ibi Jurisconsultorum sententia diversa, imo contraria Physicorum sententiæ. Non est ad in-

[1] *Lib. 1. & 2. de Orat.* [2] *Cont. in ep. ad Lect. ante Pand.*

ſtitutum, quærere nunc veriorem; examinare dicta *Alfeni*, qui de judicibus diſſeruit; diſcutere, quæ ALCIATUS ad eandem rem ex *Ariſtotele* aliquando tentat. Juriſconſultos (dicebat *Barbarus*) [1] aliter, atque faciant Phyſici, in his quæſtionibus ſtatuere; quia leges, quod probabile eſt, quantumque æquitas & jus ſuadet, ſequuntur; Phyſici vero quantum rei veritas & ratio neceſſario convincunt, & quum aliquid idem eſſe dicunt, in eo aſſertionem accipiunt, quod eandem habet materiam, retinetque formam, & ſpeciem immutatam: tale quid non eſt illa navis, illæ ædes, ille populus, illa legio, illi judices. Eorum philoſophorum opinionem, qui de nobis ipſis propter quotidianam partium deceſſionem, acceſſionemque tantundem aſſererent, quantum a Phyſicis confirmatur in ſupradictis caſibus, Ariſtoteles & plerique omnes reprobarunt, ſi iſti non imponunt mihi, quos conſului: & ut maxime vera ſit, perperam Alfenus ibi, ſi rei veritatem ſequitur, ex hoc noſtro corpore, unito, quod uno ſpiritu continetur, ad connexum, ad tertium, quod ex diſtantibus conſtat, argumentum duceret in quæſtione ſua; quia non ſequitur. *Idem eſt corpus noſtrum, ergo navis eadem, Legio eadem.* Eſt enim in corpore alteratio & in partibus corporis, in nave, in legione ſunt alia atque alia: at quoniam illam ſubtilem rationem & ad veritatem rerum directam non tenent noſtrates, recte etiam procedet argumentatio *Alfeni;* & id eſt, quod dico: nam, addebat Barbarus, juriſconſulti, quia nihil officit, aut repugnat, quare idem imo cenſeri vel ſuffectus judex, vel illorum quodpiam non debeat, ſtante eadem diſponentis voluntate, quæ diſpoſitiones regit, idem libenter concedunt, quod mutatum eſt. Gregem legavit teſtator: ille totus mutatus eſt, novis atque novis capitibus ſuffectis: non eſt mutata teſtatoris voluntas; igitur grex debetur, & ut hoc fiat, idem cenſetur: ita de aliis exemplis, quæ notavimus. Concludo autem, quamplurima in libris noſtris tractata aliarum artium, non tamen ex illis artibus tractata, ſed ex civili prudentia. Quare decipiantur, qui noſtros illos juriſconſultos ex his credant & in aliis multis ſcientiis eruditos. Totus, totus, quantus eſt ille titulus de *ædilitio Edicto* huc ſpectat; ut ſcilicet, non quæ vitia ſint aut morbi, ſed vitia illa, & morbos illos præſtent contrahentes, quæ ex civilibus & hominum commerciis exiguntur: huc enim & univerſum jus noſtrum directum eſt, etiam contra bonum ipſum, verum, æquum, ſimplex, quæ tamen tantopere & paſſim a legibus urgeri videmus. Sit igitur vel tripliciter reſponſum argumen-

1 *Alc. lib. 6. Parerg. cap. 17.*

to

to tuo. Sed, at at: succurrit aliud. Nolo omittere. A PLATONE, [1] ajunt, refutari, atque rideri quorundam sententiam, quod omnem omnis philosophiæ penum crediderint HOMERUM esse, quia scilicet philosophica multa passim in illo Poeta viderint. Ego etiam rideo ERASMUM, ET MAJORAGIUM, qui Grammaticos quosdam peritos fuisse scribunt omnium antiquitatum, historiarum omnium, Poetices, Rhetorices, Dialectices, Aritmethices, Cosmographiæ, Musices. Ecquis tanta? Ubi aliquam sententiolam in Grammatico notant, quæ aliarum artium sit, en, clamant non unius, sed plurium artium hominem peritissimum: nam sic & Homeridæ illi apud Platonem. Hi etiam nostri de nostris consultis similiter, [2] & negant propterea eum bonum esse Jurisprudentem, qui orbem illum disciplinarum omnium non calluerit. At non sunt istæ rectæ consecutiones: quid enim prohibet, quo minus ego possim tantundem? possum forte plura proferre ex Græca, & Hebraica lingua, ex Rhetoricis, Dialecticis, Historicis, Philosophicis, Medicis, Theologicis etiam, quam illorum multi protulerint: & nomen Hippocratis, Aristotelis, Philosophorum, Poetarum, cæterorum interponere. An ego eam ob rem peritus in tot doctrinarum generibus? stultus sim cum istis, si opinarer vel tantillum cognoscere in iis artibus. Sint itaque in nostris consultis & aliarum artium notæ quædam: non iccirco dicimus, aliarum artium eos fuisse peritos. Trahunt ex illis legibus interpretes, quæ nunquam cognovere legislatores. Vel non aliunde proculdubio, quam ex communi sensu: & in ipsis artibus nunquam producunt: tandemque non tenere argumentum dicimus, quod est, *Alienæ facultatis quædam ex ipsa facultate nostri habent. Ergo facultatem illam noscunt:* possunt namque unum, aut alterum cognovisse; & id non est artem cognoscere. Quid tu contra?

QUINCT. Ego quidem nihil: & expecto, ut reliqua, quæ referebam, dissolueres.

ALBER. Quæ illa? hem. quod de diffinitione Jurisprudentiæ dixeras, & enciclopedici urgent, plane nihil est, QUINCTE, *Jurisprudentia est divinarum atque humanarum rerum notitia;* at (quod sequitur) ad scientiam justi & injusti. Verba hæc postrema rem totam terminant. Et verum est, cognosci a Jurisprudente omnia debere, quæ ipsum ad scientiam justi & injusti deducere possunt. Id autem non dicitur enciclopedia. Libet spatiari. Quid etiam si agno-

[1] *Lib. 10. de rep.* [2] *Bud.*

scere-

talem ab hoc judicatum [1] PLATONEM & ARISTOTELEM; verum (ut dixi) aliud quærimus, quam quod ista exempla significant. Ego id urgeo, futuros in singulis hos omnes meliores, qui boni in omnibus inveniantur. An verum non est? probatissimis exemplis ostendit GRIBALDUS. Summus quidem in hunc diem Orator TULLIUS, ut de ipso uno dicamus, sed Rhetor QUINTILIANO longe inferior videri potest, nam & hic ARISTOTELE præstantior, [2] si alii judicant, ego recte memini; philosophus non adeo bonus; poeta infelix: aliarum artium scientiam quo pacto ipsi non defuisse narrabimus? quibus vindicabimus argumentis? nihil dici poterit (aut fallor) quod mea oratione hucusque non fuerit refutatum. Ita existimo. Vulgatum, tritumque, sed non ineptum illud. *Pluribus intentus minor est ad singula sensus.* At finem dicendi non facimus? age, QUINCTE, si te divino illo præditum ingenio sentis, *Tulliano, Aristoteleo, Platonico*, similibus, quæ rariora Phœnicibus audimus, age, accinge te operi, periculo agas tuo si corporis vires, si cætera non desunt, quæ affluenter aderant omnia Ciceroni, credo & Platoni, & Aristoteli, age, ingredere illum orbem. Recensuisti aliquando ex RAMI *Ciceroniano* [3] quanta in Cicerone convenissent. Ait, ut audivi, CARDANUS, unum Ciceronem fuisse ferreum totum; lucubrationibus, meridiationibus, studiis, laboribus, solicitudinibus, cura rei familiaris, Reipublicæ, conscribendis multis libris, epistolis autem sine numero, infractum semper. Quis tandem? Orator. Magnum id, at majus longe, ut quis evadat jurisconsultus; plures enim Oratores Ciceroni, quam jurisconsulti Pomponio. [4] Argumentum Ciceronis est. Nemo talis, qualem quærebat Cicero? & nemo talis jurisconsultus, qualem nos quærimus. Facilius est, facilius in bonum Oratorem evadere: est enim is (ut ego quidem existimo) ex se nihil, suoque nomine, quam vir disertus; quare & debeat undique habere, quo suam muniat eloquentiam, sicut & hanc habet ad res quasque vestiendas & exornandas. Nescio, an quisquam tantæ credat operæ cognitionem verborum, quantæ rerum est. Quod & rerum omnium cognitionem concedat Oratori suo Cicero, quid est? sufficit si qualis qualis sit ea cognitio; nam ad captum popularem, ad nullam justam & eruditam tractationem sua omnia efformat Orator: at jurisconsultus ad normam sapientum sua debet explicare subtili inquisitione. Habes omnia?

1 *Lib. 1. & 2. de Orat.* 2 *Valla. Scalig. Tacit.* 3 *Lib. 4. defa. tút.*
4 *In lib. de Clar. Orat. l. 2. de orig. jur.*

QUINCT. Poteſt videri, ſupereſſe, quod referebam, ut aliæ artes eo usque tantum cognoſci debeant, quousque ex utilitate videntur propriæ diſciplinæ. Nullam moram hinc naſci poſſe ipſis propriis ſtudiis, plerique credunt, ſed compendium potius, expeditiorem, & faciliorem progreſſum.

ALBER. Poteſt eſſe, ut non reſponſum videatur. Sed heus tu. Immo ſummam omnium cognitionem exigunt iſti; [1] maximam utriusque linguæ peritiam, etiam Hæbraicæ; omnium antiquitatum; hiſtoriographos, oratores, ethicos, politicosque philoſophos æquo prope loco eum juriſconſultorum ſcriptis habendos, palam edicunt; Medicinæ ſcientiam exigunt, naturalis philoſophiæ, & Arithmeticam neceſſariam affirmant, notitiamque ponderum & menſurarum. An negem? feci prorſus. Nam Arithmeticos, Geometras conſulam, reliquos, quod dictum eſt; ad eos remittam conſultores. Faciam ſane, vel ſim, habearque indoctus. Sint iſti etiam Theologi, [2] Metaphyſici. Aſtrologi, Muſici, Rhetores, Poetæ, Dialectici, & nautæ etiam, poſtquam placet, & agricolæ, & venatores, & fabri, & quarumcunque mechanicarum periti. Dii boni, qualia monſtra. Sanctiſſime ille, *Miſera ſcientia mortalium umbra vana.* [3] Surgimus inflati, erramus inſcii, profitemur quæ non didicimus; dumque de pluribus gloriamur, tanto in pluribus nos fallimus, alios evertimus noſtris erroribus. Magnus dicitur ERASMUS, ſed qui major adhuc fuiſſet, ſi minor eſſe voluiſſet, & tanta non eſſet amplexus. Quid vero? in cœlum volavit, ſed ſine alis, ſed judicio imperitorum pædagogorum. Quis hac in re non parebit auctoritati SCALIGERI, [4] quem & iſta & alia hujuſmodi de ERASMO ſcripſiſſe tradunt? tradunt ſimilia ſcripſiſſe de CARDANO, [5] & frænum Italicum ſcripturienti illi viro doctiſſimo exoptaſſe. Nos pari ratione, quid idem Italicum frænum ingeniis luxuriantibus non oſtendemus? Proponam imo tibi Italorum auctoritatem: nec enim invenias meliores: & quoniam illi hærent toti veſtigiis unius artis, & tales ſunt, quales invidis aliud nihil relinquant, niſi ut maledicendo disrumpantur: age, vel latum unguem, ab optimo ipſorum inſtituto ne diſcedas. Quid enim & illud *usque ad certum finem.* Quaſi non eadem ſint imperfecta, & quæ non ſunt. Quaſi, ſi imperfecte ſufficiat cognoſcere alias diſciplinas, non ſit illud melius, quod leges jubent, ut aliis credamus in aliis artibus, eosque

[1] *Auguſtinus Briſſonius El. Græg. Alc. Zaſius. Hottomannus & alii.* [2] *Græg. cap.* 30. *X. de ju. ar.* [3] *Card.* [4] *In lib. de Poet.* [5] *In exercit.*

vere

vere peritos consulamus. PORTIO, BUDEO, ALCIATO, AUGUSTINO, AGRICOLÆ quid non auscultabo potius in eo ponderum & mensurarum argumento, [1] quam ut vel tantillum temporis ego in eadem re ponam? scilicet, ut vel majorem vitæ meæ partem pro illa facultate assequenda profundam cum ipsis, & multa adhuc nesciam cum ipsis explicare. Quid isti nugatores intonant *de lege Falcidia*, *de titulo Communi dividundo*, *Finium regundorum*, similibus? quasi adeatur Jurisconsultus, non mensor, qui modum dicat, non *Arithmeticus*, qui facti quæstiones despiciat Nugæ, mi *Quincte*. Jam, & ad nescio quam figuram memini respondere. Cave ab similitudinibus omnibus; nam ex PLATONE [2] dici recordor, eas maxime fallere: nec mirum, quia & in rebus omnibus quædam semper est similitudo, ut vir doctus referebat, dicere solitum Protagoram, an sine aliis doctrinis minus instructum ad jus civile capessendum censebimus adolescentem, ut ille profecturus, ille est miles? non censebimus; illud, quia nunquam statuetur, nec est cur sim ipse longior, dum refello. Ait CICERO, [3] artes omnes se ipsas per se singulas tueri: nam Oratoriam excipit solam. Credant suo CICERONI recentiores, & huic autoritati. Quid igitur militis, & ejus qui iter ingreditur, exemplum? illi tueri se nequeunt, potest jurisconsultus & Juris interpres; ut moræ, diverticula, ambages huic sint quæque omnia, quæ jus non sonent penitus. At quantum temporis decursum a principio sermonis nostri? Infinitum juris argumentum, cui nec possit uni tot a vita hæc nostra sufficere, tantum abest, ut alias præterea disciplinas ediscere valeamus; quas nec opus est discere, nec antiqui legum auctores tenuerunt. Temeraria præsumptio & infelix conatus horum novitiorum interpretum cum sua enciclopedia. Prudentissima, & felicissima in antiquis cæterorum omnium ignorantia, unius civilis prudentia sitis. Rectissime fit, si reliquis omnibus libris vale dicimus, & vacabimus his solis, quos tam multos scriptos habemus de jure nostro: nam ut non poterimus profiteri omnia nos scire, ita quod agimus, procul dubio assequemur. Et non est id minime laudis, *in uno excellere posse*.

[1] *l. 1. ff. de vent. inspic. & alibi.*
[2] *Plat. in Sophis.*
[3] *Lib. 2. de Orat.*

ALBERICI GENTILIS
DE
JURIS INTERPRETIBUS DIALOGUS SECUNDUS.
P A U L U S.
COLLOCUTORES.
QUINCTUS. ALBERICUS.

Agitatur quæstio inter colloquentes: an bonus JCtus latinæ linguæ exquisitiori cognitione carere possit? *Albericus defendere nititur, nihil aut parum conferre ad sapientiam civilem linguæ latinæ exquisitam cognitionem. Exempla Glossatorum, qui latinam linguam pure scripserunt. Scriptum Alberici cui titulus,* verborum & Historiarum juris ex Accursii ac Bartoli Commentariis libri duo. *De poligraphia JCtorum: Verba in sensu recepto accipienda esse: quasdam res minime antiquis vocabulis exprimi debere. Divisio Jureconsultorum recentiorum in Accursianos & Alciateos. Sententia pro Glossatoribus fertur.*

QUINCTUS.

PRobatur mihi sententia tua, si a generali quidem illa species quasdam submoveris, quæ possunt in contrarium pugnare. En, quoniam ex *Duareno* in tuam opinionem aliquid dicebas heri, & adii illum, & vidi alia adhuc, quæ tu non recensuisti, pro tuis partibus.

ALBER. Verum est. Scio, illos notari a *Duareno*, qui antiquorum exempla magis, quam *Scævolæ*, secuti, nihil pulchrius, aut magnificentius ducunt, quam artis, in qua versantur fines extendere: cum illa sit juris civilis ubertas, & amplitudo, *ut vix quisquam in ipsa prævalere posse videatur, qui non se ei totum dediderit*: esse enim jus nostrum ejusmodi, ut universum nosse, in eoque excellere paucis datum sit; nec posse tam angustis finibus concludi, quin propter magnitudinem rerum & copiam multum operis habeat, ac difficultatis: probandum, ut dicat, valde institutum Scævolæ. Scio addere, alias artes cognoscendas ad usum Jurisprudentiæ, verum est id meis rationibus confutatum, ut ea illibata maneat sententia.

QUINCT. Qui de Medici munere scribunt, & ipsi videntur facere tecum.

tecum. Multa in Medico [1] non solent requirere, visa quibusdam importunis, magnificisque tam necessaria omnia, ut eam artem sine ipsis corruere judicarint; & adversus contradicentes millia conviciorum eructarint, quæ Manilius frater nobis narravit.

ALBER. Gaudeo ista. Firmat etiam *Alciatus* [2] aliquando & in hoc ipso argumento, *Galenum* præstantissimum medicum non ideo minoris esse, quod geometræ Euclidis circinum sumpserit nunquam in manus. Quid si nec illa tenuit, quæ notat *Cardanus*? [3] summus medicus, qui Physicas quæstiones, aut non attigit, aut male tractavit, anatomiam, simplicium medicamentorum historiam. Ineptos appellat eos *Alciatus*, qui *Accursium*, *Bartolum*, & id genus alios damnent, quod fuerint illi aliarum artium ita rudes, ut nec summis quidem labiis attigerint.

QUINCT. Assentior. Probantur generatim ista: sed si ad species descendero, aut hæreo totus, aut tu juvabis me ex illis salebris.

ALBER. Faciam, quantum potero: scio tamen provinciam difficilem.

QUINCT. An igitur diffidis, si propius congrediatur? virium imbecillarum indicium, dum bellum geritur: & res, causa plane suspecta, si non permittitur in apertum Solem, & aspici iterum atque iterum, tractari, omnibus sensibus supponi, tota pars, nec perfunctorie.

ALBER. Non hoc est, *Quincte*: sed quia pervasit jam in omnium mentes, quod *Alciatus* scripsit de meorum interpretum ruditate: quia ineptissima multa omnis generis videntur adnotasse isti novitii, qui talia quærunt, in illis interpretibus. Difficillimum est contra hæc velle dicere, quæ certissima sunt apud quoscunque, si prudenter res tota non examinetur. Sed age quo me vocas?

QUINCT. Eo: *ut sine magna cognitione linguæ Latinæ studium juris recte procedere non possit*. Quod si est; an Accursius, Bartolus, Accursiani & Bartolini interpretes boni?

ALBER. Id est, quod dico. Sine illa exquisita notitia linguæ Latinæ credunt jam multi, non constare studium juris: credunt omnes, defuisse eam plane ac penitus *Accursio*, *Bartolo*, cæteris.

QUINCT. An hoc postremum tu neges?

ALBER. Audies meam sententiam. Argumentum, quod tu objicis, & *Vivis* est, non concludit, *Barbare isti scripserunt. Ergo ineruditi*,

[1] *Bot. Eraſt.* [2] *In ep. antr. lib. de ver. ſign.* [3] *Lib. 1. de ſan. tue. cap. 36.*

& illiterati, ergo leges stylo purissimo scriptas, nec possunt aliis explicare, nec ipsi intellexerunt. Et nec contrarium, si ita dicatur. *Latine scribunt recentiores. Ergo eas leges & intelligunt, & aliis recte explicant.*

QUINCT. Quamobrem vero?

ALBER. Quia illos Latinæ linguæ peritos docere possum: & licet usquequaque periti non fuissent, potuisse tamen, ac posse optimos esse juris interpretes, magistrosve. *Res ipsa demonstrare poterit, aut nihil omnino, aut certe parum conferre ad sapientiam civilem linguæ hujus adeo exquisitam cognitionem;* & *non esse recentiores interpretes propterea meliores, aut etiam bonos, quod vel quæque scrutati sint penetralia Latinitatis.*

QUINCT. Audiam, ut confirmes.

ALBER. *Sacco* nominatim & *Aretino* perhibet testimonium *Duarenus*, [1] quod & Græce & Latine non vulgariter fuerint eruditi. *Jasonem* virum in utroque jure doctissimum, & tam in divinis scripturis, quam ceteris disciplinis secularibus eruditissimum, philosophum clarum, oratorem celeberrimum, ingenio subtilem, eloquio disertum appellant historici. Cæterorum fides penes ipsum auctorem sit. Quod attinet ad eloquentiam, supersunt indicia non levissima ex quibusdam epistolis sive præfationibus suis. *Alciatus* etiam *Aretinum* illum Græce & Latine disertissimum, *Jasonem* in Latinis literis longe præstantem asseverat. De Aretino rursus *Cotta*, [2] hic genus humanum ingenio superavit, & omnes restinxit stellas, exortus ut æthereus Sol. Nam præter jura, cæteras etiam liberales artes adeptus est. Quid de ipsis *Zasiis* & *Alciatis* & *Cottis* dicam? hos quoque vulgari sermonis genere usos, aut certe non longe ab eodem recessisse, scribit ille novitius. An igitur concludemus, istos ineruditos, & illiteratos fuisse, quia erudite minus & litterate scripserunt? primi etiam non aliter atque *Bartolus & Accursius.*

QUINCT. Testimonia de his sunt. Tempora tunc erant feliciora, quam sub *Bartolo* fuerint, & aliis ejus ætatis.

ALBER. Sunt igitur boni interpretes *Saccus*, *Aretinus*, *Jason*, cæteri illorum temporum *Accursiani*? Crede; argumentum non urget: nam his exemplis probatur aperte nimis, barbare quem loqui posse, & esse bene instructum a lingua Latina. Quod autem addis de feliciori seculo, hoc quidem aliquid videtur esse; quoniam verisimilius videatur, Jasonem eruditum in hisce studiis, Bartolum non fuisse propter omni-

1 *In ep. ad Guil.* 2 *Ante adnot. ad tres lib. Cod. in Memor. de Jurisp.*

modam,

modam, ut volunt, sui ævi infelicitatem. Attamen vides etiam rationem infirmam: sicut enim in tanta elegantia videmus hodie barbarie innumeros volutari, & plures multo, qui nec scribere, nec dicere possumus recte, caste, Latine; quid credere non possumus, fuisse in illa ruditate, qui loqui purius valuissent? Herodoto, Thucydidique non obfuit, quod ipsorum ætas in tempora Trasymachi & Gorgiæ incidisset, [1] & cum inelegantibus, audio, elegantissimos ipsos esse rerum scriptores. Ajunt *Petrarchæ*, similiumve stylum plane contemnendum non esse, qui tum scribere voluerint accuratius, politius. [2] Quid id credere difficile est de *Bartolo* & reliquis, qui dies, noctesque semper in manibus habebant illorum monimenta, qui vel ipsi Ciceroni in Latina oratione non concedunt, si verum dixit *Laurentius Valla.* [3] Huc trahe exemplum, quod proponitur in hanc ipsam meam sententiam, de homine, qui in Sole ambulet, ut coloretur, etsi id ille minime cogitet. [4] Etsi *Bartolus*, cæterique cogitaverint minime Latinæ linguæ cognitionem adipisci; quod tamen Latinissimorum scripta versaverint semper, credendum omnino est, illis vel obtigisse. Percurre tecum omnia. Videris transfundi in res quasque, in homines quosque multum semper alienarum affectionum ex jugi consuetudine, & contactu rerum aliarum, aliorum hominum. Quid erunt mei illi interpretes extra omnem omnium sortem?

QUINCT. Sed apparent effecta ista in omnibus: in illis interpretibus non apparent. Videntur hæc omnia contra te esse. In Herodoto, in Thucidide, in Petrarcha, in aliis, in eo, qui ambulet in Sole agnoscimus: quia in tuis non est vel indicium, profecto ipsi aliud judicium sustinebunt.

ALBER. Opinaris? Sed an non pleraque omnia summaria *Bartoli* habent quandam hujusmodi colorationem? habent. Quid de scholiis referam *antiqui* cujusdam *expositoris in regulas juris?* eruditione & Latina elegantia cum ipsis jurisconsultis ea certare, vel *Alciatus* asseruit. *Bulgaro* adstruit *Cujacius*, [5] & propter hanc ipsam scribendi puritatem laudat. *Joanni* majora tribuit, præceptori *Accursii.* Extant in hoc ipso, in *Roglerio*, in *Placentino*, in aliis glossariis non tenuia puræ hujus locutionis indicia; & ego affirmo de quibusdam *Placentini* operibus; & ad alios vel ipsi delicati recentiores, nedum *Bartolus* similesque, animad-

[1] *Cic. in orat.* [2] *Viv. lib. 3. de tra. disc. Scal. cap. 1. lib. 6. Poet.* [3] *Aug. in præf. ad 2. lib. em. In præf. ad lib. 3. Eleg.* [4] *Cic. lib. 2. de orat.* [5] *In proe. lib. 1. Disp. Lib. 7. Obs. cap. 36.*

vertunt.

vertunt. De *Cyno* quid dixerim? & hic *Bartoli* præceptor habet, quibus Latinitatem istam sibi non prorsus incognitam ostendat. Non oportet, *mi Quincte*, barbara, inepta, vitiosa, quæ notas, regerere: nam scimus ista; & jamdudum est, quod ad animi voluptatem collegimus innumera; & tu libellum vidisti, cui titulum fecimus. *Verborum & Historiarum juris ex Accursiis ac Bartolis Commentarii duo.*

QUINCT. Si igitur plusquam exoticæ linguæ sunt ut plurimum, quæ ista coloratio?

ALBER. Ut plurimum non sunt. Quid ex *Sturmio* [1] narrabas olim?

QUINCT. Jurisconsultus (ait ille) magnus est *Bartolus*, sed multa habet non solum barbara verba, sed etiam barbaras sententiarum formulas.

ALBER. Pleraque igitur non barbara: & quæ barbara insunt, suas habent certas excusationes. At vero, non recensuisti mihi de quodam *Henrici Stephani* [2] libello?

QUINCT. Recte. Opinor ex eo multa tuorum & verba & sententiarum formulas posse a barbarie vindicari.

ALBER. Adde *Parergon Brissonii*: adde & *extremam pagellam librorum Alciati* [3] de verborum significatione: adde quod is non patitur malæ Latinitatis damnari (aut memoria fallor) quod vel *Theodosiani seculi* auctoritate, exemplo *Pontani*, *Perotti*, *Erasmi*, similium defendi potest.

QUINCT. At, quæ excusationes pro reliquis, quæ multa procul dubio supersunt vitiosa?

ALBER. Genus scribendi eos excusat, [4] quod & ipsi fatentur delicati: qui enim eleganter in Accursiana aut Bartolina scriptione? Nec fuit sane admodum curandum: nec potuit. Et ipse *Cicero*, quando in populari *de legibus* tractatione omnis sua versabatur oratio, loquendum sibi populariter duxit. Audi. Ridiculum fortasse videtur, quod dicturus sum, dicam tamen vel ideo ut rideatur. Si loquitur Imperator. Quandoque crasso modo, ut *Baldus* [5] & alii notant. cur verum non dixerit *Cotta*, excusandos jurisconsultos hos meos, si linguæ Latinæ normam prætereunt? quia scilicet permissum sit homini loqui, ut lex facit. Succurrit ex *Barone*. [6] Tot libros illi legum auctores non reliquissent,

[1] *In schol. ad lib. de imit. orat.* [2] *de Lat. fal. susp.* [3] *Lib. 9. Parerg. cap. 20.* [4] *Zas.* [5] *In c. 1. §. & quia. Qui feu. da. poss. Alc. Con. Duar.* [6] *In ep. ad Comm. Inst.*

si florem

si florem orationis sequi voluissent. Quid igitur, si stante lingua Latina, istum non præstiterunt dicendi splendorem in studio nostro *Cæsares*, *Cicero*, juris auctores, nos a *Bartolo* in illo seculo desideremus?

QUINCT. Ego istam elegantiam in Bartolo non requiro, sed puritatem sermonis: nam & *Cicero* a philosopho Oratoriam eloquentiam non admodum flagitabat, modo res bonas & cognitu dignas afferret.

ALBER. Recte censes, quicquid novitius sine eloquentia cæcam atque mancam esse jurisprudentiam clare profiteatur. Sed & de ista puritate jam dico, excusandum omnino *Bartolum* & reliquos, si ipsam in eorum operibus non ubique conspicimus, quia (& hæc est alia excusatio) non fuit possibile præstari ab eo, qui tanta scribit, homine alterius linguæ, seculo ter infelici, juvene occupatissimo. En, quid vel Sol ipse. *Qui κατὰ πόδα* [1] *interpretationem Latinam paratam habeo, contribuere aliquid possum si modo princeps aliquis expoliendæ ejus otium mihi faciat; ne intermissione publicarum recitationum quidquam rei meæ incommodaretur.* Et istis nisi etiam poetica machina præsto sit, Deusque qui otia faciat, rem paratam expolire per publicas recitationes non licet: rem proculdubio minoris, breviorisque operæ, quam si laborandum ad eamrem esset in Commentariis longioribus, justisque ingentia volumina *Bartoli* sunt, *Baldi*, cæterorum. An credis spatio quindecim aut viginti annorum posse Bartoli commentaria in eam formam confici, quam isti delicatiores voluissent? at ille, vix credo, quindecim plus minus annos in ea re posuit, cogita, brevi illo tempore debuit pœnum tantæ scientiæ componere; & potuisset etiam Latine, caste, pure, eleganter scribere? Non est facile Latine scribere, atque una scribendi materiam colligere: [2] ideo scriptores, quod ait ex nostris quidam, primum undicunque sumunt etiam rude, nudumque argumentum, quod postea, quum minus tempore excludantur, scienter, ornate, & pura vestiant oratione. Id nequiit *Bartolus*, festina admodum morte extinctus: & notavit etiam *Jovius* in illius icone.

QUINCT. Sed audio, multos ex antiquis consultis reliquisse amplius trecentos libros.

ALBER. *Paulus* hic, at Pauli opera, & libros plus trecentos operibus *Bartoli*, *Baldi* non conferrem. Ecce. Omnium librorum juris tricies centena millia versuum erant. Tricies centena millia sententiarum, quod est explicatum. Hæc si inter tot prudentes partiaris, profecto

[1] *Cujac. in Præf. ad Parat.* [2] *Polydorus.*

id ipsum collegeris, quod affirmo, *Pauli* opera minora operibus *Bartoli atque Baldi.* [1] Age; quinquaginta sunt Digestorum libri, & hi certe ad exemplum antiquorum confecti. An reddunt octavam partem voluminum *Bartoli?* an decimam voluminum *Baldi?* nec itaque trecenti *Pauliani* libri præstant integrum *Bartolum*, & *Baldum* minus. Attende, quod & ex ipso dicentium ore pleraque monimentorum Bartoli, talium sunt excerpta, non ab ipsis vel polita, vel exarata. Meminerisque, oratores summos & in una epistola eleganter scribenda dies, ac hebdomadas consumpsisse, annos & annos in oratione una. Est igitur excusatione dignissimus *Bartolus*, si in interitu omnium bonarum disciplinarum, peregrinus, intra primos maturioris ætatis annos vita functus, continuo docendi munere occupatus, tanta volumina, quæ dictavit, nec veste ornarit tota Latina. Non est dicendum propterea, fuisse illum ab hujusmodi litteris haudquaquam instructum. Verum, est & tertia ratio pro *Bartolo;* est & quarta.

QUINCT. Quæ istæ?

ALBER. Scripsit rudi illo stylo, ut tempori inserviret. Multa retinuit vocabula barbara, multasque barbaras dicendi formulas, quia id, vel hoc Latinissimo seculo, consultius est.

QUINCT. Rogo, explices. Jam & illud videris asserere, hos tuos potuisse Latine scribere.

ALBER. Ajo, quod, etsi nulla supradictarum excusationum prodesset meis, hæ proderint omnino, si recte dispicio.

QUINCT. Si igitur & genus scriptionis non repugnasset, &, quæ proxime dixisti, non fuissent impedimento, quid Latine non scripsit *Bartolus*, si potuit?

ALBER. Perbelle. Cur illi non scripsere *Aretinus*, *Jason. Zasius*, *Alciatus*, *Conan* hodie etiam vir ipse plane divinus? Non placet, non est opus. Ut tempori obsequerentur, inservirent scænæ, vitandæ invidiæ caussa Dicit *Alciatus; Duarenus* dicit. Et si horum tempore agendum sic fuit, quando bonæ litteræ omnes penitus revixerant; quid debuissent *Bartolus*, *Baldus*, reliqui facere? Semper vel oratorum eloquentiæ moderatricem fuisse auditorum prudentiam, ait Cicero, [2] & omnes, qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intueri, ad eamque, & ad eorum arbitrium & nutum se fingere, & accommodare? itaque, nescio quibus in locis, quod minime politæ,

[1] *Duar. lib. 2. cap. 16. disp. ann.* [2] *In orat.*

mini-

minimeque elegantis auris homines sunt, & oratores adscivisse aptum his auribus opimum quiddam & tanquam adipatæ dictionis genus. Multa vel proverbiis trita non recenseo. Quis *Bartoli*, *Baldi* auditor barbaris illis temporibus, si paullo etiam fuissent magis addicti Latinis præceptionibus? an isti docuissent linguam Latinam? an discipuli voluissent discere? Audivi a patre, *Galenuum* pluries dicere solitum, rejectis Attici sermonis proprietatibus, se sic nominibus uti, quemadmodum homines sui seculi utebantur, satius esse ratum, res dilucide docere, quam pura illa lingua Atticorum uti, idem fecisse *Zenonem* imperatorem [1] lego in *constitutione de novis operibus*.

QUINCT. Quasi luciditas orationis non sit ex puritate magis, quam ex barbarie.

ALBER. Quasi non dirigantur ad hominem omnia. Qui tum temporis sustinuisset (ut dixi) castam orationem?

QUINCT. Si igitur illis dixit *Bartolus*, nunc loqui non debet, mutato in melius seculo.

ALBER. Cur discunt multi barbaras linguas? opinor ut cognoscant doctissima monimenta in illis consignata.

QUINCT. Insudabunt igitur homines sermoni barbaro cognoscendo, ut *Bartolum* audiant?

ALBER. Quidni, si eruditionis habet multum *Bartolus?* at quam is auctor barbarus?

QUINCT. Ut libri ipsius non magis nunc in pretio habendi videantur, quam *Trebatii*, cujus in pretio habiti non sunt, quod rudius scripti essent, si bene apud Pomponium legi. [2]

ALBER. Fuit desiderium recentiorum: sed & frustrati sunt spe isthac: & spero ego quam brevissime factum iri de ipsorum operibus: videmus enim ut ceciderit cum illo, qui *Alciato* [3] duce augurabatur, non magnopere *Accursii, Bartoli*, cæterorumque volumina necessaria futura. Etsi *Alciatus* nihil Bartolo officit, an officient alii? forte: nam *Alciato* majores isti. Verum hæc ad nos minus pertinent. Tempori inserviendum fuit: Ecce enim *Tubero* doctissimus habitus juris publici & privati; [4] quoniam tamen sermone antiquo affectavit scribere, libri ejus parum grati habebantur.

QUINCT. Et *Bartoli* libri multo minus.

ALBER. Male *Tubero*, qui elegantiori seculo vixit, asperiori anti-

[1] *In princ. de verb. oblig.* [2] *Baro in l. 2. ff. de orig. jur.* [3] *Albut. ante schol. Alc. ad l. 2. ff.* [4] *l. 2. ff. de orig. jur.*

quorum oratione utebatur, & minime accommodabat se tempori, quod *Bartolus* faciebat Ego illud tracto, *Bartolum* Latinitatis reum non esse, si eo seculo scripsit Latine minus. Quod vero sint ipsius monimenta hodie minori in pretio; videri potest delicatioribus stomachis: nec enim aliter fiebat de quodam *Curione*, si non fallor memoria.

QUINCT. Forte de illo dicis, cujus orationem *M. Tullius* [1] illustrem fuisse scribit doctis & attente audientibus, multitudini non item?

ALBER De illo ipso & *Bartoli* oratio doctis attenteque audientibus illustris est, sed verba intuentibus, quod omnino fiet indocte, barbara & barda etiam erit. Utinam vero (quod ait disertus, doctissimus, & prudentissimus *Viglius*,) [2] *Alciati & Zasii* doctissimorum virorum pluriumque aliorum exemplo rerum ipsarum cognoscendarum studio isti ita afficerentur, ut harum gratia barbariem interpretum vel contemnere, vel devorare possent. Esto, diximus barbara habeant multa, quid ad res? has an non acutissime, an non etiam clarissime docuerunt *Accursiani?* asseverat *Alciatus*. Tu videris aliquid velle dicere.

QUINCT. Succurrebat in tuas partes aliquid ex *Cicerone*.

ALBER. Quin refers?

QUINCT. Is aliquando verba facit quasi de his ipsis interpretibus, si tu tuis res tribuis, [3] meis autem dictionem.

ALBER. Ita.

QUINCT. Ille igitur. *Composite & apte sine sententiis dicere insania est: sententiose autem sine verborum & ordine & modo infantia, sed hujusmodi tamen infantia, ut ea, qui utantur, non stulti homines haberi possint; etiam plerunque prudentes.* Alibi [4] tamen ineptos hosce scriptores non fert omnino: at quia tum non aliam rationem suæ sententiæ profert, quam ex delectatione lectoris & aurium, non erit quod adversus te dicatur, qui nec disputas adversus illa.

ALBER. Probe juvisti me.

QUINCT. Eadem sententia (inquit *Cicero*) si inelegantius scripta sint, animo satis, auribus non satis. Certe & persuaderi incipio, viris philosophis fraudi haudquaquam esse, si non aliter ac *Bartolus*, loquerentur: Quid enim magnum & oratores nomen habuisse legimus, qui impoliti, consulto rudium similes & imperitorum fuere [5]

ALBER. Subintrat ex te etiam *quinta* excusatio pro Latinitate meorum interpretum.

1 *In Bruto.* 2 *In præf. ad Com. Inst.* 3 *in l. ult. ff. de verb. sign.* 4 *In orat. ad Bru.* 5 *Lib. 1. Tusc.* 6 *In orat. ad Bru.*

QUINCT.

QUINCT. Quæ hæc?

ALBER. Quod ad res mei isti attenti, curarunt verba omnino minus. Sed satis in re nihili.

QUINCT. Immo & de hac dicetur. Verum, quod nunc recordor, primum transigendum de his est, in quibus versamur. Tu exemplo *Alciati* doces, & *Bartolum* non Latine scripsisse, ut tempori inserviret. Audio ego in ambitionem & avaritiam *Alciati* [1] rejectum, quod antiquam juris tractandi rationem plane non dimiserit.

ALBER. Ista sunt recentioris hujus militiæ pila. Et in antiquos conditores legum idem scribit *Connanus*. [2] Et alter est sibi maledicus: & ipse enim dicebat, quod paullo neglectius scribendo recederetur longe minus a consuetudine suorum temporum politiorum, cui aut serviendum, aut indulgendum esset. Quasi vero ambitio propria non sit novatorum, quasi *Alciatus* undique gentium traheret ad se studiosos juris propterea quod veterem docendi formam retineret, non quia novam istam induxisset politiorem: quæ quum videretur gratior, quid ex ipsa majorem quæstum sperare non poterat? fortasse quoniam viliora comparemus majori pretio. Quid multis? notum est satis, doctissimis quibusque sui temporis in ipsa Italia præferri solitum *Alciatum* hujus ipsius elegantioris litteraturæ ratione, & ad summa evectum stipendia. An enim *Alciatus* doctrina conferendus *Mariano Socino?* hunc tamen contra *Bembus*, deficeret senex in salutari suo si adveniret Alciatus. Et ipse quoque *Duarenus* in Gallia olim primi nominis habitus. Quid ita? quia novam hanc viam docendi incedebat; nam si veterem, puto vix cum secundis isset: studii etenim quindecim amplius annorum, quod posuit in hac disciplina ex institutis majorum, ipsum maxime pœnituisse ipse scribit in sua [3] quadam epistola. Quid cogitas? an de isto, ut a majori crimine liberes scilicet, dices quod de *Tuberone* Cicero, *quia Citharædus non potuit*, est Aulæta. Licet quidem per me: licet etiam, si tibi videtur, & in avaritiam & in ambitionem contra *Alciatum, Zasium*, alios referre: nec enim ad rem. Fuit ultima ratio pro meis interpretibus, quia multa vocabula barbara retinere consultius fuit, multasque barbaras dicendi formulas, quam Latinis uti.

QUINCT. Hæc est. Quomodo probas?

ALBER. Uno verbo. Quoniam Latina omnino non exprimerent; aut non ita certa essent ac plana, ut barbara sunt.

[1] *Duar.* [2] *Libr. 1. cap. 9. com.* [3] *in ep. ad Guil.*

QUINCT. Quid?

ALBER. Possem multa exempla proponere, sed uno aut altero contenti simus. An tu existimas nostratibus illis cognitas non fuisse Latinas voces *Bellum & inducias* cognitas etiam pueris alphabetariis? his tamen aliquando non utuntur, sed *Guerram* dicunt & *Treguam*. Quid ita? quia salvis terminis & salva definitione Belli, salva Hostium definitione in jure Civili notata vix possumus hodie in plerisque affirmare bellum esse aut hostes, & de bello aut hostibus loqui, aut de induciis. Sic illæ voces, *Bannitus, Caporalis, Represaliæ*, hujusmodi sexcenta Italicæ, Gallicæ aliæ, Hispanicæ, Germanicæ ab Italis, Gallis, Hispanis, Germanis omitti vel mutari non debuere, quoniam nec *Exul, Proscriptusve, Decanus, Manus injectio*, nec aliæ antiquæ Latinæ omnino his, quibus utimur, utuntur illi, respondent, & de quibus loquendum *Bartolo*, aliisque fuit. Idem de quibusdam phrasibus. Quid fecissent? Putiduli Græci (ait *Scaliger*) [1] suis quæque vel externa Græcis nuncupationibus appellare voluerunt: ingenui Romani, qui externis in rebus usi sunt vocibus externis. Putiduli isti, qui negotia nostra, res nostras per summam contortionem malunt explicare Latine, quam nostris nominibus uti. Ingenui illi, qui nostra vocabula nostris in rebus usurparunt, & nostras phrases simili ratione. Sed vereor, ut fuerim in isto argumento nimius. Jam vides non recte dici, *Barbare scripsit Bartolus, & nescivit elegantius scribere*. Probavimus enim nec adeo barbare scripsisse Bartolum, & justas esse barbariei rationes. At vero quid etiam si daremus utrumque? Credis inde sequeretur, quod captas?

QUINCT. Profecto. Nam Latine qui nescit, quomodo potest Latine loquentem interpretari, aut ipse intelligere?

ALBER. Potest, qui nesciat Latine loqui. Non vides, quot hic in *Anglia nos Italice* loquentes intelligant, ipsi nec sciunt vel unum profari verbum Italicum? Quid dicemus de *Gallica & Hispanica* lingua? quotus quisque est *Italus* minime stupidus, qui omnia ferme vel audiendo, vel legendo non intelligat labore minimo in utraque? Inepte decipitur *Vives* in illa ratiocinatione; quasi inferatur ex diversis.

QUINCT. Sed quam bene tuus iste Italus & ille Anglus Gallicum, Hispanicum, Italicum auctorem interpretabitur?

ALBER. Sed meis interpretibus addas praeterea assiduum studium, assiduam lectionem Pandectarum & reliquorum voluminum juris no-

[1] *In exerc.*

stri,

ſtri, tum plane mortuam ſenties *Vivii* argumentationem. Quid vero ſi comparatis interpretamentis antiquorum & novitiorum, liceret per noſtros ſermones diſcutere, quæ veriora, ad mentem legum eſſent? at *Contii* novitii unum ſufficiat teſtimonium. Certum eſt, legis intellectum referri & aſſeri in ſummariis, in epitomis. Illa ſcripſit *Bartolus*, & impreſſa leguntur in ipſo corpore juris noſtri locis ſuis: rejecta ex cujusdam editione ſunt: ſubſtituta ſunt ex *Duareno:* erant ſcilicet ſummaria *Bartoli* aut falſa, aut inepta. (Scio & aliorum judicium, ſed mihi cum his Latiniſtis res eſt) quid *Contus.* [1] *Comperi nec nihil, neque omnia hæc eſſe, quæ adverſus Bartolum dictitabantur, & ſi conferendum eſt exemplum, quidam Ciceroniani dum Bartolo peritiores videri volunt, ſuam imperitiam detegunt &c.* Concita dixerat primum & rara eſſe *Duareni* ſummaria, & nequidquam addita ad ſententiam conjiciendam, levia, vel quæ a puero ſine labore confingi potuerint. An verum non eſt novitii teſtimonium? Reciperem in me ejus aſſertionem. Defuerit igitur *Bartolo* vel cognitio iſta exquiſitiſſima linguæ Latinæ, an propterea interpres non optimus? Res ipſa novitios iſtos convincit. Rideam *Alciatum?* Non faciam: Veneror enim magni viri memoriam. Ait ille quod ſuarum virium conſcius Bartolus, quique ſecuti ſunt, minime auſus eſt titulum aggredi *de verborum ſignificatione* [2] nam humanitatis ſtudia vel in eo uno interpretando fuiſſe neceſſaria, & hæc *Bartolo* defuiſſe penitus. Ipſe *Alciati* commentaria legi; ad unumquodque verbum offendo *Bartoli, Accurſii, Baldi, Alexandri, Alberici, Angeli, Socini, Jaſonis*, cæterorum nomina. An, quia refutantur iſtorum ſententiæ? Raro id factum comperi: ſed laudat paſſim eos omnes *Alciatus* ad ſuas interpretationes aſſerendas; laudat in auctores ſuarum interpretationum. Miror itaque, quod dicat, diffiſum viribus ſuis *Bartolum*, & alios non eſſe auſos plene ad illum titulum ſcribere; ſi ita apparet, ipſum ex illis pleraque omnia congeſſiſſe. Aut horum interpretum ſunt, quæ *Alciatus* appoſuit, aut legum, aut humaniorum auctorum. Nolim hoc opus tibi maxime non placere, ſed ea ſane ex humanioribus quæ ſint, animadvertet quilibet juris ſtudioſus: de primis nihil adverſus meos dicet, qui ſapiat; nam ſunt meorum. Fateantur igitur recentiores, perſpecta *Bartolo* legum ſenſa, aut omnem frontem amiſerint.

QUINCT. Et iſta explicarunt? Vix eſt, ut qui rem teneat, non explicet etiam planiſſime.

[1] *In pri. præf. ad lect. ante Pand.* [2] *In præf. ante lib. de verb. ſig.*

ALBER. ROMANUS summus est, præstantissimus, & illustris jurisconsultus, dicendo tamen usque adeo ineptus, ut vel optima quæque in ejus ore sordescerent, si verum prodidit *Alciatus*. [1] CUMANUS [2] eruditior est, quam eloquentior, & quæ tenuit non explicavit satis dilucide, si *Duareno* placet assentiri. ACCURSIUS ipse & BARTOLUS recte in plerisque sensere, & parum sunt elocuti, ut existimat *Baro*. [3] Alii de omnibus dicunt. Dicit & CICERO, [4] posse fieri, ut recte quis sentiat, & id quod sentit polite eloqui non possit. Tu igitur minus bene opinaris. Ecce enim ineptus, obscurus, impolitus oratione, qui rem penitus tenet. At falsæ etiam *Duareni*, *Baronis*, *Connani & Viglii* criminationes; aut ego noctua sum, qui has tenebras non video, non vidit *Alciatus*. Necessario aliquam habent obscuritatem *Accursius*, *Bartolus* propter concisum scribendi genus; non tamen est in verbis obscuritas, aut phrasibus, quæ populariter nimis etiam extulere. Nec intelligunt soli Itali; nam & hi nullos Ultramontanos ejusdem scholæ intelligerent; & intelligimus tamen sive *Accursiani* simus, sive politi sint *Alciatei*, non prorsus tamen delicati. Explicarunt omnia planissime mei interpretes vel pro eorum temporum ruditate: hodie elegantius & purius rem tractarent, si hodie viverent: id faciant ipsi recentiores, si possunt: exhibeant solidam doctrinam illorum, loquantur caste & Latine nobis, qui possumus intelligere. Non vitupero, sed laudo; dum tamen videant, ne quod tanquam additamentum (inquit ille) vel auctarium hac in re debet esse, id præcipuum habeamus: ne quoque (ut monuit *Alciatus*) præter anxiam legum scrutationem Cornu quoque copiæ in manibus habendum sit nobis, unde & antiqua vocabula addiscere, & figuratos loquendi modos percipere necesse habeamus. Utantur receptis artis nostræ vocabulis, quæ sua habet, ut alia quæque, etiam si illa barbara & incondita videantur: non enim importari nova decet, quæ nemo, aut nisi attentus ad eam rem lector, auditorve intelligere possit. Fortasse fallor. Certe nihil ineptius video, quam quod tenelli isti pleraque omnia *Feudalia* nomina, & phrases sustinere non potentes, aliis, nescio an ex *Arpino* accitis, uti malunt. Longum esset de his dicere.

QUINCT. Satis mihi videris pro istis tuis. Et ego quidem nescio quid contra reponam. Fortasse haberent eruditi. Nam paradoxa hæc. BARTOLUS, ***Bartolinique non prorsus barbari, a barbaris etiam***

[1] *In orat. Tic. bib.* [2] *Cap. 59. lib. 1. disp. ann. ad l. 2. ff. de sta. ho.* [3] *Conn. Vigl.* [4] *Lib. 1. Tusc.*

recte

recte explicati Latinissimi scriptores. Quales jurisconsulti, si singula verba ex ipsorum Latina natura non tenent?

ALBER. Quid si abstrusos illos fontes hujus vel illius verbi non cognoverint mei interpretes? Quid si ipsum vix verbum? Qui quibus verbis coemptio fiat nescit, [1] is potest tamen ejus mulieris, quæ coemptionem fecerit, tueri caussam. Qui quibus verbis hercisceri oporteat nescit, is herciscundæ familiæ caussam agere potest, non est hoc mirandum. Ego vero, si eruditos nancisceret, qui secus docerent, quam nunc tibi dico, ex his ipsis, vel senex, nedum annos triginta natus, in meliora & libenter concederem itinera: profiteor enim sequi me eruditorum vestigia. Vellem sane, ut locus hic esset, & tempus idoneum, quare possem tibi ob oculos species etiam proponere, quibus liquido noſceres, leges quinam melius nostras intellexerint & explanaverint, barbari illi, quos vocant, ex solis libris civilibus, an isti recentiores vagabunduli *ex arculis Terentianis*, *mundo Ciceroniano*, omnibus antiquorum Latinis scriniolis: at occasio dabitur, quando istam privatam tractationem aggrediar, & in meis libris *Lectionum juris civilis* sum [2] expressurus. Ipsi vel novitii fatentur, nullam commodiorem rationem locos juris obscuriores declarandi, quam ipsorum collatione inter sese. Quid igitur aliunde, & quidem longe petita, emendicata auxilia? an aliter *Accursius*, *Bartolus* solent? non erit ulla impudentia, quæ audeat mutire contra. Non omnes possunt ex legibus leges declarari? Sed quid est illud, quod nequit? Diximus *Alciati* humaniorem operam ad titulum de verborum significatione. Etymologicum aliquod est, an historicum? Etenim in hæc duo & analogicum illud distribuunt recte omnem juris interpretationem. De historiis nihil dico [3] habent enim suum locum. De analogico non dicent isti in argumento hujus diei, quia ipsum intra unum corpus legum consistat: Et in ista jurium compositione admirari licebit omnibus recentioribus divinum prope ingenium *Bartoli*, & suas illas oppositiones, distinctionesq; assequi an continget unquam res in incerto est, & eo minus sperandum, quo magis exemplar illud optimum, sive per invidiam, sive per ambitionem, sive etiam per ignorantiam nec cognoscunt, nec intueri volunt: quin immo ad convicia versi *δικαιμάστγαν* tantum *jurisconsultum* [4] appellant, vanas fictiones suas sententias, & ægri somnia, cum sexcentis similibus. Et quid aliud facerent, si in illis locis is sapientior est, qui insanit in sapientes

[1] *Lib. 1. de orat.* [2] *Duar.* [3] *Hopp.* [4] *Cuja. lib. 12. obs. cap. 16.*

magis, de se quæque ac passim jactat nova, admirabilia, sapientissima? Ego conviciatori maximo non opponam pro *Bartolo* quæ *Jason*, quæ alii collegerunt hujus doctæ classis scriptores, & sunt summa, & sunt merita: quod enim opus? pereunt cum sua æstate cicadæ, muscæ, vespæ. Quid *Alciatus*, & tres illi discipuli sui BELLONUS ITALUS, VIGLIUS GERMANUS, *Augustinus Hispanus*? Sunt hi omnes omnibus novitiis laudatissimi, si unus ille Italus sine laude non est BELLONUS. Ex *Alciato* illa, *princeps Bartolus, maximus J. C. & qui locum apud illos veteres tenere potest. Acutissime excogitavit; clarissime docuit. Leges sine ipso non consisterent.* Quid *Bellonus*? *Bartolus acerrimi judicii vir in juribus inducendis.* Quid *Viglius*? Prostant quæ late adversus ipsos contemptores vel pro *Bartolo* retulit in præfatione ad Commentarium suum in illos *Institutionum* titulos. Quid *Augustinus*. [1] BARTOLUS *omnium post Justinianum optimus interpres.* Ita isti, sed novum jubar tenebras has discutit, falsasque opiniones: vix tamen est, ut in hoc interpretationis genere, quod analogicum dicunt, novitii *Bartolum* lacessant sed in etymologico: bonarum litterarum rudem clamant. Magnum scilicet crimen, postquam vix in universa legum sylva tractatum reperiemus, cui enarrando sint adeo illæ litteræ necessariæ, ut titulo *de verborum significatione;* immo ne huic quidem sunt necessariæ, si vera narravimus in eo contra *Alciatum.* Quid etiam iste? docet, liberales illas artes leviter, & summis labiis attingendas, non ex professo, sed obiter quandoque & aliud agendo intervisendas. Quid toti liberales novitii? qui legit ipsorum opera, intelligat quantum percipiet commodi. Ego & sentio cum *Perusinis* meis, & probo maxime quod agunt, & illud hodie tecum differo: *Ut scilicet missus puer a præceptis Grammaticis & a scholis trivialibus conferat ilico se ad studium juris; & in ipsis Institutionibus, Pandectis, & Codice assuescat totus, discat ex iis auctoribus linguam Latinam, quorum opera sola tractare debet. Tantum satis; & incommodum, si tempus terimus dum malumus exquisitius aliquid. Tenere etiam hoc oportet*, Quincte, *alias esse verborum significationes apud jurisconsultos, aliter verba accipi, atque apud alios accipiantur; verba etiam quædam esse, & quasdam phrases Jurisconsultorum proprias.* Ista ego non narro, quod plurima sunt, & ipsi etiam *Alciatei* notata habent. [2] Horum igitur interpretationem unde meliorem nancisci aut exquirere poterimus, quam ex ipsis Jurisconsultorum sententiis? non omnium inde? immo.

[1] *Lib.* 4. *Emend. cap. ult.* [2] *Alc. Taur. Hot. Brisso. Hengend.*

Sub-

Subjectum argumentum, præcedentia & sequentia, loci similes & ejusdem rationis, talia locum, verba, phrases aperient nobis: certissimum est. Pleraque verba hujusmodi non sunt, nec formulæ dicendi, sed communia omnium scriptorum, fateor: sed ista ut illa rectius petemus ex ipsis jurisconsultis (ut dictum est) quam aliunde. Scribit ad rem aliquando *Cujacius* [1] contra *Budeum* & *Alciatum*. Errarunt & in illis propriæ artis & in his communibus verbis mei? At errarunt etiam legum conditores sæpenumero in utrisque: errarunt ipsi recentiores interpretes, & in his non prorsus infrequenter, quæ ab *Accursianis* recte prius fuerunt explicata. Apud ipsosmet novos legere est. Sed quæ tandem tantæ ad Accursium notæ? [2] Plerequæ omnes Jurisprudentiam non attingunt, clamet, ut libet, *Alciatus* [3] a litteris litteratis illum quam longissime abfuisse, & tamen non alio insectetur ore, dente mordeat, quam *Grammaticali*. Alciatum vocare Ciceronianum, & ex albo jurisconsultorum expungendum, dicere solitus est clarissimus *Decius*. [4] Ego quid credam, ubi Emblemata video, adnotationes in Tacitum, librum de ponderibus & mensuris ex Galeno, librum illum de magistratibus, annotatiunculas in tres posteriores libros Codicis, libros Prætermissorum, plurima ejusdem farinæ in Dispunctionibus, & in Parergis, multa passim in reliquis operibus suis. Quid credam de aliis, qui scholia in Cæsarem, Commentaria in orationes Ciceronis, similia multa ediderunt?

QUINCT. Quid vero si ea *Alciati* & aliorum non extarent?

ALBER. Sua *Alciato* laus asseritur, & cæteris: non tamen ex illis scriptis censebimus eos jurisconsultos: male *Labeonis*, *Galli*, *Pomponii* & reliquorum exempla intorquent pro verborum cura: nam *de verborum, quæ ad jus pertinent, significatione* isti. In his etiam vel accipiendus est *Quinctilianus*, qui (ut audio) summum jurisconsulti laborem scripsit circa verborum proprietatem esse. Ni ita accipiatur, perperam loquitur, & occupat eum in aliena arte, facitque ex consulto Juris, consultum Grammaticæ. Ceterum ista diutius non examinabo, at *Duarenus* [5] nobis adsit, postquam non diversus abit Notat hic, de quæstione artis Grammaticæ noluisse PAULUM nisi ex relatu proferre. Hic ille PAULUS, qui aliquando male audit in ista lingua Latina; intortus, salebrosus, scaber, obscurus, & propter obscuritatem hanc σκοτεινὸς nominatus; [6]

[1] *Lib.* 2. *obs. cap.* 23. [2] *Alc. Conn. Duar. Aug. Cuja. alii.* [3] *Lib.* 1. *Disp. cab.* 24. [4] *Bod. meth. hist, cap.* 4. [5] *in* §. *Augerius.* [6] *Conn. Zat.*

in jure tamen talis ac tantus, ut *Papiniano* proximus auctoritate numerari videatur in *Codice Theodosiano*, in titulo *de responsis prudentum.* Longum sermonem ingrederer, & emensum rursus iter, si vel ipsos antiquos jurisconsultos narrare volo, qui summi in studio nostro, rudes orationis vixere; si exempla conquiro, quibus ostendam, ut vel nostri legum auctores non semper secuti sint regulas Latinæ dictionis. At vero satis hæc. Puduit *Alciatum* [1] nominis Grammatici, & pluribus in locis ea de re scripsit. Significat etiam alicubi, suorum studiorum rationem non pati, ut ad hujusmodi studia, nescio quæ, descenderet. Cur vero pateretur studium juris? Ecce *Budæus* linguis deditus, & in his cognoscendis impeditus non magnos in jure progressus fecit, & vix aliquo numero inter consultos censetur. [2] Vel PAULI igitur auctoritas hac in re nostram sententiam tueatur, qui ad istos *Priscianos* libenter ibimus, si quando incidat Grammaticum aliquod: forte enim nec inepte in *Pomponium* jocatur BALDUS, dum ait, *Jurisconsultus hic fuit Grammaticus speculativus.* Non inepte se ipsum ridet *Odofredus*, [3] quum dicit, *Grammatizemus aliquantulum.* Et inique minus reprehendit *Azonem*, quod manum posuerit in alienam illam messem, & voluerit esse *magister Grammaticæ.* Ceterum tu legas jam, quæ *Viglius* adversus contradicentes & contra etiam facientes, en, hic scribit.

QUINCT. Lego. *Isti contemptores quantumvis eximie in litteris eruditi, quid queso adferunt, quo nos in jure civili instruant? consule de Urbana vel Rustica servitute, de testamenti jure, de familia herciscunda, vel de qua obligationis perplexa specie, qui illi tandem ad interrogata respondebunt? referent fortasse, quid sit Stillicidium, aut unde dicatur, vel quid Herciscundi vocabulum apud veteres significavit; at hic dicet Ulpianus,* ὐδὲν τῦτο πρὸς ἔπος.

ALBER. Satis. Castigandos quoque dicit hos homines, quod juris magistri, & doctores videri volunt, non tantum studiosi, atque id, quod præcipuum est in jure tenere rejiciunt. Hoc ego indicare volebam heri, & frequenter dicere soleo, & modo etiam dicebamus, in *etymologica* interpretatione novitios interpretes valere plurimum, in *analogica*, quæ propria nostra est, minimum.

QUINCT. Qui verba non tenet, ipse nescio quomodo rem possit

[1] *Lib. 1. Parerg. cap. 18. lib. 3. cap. 7. lib. 5. cap. 18. lib. 9. cap. 13.* [2] *Aug. in præf. ad lib. 2. Em. & cap. 9. lib. 4.* [3] *In l. si quis stipulatus sit. ff. de ver. ob. in l. cognitio de off. ei. in l. 1. ff. de just. & jur.*

tenere:

tenere: & tui illi si in ineptissimis verborum expositionibus sibi placent, quomodo ii non sint cæci & in sensibus legum nostrarum?

ALBER. Diximus ad ista; veruntamen & pauca addo. Visi sunt mei in explicatione multorum verborum errasse, & ego non prorsus diffiteor, nam homines agnosco, quocunque oculos vertam, sed hæc errata vel tot esse, vel tanta, quot, quantave clamitant novitii, omnino facile non admiserim. Scribit *Africanus* [1] intelligi apte oportere, quæ vel apte parum sint scripta. Possunt non pauca erratorum ex hac regula summoveri. Quæ illæ insolentes *Alciati* interpretationes (credo in *Parergis*) [2] ad quædam *Plinii*, ut is auctor recte locutus videatur? quæ in istud argumentum ibi comminiscitur Alciatus? Vel interpres illos meos non intelligunt, vel, quod est verisimilius, malitiose dissimulant: quam multa enim non reprehenderent, si (ut ex trita regula docemur) secundum productas leges verba meorum acciperentur? Subit etiam multorum recordatio, quæ apud *Platonem* notari, audio domi, quod ejus philosophi mentem & industriam calumniatores non attenderent, nudisque tantum verbis insisterent. Totus fallor, ni & *Accursius* aliquando visus est suis flagellatoribus in expositione alicujus vocabuli ineptissimus, quia hi viderint minime quorsum glossarius ille tendat. Ecce, aliquando ad usum nostrorum temporum quid trahit, & ita legis accipit verba, quasi in eo loquatur legis auctor. An verba, an utilitatem explicat? petis exemplum? adi *Baronis* commentaria ad titulum, *quod quisque juris &c.* Furit adversus *Accursium* iste, adversus *Bartolum*, & cæteros; nec patitur verbum *statuerit*, quod ibi positum est, accipi de lege municipali: Sed an vim illius verbi urgent mei, an ex toto edicto inferunt ad alias quæstiones edicti verbis non comprehensas? reliqua non prosequor: Nam sum alias dicturus loco commodiori Si tria hæc retineamus, ad quem, obsecro, deducetur errorum *Accursii* numerus ille infinitus? At nec erunt pauci? at immo pauci in verbis juris; & in aliis aut contumeliam pati non debet, postquam, in aliena arte errare, non detur culpæ, [3] aut ob hoc solum debet, quia extra orbitam suam pedem posuerit.

QUINCT. Visus es concludere, antiquos interpretes tenuisse rem Latinam, intellexisse leges, culpandos non esse si in alienis vocabulis explicandis errarint, si quando etiam in suis.

[1] *l. si servus legatus §. qui margarita ff. de leg. 1.* [2] *lib. 10. cap. 3.* [3] *Arist. in lib. de Poet. Not. in l. 2. ff. quod quis jur.*

ALBER. Illud volui. Tu vero aut hunc fructum percipere potes ex hodierno sermone, quod ad nudos clamores, cachinnos, scurrilitates non permoveberis, si sapis: petes enim in ista controversia rationibus rationes opponi, non risus, vel contumelias, quæ nec argumentis satisfaciunt, nec admittuntur ab ingeniosis, utcunque his artibus stupidi capiantur. Fronti præterea fides nulla: nam qui multi rident, forte rodunt, aut ille risus *Sardonius:* quid etiam si mente laborant, ut *Hippocratem* scripsisse, audio? Sic itaque mei ergo soli loco dejiciendi? Omnes errant; sed qui in vilioribus, illi minus culpandi. Qui optima plurima, vix mala pauca creat, ille est aliis præferendus, qui in pluribus errent, & gravioribus, qui mali plus & incommodi afferant, quam omnino boni, commodive. Illi sunt antiqui, isti sunt recentiores. Illi in verbis, isti in rebus peccant magis. Illi res docent plures, decipiunt in paucis verbis, isti verba dant plura, quam res bonas. Divisa erat olim nostra schola in *Proculianos* & *Cassianos:* divisa & nunc est inter *Accursianos*, ut volunt, & ipsos hosce *Alciateos:* divisa, & dispari sorte divisa; tum enim utrinque jurisconsulti, nunc ab altera parte *jurisconsulti* quidem, sed magis *historiarum*, atque *verborum:* quare suspicor, ut facete, ita etiam vere dictum, sectas istas non oportere vel ab *Accursio*, vel ab *Alciato*, vel a quopiam alio nuncupari, sed usurpandam monachorum distinctionem, dicendosque *Accursianos* Reales, *Nominales* Alciateos. Rebus toti attenti, quod tu prorsus suggerebas, interpretes *Reales*, hallucinantur aliquando in verbis: sed *Pompejus* (inquit ille) majorem dicendi gloriam habuisset, [2] nisi eum majoris gloriæ cupiditas ad bellicas laudes abstraxisset. *Cascelius* illo *Trebatio* dicitur eloquentior fuisse, *Trebatius Cascelio* peritior, [3] tu appone.

QUINCT. Video. Sed ridetur *Thales*, qui, quod ante oculos erat, non vidit, dum cœlum scandit, & sub astra volat. Nam quid?

ALBER. Rideantur & mei aliquando cum unico *Thaletis* casu: at humi repentes quid isti *Nominales?* jusserat Princeps equitatui vias sterni: delicatuli stratores tribulos, lappas, lapillos, modicam aquam, sordes, similia quæque diligentissime tollunt omnia; integra senticeta, sepesque, foveas, grandia saxa, præruptas rupes, vastos gurgites, majora hæc nullo vel digitulo tangunt. Quam afferent facti ineptissimi excusationem? quam afferent rationem isti novitii, qui leviora

1 *Pla. in Gorg.* 2 *Cic. in Bru.* 3 *l. 2. ff. de orig. ju.*

curant,

curant, graviora ne aspiciunt quidem, in quibus & opus, & sudor requiritur maxime. Quid tantum prodest reliquus labor? ad vanam ostentationem, ad auram imperitorum adolescentum captandam, qui plane ignari nobilitatis artis nostræ ad istos commeant, & tum primum a scholis politioribus educti, perlubenter in horum institutis conquiescunt, quoniam a primis hæc non admodum, ne tantillum sentiant esse diversa; aliud proculdubio facturi, si aliqua cognitione majestatis legalis tangerentur, & hasce elegantiolas, & illa oblectamenta præsentiscerent meros Syrenarum cantus esse; ad quos veluti scopulos perdant annos meliores. Quid illa? *Meliorum litterarum inopes, ad nescio quos Accursios, veluti scopulos consenescunt.* Recte scripsit, [1] *Nescio quos*, non est, quod contemptum prætendat: sensit enim prudentissimus *Bodinus* [2] tandem, quæ illa sit hæresis recentiorum, quam & a se removit, & fatetur ingenue in ea se olim vixisse. Sed hæc est tandem horum eruditio, pulchelle jocari in *Accursianos* posse, dicteria, scommata, contumelias, declamatiunculas, & id genus similia cudere; maria & montes minitari ac parturire ex amplissimis suis officinis. Vide quid *Budeus:* filaterias dedit nobis pro *Accursianis* glossis: sic ejus illas adnotationes in *Pandectas* appellat doctissimus *Cagnolus.* Quid Vallenses possint, quid *Politianei* jactabunduli vel ex *Alciati* libro quarto *de verborum significatione* nimium patet. Quid est in theatro sapientum *Muretus?* ipse sentit, dum aut nullus potest esse, aut obscurus admodum *J. C.* ut ut non sit ineptus orator, vel scriptor epistolarum. Sed in *Italia* non docetur jus civile, & eam ob caussam non est ipse ullo in pretio. Illud est, non memineram, & apparet, nam hodie in maxima Orbis terrarum controversia, quæ est de regno *Portugalliæ*, non *Bononienses*, non *Perusini* mei, non *Patavini* jurisconsulti soli (ut audio) consuluntur, sed qui soli Jurisconsulti sunt, professores *Biturigenses*, qui auctores omnes sic devorarunt, ut verbum nullum restet ipsis aut non interpretatum, aut incognitum: quos si *Alexandrius* [3] aliquis modo adiret, tot proculdubio triumphos non reportaret in libros illos *Genialium;* ita scilicet homines acutuli ex insidiis nos invadere solent, & quando *Accursium, Bartolum*, cæterosque vident omnibus in civili sapientia prælucere, se ipsos obscuros & ante oculos suorum esse, verba ista blatterant, blatterant verba; nam aliud dare non possunt, nec aliud sciunt petere. Ego pro *Accursio*, & *glossis* dixi. Adversus

[1] *Sichar. Prat.* & *lib.* 2. *cap.* 10. &c. [2] *In ep. ad Fab. ante lib. de rep.* [3] *Lib.* 1. *Genial. cap.* 25.

versus hosce insolentes homunculos, qui aggredi nos solent *Accursianos*, & verbi alicujus explicationem flagitare, quam ex tempore afferamus, quid dixerim? illud omnino, hominum minus eruditorum hoc, ut videantur tamen eruditissimi. Sed haud prudentes, forte impudentes etiam novi *Gorgiæ*, qui *Alexandro, Alexandreisque* respondent, & primam sapientiæ partem non tenent, quæ est cognitio, aut sensus difficultatum vel in his minimis rebus. At expedit, jam finem dicendi facere.

QUINCT. Non hoc vellem.

ALBER. Quæ igitur habemus alia?

QUINCT. Fero animo iniquissimo, quod novos istos interpretes in toto tuo sermone videris quasi exturbare ab jurisconsultorum gradibus; quia nimii videantur circa verba, & tamen Accursiani ipsi tui nullum non movent lapidem de *Copulis*, *Gerundiis*, *Ablativis absolutis*, *Relativis*, illis particulis, *Nisi*, *De*, *In*, *Ubi*, [1] & similibus, punctis etiam & casuris, integros etiam annos his in tractationibus consumunt.

ALBER. Agnosco verba: sed prostant commentaria meorum, quæ tantam, tamque manifestam calumniam detegunt. Isti puro de fonte (ipsi sibi dicunt) veri sacerdotes juris? his dabimus nos (ut petunt) recoquendos ac dedocendos? Factum pessime, quod ante quadraginta annos nullus erat *Cujacius;* nec enim ad istam recoctionem transiisset alpes *Corasius*, & in Italiam. Sed an mei de illis vocibus Grammatice disserunt, quod faciunt novitii, vel ad consultorum exemplum, aut ex loquentium mente, aut ex legum decisionibus & sensibus? hæc est perpetua differentia inter antiquos, & novos interpretes, quod illi lege quæque confirmant, isti auctoritate *Phormionis*, *Getæ*, *Litoni*, *Pythodici*, similium sua stabiliunt, nec possunt sui etiam diffiteri: illi, ut ne pilum [2] quidem habeant sapientiæ juris; isti vel anima sint, Sol, Luna, Stellæ, & luminaria universi firmamenti. Ita est; non tamen ego hos tuos interpretes vel loco movere cogito: qui enim ego? aperte dico sententiam meam, *pro veteribus interpretibus potius*, *quam contra novos:* at vides, leges comparationis, & defensionis quales sint.

QUINCT. Et concludis tandem pro veteribus etiam in hoc ipso Latinæ linguæ cognoscendæ argumento?

ALBER. Audisti. Veteres in analogica interpretatione præstant, novis in etymologica palmam defero. Habeant. Qui meliores? quibus carendum potius? Pro novitiis adessent nobis *Victorius*, *Manutius*,

1 *Cujac. lib. 13. Obs. cap. 27.* 2 *Cont. in prin. præf. ante Pand. Alii. dicit Cujacius.*

Sigoni-

Sigonius, Muretus, Turnebus, innumeri tales, ex quorum libris & antiquitates rerum, & vocabulorum quorundam reconditorum habere ad satietatem possumus omnem elucidationem; ut nihil tantis jurisconsultis sit opus. Addo, quæ a novitiis habemus, assequi possunt omnes longa auctorum lectione: quæ ab antiquis sunt, ab ipsis sunt, aliunde habere nequimus, nisi si acutissimi vel nos simus, qui eadem excogitare valeamus, quæ nostro summo bono in veterum commentariis scripta prostant, & erudire nos queunt ac informare ad omnem de cetero sapientiam. Laboriosum recentiorum opus, antiquorum subtile & doctum. Esto igitur cum antiquis, novos invisas. Ab antiquis, meo consilio, ne discesseris unquam, nisi si videas aliquid exigi ad id, quod habes præ manibus, ex studiis elegantioribus. Hoc est meum institutum, ad *Alciatum, Augustinum, Hottomannum, Wesembecium*, similes accurro, si verbi alicujus intelligendi se se offerat occasio; ea in re *Accursio* plane non fido: ab isto alias, *Bartolo, Baldo, Alexandro, Jasone, Decio*, nec unguem abeo. Iterum dico, & ad finem propero. Accuset me vel stultitiæ omniscius HENGENDORPHINUS.[1] Linguam Latinam, *Quincte*, debemus eo usque cognoscere, quousque communiter omnes, qui Latinos libros legere debent; ut scilicet omnia intelligamus, quæ communi sermone sunt scripta: sic, ut ego nunc intelligere possum *Celsum* medicum, medicus ut potest, quæ in *Pandectis* scripta sunt, ut *Politicus* Physica, ut *Physicus* Politica, ut *Poeta* Oratores, ut isti *Poetas*, ut possunt *Theologica* alii, alia Theologi, ita omnes linguam Latinam. Memini ex *Platone*[2] relatum, ea necessario cognosci oportere, quibus ignoratis, homo vecors est & stolidus. Tantum in lingua Latina cognosci oportet, quantum si quis ignoret, is sit homo vecors & stolidus: nam ut subtiliorem plenioremve cognitionem cuiquam, nisi Grammatico demandem, retinent illa me, quæ heri de non confundendis disciplinis dicebamus, quæque latius sunt isto die examinata pro antiquis interpretibus nostris, quos ignaros volunt novitii litterarum humaniorum, & tamen sunt illi cunctis recentioribus majores in studio hoc juris, quod quærimus; plus in sublimibus civilis Philosophiæ scientiis in minima suorum ingeniorum particula justæ eruditionis habuerunt, quam si terra *Vallis*, velut cyniphibus Ægyptiis repleretur, inquiebat pro *Accursio Zasius*. Accipe pro corollario, quod & damna creari civili prudentiæ possunt, si quis quid firmet in ipsa ex hujusmodi scriptoribus aliis, & minus recte concludi. Ostendit Paulus *ad l. 1. ff. de contr. empt.* quod tu poteris ex

[1] *Cap. 2. Tyrocin. jur.* [2] *lib. 7. de legib.*

ipſo legere: Nam Sabini ſententia, Homericis carminibus firmata, non tenetur, & verior eſt contraria Nervæ & Proculi, vel naturali ratione conſtabilita: ut verior etiam fuit de cenotaphio contra Virgilium, & Marcianum; quæ,& alia ab *Alciato* [1] obſervata leguntur in operibus ſuis.

QUINCT. Dicunt, ab *Alciato* [2] Virgilium defendi contra tuum Accurſium, qui illud voluit, a J. C. poetam refutari.

ALBER. Et ſane refutatur: Alciatus autem (ſi recte memini) arguit potius juriſconſultum, quod Virgilium minime intellexerit.

QUINCT At tu uteris Alciati auctoritate ſemper, quid igitur Alciato [3] non auſcultas, ſi dixerit, multa etiam eſſe in jure civili, quæ ſine cognitione ſtudiorum humanitatis percipi non poſſint?

ALBER. Quoniam id verum non deprehendi, vel tum, quando ſtudia illa maxime neceſſaria aſſerebat.

ALBERICI GENTILIS
DE
JURIS INTERPRETIBUS DIALOGUS TERTIUS.
CATO.
COLLOCUTORES.
ALBERICUS. QUINCTUS.

Quæſtio agitatur, an græcæ litteraturæ peritia in Interprete conſultore juris requiratur? *An Accurſius græcam linguam calluerit? De translatore Novellarum & græcarum legum in Pandectis & Codice occurrentium: De ſtudio multarum linguarum. An antiqui JCti calluerint græcam linguam.*

ALBERICUS.

M. CATO princeps Portiæ familiæ, J. C. omnium ætatis ſuæ peritiſſimus, has Græcas litteras ſenex admodum didicit. Neſcio an tu credas, optimum Juriſconſultum antea non fuiſſe. [4]

QUINCT. Melior forte poſtquam didicit. Sed nolim de CATONE contendi: nam leges omnes Latine ſcriptas, nullas, ut puto, Græce habebant. Hodie & integra ſunt volumina Græcarum legum, & multa Græca paſſim in toto jure.

ALBER. Quid vero? aut non interpretati ſunt, aut ineptiſſime mei? eo enim, opinor, te contendere. Quid ſi darem? an igitur nec in Latinis boni interpretes? Latina ſunt pleraque omnia: quæ nunc

[1] *Lib. 9. Parerg. cap. 17.* [2] *lib. 10. Parerg. cap. 12.* [3] *Alc. in ep. ante lib. Prat.*
[4] *l. 2. ff. de orig. jur. Cic. in Luc. & lib. 1. de Orat.*

valent,

valent, Latina ferme omnia. Quid enim magnus Novellarum numerus? quid plurimæ constitutiones posteriorum librorum Codicis, in quibus Græca innumera? Recte censuit TAURELLUS, [1] antiquos interpretes nihil magnopere ad ejusmodi explicanda tractasse, quod supervacuum & inane crediderint in id incumbere, quod nullius fere compendii futurum esset.

QUINCT. Docetis igitur, quæ ad opes congerendas, non ad veram, & solidam eruditionem comparandam, usui sunt futura?

ALBER. Quum ego tot demo ab interprete juris & consulto extraneas disciplinas, & linguæ hujus cognitionem modo, illud cogito, ut constet nobis optimus & interpres, & consultus juris, quo utimur, non etiam quo utebantur Romani Romæ, Constantinopolive, & receptum haudquaquam est in præsentia: nam hoc esset, historiam potius, quam jus callere. Insimulent itaque avaritiæ nos viri isti religiosi, ipsi jus nostrum non docent, nos docemus quod nostris temporibus moderandis est aptum. Hæc aliter se non habent: at habeant etiam. Quid si permitterem, ibi non legendos Accursianos interpretes, ubi quid debet ex Græcia sumi? quid si amandarem studiosos ad istos Græcoconsultos? facio perlibenter. Si quis Græcorum, quæ dispersa inter leges sunt, genuinam interpretationem cupit, is ab *Azone*, *Accursio*, cæterisque glossographis ad *Alciatum*, *Budeum*, novitios istos transfugiat: cum his serio quisque Græcabitur. At vide, in tantum ego non dixerim, bonos Jurisconsultos & interpretes *Azonem & Accursium* non esse, ut imo statim hæc. Edoctus *Græcationem* ab istis Græcissimis, si quis cupit præterea legalia cognoscere, is ab eisdem novitiis, Græco consultissimis ad *Accursium*, similesque consultissimos juris refugiant ilico, penes quos est reliqua omnis, & hæc vera juris sapientia.

QUINCT. Qui ullam, amabo, legem recte interpretari potuerint illi tui, in qua Græce quid scriptum sit? nam tu id videris asserere, dum permittis, ut Græcas voces non intellexerint, & affirmas tamen, intellexisse legem, ac recte etiam explicasse. Ista non videntur stare simul posse, ut legis sensus habeatur, & omnia ejus verba non teneantur. Notavi, animadversum quandoque ab Alciato, [2] leges esse, quæ quoniam absque Græcarum vocum descriptione vulgatæ fuerint, nec intelligi potuisse: idem opinor, si vel depravata Græca, vel male habeamus interpretata; cum, quid intersit, non videam.

ALBER. Dixi, quid si ubi sunt Græca, Accursianis non staremus?

[1] *In lib. de mil. ex casu.* [2] *Lib. 2. Dispunc. cap. 15.*

ſtabimus in quatuor Inſtitutionum libris, in quinquaginta Digeſtorum, in novem prioribus Codicis, & in tribus reliquis etiam, ſecundum maximam partem. Quanta illa ſunt in Inſtitutionibus, Digeſtis, Codice? qualia ſunt? pluries & ſine illis admixtis Græcis legis ſententia conſtat, ut multis in locis oſtendere promptum eſt; ex quibus etiamſi vel tollantur penitus Græca verba, ipſi ſint tamen integri, atque perſpicui. Notat vel *Accurſius* [1] quandoque, & veriſſimum dicit.

QUINCT. Et cæcus judicat de coloribus.

ALBER. Ne tu cum iſtis maledicis: nam & dixerim, plane rudem non fuiſſe ACCURSIUM Græcæ litteraturæ.

QUINCT. Opinor, nam & *Latiniſſimum* docuiſti.

ALBER. Nihil docui, quod probatum non maneat, quandiu juſta non refutetur oratione.

QUINCT. At quid, etiam hanc linguam Accurſio notam? an ſuo probabis teſtimonio, qui dicere ſolitus eſt. [2] *Hæ ſunt litteræ, quæ legi non poſſunt*, quum videlicet in Græca incidit; *Græcum eſt*, non *poteſt legi.* Stultas interpretationes pene infinitas quid recenſeam, quas ajunt, *Alciatum* & alios detexiſſe. Omnino perridiculum eſt, quum Græca, quæ ſunt, exponit ille tuus tanquam Latina.

ALBER. Ego Accurſii gloſſemata omnia non legi: an ea verba ullibi ſint ignoro; credo tamen non eſſe uſpiam; & ALCIATUS [3] haud bona fide agit in ſuo riſu: vel inepta Accurſii interpretamenta ſuas habent excuſationes.

QUINCT. In proverbium abiit illud, *Græcum eſt, non poteſt legi*; illud perſonant *Bartolorum & Baldorum* ſcholæ.

ALBER. Scio, ita vel decantari: ſed præclari buccinatores exiſtimationi ſuæ conſulerent magis, ſi ſexcentis Italis & in re Latina non anteponerent homines ea in re obſcuriſſimos, & conſiſtentes intra ſuos cancellos verecundiam magis amplexarentur. Ubi ea verba apud Accurſium? vereor, ut iſta fabula falſa ſit: nam & de *Baldo* fabula in ore vulgi; & impudentiſſimum mendacium detectum eſt apologia præceptoris mei *Lancellotti*. Si iſti Græculi proferent, quod legiſſe me aliquando, recordor, ad titulum Digeſtorum *de judiciis*, [4] videant, ne inſipientiam ſuam ilico prodant. Eſt gloſſema anonymum ibi, ſi memini, tale, *ſequitur Græcum, quod intelligi non poteſt.* Attende, incertum gloſſema: adde, quod verba hæc ultima non reperi ego in vetuſto ma-

[1] *In l. 65. §. pen. ff. de leg. 3.* [2] *Sich. in præf. ad Cod. Theod.* [3] *Alc. cap. 10. lib. 2. Diſpunct.* [4] *l. 19. heres. §. proinde.*

nuſcri-

nuſcripto Collegii *omnium animarum Oxoniæ;* forte nec in aliis erit: quare ſuſpicer ab odioſis hominibus ſuperinducta, an veriſimile non eſt? multa etiam in omnibus omnium diſciplinarum libris inſerta ſunt ſemper. Addita & *Bartolo* ſunt, integræ commentationes, volumina integra & aliis, & noſtratibus his ſunt appoſita, affiĉta ſunt; & nihil certius novimus. Si multa & in ipſum legum contextum irrepſere, quid non plurima in gloſſas? his non factas additiones, nemo dubitare poteſt, quandoquidem qui mox ab Accurſii ætate vixerunt, hoc notent. Scribitur expreſſe de FRANCISCO [1] filio, quod ipſe paternis gloſſis quædam addiderit. Quid ſi *Cervotina* gloſſa hæc ſit, de qua dicitur? non paucas tales *Accurſio* adjunctas, conſtat ex antiquioribus noſtris interpretibus. [2] Stultæ illæ ſunt vel proverbiali nota, nemini probatæ. Ait ad rem maxime AUGUSTINUS [3] de aliqua gloſſa. *Quæ verba, cum mihi tanto viro digna non viderentur, inveni aut falſo eſſe Accurſio adſcripta, aut non ita ſcribenda eſſe.* Nec enim aliter ſolent homines candidioris ingenii. Quid referam depravatum ita locum [4] ad titulum *De verborum obligationibus*, ab *Alciato* [5] reſtitutum, ut qui legit, nec ridet, ſit prorſus aut *Socrates*, aut *Craſſus*, aut ſimilis aliquis?

QUINCT. Unum diſplicet, quod videris *Accurſii* gloſſemata negare, ſi nomen Accurſii non ſit adſcriptum: audivi enim vel plerunque id factum eſſe.

ALBER. Illud otioſi hominis fuerit numerare. Ego quidem anonyma non inficior *Accurſii* eſſe, ſed non dabo etiam inepta. An hæc dixiſſet *Accurſius?* ubi igitur indefeſſa illa ſua diligentia, & improbus ille labor, *Auguſtino* tantopere commendatus? [6] quid ad alios non iſſet, qui declararent, ſi ipſe non intelligebat? [7] adiit & Chaldaicos, ut ut velint aliqui, illuſum ſibi. Sed gloſſema iſtud Accurſii ſit. Accurſio, & ejus temporis ſcriptoribus non obtigere niſi depravatiſſimi libri, & maxime in Græcis, quod *Alciatus, Auguſtinus*, certa ipſamet docet veritas: ut non ſit opus multa, nec etiam ulla, teſtimonia corrogare. Hunc autem locum, quis non dixerit, fuiſſe depravatiſſimum? recordor plane. Inquit *Ulpianus: Ubi ſic venit, ut confeſtim diſcedat, quaſi a viatore emptis, vel ab eo, qui transvehebatur, vel eo, qui* παράπλει *i.e.* Præternavigabat, *emit, duriſſi-*

[1] *Cy. Bart. Cotta.* [2] *Alb. Ang.* [3] *Lib. 2. Emend. cap. 5.* [4] *In l. 38. §. 16. in verb. incertam.* [5] *Alc. cap. 16. lib. 4. Parerg.* [6] *In præf. ad. lib. 2. Emd.* [7] *In rub. ſol. ma.*

mum &c. ad verbum, *a viatore*, ait glossographus, *hic sequitur Græcum, usque ibi*, durissimum &c. illa igitur præcedentia, inde, *emptis &c.* vel sublata omnia, vel confusa, intermixtaque Græcis erant proculdubio. quomodo igitur interpretaretur? exclamat ille, *Locus depravatus: rex esto, qui explicabit.* Apollinis fidem implorat aliquando omni arte divinandi destitutus, quam nunquam *Accursius* professus est. An expers Græci sermonis? sed expers erit etiam POLITIANUS, de quo non absimilia istis Accursianis prodidit AUGUSTINUS, [1] & hic quoque expers, postquam & ipse de se quid tale comminiscitur; expertes erunt cum Accursio alii multi, multi Latinissimi Latinarum literarum ex eadem ratione, si ea valet adversus *Accursium* ratio. Fassus sum, minus peritum videri istum in Græcis litteris, sed nollem, quod vel librariorum, vel aliorum culpa factum est, totum in ipsum transfundi. Desinant igitur maledicere: nam si Græcam linguam non calluisset Accursius, nulla verba Græca proculdubio esset interpretatus; & tamen interpretatus est recte multa; quædam etiam rectius, quam fecerint isti ipsi Græcatores, ni male collegi, dum in hujusmodi incidebam anxias novitiorum curas: non quod hac in re quidquam ex Græcia ego possim, sed quod ita periti Græci, etiam consulti observarunt, & verissimum visum est mihi ex rerum analogia, quæ una est certa interpretatio. Ubi translatio aderat Accursio, eam iste sequebatur: ubi deficiebat interpres ille vetus, ipse Accursius interpretabatur: ubi errat, ibi nihil dicere potest, inspice, corrupta ferme omnia sunt, & depravata: quare soleo ego hoc texere argumentum. *Qui recte recta interpretatur, bonus est interpres. Si igitur, quæ corrupta non sunt, apte Accursius explicat, quid is non erit bonus interpres?* Inique reprehendetur, & minus sapienter, si clamitabitur, eum debuisse, emendationibus illarum vocum studere, & restitutioni meliorum: nam unde facultas, si voluisset quam maxime? boni libri jacebant toti in tenebris, & squalore. ALCIATUS, AUGUSTINUS, VIGLIUS, alii peccata temporum volunt, & sunt, non eorum interpretum. Isti recentiores, dispunctores, emendatores, critici sua pleraque unde habent? hi ipsi nostrates unde? ex libris non admodum nuper emersis, ex FLORENTINIS PANDECTIS: erant olim istæ (ignoscat novitius, qui mallet, *isti*) *Pisanæ*, [2] magis, ut reor, clusæ Florentinis, quam *Florentinæ* post cæteris fuerint, inter earum civitatum & bella, & capitales inimicitias. GINUS CAPONIUS, magna ex familia

[1] *Lib. 1. cap. 1. Emend. & lib. sing. ad Mod. car. 264.* [2] *Greg. de jurar. cap. 9.*

vir

vir magnus, [1] *anno sexto & quadringentesimo supra millesimum* Pisis in potestatem redactis, & illum thesaurum in patriam retulit. ACCURSIUS vero ante ducentos ferme annos moriebatur; & nec Pandectas vidit, ni decipit nos *Castrensis*, qui tantum attestatur, aut memoria vehementer fallor: diluit autem AUGUSTINUS [2] nescio quid in isto argumento, quod, visos hos libros *Accursio*, palam quasi poterat commonstrare. Ita est Et emendat etiam locos innumeros *Accursius*, ut passim legere est in *Augustino*, cæterisque; & ex his quoque, quæ habebat integra, conjecturam ducebat, quid reliqua possent ad veram sapientiam juris civilis, ut nec curarit, quod dixi: forte etiam prævidit, hos fore, qui in hoc scriptionis genere debuerint maxime occupari, in [3] eo lumen ingenii quærere, acumen jactare, lauream petere. Bonus scilicet vir noluit & hanc partem istis præripere, ut aliam fecit cum suis omnibus, quæ sapientiæ est propria. At nimis multa hoc in argumento. Dixi ab *Alciato* factum recte minus, quod *Accursium* etiam cachinnis traduxerit, quoniam hic non interpretatur Græca pro Latinis, sed Latina, quæ habebat: non enim illa Græca πρὸς ἔπος habuit. Memini, ita scribit, *hic debet esse quoddam Græcum, cujus expositionem statim ponit.* Quid iniquius? an habuit Græca verba *Accursius?* an Græca accipit pro Latinis? ait, *hic debet esse quoddam Græcum.* Ergo non erat. Ait, *cujus expositionem statim ponit.* Versionem igitur Græcorum cognoscit, nullo modo fallitur. Illa verba Latina, *pro se poscit*, sunt in contextu, *Accursii* non sunt, glossemati etiam adscriptum non est nomen Accursii, si plurima me non fallunt exemplaria. Quid ibi fecissent isti Græcoconsulti sagacissimi? Et ita persuasum est mihi, rudem non fuisse Accursium Græcarum litterarum, ut isti volunt. Scio, ab *Alciato*, aliisque insulsissima notari contra illum hominem, in quibus omnibus privatim immorari, longissimum esset; & quæ hucusque diximus, possunt certe quamplurimis, forte reliquis, satisfacere.

QUINCT. De aliis vero quid sentis? *Bartolus, Baldus*, cæteri an cognoverunt linguam Græcam?

ALBER. Non dispicio, etsi vel Hebraicam tentarit *Bartolus.* Sed attende, quod, ut glossatori videri necessaria poterat ista litteratura, ita nulla prorsus bona ratione in his desideratur, qui commentaria scribunt, ut scripsere nostri.

QUINCT. Qui tam varie?

[1] *Taur. in ep. ad Cosm.* [2] *In l. 1. ff. de reb. cred. lib. 1. Emend. cap. 3.*
[3] *Hot. in praef. ad 4. lib. obs.*

ALBER.

ALBER. GLOSSA est secretioris linguæ interpretatio, & vocum minus usitatarum. Præstet igitur glossator, oportet, quod ex nomine pollicetur. *Bartolus*, *Baldus*, alii, qui commentarios fecerunt, primam illam partem relinquentes, sensa, sententias, usum, similia tractant. Quid hic Grammatica interpretatio? quid glossaria? loquuntur isti egressis jam prima illa rudimenta. Video te non assentiri his, quæ dico, & capite nutari; nec equidem valde admiror: nam speciosissima isthæc, & jucundissima novitiorum ratio, non modicum, sed potest multum ad teneras adolescentum animas devinciendas, confidentes, ambitiosas, delicatas; & certe, si mentem tuam occupavit, quod videre videor, quam facile poterit evelli, non sentio: verissimum enim est, & generaliter, quod falsæ opiniones, quorum animos occupant, surdos ac cæcos reddunt, ut nec audire, nec videre possint, quæ alii omnes tum audiunt, tum etiam vident.

QUINCT. Immo ego imperitum posthac nunquam dixero *Accursium* tuum Græcæ litteraturæ.

ALBER. Age, illa non urgeamus, eo revertor, dico bonum jurisconsultum *Accursium*, *Bartolum*, *& hujusmodi, etiamsi isti non cognovissent Græcam linguam. Quid enim Avicenna*, *Averroes*, *Thomas*, *summus medicus*, *philosophus*, *philosophotheologus*, *& duo illi Arabicum vix patrium sermonem tenebant*, *Thomas* (ut visus sum audire) *nec Græcum*, *nec alium*, *sed vix Latinum?* quid hac ætate *Paracelsus:* miraculum non suis solum, sed & quibusdam nostris; ille etiam *Professor Ferrariensis* adjungit sapientibus antiquis, *Thaleti*, *Pythagoræ*, *Heraclito*, *cæteris*. *Qui Paracelsus?* [1] Helvetice loqui poterat, non aliter. Quid alios memorem?

QUINCT. Tua ratiocinatio non est alia ab ea, quam pro brevioris staturæ hominibus his diebus adolescens ille disertissimus in comitiis tractabat *Oxoniæ*, hos scilicet sapientiores, nam & *Ulisses*, & alii sapientissimi pusillo corpore. Quid tu diversum? ignari Græcæ linguæ ipsi sunt doctiores, nam CATO, *Accursius*, *Bartolus*, *Avicenna*, *Averroes*, *Thomas*, *Paracelsus* viri summi in suis artibus sine ista Græca litteratura. An non lepide, & docte antagonista? optimus imperator, qui luscus; nam *Philippus*, *Antigonus*, *Sertorius*, *Annibal* lusci optimi imperatores. Quidni idem de similibus, corpore aut animo vitiosis, si tales magni aliqui viri fuere? dixit de spuriis, cæteris-

1 *Patrici. lib. 1. tom. 3. disc. Perip.*

que

que copiose, & ostendit, ad rem tale argumentum non facere pro hominibus parvis, ut nec tuum faciat pro ignaris Græci sermonis: sunt enim istæ deprecationes potius, quam boni facti assertiones.

ALBER. Placuit audire. Sed ego ita argumentor. *Si ignorantia totius Græciæ non prohibuit, quo minus illi maximi evaserint, nec nos quidem prohibebit.* Oxoniensium non erat eadem disputatio, tametsi similis admodum. Jam igitur, an excutiuntur ii e doctorum manibus? an stulti appellantur, inepti, pessimi interpretes, magistrive? Miratur alicubi DUARENUS, [1] quod Medicis, Philosophis, & Theologis resipiscentibus, nos etiamnum insanire velimus. Sed nec Theologi, nec Medici, nec Philosophi abjecerunt e manibus illos viros, quos indies magis adeunt ad doctrinam sibi comparandam, cætera, si quæ volunt, aliunde petituri. Quid non idem nos? Vide, quantum sit horum hominum ingenium: volunt erudiri jurisprudentia; fugiunt ab *Accursio* & aliis, quoniam Græcas nescivevint litteras. Habes a *Viglio* nescio quid in istud argumentum. Legere potes interim. Ecce.

QUINCT. Hic est. *Quidam, si semel Accursium, aut Bartolum laudaveris, confestim totum librum abjiciunt: haud mehercule intelligentes quantum ad veram jurisprudentiam auctores illi quantumvis barbari conferant: demus enim eos linguarum, & bonarum litterarum rudes, atque imperitos fuisse, quanquam id seculi magis ipsius, quam suo vitio accidit, in rebus tamen civilibus, judicialibusque controversiis mire exercitati, experti, atque edocti fuerunt.* Recte pro istis *Viglius.* Sed novitii ratiocinantur in contrarium, ut quoniam *Accursiani* linguas non tenuerint, nec boni fuerint juris interpretes, quia passim multa Græca in legibus nostris (ut dixi) integræ leges, volumina integra.

ALBER. Sed & dicebam tibi, plerasque leges stare posse sine intermistis Græcis; sed & illud, legeres meos hosce interpretes saltem, ubi non sunt Græca, nec flagellares, aut non flagellarent ubique.

QUINCT. Putas igitur, bonum hodie jurisconsultum esse posse, & bonum juris interpretem, qui litteras Græcas non teneat? Si enim bonus fuit *Bartolus*, & reliqui analphabiti, erunt & alii.

ALBER. Dixisti. Et miror recentissimorum edicta *Platonica*, qui non admittunt in suas Academias, nisi, qui Græcaturam istam calluerit optime.

QUINCT. Sed, oro, te, *quomodo Novellas, alias leges Græcas intel-*

1 *In orat. pro Bug.*

 lige-

ligemus sine Græcarum litterarum cognitione? vulgatæ translationi non stabimus, opinor.

ALBER. Quid si stabimus?

QUINCT. At ab homine barbaro scripta est, qui nec Latine, nec Græce novit, ut *Alciatus*, ut *Augustinus*, ut alii loquuntur.

ALBER. Hic illud est animadvertendum, *alium videri Novellarum interpretem, illum alium, qui Pandectis inserta in Latinum vertit.*

QUINCT. Credebam unum & eundem esse.

ALBER. Et credi sane potest: nam ODOFREDUS [1] eam, quæ in Digestis est, interpretationem BERGUNTIONI cuidam *Pisano* vindicat (ne opineris, ab *Augustino* nomen hoc in lucem prolatum) & quod alii BULGARO asserunt, nullo pacto admittit, qui ait, BULGARUM non magis linguam Græcam cognovisse, quam ipse fecerit.

QUINCT. Quid tu igitur his modo dabas hujus linguæ cognitionem?

ALBER. An dedi omnibus? Tu nota quanti fecerint istam eruditionem alii; nam ODOFREDUS nec curat, profiteri se totius Græciæ ignorantem. Verum ad translationem. Si BERGUNTIONIS est ea, quæ in Digestis ponitur, BERGUNTIO unus est omnium Græcorum interpres: nam translatio *Novellarum* eidem adscribitur ab omnibus recentioribus, quos vidi, quique examinarunt. Et quantum ego judicare possum ista in re, ejusdem certe est farinæ: recte enim eruditissimus BRISSONIUS [2] ait, præter nudas conjecturas in hoc judicio constituendo nihil adesse, quod *Bulgaro*. vel *Placentino*, vel alii adjudicet illud opus in Pandectis; adstruat *Bulgaro Cujacius* quantum velit; nam quis *Odofredo* non mallet credere, qui mox fere *a Bulgaro* vixit, & hunc, scribit, Græcæ linguæ ignarum? nihil, aut non admodum movet me, si *Bulgari* nomen repererit aliquando *Contius* [3] versioni adscriptum, nam ex *Odofredo*, quidquid istud sit, plane tollitur. Sed in re nullius momenti non subsisto. Idem mihi videtur artifex ex incessu eodem, ex eadem religione, ut ne transversum unguem a verbis Græcis ullibi discessisse dicatur, adque ipsum hoc præstandum, quod nec verba meliora, nec comptiores phrases ille curarit, aliquando etiam retinuerit Græca ipsa vocabula. Sit tamen, quæ in Digestis est, *Bulgari* versio, quod *Accursius* credidit, & *Cujacius*, *Contiusque;* ad rem nostram videamus quid inde: non enim de interprete, sed de ipsa agimus interpretatione. Ais ex

[1] *In l. 2. in fin. ff. de legib.* [2] *In lib. sing. de jur. Connub.* [3] *Ad l. 48. ff. de judic.*

Alciato,

Alciato, & *Augustino*, ab homine barbaro scriptam, eoque, qui nec Græce, nec Latine novit: addo his clarissimum *Donellum*, [1] qui ambiguam, perplexam, vitiosam totam asserit, & quæ caussam errandi præstet. Dixit tamen, ex religione illius interpretis id, quantuluncunque sit, evenire; & ea nimia non est, ut *Augustinus* dicere solet, sed justa: verbum enim verbo reddidit, [2] nihil omisit, nihil addidit, nihil immutavit. Hoc voluit *Justinianus*, hoc voluit ratio, ne pro contextu haberemus paraphrasim, aut pro lege sententiam translatoris: & male *Augustinus* (mea opinione) qui liberius aliquando, & ad mentem potius, quam ad verba, convertit: an enim isto modo non stabit *Augustinus* nobis pro Justiniano? Profecto nescio, quid *Alciatus* sibi velit, *Politianus*, aut *Augustinus*, qui clamitant, *Latini sermonis hominem imperitum*, cum tamen & ipsi quandoque non percipiant plane, translatio ne sit, an sint ipsa Latinissimorum [3] jurisconsultorum verba. At de *Bulgari* etiam & *Placentini* Latinitate heri aliquid præterea. Igitur ad Novellarum translationem, de qua & *Donellus* dicit, si bene rem teneo. Ait *Cujacius*, veterem illum interpretem rejici & aspernari temere ab omnibus; & id iniquo animo ferendum propter hominis eruditionem, elegantiam, religionem. CONTIUS [4] etiam (hi tui sunt primi ordinis) Novellarum veterem interpretem intellexisse jus, notat, melius, quam alius quivis, qui postea in illis vertendis operam impenderit; eam translationem ex Græco exemplari longe fideliori, & integriore prodiisse, quam aut *Scrimgerianam*, aut HALOANDRINAM, quæ a privato homine, propria auctoritate, contaminata est. Elegantior hæc? sed, dum vitat ista barbariem, incidit plerunque in pravam affectationem, eodem teste: ut non injustus fuerit MOLINÆUS, [5] cum scripsit, HALOANDRUM more litteratorum, qui jura degustarunt, parum felicem fuisse in jure interpretando, & audacia cognitionis bonarum litterarum infeliciorem in communi & recepta littera male varianda, & corrigenda. Est vulgata translatio injucunda, ambigua, perplexa, barbara, salebrosa? elegantior est JULIANI epitome? sed illa vera est, est sensus legis. Hæc igitur, & illos oppono auctoritati doctissimi *Donelli*: nam, ut quæstionem eam tractem, in qua verba ista *Donellus* habet, hujus loci non est.

QUINCT. Vides igitur, quam magnæ utilitatis esse possit cognitio Græcæ linguæ; immo, quam magnæ sit necessitatis, postquam illa nobis

[1] *Ad tit. de jurejur. cap.* 13. [2] *Cont. ante tit. de conf. tut.* [3] *Alc. in l.* 20. *C. de decurion.* [4] *Lib.* 8. *obs. cap. ult. in præf. ad Novell.* [5] *In cons. ad lect. l.* 39. *ff. fam. bercisc.*

fontes reserat, & patefacit, nec sinit incertos, & velut suspensos nos stare, dum hujus, vel illius translationem sequi deliberamus. Ait vel hac in re ille. *Præstat, ut tuis potius, quam alienis credas oculis.* [1] Raro versum, dicitur, quod non sit aliquid prætermissum, aut minus commode redditum, & quædam etiam explicari Latine non posse, ut ipsæ voces Græcæ retineantur, quod neque tu non concedis. In his igitur quis erit Græci expers sermonis?

ALBER. Quasi ante *Perionium, Manardum, Leonicenum,* alios cum philosophorum, tum medicorum librorum interpretes, nemo vel philosophus fuerit, vel medicus cum antiquis translationibus. Tales utinam extitissent postea, quum, remisso de studio rerum, consumpserunt omnes in verbis bonam temporis partem, & in hac ipsa Græcatione. Quasi optimi jurisconsulti, imo ne jurisconsulti quidem ulli ante ista *Græculorum* [2] tempora. Quid necessitatem commemoras? re, & nomine Authentica est vetus illa translatio, & a multis annis, semper sub innumeris Principibus, ubique gentium, in omni foro recepta & approbata. Et quid non esset, si de verbo ad verbum, prout in Græco, ita Latina habetur? inepta est. Quid tum postea ad leges? Minus commode intelligi potest? verum a politulis aurium delicatiorum, quid ad unumquodque verbum non Ciceronianum, non tersum, offendunt. Sed an semper ea translatio patitur istas moras? Quid igitur longum tempus in Græca lingua discenda ponemus, ut paucissimos aliquos locos facilius percipiamus? Quid etiam vel ad istos paucos opus est hodie, quando ipsos habemus novitios consultissimos illius linguæ, & hi nobis in istud argumentum noctes diesque toti insudant? [3] Tu præsens eras, cum ex summo quodam auctore narraretur, nec medico, nec aliis scientiis necessariam linguam Græcam, immo, nec utilem, immo etiam esse damnosam, quia scilicet adsint optimi Latini interpretes. Et si medicis inutilis est hæc cognitio, qui & prima & omnia fere habent Græca, quid nobis? Audi novitium. BUDÆUS [4] *non magnos in jure progressus fecit, cognoscenda utriusque linguæ antiquitate impeditus.* Audisti heri cætera, audi eundem illum de se ipso. *In Græca lingua non magnos progressus studiis civilibus impediti fecimus.* Qui igitur proficere velit in lingua Græca, is in jure civili proficiet minus: quique in jure magis cupit proficere, hic in ea lingua faciet minores progressus. Habes utrunque exemplum.

1 *Heng. cap. 2. Tyroc. jur.* 2 *Cont. ep. ad lect. ante Pand.* 3 *Card. de sa. tu. lib. 1. cap. 2.* 4 *Aug. lib. 2. Emend. cap. 1. & lib. sing. ad Modest. in fi.*

QUINCT.

QUINCT. Sed ego illud *Budæi* ſtudium non exigerem, at quale quale, ne cum *Accurſianis*, aut cujus ſunt illæ, ineptiremur ineptiis, & non ſemper deberemus a translatione pendere.

ALBER. Sed quid non pendeamus a recepta translatione, poſt maxime a recognitione *Alciati*, *Auguſtini*, *Contii*, *Cujacii*, id genus ſimilium eo in negotio plane diligentiſſimorum? quid horum eruditione non fruemur, atque laboribus? Nil noſcit, qui non usque ad certum terminum cognoſcit, ſi vera eſt vulgata ſententia, *Nihil & imperfectum æqualia, paria cenſeri.* Non tu vides, quot ab ipſa infantia annos ponimus in cognoſcenda hac Latina, & non cognoſcimus adhuc, non cognoſcunt magni illi viri, qui usque in ſenectutem non minimum operæ in eam rem dare ſolent, at etiam, ſi ſufficit parum cognoſcere (quod non admittunt novitii) quid etiam non debet ſufficere doctiſſimorum translatio accuratiſſima, & multo magis? nos levi, & perfunctoria noſtra eruditione aſſequemur melius? ſed præſtat, ut oculis noſtris credamus potius? immo, ut alienis perſpicacioribus Quid igitur tot aliis artificibus ſtabimus? nudiustertius dictum eſt. Non eſt, *Quincte*, diverſitas interpretationum in vulgaribus vocibus, ſed in reconditis & ſemotis quibusdam; ut ad eas quid niſi ſummi Græci? & id tentabimus, ut infimi conſiſtamus inter jurisconſultos? Age, & hoc, ſpero, notabis, Græciæ noſtræ opes non conſiſtere vel in his voculis, de quibus tantopere anguntur iſti, & de quibus eſſe videntur aliquæ controverſiæ.

QUINCT. Hæc omnia illi fundamento imponis, quod tempus quaſi teratur, ſi juri non vacabimus ſemper: ſed quid aliis artibus non poſſumus citra temporis diſpendium, & huic linguæ vel in ætate prima, quæ proprie facta videtur ad rem iſtam, & apta minus eſt jurisprudentiæ addiſcendæ? quid vel operis quibusdam ſucciſivis, quando a tetrico iſto legum ſtudio & animum reficere par eſt. [1]

ALBER. Scribunt doctiſſimi quique, vel ab ipſa infantia hominem informandum in ea, quam profiteri debet, diſciplina. Juventutem ad ſuas leges vocat *Juſtinianus* noſter. *Celſus*, *Nerva* adoleſcentes; *Papinianus* ille ſummus vix juvenis; alii hujus ætatis (ut retuli) etiam magni Jurisconſulti, etiam adoleſcentes. Loqueris de pueritia? at ſi juvenis animus rerum iſthac varietate onerandus non eſt, qui infirmior pueri? hic tamen phyſicum audirem: ego equidem

1 *Plu. Quinct. Tacit.* §. 1. *Inſt. de juſt. & jur.*

suspicor hebescere aciem ingeniorum teneram sub gemino illo pondere utriusque peregrinæ linguæ addiscendæ, ut tardiora sint postea, & quasi insipida, tantum abest, ut credam, alacriora reddi ad exquisitiores contemplationes. Quid vero de succisivis & recreationis horis? Quæcunque facimus aut relaxandi animi gratia, aut cujusvis alterius caussa, dirigamus omnia ad studium hoc nostrum. Cœpit te lectionis Consultorum satietas, age, adi Cæsares; illos invisas, ubi cum his nequeas esse diutius. Confer te ad hunc, vel illum interpretem; quam multi, quam omnium generum, quam omni gustui propter ipsorum varietatem accommodati?[1] quæris recti, constantis, acerrimi judicii interpretem? en *Bartolus*. Placet videre ingeniosissimum, qui nihil non examinet, qui leges omnes videtur tenuisse? habes *Bartoli* æmulum *Baldum*.[2] Cupis peritum aliquem habere ducem, qui extricet tibi tricas in jure nostro, & veritatem detegat? pater veritatis est *Alexander*,[3] tutissime sub isto duce opinionum symplegadas superabis; rectissime superabis ac solves, non ut alter Gordium nodum. Amas ubertatem, & lucem? ecce tibi *Jason*, cui laudando non *Alciatus*, non *Wesembecius*[4] sibi ipsis videntur satis dixisse, qui multa, & maxima dicunt. Acutissimum audire mavis? audi *Decium*. Mavis elegantissimum? præsto est *Alciatus* cum universa sua factione novitiorum. Nihil de aliis dissero. Quid illa narrem? si breves lecturæ, ita loquamur, gratæ sunt, potes in glossis, & in his etiam recentioribus tibi satisfacere: sin longiores delectant, habes & istas cujuscunque mensuræ. Si fastidis lecturas, an ad responsa, si hæc quoque non sustines, an ad quæstiones, & si ne quæstiones placent, an ad tractatus, quos vocamus, tu ire nequis? Argumenta vero quid dicam? diversitas, & tantus apparatus ciborum nunquam in ullis mensis; ubi vel extinctus appetitus reducitur centies ex ea varietate. Nihil est cur respondeas, eundem cibum esse, ad quem ego te voco, diversimode apparatum: nam mille imo ciborum genera ex una gallinarum carne, mille diversis modis cocta, Regi Galliarum fuerunt apud *Marchionem Montisferrati*.[5] Non potes graviora jurisdictionum, substitutionum, stipulationum, similium ferre? vocant te innumeri alii tituli omni quidem jucunditate plenissimi: cur enim tetricum appellas studium nostrum? certe aliter sentiebat *Tullius*,[6] qui & miram suavita-

[1] *Su. Sc. Jas. Duar. Bello.* [2] *Jas. Suar. Alc.* [3] *Jas. Alc. Bello.* [4] *Wesembec. in orat. de stu. jur. rec. inst.* [5] *Boccac.* [6] *Lib. 1. de orat.*

tem,

tem, delectationemque in eo esse confirmat, si ex aliena persona non loquitur. Tamen hæc remotiora.

QUINCT. Immo (ut mittam alia) ad universum argumentum apposite: quare, & ita ex iis. Si tui Græcam linguam, [1] & alias etiam ..s (tu voluisti aliquando, nec mei prorsus negant) quodam modo ..enuere; nunc vero, nec pueritiæ, nec alia tempora, nec ipsas pateris recreationis horas consumi in istis ediscendis, & temporis jacturam asseris, quidquid in ipsis impenditur, quidquid non datur studio juris, quæro an illi errarint *Accursiani*, aut nos sequemur ipsorum vestigia?

ALBER. Errarunt, si quid subtraxerunt studio juris, nec sunt imitandi.

QUINCT. Subtraxerunt proculdubio, si nec horas succisivas pateris nisi in uno juris studio poni, & alia illi cognoverint.

ALBER. Vel, quæ ad antiquos legum doctores dicta sunt, hic tu repetas velim, vel adhuc paucis his ausculta. Horæ aliquæ studii sunt, aliquæ recreationis & solatii. Aliquæ etiam necessitatibus deputatæ.

QUINCT. An has ultimas dabis, in quibus alias scientias ediscamus? non ne sunt hæ cibi, & somni horæ? quis inter dormiendum, edendumve litteris vacat?

ALBER. Quid ni inter comedendum? *Adrianus* an in prandio jus dicere non poterat? quot præclari, variique sermones de omnibus artibus habiti sunt, & habentur indies dum prandent, dum cœnant viri litterarii? quam multa, quam sublimia vel confinguntur a philosophis in conviviis disputata, ut nos scilicet erudiamur, inter pocula quoque, & lances de litteris agere. An igitur nequibit jurisconsultus delibare quædam, quum sic agitur, ex aliis disciplinis, ut ut mutus sedeat? at illud silentium non ferunt isti loquaculi, nam vel ab aulico timent. Tu tamen omisisti adhuc aliud tempus necessitati datum omnino, & est, quod cum amicis, quod inter alia civilia negotia consumimus. Quæ ego quandoque, extra limites prosiliens Jurisprudentiæ, dico, an putas, aliter me ea cognovisse, quam eruditorum amicorum sermonibus? quid de uno JOANNE BERNARDINO BONIFACIO *Marchione Oritano* dicere possum? nunquam cum ipso sum, *Quincte*, quod non etiam discam pulchra multa,

[1] *Heng. Aug.*

varia

varia multa, multa egregia. Quid de Oxonienſibus meis? vel repertoria mea teſtantur ſatis, quantum ego capiam fructus ex eorum virorum & juvenum colloquiis; nam in illis ego deſcripſi non pauca, quæ, dum minus id ipſi cogitant, diſco tamen & aſſervo ex ſermonibus familiaribus. Et tu non audiſti aliquando a patre de illuſtri præceptore ſuo ARGENTERIO, qui ab uniuscujusque ore ſolebat pendere, ſi forte aliud agendo excidiſſet homini aliquid, quod ipſe diſceret? nam & dicta homuncionum curabat reponi in ſua quædam volumina, ſi quæ audiſſet non inepta. Refert ALCIATUS, [1] ex facto ſui cujusdam villici ſe locum Plauti intellexiſſe, quem non potuerat antea: ſic ſolet uſus quandoque non minus conferre, quam aſſidua lectio. Et profecto, *ſi nullus eſt tam malus liber*, (quod vel in proverbium abiit) *qui aliquid non contineat boni;* cur quæſo hominem ullum credemus eſſe, a quo nequeat boni aliquid prodire? tempus ullum, in quo diſcere non poſſimus? ſummi medici etiam a mulierculis, a brutis animantibus, inter alias occupationes, præclara quæque didicerunt. Noſtri (ut de omnibus non dicam) a ruſticis doctas ſententias edocti, [2] has in libros ſuos, & in legum numerum retulere. [3] Illum beatum, qui velit diſcere; quoniam undique poteſt, & ſemper: CATO enim vel in ipſa curia, dum cogeretur ſenatus, lectioni vacabat ſemper. At, ſi placet, jam tempus eſt, ut in viam revertamur.

QUINCT. Quod videtur.

ALBER. Illud itaque. Aut nihil facere Græca, quæ ſunt in illis libris; aut exemplaria depravata fuiſſe antiquis interpretibus; aut interpretationes eisdem ſtare, quæ ſubſiſtant pleræque omnes; in una etiam vel altera vocula minus commode explicata nullum damnum ſubeſſe.

QUINCT. Hæc ſi oſtendantur, credam, tuos interpretes non malos, & Græcam linguam non eſſe neceſſariam.

ALBER. Ego illa quatuor capita quaſi in me ipſo reciperem, ſed, alios peritos audire, ſatius eſt.

QUINCT. Quid igitur ſupereſt? ſi lingua Græca in interprete noſtro deſideratur, ea in tuis fuit; ſed deſiderari non debet.

ALBER. Hæc volui, exemplis, rationibus, auctoritate. Exemplis adjungamus *Zaſium:* & hic enim celeberrimus J. C. litteras Græcas ignoravit, atque etiam contempſit.

QUINCT. Cur etiam contempſit?

ABER. Quia ſuo ſtudio contentus (*ſuus ait*) hiſce, adoleſcentu-

[1] *Lib. 1. Parerg. cap. 21.* [2] *l. 79. ff. de leg. 3.* [3] *Cic. lib. 3. de fin.*

lisque

lisque tales gloriolas ſtatuiſſet relinquere. [1] Addamus ſive exemplis, ſive rationibus, quod præſtantiſſimi juriſconſulti omnes fere (ſi Aquilios iſtos excipias) hanc pariter contempſere Græculationem: nam ſi *Aretini* exemplo velis, cognitas immo illis litteras Græcas, hic ego contra Græcos regeram tibi argumentum.

QUINCT. Quale illud? certe enim nunc cogitabam, quod interponis de *Aretino:* non poſſe ſcilicet dici ignaros Græcæ hujus litteraturæ tuos *Bartolos* atque *Baldos*, quoniam Græce nihil ſcriptum, nihil Græce tractatum videatur in illorum operibus; etenim Græcum tenuit ſermonem *Aretinus*, & is tamen non magis eſt Græcus, quam reliqui Bartolini.

ALBER. Nec ætas, nec tempora mea admittunt, ut hac de re poſſim ego quidquam certo ſtatuere, ut qui tam multa, tam ingentia meorum interpretum volumina nec legi omnia, nec potui; attamen credo, eſſe ita ut dicis, nihil Græci ſonare, in ſcriptis eorum. Sic igitur. Si illi Græcas litteras cognoverunt, & ſunt omnino nunquam græcati, vel hinc videas tu iſtius cognitionis vanitatem, ut quæ non fuerit aliquando uſui; & recentiorum ambitionem agnoſcas licet, qui quid boni ad nos ferant ex iſta tota ipſorum Græcia prudens lector dijudicet. Quid ſibi volunt, dum ſuis pagellis paſſim Græca aſpergunt? *Accurſianis* ut terrorem incutiant ex illis characteribus? an, ut ſuo *Papiniano* Ciceroni bilem commoveant, & nauſeam excitent? [2] audivi enim ipſe aliquando, quod Græca Latinis admiſceri, non ferat *Cicero*, ſi cauſſa non ſubſit. Retulit etiam (& credo ex *Cardano*) amicus mihi, licere tribus in caſibus, Græca miſcere libris, vel cum Latina non habentur; vel ubi lis eſt in dictione, ſenſu, lectione; vel cum res adeo gravis eſt, ut vereamur, ne quis interpretatione majorem emphaſim addiderit: cæterum in aliis ſi quis faciat, inepta facere ac puerili ambitione, haud dubium eſſe. Quid ranunculi iſti inflati contra *Cardanum*, iterum urgemus auctoritates, an eruditionis hoſtem ignorantiam? ſcilicet analphabitus fuit iſte. An adverſarii *Scaligeri* omnium, credo, linguarum cognitioni invidentem? & id quoque: nam homunciones non videmus paſſim linguarum peritiſſimos. Admitto & in viris doctis iſtam peritiam; ſed indoctos longe plures eſſe cenſeo, qui linguas teneant: *quia fruſtra illud tempus teratur omnino, quod in multis linguis ediſcendis ponitur,*

[1] *Spieg. in lex. jur. in dict. imperator.* [2] *Conn. lib. 7. Con. jur. civi. cap. 3. In act. in calum. lib. de ſubt.*

si ex una licet, res ipsas cognoscere. Addo, quia ita videtur quodam modo & per naturam comparatum, ut qui linguis valeat, rebus non valeat, aut valeat omnino minus: omnes enim alio atque alio propendimus; & ad unam rem magis apti sumus, quam ad alteram. Non discedo longius. *Hortensius* insigni verborum memoria, [1] *Lucullus* rerum fuisse, dicitur: & ego opinor istam cognitionem linguarum esse memoriæ potius, quam judicii; quare *in artibus ediscendis nihil unquam solidi atque perfecti is sentiat, qui sit magna præditus memoria;* raro enim utrunque datum nobis a natura beneficium, & quantum ad hoc ipsum studium juris attinet, vel donata memoria perdi potest, libenterque assentior ego *Alciato*, qui eam extenuari valde ex cogitationibus dixit, quæ circa juris subtilitates versantur. Ecce etenim *Bartolus, Angelus, Fulgosius* [2] aut nulla, aut perquam tenui memoria fuere: opinor & de *Baldo* dici posse; si namque tantillum memoriæ in eo fuisset, nescio quomodo ubique fere contrarius sibi [3] ipsi deprehenderetur, in una & eadem quæstione quandoque decies amplius: isti autem maximi sunt jurisconsulti: ANDREAS SICULUS [4] contra, admirabilis memoriæ vir, sed levia scripta ejus sunt, ineptiarum, & plagiorum plena. Citius deficeret me dies, quam ut exempla hujus argumenti deesse possent. At certe defecit hodiernus.

QUINCT. Non tamen ego te dimitto. Antiqui consulti tenuere istam linguam Græcam: nos quid eorum exempla non sequimur? Tot sunt Græci interpretes; hos ut intelligamus, quid Græco sermoni operam non dabimus? illud prius, quod proximis est conjunctum verbis. Memoria jurisconsultis [5] datur.

ALBER. Recte factum, ut tria hæc paucissimis absolvi possint. *Cicero*, opinor, est, qui de jurisconsultorum memoria tantum scripsit, nobis semper infensus, & tum hoc voluit, laboriosam esse juris scientiam, nullius ingenii; quæ enim illa? *Istam* [6] *oscitantem, & dormitantem sapientiam Scævolarum & aliorum otio concedamus.* Quæ illa de libris *Bruti*, & *Catonis?* quæ alia multa? mitte igitur, hos oratores contra nos producere; quibus & a nostris est sapientissime responsum. [7] Si summa in jurisconsulto requiritur memoria, ea rerum est, quamque (ut ego quidem interpretor) habitum quendam dicemus, ex præcedentibus observationibus, & quandam judicii conformatio-

[1] *Cic. in Lucull.* [2] *In orat. Tic. hab. & in orat. Aven.* [3] *Tiraq. in tract. de jur. prim.* [4] *Alc. lib. 13 Parerg. cap. 16. Suarez. in rep. l. quoniam in prioribus.* [5] *Cic. lib. 1. de orat.* [6] *lib. 2. de orat.* [7] *a Zas. Grib. aliis.*

nem.

nem. Ita *Bartolus* vel maxima pollebat memoria, quia, dum in jure versatur, jus sic observat, & omnes juris sententias, quod, si de jure dicit postea, a juris determinatione non aberrat; ex judicio tamen videatur potius quam ex memoria dicere: nam satis constat, rectas legitimasque ei fuisse sententias, at pro his confirmandis ire solitum ad FRANCISCUM quendam TIGRINUM,[1] qui leges suggereret, & indicaret, ubi probaret *Bartolus*, quod asserebat. Est quidem percommodum, si ad nullos TIGRINOS debemus confugere, sed id non officit Jurisconsultorum luminibus, & illa alia est memoria, quæ debet in jurisconsulto esse. De antiquis consultis quid ais? illi an cognoverunt omnes Græcam linguam? puto, vix de alio potest, quam de MODESTINO, dici: nam quod & alii plures vel verbum, vel sententiam Græcam referant, hoc nullum est argumentum, & nudiustertius explanavi. Sed etiam, antiqui illi cogebantur in Romana monarchia & Græcis hominibus multis jus reddere, & multa Græca erant illis præ manibus quotidie, testamenta, contractus, talia: & nos (quis dubitat?) debemus eas linguas callere, quarum acta, gesta tractare, opus est.

QUINCT. Nescio quid velis. An leges istas Græcas tractare non debemus?

ALBER. Latinæ factæ sunt: interpretes Latini sunt, per quos satis est superque Græcatum. Quantum pertinet ad versiones, liqueat tibi de integritate & fide antiquæ, quod vix in uno aut altero ad universum tractatum tutelarum mutavit illam legitime (non dico etiam delicate) *Augustinus*, qui totus tamen in illud incubuit, ut barbarum, & imperitum doceret eum interpretem fuisse: liqueat in argumento *Novellarum* ex recitato testimonio *Contii*,[2] qui diligentiam in ea inquisitione posuit suam, quique scribit, veteris translationis auctoritatem illibatam servandam, postquam ille interpres intellexerit jus nostrum melius, quam aut *Haloander*, aut alius quivis, qui postea illo in studio impenderit operam. De glossis dixi.

QUINCT. Cur non etiam factum satis reliquis prudentiæ civilis partibus, & nos in illorum laboribus acquiescimus otiosi?

ALBER. Quia vel nunquam philosophabitur satis,[3] & quæque docebuntur omnia, hæc erunt semper pars minima eorum, quæ ignorantiæ tenebris contegentur.

1 *In vita Bar. & Jov. in ico.* 2 *In ep. dedic. ante Nov.* 3 *Arist.*

QUINCT. Restat de *interpretibus Græcis*.

ALBER. Copia laboramus, ut non sit, cur in Græciam pro aliis interpretibus navigemus. Quales etiam illi? vel ipsorum recentiorum judicio, modicæ [1] admodum eruditionis, imo imperiti, & nugatores. Illud proculdubio, verum est, Latinos esse meliores; & Latinis & Græcis omnibus *Accursium* anteponit *Cujacius;* [2] ex Augustino de Bartolo narravimus, deque aliis ex aliis. Ego adversus illos Græcos conjecturam duco ab his, quæ isti Græcatores ex ipsorum proferunt libris, quæ nihili plane videri possunt. Jam habes omnia. Græci isti consultissimi, si dissentiunt, procedant, agant, rem cum analphabito committant, quam de jure volunt quæstionem disputandam, determinandam, proponant: Sentient quid commodi ex Græcia sibi, quid adversariis incommodi creari possit. Proferent ipsi ex thesauro *Stephani*, credo, arma depicta terrificis delineamentis, quid ni aliud sunt voces & nomina? expedient hostes Græciæ argumenta, rationes. Unde? dabit illa artium propria analogica interpretatio. *Sint itaque Græcæ litteræ emolumento Grammaticis, illustribus viris ornamento, in medicis ille, nos in jurisconsulto despicimus.*

ALBERICI GENTILIS
DE
JURIS INTERPRETIBUS DIALOGUS QUARTUS.
TREBATIUS.
COLLOCUTORES.
QUINCTUS. ALBERICUS.

Ventilatur quæstio, an Dialectices studium JCto sit necessarium. *Recensentur varia exempla, quod crassius sæpenumero jurisconsulti suas explicaverint definitiones: quod in suis divisionibus non observaverint præcepta dialectica. De multitudine rationum absque necessitate adductarum. An JCtus artem declamatoriam callere debeat? Autoritas Responsorum: juris. Quæstiones apud Jureconsultos de lana caprina, nec non de Glossatorum sophismatibus.*

[1] *Donel. in rub. ff. de cond. Trit.* [2] *Lib. 3. obs. cap. 2.*

QUINCT.

QUINCTUS.

Audiam te hodie, tuamque sententiam de STUDIIS DIALECTICIS: & ut cito audiam, non oppono, quæ innumera scripta sunt in hujus scientiæ laudem, quod utilis, quod necessaria sit & omnibus, & juris interpreti, consultove.

ALBER. Credis igitur, dicturum me contra ista studia?

QUINCT. Plane credo.

ALBER. Et recte quidem. Scio autem, & veteres illos legum auctores in his artibus versatos videri, meos etiam, quos laudo interpretes, in iisdem rudes penitus non fuisse; & multa audio pro *Dialectices* utilitate ac necessitate prædicari: sed didici adhuc puer ista ALCIATI verba, quibus indies magis fidem accommodo.[1] *Optimus erat legum interpres* TREBATIUS, *etiam priusquam M. Tullius Topica ejus nomini dicaret: qui enim judicio naturali lepram a lepra (ut vulgo dicitur) discernere nequit, is legibus nostris addictus olei & somni jacturam facit. Spectant hujusmodi ad Dialecticos, quorum ars in contentione verborum consistit: jurisconsultum vero id solum decet; ut rationes legis consideret: ubi ratio dissimilis est, ibi argumentum esse inefficax sciat; ubi similitudo rationis adest, etiam si alioquin, res diversissimæ sint, tamen ab una ad aliam procedemus. Ex similitudine igitur rationis legum scientia porro extendenda est: locorum, argumentorumve sedibus hisce, qui se Logicos dicunt, derelictis.* ALCIATUM frequentius appello, & urgeo dicta sua, quod mihi cum discipulis suis res esse videtur, ut nequeant illum ceu ex *Accursianis* unum aspernari: Ecce enim dicit eum CORASIUS[2] virum eruditissimum, doctissimum, emunctæ naris. Singulare illius ingenium ingeniosissimus agnoscit HOTTOMANUS.[3] DUARENUS quid eidem non tribuit in sua quadam oratione, in suis libris *Disputationum anniversariarum*, alibi? cum litteris maxime judicium, & prudentiam. Etiam CUJACIUS[4] virum memoria sempiterna dignum nuncupare potest Alciatum. Nihil opus est appellare *Taurellos*, *Bellonos*, *Augustinos*, *Viglios*, qui aut majora illi homini, aut eadem deferunt. Ego igitur tanti jurisconsulti sententiam quum examinassem mecummet pluries, ipsam deprehendi verissimam, sive lucubrationes eorum expenderim, qui sine ista novitiorum Dialectica jus nostrum tractasse dicuntur, sive ipsas solas rationes considerare voluerim: notavi enim doctores il-

[1] *Lib. 2. de verb. sign.* [2] *Lib. 1. Misc. cap. 1. & 18. & lib. 2. cap. 1.* [3] *Lib. 2. de usur. cap. 2.* [4] *Lib. 3. obs. cap. 38.*

los & interpretes tantum supereminere Logicis istis omni in re, quæ censetur procedere non posse absque studiis Dialecticis, quantum lenta solent inter viburna cupressi. Cognovi, ita in se ipso absolutum, perfectumque opus legum nostrarum, ut si ad omnem sapientiam quisquam erudiri plene inde non possit, frustra omnino auxilium ab externis opibus, copiisque quærere videatur. Sensi aliam esse jurisconsultorum rationem, aliam vero Dialecticorum, & ad nos posse boni nihil ab illa disciplina proficisci, sed detrimenti & incommodi plurimum. Ad constituendas definitiones, ad expediendas divisiones, ad argumenta & invenienda, & judicanda videtur Dialecticum instrumentum requiri. Memini & jurisconsulto impositum a SCHEGKIO [1] onus Dialecticarum cognoscendarum præceptionum propter hæc ipsa tria. Quid rudes illi mei interpretes? hærent nonnunquam annum integrum in definitione, adeo sunt artis suæ male compotes, ut nesciant definire quid quæque res esset, quam tractandam suscipiant; quod imperitiam illorum maximam arguit: quia perito facile sit statim unius rei non unam tantum, sed complures edere definitiones, & omnes ex arte confectas. Ista sunt *Cujacii* [2]. Sed quis falsa omnia non deprehendet? qui annum? qua in definitione? in definitione substitutionis, & servitutis? videamus. Prostant commentaria. Si laborant, aliquando antiqui interpretes in definitione constituenda, difficultatem vident; isti, quibus adeo facilis res est, ad pauca proculdubio respiciunt, ut facile etiam possint enunciare, quid occurrit primum: nam sciunt illi ipsorum *Dialectici* quanta ad definitionem ponendam requirantur; sciunt philosophi, sciunt medici, sciunt omnes artifices, sciverunt nostri jurisconsulti, qui dicunt, *omnem definitionem in jure periculosam*, & raro esse, ut nequeat subverti. An cavillabimur, & de regula accipi oportere, contendemus *Ulpiani* verba, non de hac definitione Dialectica? at est hæc definitio & ipsa regula quædam. Quis negabit? Quæ igitur tanta, ac tam nova peritia, cui facile sit, definire, & statim? quod enim suas definitiones obtrudat in probationem hujus suæ gloriosissimæ vocis, credo, viri minime imperiti non admittent, nam quæ illæ? *Jus est scientia æqui & iniqui. Jurisconsultus est, qui jus profitetur, respondet, interpretatur.* Aut. *Vir bonus legum & morum ad respondendum peritus, atque interpretandum.* Istæ se se offerunt primæ in suo illo *Paratitlorum* opere, si male non memini, & bene est, quoniam si de ipsis nunc dicimus, nec a

1 *Lib. 1. de dem.* 2 *In ep. ante Parat.*

nostro

noſtro videbimur argumento diſceſſiſſe. Quid itaque, tu *Cujaci*, definitionem a *Celſo* traditam, & encomio quoque ab Ulpiano comprobatam non tenes? & illi minime compotes artis Dialecticæ? eam adverſus ſimiles importunos tutatus eſt aliquando *Alciatus*. [1] Tua objectio nec digna videtur refutatione: an enim ſcientia, quæ etiam nomen habet a verbo, *Scio*, eorum erit, quæ ignorantur? reponis, *Scientia*, quia ars ſit talium, quæ ſciuntur. Nolo tamen longior eſſe, & trita multa de arte & ſcientia iſto loco repetere. Cur verbo *Æqui* addis etiam *iniqui?* [2] fruſtratorium videri poterat hoc, ſi rectum ſit judex ſui, & obliqui: &, ſi juriſconſulti *Ulpiani*, aut cujus cujus opponas auctoritatem, quid tu, dixero, cum iſtis. ſi ex arte polliceris definitiones omnes, non ex ullo auctore, quem nec probare ſoles? At alia qualis? ſi potes, *Quincte*, meminiſſe quæ ſunt a nobis dicta de juriſconſulto nudiusquartus, ſatis ex illis has mancas & obſcuras invenies *Cujacianas* definitiones. Et propterea ſatis etiam indignas, quæ a peritiſſimo illo artifice accipiantur. At quoque, ſi *Profiteri*, eſt ipſi quod generaliter, & late ſonat verbum, quæ illa addita? *Reſpondet, interpretatur.* An forte reſpondendo, & interpretando, non aliter, jus profitemur? ſi, ut communiter fere utuntur omnes, utitur ipſe eo verbo ex ſtricta ipſius ſignificatione, quantum differt ab *Interpretatur?* in altera juriſconſulti definitione, quid reſpuit nomen *Conſuetudinis?* an idem ſonat *Morum?* ambitioſum igitur ingenium, & doctum minus, quod a trito magis vocabulo recedere voluerit. *Sed an morum peritus eſſe debet juriſconſultus?* facticonſultus igitur, non juris. Libenter audirem, quid reſponderet, at ſtatim; quia tantum omnino pollicetur, & audio eſſe contra inſtituta ſua, qui nolit ex tempore aliquid unquam tractare: at vellem, reſponderet, admotis rationibus, non (quod ſolet) dictatorio more. Si has, & pleraſque omnes ſuas definitiones ex arte poterit unquam ſuſtinere, a modo ego dedo me ipſi recoquendum, abjuro iſtas *Accurſianorum* partes imperitiſſimas, & cum *Mureto* neminem agnoſco juriſconſultum niſi in Gallia, & in Gallia niſi ipſum unum *Cujacium*. Interim ad noſtros revertor: qui dum meliores tentant definitiones docere, ſudant etiam magis in re omnium difficillima. Cum omnis definitio ſit propria & breviter comprehenſa rerum ſubſtantiæ enarratio, quæ genere, ſpecie, propriis, & differentibus conſtat, non ferme multas hujuſmodi in jure reperies. [3] *Haſce ſubtilitates jureconſulti Dialecticis reliquerunt*, ipſi ſatis habuerunt, ſi ſub-

[1] *Lib. 1. Parerg. cap. 30.* [2] *l. 10. ff. de juſt. & jur.* [3] *Alc. de verb. ſign. lib. 1.*

ſtan-

ſtantiam rei ex communi regula deſcriberent; ſi genus & differentias ſolum apponerent, ſi ex modo, per quem ea introducta eſt, ipſam denotarint, ſi ab ipſo etiam effectu; ſi etiam improprie acceptis verbis illud præſtiterint. *Ita Alciatus* probatis docet exemplis, & ſi ultimum, quod de improprio dicitur *ex Decio*, minime videtur admittere, vel ex his tamen, quæ ipſe *in Parergis* [1] ſcribit, firmari poteſt ſatis commode. Quid igitur? amplius viginti ſpecies definitionum & a noſtris conſultis habentur; ſi propter difficultatem propriæ tradendæ definitionis, an mei maxime imperiti, qui aliquod tempus hoc in argumento aliquando ponunt? ſi propter non curantiam illuc dilapſi ſunt, an non vinco in iſta cauſſa? ego & illud & iſtud credo; & rideo etiam, quod ex arte polliceantur hi viri definitiones plures unius rei: videntur enim præclare tenuiſſe definitionem definitionis, quod ſit oratio ipſius quid eſt, & plures eſſe rei quidditates, atque eſſentias. Sed illis forte plures erunt definitiones, ſi diverſis verbis eadem apponatur. Fieri poteſt, ut verum ſit, & meo etiam aliquo teſtimonio evincatur. Auxerint igitur jus noſtrum definitionibus multis, quarum homines noſtri fuerant indigentiſſimi, ſi tamen eſt vel augmentum, vel diminutio inutilium rerum. Quid definitiones rerum expeditiſſimarum comportaſſent noſtrates? ex *Galeno* negat id fieri oportere vel ipſorum *Duarenus;* [2] quia ſint ea definienda, quæ minus nota ſunt, quæ difficilia, & de quibus diſſertatio eſt, nec ab omnibus ſimili modo accipiuntur. Quod vero & hic etiam rideat, ineptiæque accuſet neſcio quorum definitionem *Probationis*, & noſtros generatim in propoſito iſto, ego quidem, quia homines reos factos ignoro, & id quoque neſcio, quid dicam; incertos autem clamores flocci etiam vix facio. Sua vero definitio quæ illa? *Probare eſt rei controverſæ teſtibus aut tabulis judici fidem facere.* An probatio non controverſæ rei? ubi igitur vel ea, quæ ad futuram memoriam fieri ſolet? ipſe ſuis quibus rationibus oſtendit, notorium, evidentiam, confeſſionem, fugam, ſimilia non eſſe probationes? quid de argumentis dico? forſitan de hac artificiali noluit loqui. Nos aliquando ita verbis duobus. *Probatio eſt veritatis aſſertio.* Et omnem probationis ſpeciem complexi ſumus, ipſam quoque extraordinariam: & impoſturam præterea ſecluſimus verbo *Veritatis*. Breviſſime, clariſſime, pleniſſime, & obiter, quaſi ſi viator in allatrantem canem projiceret lapidem, & nec pedem ſuſtineret, aut deflecteret a ſemita. Si hæc ita ſe habent, cer-

[1] *Lib. 9. cap. 21.* [2] *De prob. cap. 2.*

te mei, quantum ad definitiones attinet, videri possunt prudentiores: operam enim ponunt in definitionibus quando postulat res, nihil dicunt in clara tractatione, filo crassiori utuntur, ubi nec subtilis magis exigitur. Fecerunt autem & antiqui legum auctores tantundem. Adsit vel unum exemplum diligentiæ ab definitione *Doli*, quam *Dialecticæ* peritissimus fecit SERVIUS, impugnavit LABEO, [1] & aliam scripsit, cui adstipulatur *Ulpianus*. Viden, quam sint illi etiam morosi definiendo? SERVIUM tuetur BARO, HOTTOMANUS, alii, qui ostendunt rectam ejus definitionem. Qua in re illud animadverto, dialecticationes istas non attendi ab interpretibus juris, cum tota ipsorum diligentia; postquam rejectam video dialecticam veram definitionem ab *Ulpiano*, a *Justiniano Cæsare*. Quis *Labeo?* forte & ipse Dialecticis præceptis non indoctissimus, nam vel ille locus *in l. 1. de dol* hoc satis ostendere potest. At de *Servio* certum habemus testimonium *Ciceronis*, de *Labeone* tanta dicit nemo, quod ipse sciam; & si dialectico visus est instrumento uti, non propterea sequitur, eruditum illum regulis illius artis: scis etenim, quid in principio Rhetoricorum scriptum reliquerit *Aristoteles;* & illud est, quod dixerat ALCIATUS, qui judicio naturali nescit ista cognoscere, is legibus nostris addictus, operam perdet, & oleum. Logicoconsultissimus itaque SERVIUS SULPITIUS vincitur definiendo a LABEONE, cui nullum extat SERVII simile testimonium, & recte etiam ille definierat: vincuntur proculdubio & isti recentiores, si suæ definitiones cum definitionibus antiquorum comparentur. Jam de plurimis dicere non est necesse, quorum nullæ sunt definitiones: patet enim res hæc omnibus. Quid nullibi reperitur vel definitio *Fideicommissi?* (definitio non est, sed verbi notatio, quæ in *fragmentis Ulpiani* legitur) & scripserunt veteres illi amplius *quadraginta libros de Fideicommissis*, & fuit ipsorum mos a definitionibus incipere, quod notant Hispani recentiores. [2] Cum aliquando interpretarer ego Legatorum & Fideicommissorum materiam, non potui ipsum hoc vehementer non admirari: descendi autem in eam sententiam ut dixerim, scriptas verisimiliter quidem fuisse & *Fideicommissi*, non tantum Legati definitiones a veteribus prudentibus, sed eas in compilatione rejectas, quia, si est eadem plane utriusque dispositionis natura, & eadem erit definitio *Fideicommissi*, quæ Legati [3] est. Iterum vero ad propositum. Aut hoc uno exemplo notum sit, quam multum curarint istam definitionum co-

[1] *l. 1. de dol.* [2] *Covarr. in rub. X. de testam.* [3] *l. 1. ff. de leg. 1.*

piam antiqui auctores, aut etiam pateat, ut scripserit docte *Cujacius*, [1] qui voluit, Fideicommisso non convenire, quod de legato est definitum a *Modestino* [2] Opinatur, *Modestini* verba Donationi caussa mortis convenire, sed Fideicommisso nequaquam. Qui fieri potest, ut in definitione minus conveniant, quæ magis conveniunt in substantia? ait, verbum, *Dono*, non aptari. Ita ne contra textum certum tantus *J. C.* & sui Papiniani est *l. 75. Miles. de leg. 2.* Sed alterius loci erit hujusmodi tractatio plenior, & hoc tantum in præsentia, quasi per transennam. Restat loqui de definitionibus, quæ rudi quadam Minerva compositæ sunt: verum in hoc satis & super *Alciatus* disseruit libro nono *Parergon*, [3] quem cupio omnino legas; augeas etiam, si non habet, definitione *Erronis & Fugitivi*, quæ sunt in titulo de *ædil. edict. & redhib.* ex Labeone, & per comparationem ita. *Erro est pusillus fugitivus. Fugitivus est magnus erro.* Quemadmodum & apud alios illa. *Sydus est cœlum densum. Cœlum est Sydus rarum.* Locupletes, si quoque caret, definitione *Argenti facti*, quam ab ULPIANO habemus per exclusionem *in l. Quinctus de au. arg. &c.* [4] *Argentum factum recte quis ita definierit, quod neque in massa, neque in lamina, neque in signato, neque in supellectili, neque in mundo, neque in ornamentis insit.* Et alias commemorare possem, at tantum sufficit ad institutum, quo illud tento, *crassius sæpenumero explicasse jurisconsultos suas definitiones*, & opinor probatum satis, & in hunc modum concludo tandem caput istud. *Si industriam non modicam veteres interpretes adhibent in definitionibus, fieri id quidem recte; si modicam quandoque, & id etiam sapienter, & si quando etiam nullam curam ejus rei habent: ubique omnino posse meliores apparere cunctis logicoconsultis novitiis.* Quæ modo? sermo iste finem nunquam sortiretur, si sectamur privata; & his respondere solemus, si urgeantur, sive opus sit veterum placita confirmare, siue sint refutandi finitores isti Dialectici. Ergo ad *divisiones.* Et rem paucissimis verbis possum absolvere: tam multis enim exemplis patet, *adhiberi minime solitam a Jurisconsultis ipsis regulam dividendi Dialecticam, ut sit etiam superfluum vel unicum eorum nominare:* habent autem & ipsi novitii non pauca observata. Ecquis opinabitur, servari præcepta Dialectica a jurisconsultis in suis divisionibus, si inspiciat §. *ult. Inst. de just. & jur.* §. *ult. de jur. person.* qui ab Ulpiano est, *& a l. manumissiones. de ju. & ju.* arma profert

1 *In Parat. de leg.* 2 *l. 36. ff. de leg. 2.* 3 *in l. 17. §. 8.* 4 *l. 37. §. ult.*

CON-

CONNANUS [1] contra divisionem hanc, & alia etiam HOTTOMANUS; [2] dicunt alii contra priorem. Quid statuemus ad illam, quæ habetur *in l. conventionum de pact.* & de illa etiam, quam legimus *in §. unde in Auth. de mod. Helenop.* caussas omnes, in criminales distribui & pecuniarias. Plures quid referam? qui tuebitur? tibi istæ non sunt incognitæ. ALCIATUS tentat eam defendere, quæ recitatur *in §. ult. de just. & jur.* & viriliter quidem, sed non feliciter; placetque hoc dicenti assentiri *Duareno:* nam quale illud *Alciati* jus naturale, quod unius civitatis proprium sit? quale illud *jus gentium?* & si tale non reperitur, quomodo *Ulpianus* potuit ipsum respexisse? adde, quod ex naturalibus præceptis omnium gentium videri potest, Romanos imperio potitos, si quidem (*ut inquit primo Politicorum Aristoteles*) a natura est, ut fortior, & justior imperet, & unus etiam imperet, quod gravissimis illis verbis idem concludit in Metaphysicis, nisi sit male renunciatum, *multitudo principum mala, ergo princeps unus.* Non procedo ulterius: nam crabro, amicitiæ & gloriæ Romanæ infensus, hic suos aculeos: nec ad rem quoque. Tu *Alciati* rationes videris. VVESEMBECIUS verbis mutatis, curtatisque eadem occinit, & olim poterant videri damnata argumentis HOTTOMANNI. At vero, quo pacto sustinebitur divisio *l. conventionum?* alias quibus fulciemus argumentis? Tu tamen expectas, me in hoc concludere, ut sum pollicitus. Esto. Dicimus in hunc modum. Si eas Dialecticas partiendi regulas contempsere Jurisconsulti passim, quid mei interpretes, si minime aliquando servant, ipsi sunt imperitissimi? audio hos reprehendi in distributione *jurisdictionis,* maxime in illa, quam habent in *culpæ* [3] argumento, quasi inerudite prorsus & jurisdictionem, & culpam diviserint non per oppositas partes, sed ex multo & pauco: quod tamen nec exemplo caret auctorum juris, philosophorum, & medicorum: isti etiam Dialectici vel calumnia non carent, quia jurisdictionem illi gradibus, non speciebus, distinxerunt, ut omnibus inspicientibus patet. Cur a præceptis Logicis abscedunt, quiqui sint, dividendo? tu ex iis repete, quæ de navi diximus aliquando ex *Hermolao Barbaro* ad jurisconsultorum institutum atque propositum: illud certissimum est, quod apud novitium legi, per qualitates [4] dividi a nostris solitum plerunque, non per differentias proprias; immo etiam per quantitates, quod modo dixi. Quid itaque? veteres interpretes argutias istas minime attenderunt, vestigia eorum calcan-

1 *Conn. lib. 2. cap. 1.* 2 *Hott. in d. §. ult.* 3 *Coras. in Misc.* 4 *Baro ad l. 6. ff. de just. & jur.*

tes, a quibus ne latum unguem discedere, fas est, ergo rectissime, ergo male notantur; & pessime quoque faciunt, qui nos ab ista simplicitate conantur deducere in illos Dialecticos labyrinthos, HOTTOMANNUS, VIGELIUS, cæterique logicographi: nam & quod scientes, prudentesque dimiserint mei tricas istas, quis non videt, si commentaria ipsorum volvet, in quibus haud infrequentissime notari licet, potuerint, nec ne, & ipsi secundum illa studia agere. Tandem ad *argumentorum* tractationem accedo. Tu de Topice, hoc est de altera parte, quæ docet locos, in quibus argumenta invenimus, audisti *Alciati* judicium. Addo alterius recentioris in eandem sententiam, ut videas opiniones meas non esse paradoxa. DUARENUS hic est. Putat vir eruditissimus nomini Jurisconsultorum non multum officere, si & alias artes, [1] & hanc ipsam Dialecticam non percalluerit: inquit enim, a *Cicerone* laudibus summis celebrari solitum MUTIUM SCÆVOLAM, qui tamen Dialectica non didicit, TREBATIUM juris civilis usu & scientia præcellentem, Topicorum libro ipsi inscripto, honorari desideratum eo munere, testatum interim de illius jurisconsulti maxima ignorantia rerum Dialecticarum; maxima quippe pars Dialectices Topica. An id fecisset *Cicero*, si tanto viro, summaque sibi amicitia & necessitudine conjuncto, ingratum, aut parum honorificum fore intellexisset? Ridet TREBATIUM *Cicero* in epistolis, & insimulat etiam ignorantiæ? propter Dialectices cognitionem cæteris præferebat omnibus SERVIUM? [2] Pomponio ipse magis crediderim Jurisconsulto, qui peritiorem agnoscit nostrum TREBATIUM: TRIBONIANO etiam magis, qui sub *Augusto*, ait, [3] eundem fuisse auctoritatis maximæ inter viros sapientes, [4] in tantum ut suaserit etiam, quod de jure codicillorum fuit primo sancitum. TULLIO jam non est assentiendum: voluit enim ubique princeps omnis litteraturæ conspici, & judex omnium artificum litteratorumque, ut passim ex operibus suis patet, ac notavit PLUTARCHUS [5] quandoque. Memineris & eorum, quæ attigimus de oratorum & jurisconsultorum dissidiis. Nunc, quia J. C. *Servius* omnino in luce versabatur totius civitatis, quid tentat *Marcus?* illud scilicet fuisse non ex scientia juris, sed ex aliis disciplinis. Tu vel *Murenianam* leges, cum volueris, in rem istam, & senties: ego etenim vereor hos Grammaticos, ne, si in *Ciceronem* dixero duriora, concitent in me ipsi pueros suos, qui me, qui *Barto-*

[1] *In S. Augerius.* [2] *In orat. ad Bru.* [3] *In l. 2. ff. de orig. jur.*
[4] *Inst. de Codicil. in prin.* [5] *In comp. Cic. & Dem.*

listas

listas omnes convitiis obruant, enecent declamatiunculis, affligant saltem dicteriorum aculeis. Habeo *Alciatum & Duarenum* pro meis partibus: rem ipsam intueamur. Quæ mea est sententia in ista quæstione? ut ex nullo Topicographo debeamus hos locos addiscere; abunde ex libris juris subministrari eam, quæque requiratur, supellectilem. An non est? ecquis argumentum credat inefficax a simili, ab hac re ad illam, si eo usos videmus jurisconsultos? quis, quod est a definitione, partium enumeratione, caussa cessante, similia innumera non admittit argumenta, quæ passim in nostris legibus adnotantur? plures locos malumus cognoscere? sed nemo plures docebit; & vel muta dicitur istæc Dialectica [1] in argumentis excogitandis: sed, nec si doceat, ex aliis, opinor, licebit quidquam in jure pronunciare, quia ex jure, quod est, respondent jurisconsulti. Græcorum præcepta de Rhetorica non reprehendit quidem *Antonius* apud *Ciceronem*, ut meminisse queo, sed tanquam posita ante oculos, illa æstimat parum. Ita ego de istis Topicis Logicorum censeo, vel comparatis cum sententiis auctorum juris nostri. Apud *Tacitum*, [2] Messala quid in hosce Rhetoras non dicit? inde ita ad rem nostram. Satius est prorsus, hæc ex ipsis jurisconsultis discere, ex ipsa forensi tractatione habere, ex certis illis locis sumere, quam ex Dialecticorum vagantibus officinis colligere. At vero quid pars altera in judicando posita? hæc scilicet nec muta est Dialecticis, sed etiam nimium loquax. Quid tamen prodest jurisconsulto? is a ratione pendet una, & pendet totus. Capietur falsis rationibus si sit Dialecticæ imperitus? at, dictum est, qui judicio naturali lepram a lepra discernere nequit, is, legibus nostris addictus, olei, somni, hujus ipsius Dialectices jacturam faciet. Discernet, sed non ex arte commonstrabit? hoc videlicet curare debent, qui nomen suum profitentur juris inter consultos, non inter logicos. argumentum est. [3] *Impossibilium nulla est obligatio. Impossibile est casus fortuitos arcessere. Ergo nulla est obligatio casuum fortuitorum.* Quod hic detrimentum, si dicam, ex ista ratiocinatione sequi quidem, ut si promissio sit, casum fortuitum non futurum, inanis illa censeatur; at, si de eo nihil dictum, aut factum iri, istud haudquaquam deduci: quod (inquam) detrimentum, sive hoc modo sive terminis quibusdam Dialecticis tantundem tandem explicavero? illud scilicet, ut aliter quam jurisconsulti soleant, procederemus in arte nostra. Ubi in toto jure,

1 *Lib. 2. de orat.* 2 *In Dial. de orat.* 3 *Jas. in l. 3. ff. Si quis caut.*

dum sic disputatur, illæ Dialecticorum formulæ? Ita HOTTOMANNUS argumentatur. *Liberis jure naturæ debetur hereditas. Ergo jusjurandum non valet, quod apponitur renunciationi.* Quæ est differentia, vel dicam propositionem tacitam esse falsam, (nec enim ullo jure probabitur) vel aliter loquar ex logicorum solemnibus? *Jus suitatis & agnationis est publicum.* (Alia *Hottomanni* collectio) *ergo pactio inter patrem & filium, qua renunciatur hereditati paternæ, non valet.* Ista quis admittat? miror etiam, quod solo ipse silentio comprobet. Mei interpretes dicerent illa, *publici juris vel principaliter, vel secundario,* [2] quæ hic ego non tracto. Certe summum incommodum erit, aut Principii petitionem appellem, aut id pro fundamento assumi a *Cujacio,* [3] quod est in controversia illa de accrescendi jure, num ipsum transeat in emptorem hereditatis, & negat iste, quia testator dari noluit nisi directo successori. Mille talia renunciabo? Vere hæc nugamenta; si alia ulla: & has ut discamus nugas, longum teremus tempus? an putamus, adipisci posse facultatem illam paucioribus horis? ajunt auditores *Scheckii*, solitum hunc dicere, nec annis viginti certam aliquam ejus artis cognitionem parari. Et quis dubitat, si vera sunt, quæ primo horum sermonum die narravi? aliud namque Dialecticam esse puto, quam puerilis ea sit Syllogismalis altercatio; aut *Thessalodialectici Rami* larvæ erunt. Et nos tantum temporis absumemus? annos quindecim grande mortalis ævi spacium dixit ille, & sentimus omnes. [4] Quid si decem annis quibimus evadere in *Dialecticos?* quid si quinque? quid si etiam paucioribus? an hos juri dare non est satius? discet scilicet futurus Jurisconsultus Dialectica, ut rerum ipsam veritatem & cognoscere & sectari possit, quia hanc intuetur & sequitur Jurisconsultus (ut dicebamus) non quod sit e republica, privataque, & ex ipsis hominum, legumque dispositionibus. Hic tu de JOANNE *antiquo* glossatore, JAC. RAVENNENSI, BALDO, [5] aliis plerisque objicies, qui visi sunt penitus operam dedisse studiis Dialecticis: at illi objectioni tum primo die satisfactum abunde fuit, tum heri. Istis autem an opponere non possum vel Azonem unum, qui has ignoravit artes? jam non elabor. [6] Et quia has ignoravit artes, definire nescivit, quid esset *Mora,* si credimus *Odofredo;* scivit *Joannes,* qui istam calluit disciplinam. Elapsus sum. *Azo* hoc Dialectice nesciit. Au-

[2] *Cons. 22. in proposita.* [3] *In l. 1. ff. Sol. matrim.* [3] *Lib. 12. obs. cap. 13.* [4] *Tac. in Agric.* [5] *Odofr. in l. 32. ff. de usur. Cott. in Memor. de jurisp.* [6] *Aug. in præf. ad lib. 2. Emend.*

disti

disti quam multa narravimus de definitionibus? Ito igitur, vel *Definitiones*, vel *Divisiones*, vel *inventionem argumentorum, judiciumque* consideres, vel hæc omnia, videris profecto & sine ista Dialecticorum doctrina meos interpretes in omnibus meliores, & eam non exigi ex studio juris, & diversam nostram ab illis viam. Quæ præterea? magnum est refutandum crimen. *Augustinus, Duarenus*,[1] *Balduinus, Hottomannus*, cæteri recentiores clamant exercitatos & versutos in disputando *Accursianos interpretes, sophistas, vitiligatores, ut audisti. Quid, inquis, audio?* potuerunt esse tui illi etiam sophistæ? male tamen, & factum pessime: nulla est enim utilior juris tractandi ratio, quam si eorum simplicitatem imitaremur, qui id nobis scriptum reliquerunt.[2] Veteres autem Jurisconsulti, statim jugulum caussæ appetentes, satis habebant si eam unam adducerent rationem, quæ controversiam finiret,[3] quæque est una in omni quæstione, cæteras ceu minus necessarias sophistis & declamatoribus relinquentes. At mei? omnia confuderunt, labyrinthisque implicarunt. Videntur vetus exemplum declamatorum in usum revocasse, qui assidentes cum pueris controversiarum argumenta tractabant,[4] rationes veras falsis commiscebant, nec quibus quodque argumentum casibus procederet distinguebant. Audistin? *Alciatus* loquebatur: sed non de illis, quos ego appello, *Bartolo, Baldo, Alexandro, & Jasone;* hos namque *Alciatus* usque ad cœlum. Quid mihi cum ineptis? videndum est præterea, ne vir ille morbo aliquo animi referat ea præceptoris sui verba: nam *Decium* contra tractationem ibi scripsit de responsis haudquaquam sanam, ut visus sum ostendere, & ipse satis damnavit facto luculentissimo, editione multorum voluminum responsorum suorum, ne quid etiam repetam de aliis aliarum disciplinarum libris quamplurimis in lucem emissis. Adde, quod vel declamandi rationem juris studiosis & ipse alibi, & alii quidam censent necessariam esse. Ais, at non jurisconsulto, aut interpreti. Immo & istis, qui duces eorum sunt.[5] An ego improbem *Aretinum, Socinum, Ruinum*, similes? hos satagere cum suis subtilitatibus circa Solem, imaginari, incedere per æra, dixerat *Alciatus*,[6] & despexerat. An ego vituperem *Salycetum, Romanum, Ancharanum, Butrium, Imolam, Corneum, Alexandrum, Jasonem, Decium?* hos innumeris traduxit conviciis *Hottomanus*, quod alias recensui, & maxime ob hanc ipsam eorum sophisticem tractandi juris rationem. Non faciam:

[1] *Duar. in ep. ad Marga. Bald. in proleg. ad inst.* [2] *Duar. in orat. pro Buguer.*
[3] *Alc. lib. ult. cap. ult. Parerg.* [4] *Tac. in dial. de orat.* [5] *Lib. 1. Pare. cap. 15. Heng.*
[6] *In orat. Tic. hab.*

mirum

mirum enim quam exerceant ingenia, tenella forſitan, & delicatula noviciorum ad carnificinam, alia ad omne acumen. An ipſe ipſorum *Tullius* [1] non docuit, & exercitationis gratia refellendos ſcriptores? quid mei interpretes? Diſputando, ait *Zaſius*, [2] exerce, quæ ſtudendo conſecutus es, utpote quod per hoc memoria illuſtratur, uberiorisque cognitionis inſtrumenta parantur. Latus jam mihi campus contra recentiores pro diligenti, ac ſubtili diſputatione: at contraham terminos; nec de laude diſputationum, concertationumque dicam: ſi quis enim ingenia non excitari, poſitis quæſtionibus contenderit, hunc ſtolidi ingenii, & ſibi relinquendum affirmo: [3] nam & ex ſilicum conflictu nec opinabitur ignem elici ſolere, & ex rationibus utrinque collatis veritatem. Cum eo homine non eſt mihi negotium. Ad eos venio, qui probant quidem diſputationes, & *Modeſtini* [4] eam ob rem laudati exemplum admittunt; ſed meos vel nimios in his fuiſſe contendunt, & rixarum aliquem terminum deſiderare ſolent in ſcriptis ipſorum. Quid ego? malo cum *Cicerone* reliquiarum aliquid ſupereſſe, quam non ſatiatus diſcedere. Malo id cum meis interpretibus, quam in jejunio occumbere cum recentioribus. Audio, *Ariſtotelis* [5] præceptum eſſe, *ut exquiſite, & accurate omnia perſcrutaremur, nec ſatis haberemus rationem unam aut alteram excogitaſſe, quæ veriſimilis eſſe videretur ad propoſitas diſſolvendas quæſtiones;* verum oportere dubitationes omnes diligenter inquirere, quæ in re propoſita contingere poſſunt, eisque omnibus accurrere, ſive ſecum ipſe aliquid conſideret, ſive cum alio diſſerat. Scio, ſophiſticas, fallacesque dubitationes damnari & ab hoc ipſo philoſopho; at ad id etiam mox reſpondeo. Verum eſt, adverſus jurisprudentiam vitium maxime eſſe, ſi profeſſores ad veritatem maxime non attenderint, idque agant ſolum, auditores ſuos ut doceant, [6] quemadmodum quis veritati contradicere poſſet: ſed an ipſe *Ariſtoteles* non ſcripſit de ſophiſtis elenchis? contra ſophiſtas? aſſentior. Non diſputo de hominum probitate. Non laudo factum Romani cum judice Florentino, quod apud *Jaſonem* [7] relatum eſt; non verſutiam *Guilhelmi* cum *Bononienſibus*, quam ANGELUS prodidit *in l. 2. ff. ad L. Jul. de adult.* non hujuſmodi, ſi quæ ſunt alia. De utilitate dico lucubrationum. Tu vides in antiquiorum commentariis, quæ ſophiſta, quæ forenſis rabula (ut ſancti iſti loquuntur) quæ verſutus advo-

1 *In orat.* 2 *In orat.* 3 *Manut. de legi.* 4 *l. 1. ff. de muner.* 5 *Lib. 2. de Cœl.* 6 *Alc. lib. 8. Parerg. cap. 21.* 7 *In rep. l nemo poteſt.*

catus

catus posset ad veritatem opprimendam narrare. Tu, qui legeris, perpenderis, discusseris audies nihil novi, nec ut ad *Gorgonis* capita contremisces, obmutescesque ubi in forum veneris, talia senties objecta tibi. Informandus est advocatus, judex, consultor, & non vivimus seculo aureo, sed ter etiam ferreo, depravatissimo, insidioso, captioso, fallaci. Tui isti professores, *Quincte*, nescio quo auditores suos ituros a scholis opinentur. Opinor, ad rempublicam *Platonis* capessendam, vel etiam in *Utopiam*, aut si quid simplicius, perfectiusque reperitur uspiam gentium. Probatur itaque & probabitur indies mihi noster Italicus legendi mos [1] (crepet invidia), qui non in cumulandis decisionibus est, sed in discutiendis ad unguem opinionibus, in pervestigandis caussis & rationibus potissimum consistit. Et quid, rogo, non probem? non est individuorum scientia. Nihili facerem, leges omnes nostras, quod tui isti affectant tantopere, simpliciter tenere, præ decem quæstionibus, quas diligentissime examinatas haberem: scirem enim vel ex una recte tractata reliquas, quot quot venirent ad manus, eodem modo explicare; si quidem non est scientia numerus, sed qualitas. Quid isti fastidiosi vellent? posse probabiles rationes, quæ speciem habeant æquitatis, auditoribus bonas esse? tantum *Duarenus* scribit, & eos non satis perpendere, qui jus civile tractant, quod in ratione quaque excutienda anxii nimis & scrupulosi sunt, [2] nec fere ullam admittunt, quæ sophistæ cujusvis argumentis quoquo modo impugnari, aut labefactari possit. *Hottomannus* [3] etiam nec ullam responsi diceret rationem, quod daret; & laboriosa hæc tempora deplorat, delectatur in felicitate veterum consultorum, qui non consueverint molestias hasce perferre. At at. Dixi de istis *Maniliis*. Confugiant, si quoque placet, *ad l. non omnium.* Et meis interpretibus in suo instituto assentior, & *Alciato*, [4] qui (aut fallor) scribit quandoque, rationes necessariam illationem facere debere, non solum colorem: alias quis non fuerit hodie jurisconsultus? quid quoque ipsorum *Balduinus* per summam contumeliam dicitur *necessitatis doctor*, si dictatoria illa veterum ratio placet? *Maxima igitur & potissima jurisprudentiæ pars in disputando posita est.* Jurisconsulti [5] officium in judiciis, disceptandisque controversiis potissimum versatur. Interpretis munus est effingere discipulos suos ad hæc omnia: & faciunt interpretes mei. Inepte autem revocamur ad antiqua tempora, sub quibus non vivimus, & quando est alia juris tractandi ratio: facile

1 Grib. in præf. ad lib. de ra. stu. 2 in l. 5. ff. de leg. 1. & lib. 2. disput. cap. 17. 3 in arg. ad com. sup. Inst. 4 Lib. 3. Parerg. cap. 16. 5 Hot. in arg. ad inst.

enim adducor, ut credam, veterum jurisconsultorum auctoritatem fuisse, ne vel argumento quandoque adprobarent quod dicerent; & id videtur in disputationibus ipsorum vix institutum, & proprium *Et in disputando adjiciebat, ideo non valere, quoniam &c.* ait *Paulus*, [1] ac notatur etiam alibi Et quid mirum, si eorum sententiæ & opiniones auctoritatem eam habebant, ut judici recedere ab his responsis non liceret? ita loquitur *Justinianus Cæsar;* & quidam (ut ait *Cujacius*) [2] scripturam illam nimis delicato fastidio respuunt: puto autem hunc *Hottomannum* [3] esse, qui verbum, *temere*, addendum asseverat; & asseverat probabiliter minus: nam & tantum scribitur in *Cod Theod. tantum in Const. Deo nobis.* Ubi & tantum admittit *Baro*, si nunc non fallor. Ratio vero Hottomanni nulla est prorsus. *in l. Jurisgentium. in §. ait prætor. de pact. nihil de responsis prudentum.* Ergo responsa prudentum non erant ejus auctoritatis, ut judici ab illis non liceret discedere? id pernegatur. Ergo nec Prætorum, Ædiliumve edicta erant legitima auctoritate decorata? ergo nec Plebiscita sunt leges *in l. filius de cond. inst.* sed nec lex ipsa lex erit, quia nec legis meminit *Papinianus*, sed tantum Senatusconsulti & Placiti principalis. Rursus nec plebiscita, nec magistratuum edicta sunt aliquando leges *in tit. de op. nov. nun.* [4] Video historicam commentationem, qua se tueatur *Hottomannus*, & me etiam rideat; sed si de historiis dixerimus, spero, nos ridiculi non erimus. Addit autem iste, quod nec *in l. 2. de orig. jur.* tale quidpiam datur responsis prudentum. Cui argumento si ex diva historia volo respondere, an non recte dixero, legem illam ante *Theodosium* scriptam, & is unus auctoritatem tam magnam videtur Responsis detulisse prudentum? placet tamen magis, si inquio, explicatum in dicta lege factum, auctoritatem scilicet respondendi elargitam; non dici quidquam, quanta ista esset auctoritas, quod nunc agitur: immo etiam dicitur. Quid sunt illa? *proprium jus civile sine scripto in sola prudentium interpretatione consistit.* [5] *Alterum* itaque Hottomanni fundamentum debile *in l. jurisgentium* alterum nec fundamentum quidem, aut tale, quod nobis potius inservire possit. Dicam ne? Edictum illud de pactis alia ratione recte minus citatur, quia de his loquitur ibi Prætor, quæ leges essent, eæque generales: & nos non contendimus, leges fuisse ista responsa, sed vim & auctoritatem legis habuisse, quod colligitur ex illo Institutionum §. *& voluit forte Marcianus in l. conditiones, de cond. inst.* etsi omiserit etiam plebiscita, sena-

[1] *l. 19 ff. de lib. & post.* [2] *lib. 7. Obs. cap. 25.* [3] *lib. 1. tit. 3.*
[4] *in l. de pupillo. 5. §. & belle. 9.* [5] *In §. novissimo.*

tusque

tusque consulta: nam ista legis appellatione proprie significata quis dixerit; quæ enim Tribunis rogantibus, ait Manutius [1] plebs jussit, ea tum plebiscita, tum leges & a *Livio*, & ab aliis dici, sæpe licet animadvertere: nobis certum est ab ipsa legis ratione. Ita est. Illa responsa in singulis valebant caussis, non erant generales leges; [2] non obligabant omnes instar legis, sed hos tantum, de quorum jure respondebatur. Quare cum potuerint alii, quibus responsum non erat, adversus responsum pacisci, non fuit, cur Prætor in suo edicto responsa adnumeraret, quid si hæc historice dissero? is etiam, in cujus favorem emanarit responsum, quid fuerit, quo minus adversus idem pacisceretur? finge etiam in speciali Principis rescripto. Hoc est lex proculdubio: quis tamen contenderit, pactum fieri adversus illud non posse? At vero docta illa meorum, & ibi, *& ad l. nemo potest. de leg. 1.* referre superfluum est, quæ edictum Prætoris, & hanc tractationem satis explicare possunt. Si placet, tu eos videris. Ego isto modo concludo cum verbis legis, *Scriptum jus est, Lex, Plebiscitum, Senatusconsultum, Principum placita, Magistratuum Edicta, Responsa prudentum. Judici recedere ab his responsis non licebat.* Male itaque nostro tempore urgent isti antiquiorum vestigia. Quid habent præterea, quod inclament? subtilem istam disputationem saltem ponerent mei in dignioribus argumentis. Sæpissime de lana caprina rixantur. Tres menses in una rubrica ponunt; in cujus continuatione usque etiam ad superstitionem sunt studiosi. An vel ex his verum non est, quod dicitur, jurisprudentiam ex matrona factam esse meretricem? Ingeniosissimus vir iste *Quincte*, supra quam dici potest, sed multo etiam confidentissimus. Quid enim ipse de jure? verum ad nostros: quos interrogatiuncula possum compescere, ecquænam sint illæ quæstiones de lana caprina Duarenus hoc objicit *Alciato*, [3] quod *in futilibus magis, quam subtilibus, quæstiunculis nimium hæserit.* Ea sunt ipsius verba. Et si vera sunt in *Alciato*, quid in ipso *Duareno*, & reliquis novitiis? An vos novitii estis Alciato meliores? liceat mihi Biturigensis magistratus verba usurpare. Quid vos? quæ vestræ merces? miseri venalitiarii. *Quidam sola verba dabant*, de suis temporibus DUARENUS, *& statim fucus apparebat, unde Grammatici dictitabamur. Quidam aptius ex veteribus comportabant omnia. Quidam occupabantur in convellendis antiquorum opinionibus, & summopere nitebantur, quaslibet absurdas opiniones suas rudi & imperitæ juventuti probabiles reddere.*

[1] *in lib. de legib.* [2] *Wesemb. l. 13. C. de sent. & interloc. omn. jud.*
[3] *in orat. pro Bug.*

An & hodie vel de se *Duarenus* non dicit? certe verba omnibus apta novitiis, & ipsi. Quam ob rem discimus jus civile? eo tantum consilio plurimi, ut vel ad res judicandas, vel ad caussas agendas in foro instructiores, paratioresque reddamur, non ut in Grammatica Historicave illius cognitione oblectemur. Jam adi novitiorum commentaria: inde te in foro expecto; nam, quæ ipsorum sint, habebis a recentioribus multa ad rempublicam accommodata, & bene, & acute, & docte tum inventa, tum explicata, quod invitis dentibus scriptum est [1] de *Accursianis* per novitiosmet ipsos. Ipsi quid novi magistri? iterum rogo. Enituntur modis omnibus, ut justitiæ, & æquitatis artem ac viam magis quam litigandi, cavillandique doceant. Non omnia *Accursianorum* subvertunt, sed ex vulgaribus scriptis, quæ inanibus, ac frivolis disputationibus referta sunt, & ingentes tenebras habent; optima quæque excerpunt: ea simpliciter, pure, populariter tradere, & ad civilem conferre usum maxime conantur; justissima alioquin de eis profecto esset quærela. Ita loquuntur: addunt carmina, *Floriferis ut apes in saltibus omnia libant*, *Omnia nos itidem depascimur aurea dicta.* [2] Alter, qui Augiæ stabulum dicit nostram scholam, & illud quoque potest, *Aurum colligimus quasi ex stercore Ennii.* Credis hos posse a conviciis abstinere? qui fiet aliter, si hæc est ipsorum pars sapientiæ prima, sapientibus obloqui? si malefacere nequeunt, & *Accursiana* subvertere, an cum *Zoilo* non maledicent? Sed ut civili actioni hæc recentiorum alvearia sint commoda, unus est ille testis Jurisconsultorum Princeps, qui in foro obmutuit; dijudicant rerum peritissimi Senatores Parisienses, apud quorum tribunalia frequenter novitiorum nomina appellantur. Et quid ad hasce probationes confugere? libris ipsorum in medium productis de veritate ista constabit. Triumphent igitur in suis scholis, aut Academiis, ipsi in foro, in luce civitatis nulli sunt. Et cur essent, si simulatam reponunt nobis philosophiam, fucatam, pictam, nescio contemplationem quandam inanissimam pro ipsa actione, ipsa vera, aperta, solida philosophia civili; & id contra *Ulpianum, & l 1. de just. & jur.*? An imo mei tales sunt? tentant modis omnibus novitii persuadere. Quid tamen de rubricarum continuatione garriunt? inutilis est ea tractatio, si bis, terve in toto jure habetur? qui dixerit, is se imperitissimum omnium mortalium ostendet, postquam non videt, titulos & plures, & integros ea

[1] *Reub. in præf. ad lib. de test. Aug. lib. sing. ad Mod.* [2] *Reub. eo.*

inqui-

inquisitione explicari. Longum tempus absumitur. Quando? Scripta testes sunto. Quid etiam si ad titulum longissima prolegomena? [1] Hoccine studiorum corruptela, & abusus maximus? hoccine obliviosorum hominum, tardorum ingenio, sua nimium admirantium? nos bardi, qui hos bardos possumus sequi? [2] actum est de quampluribus summis doctoribus (si vera hæc *Alciati* criminatio) cum quibus & meos, & me vel sinam libenter perire. Nolo tamen illa exempla narrare, quod jam jam sim dicendi finem facturus. Hoc tantum. Si multa vel ad rubricas, vel alibi tractant interpretes *Accursiani*, an non multis tractarent? Ea non tractant suo loco? at dispersa colligunt, ex tot frustulis quasi corpus aptant, & uno intuitu exhibent. Improbatur. Ab his certe, qui vel ipsi nescirent præstare, vel præoccupati, ut aliquid fecisse videantur, eam novam viam instituunt, & texta quasi detexunt. Utar hic aliqua figura. Quod est discrimen inter illos, quorum aliqui colores singulos, flores singulos ostendunt, quidam picturam, corollam ex iisdem omnibus factam, distinctam proponunt, quod est maximum vel ex ipso naturali intellectu; illud est, & non aliud inter veteres, & hos novitios interpretes: nam illi & concipere animo, & explicare nobis potuerunt individuorum universalem compositionem: isti ad primos rerum singularium gradus substitere. Industria igitur ea est, non meorum tarditas. Mallent adversarii, leges explicari plures, plura docendo percurri? sed ineant rationem antequam ad hypothesim descendant; credo enim flores plures in corolla una, quam si mensam maximam iis conspersam teneremus. Quid præterea? Faciles materias clarasque; *Accursiani* harum disputationum tenebris involverunt, scriptis etiam *innumeris versuum millibus*, [2] ubi alioquin sola pagella sufficeret. Itane de materia *substitutionum?* cui non *Institutiones*, non *Pandectæ*, non *Codex* sufficiunt, quod in *Novellis* locos obtinuit. Nec mirum, quia difficillimum argumentum, quod in intricata voluntate hominis mortui extricanda per mille versatur anfractus. Id est, quod aliquando dixi, & legem, & documenta meliora quidem, quæ minores, paucioresve gignunt lites, [3] paucioribus cuncta dirimere possunt, sed si fiat sine cujusquam injuria, & ad hoc præcavendum, opus esse mille cautelis, mille distinctionibus, subdistinctionibus, & minutis rursum sectionibus. Dixi tum temporis ex Justiniano. Quis itaque auscultaret *Alciato*? [4] quis *Baroni?*

[1] *Alc. lib. 8. Parer. cap. 8.* [2] *Alc. lib. 10. Parerg. cap. 24.* [3] *Dial. 1. car. 6.*
[4] *in l. 1. ff. quod quis jur.*

indoctis, ait hic, nihil unquam satis expositum est, quibus vel Sol ipse tenebræ sunt. Ego quid? confidentia astra petimus, ruimus in præcipitia. Tandem? Scribit *Duarenus*, [1] existimare nos debere de hac tam magnifica & fastuosa nostrorum interpretatione, non aliter, quam de *Ætolis* ex hospite quodam suo Chalcidense voluit *Quinctius*, & sine ullo fructu & commodo esse illam eorum commemorationem variorum juris interpretum librorum, atque tractatuum, & ad miraculum excitandum fieri. Sic, quod non leges doceant mei, sed pugnantes inter se interpretum sententias a Justiniano damnatas sine fine sursum deorsumque volvant, quærulus item clamitat *Baro:* [2] & colophonem apponit *Hottomannus*, qui *Baldum* ipsum, non alios solum, ait, scripsisse fere nihil, nisi quod prius tractarat *Bartolus*, ac hujus etiam mores furaces, plagiariosque incusat. In his maledictis & recensendis, & refutandis versatur finis orationis meæ. Hæc dicuntur, *Quincte*, non adversus *Accursianos*, sed palam etiam contra veteres Jurisconsultos. Illi, ut nominis sui famam multitudine librorum augerent, nullum fecere scribendi modum; nihil afferentes ipsi de suo, sed quæ ab aliis jam breviter essent, & non obscure adnotata, verbosis suis commentariis extenderunt; [3] nec modo a diversis, sed interdum & plerunque ab iisdem scriptoribus eadem paucis mutatis verbis exposita erant, & sæpius inculcata. Finge, te *Connanum* audiisse. Ego autem an vel in istis, qui reliqui sunt, centonibus & fragmentis non possum ostendere auctorum juris morem diversum non fuisse a more meorum interpretum, etiamsi adversariorum confessione non levaremur? *Servius* [4] libros suos complevit ex scriptis antiquiorum. Quid habent ipsi novitii in suis libris? at *Servius* illorum asservavit memoriam, isti supprimunt, nisi sint mei corripiendi, vituperandi. *Scævola*, *Papinianus*, quæ in Responsis habent (*Cujacio* [5] teste) eadem in *quæstionibus* scribunt. Quid vel ipse *Hottomanus* [6] facit? an ex observationum libris integra ad verbum capita non retulit in librum *consiliorum?* etiam convicia adversus *Bartolum*. Sinant igitur meos, si eadem exscribunt quandoque. *Vitellius* proculdubio ad leges scripsit, ad *Vitellium Sabinus*, *ad Sabinum Pomponius*, *Ulpianus*, *Paulus*. Quæ juniores ad istos scripserunt? *Sabinus* itaque interpretis interpres, & hujus rursum interpretes maximi Jurisconsulti, quibus nec etiam defuerint similes operæ. Qui igitur isti novi-

1 *in ep. ad Guil.* 2 *in Pro. Pand. in praef. ad 4. lib. Obs.* 3 *Conn. lib. 1. cap. 9.* 4 *l. 2. ff. de orig. jur.* 5 *lib. 10. cap. 12. Obs.* 6 *cap. 24. lib. 5. Obs. in Cons. ult.*

tio-

tiorum clamores? ad *Accursium*, ad *Bartolum* dici, non ad leges. Secundum unius sententiam, secundum sententiam plurium, secundum hujus sententiam potius, quam illius, secundum receptas sententias, secundum omnium sententias docent iidem veteres. An locos indicem? non est pagella in jure nostro; quæ ista non probet. Libros *quinque sententiarum receptarum* scripsit PAULUS, [1] *sex libros opinionum* ULPIANUS, *ex uno* CASSIO JABOLENUS *quindecim.* [2] Si autem & rationes & auctoritates desiderari simul ubique solent, an hæc studia vana? certe negaret *Alciatus* [3] pater, qui *Jasoni* maximum quid tribuit ex ipsis. In *Bartoli*, *Baldi* defensionem nihil dico; satis enim antea. Hic etiam ita concludo. Objici *quidquam meis nequit, vel in ratione disputandi, vel in rebus disputatis, quæ subsistant, & pro illis esse cum reliquorum, tum jurisconsultorum exempla: qui omnes si errarunt, & in fovea cum ipsis relinquo cunctos Accursianos.*

ALBERICI GENTILIS
DE
JURIS INTERPRETIBUS DIALOGUS QUINTUS.
POMPONIUS.
COLLOCUTORES.

QUINCTUS. ALBERICUS.

ARGUMENTUM.

Veterum JCtorum studium circa eloquentiam. Quæstio principalis: an Historia JCto sit necessaria & utilis? *Brissonii autoritas in commendanda historia. Antiquitatum cognitionem parum prodesse. Multitudo Historicorum. Errores Historici Glossatorum. An Glossatores ex ignavia in Historia fuerint lapsi. Errores Veterum juris Autorum in factis historicis. De lectionibus variantibus. Explicatur pœna adulterii, natura donationis absque traditione. De Odofredi ætate. Otiosæ in jure quæstiones. De conditione Italicorum studiosorum juris.*

1 *Index.* 2 *l. 7. ff. de supell. leg. Alibi.* 3 *lib. 5. Parerg. cap. 26.*

QUINCT.

QUINCTUS.

FUit cur te interrogassem aliquid de *Rhetoricis* studiis: at si *Dialectica* non necessaria asseruisti, profecto nec de his est aliud judicium tuum. Peto igitur, quid de HISTORIIS censeas.

ALBER. Jurisconsultos *Rhetoricis* studiis fuisse adprime doctos, scribit ALCIATUS, [1] & multis exemplis conatur illud ostendere in suo opere *Parergon.* Sed & quod hic, & alii scribunt in rem istam aut meis multis concidit argumentis horum dierum, aut argumenta nulla sunt. Tu perpenderis: nec enim alia succurrunt in præsentia, nec dicta repeto, & tu alio me vocas. Hem, quæ ista hydrope recentiorum? Quid confert ad Jurisprudentiam, aut *Liptoten* cum *Zasio*, aut philosophicum temperamentum cum *Odofredo* [2] dicam vocem illam *Forte*, illud verbum, *Videtur?* dicam cum *Alciato* [3] Hyperbolem, aut cum *Cyno* veritatis excessum, si sit assertio minimum rei adæquata? quid similia differunt? & propter istiusmodi desideratur maxime studium Rhetoricorum a novitiis: nam, ut Rhetoricis instructus artibus in forum quis hodie veniat, & caussas agat, nec dicent, nec, si dicunt, honeste excipientur. Venio tamen ad HISTORIAM. Ubi etiam illud audiam, scio, nos *bonæ famæ hirundines* ideo in contrarium vociferari, & istas scientias spernere, ut ne quod nobis deest, id nostris adsit adversariis. At enimvero, *utor ipsorum verbis*, nobis tam non abest quidquam ex historiarum ignorantia, quod eis adest, quam adest ex uno studio juris, quod non adest illis ex suorum animorum magnitudine & capacitate. Dico igitur, *nihil esse*, *cur Jurisconsultus*, *aut juris interpres historias legat, cognoscatve.* Et certe dicerem confidentissime, si unius *Brissonii* auctoritas, quæ est apud me magna, ipsa obfirmatum animum haud percelleret modice. *Magnam, ait clarissimus Jurisconsultus,* [4] *desiderat omnino Jurisprudentia rerum veterum memoriam: nec nisi ab eo, qui totius antiquitatis animo perceptam cognitionem habeat, digne, ac meretur, explicari potest.* Ita ille. Et ut rationem nullam afferret, non aliter quam de Platone *Cicero* [5] scribit, ipsa ego *Brissonii* auctoritate pene frangerer. Quid igitur, ubi & rationem connectit? *Si quis contra sentit, huic, inquit, tantum dicam, ignorare eum, quibus ex fontibus jus civile haustum sit; descriptumque esse ex populi Ro-*

1 *Lib.6. Parerg. cap.7.8.9.10.* 2 *Zas. in §.12. Inst. de action. Odofr. in l.1. ff. de dolo malo.* 3 *Alc. lib.4. de verb. sig. Cy. in l.1. C. de sacr. Eccles.* 4 *In ep. nunc. ad lib.1. Antiq.* 5 *Lib.1. Tusc.*

mani

mani legibus, institutisque: ut qui in jureconsultorum libris cum fructu versari volet, totum rerum Romanarum statum tenere debeat; nam earum ignoratione persæpe peccatur. Vix superesse videtur, quod respondeam, nisi forte illud, ut rogem, num ipse eruditissimus J. C. unquam vel historias has in augustissimo illo, cui præest, loco recitari audierit a caussarum patronis, vel secundum historias litem dixerit: nam si neutrum affirmaret, ego nihil quærerem ulterius, ut qui ornamenta hæc nunquam inficiatus sim; tantumque restaret historiæ. Certe, *Quincte*, si quis exempla produxit, quibus ea historiarum cognitio Jurisconsulto necessaria esse doceatur, optima ostendit *Brissonius in suis libris Antiquitatum:* at nec illis possum hanc persuaderi sententiam. Ecce; vera omnia sint, quæ capite primo libri primi describit; quid nunc? leges illæ indefinite loquuntur nobis, omnibus temporibus, locis omnibus; nec enim puto vel ab ipso tentari, ut sint speciales. Ad ea, quæ *altero capite* notat, dixi in primo *Anticujacio*, & istum librum exercitationis gratia a me confectum, qui scit, an sim aliquando editurus? Dicta capite tertio elegantissima quidem, verum quod dicit ad dictionem *Hodie*, estque non inutile Jurisconsulto, nec mei ignorarunt, nec fieri potest, ut quisque non conjectaret. Ex *quarto capite* plane nihil, quod jus spectet, colligere possum. Capite *quincto* quæ notat, ea videri possunt clarius explicata, quam ab *Accursianis* factum sit, & inserviunt juri; non tamen non poterant ex ipsis libris nostris cognosci. Quod vero docet capite sexto, de carnibus olim pondere vendi solitis, confirmat prorsus quam unusquisque duxisset certissimam conjecturam ex ea *l. cum de Lanionis.* At in Italia etiamnum pondere veneunt carnes, nec inauditum aut insolitum est in Germania, vel hic in Anglia omnium orbis regionum abundantissima carnibus. An ita inauditum vel in Gallia, vel alibi? eos igitur miror, qui rem illam apud *Paulum* mirabantur. Quid ad jus nostrum faciat antiquarum *mancipationum* cognitio, de quibus capite septimo, non video, fateor, si non commonstretur. Quæ de nummis venditis habet octavo capite, & ex *Manutio* [1] didiceram ferme iisdem verbis, *& ex Cod. Theod. in tit. Si quis solidi circulum exteriorem inciderit, vel adulteratum in vendendo subjecerit.* Ex *Pomponio* illud etiam ad rem, [2] quod numismatum aureorum, vel argenteorum veterum, ususfructus legabatur, [3] ipsis & pro gemmis uti tum temporis solerent homines.

[1] *Lib. de leg. car. 160.* [2] *l. 28. ff. de usufr.* [3] *quemadm. quis utat. fruat.*

Quid igitur confert hiſtoria? Caput nonum ex jure eſt, quod eſt. In capite *decimo* ego diſcedo a viro ſummo: nam pernicioſa ibi hiſtoria eſt, ni fallor. *Agitatores*, ſive *aurigas* non eſſe infames contra *Theophilum* docet ex *l. 4 de his*, *qui not inf.* & quia nobiliſſimi, ampliſſimi ordinis olim aurigæ producti. Quid corruptiſſimi ſeculi exempla proferuntur *Caligulæ, Auguſti* etiam? audio & a primoribus longe, magisque pudenda commiſſa illis temporibus, quæ ſi vera ſunt, nequit vir doctiſſimus ex *Suetonio, Tacito*, aliis non cognoviſſe. Mihi omnino ſententia ſua ex jure noſtro, & ex illa ipſa *l. 4.* improbatur. Si enim infames non ſunt aurigæ, qui certaminibus ſacris deſerviunt, alii prorſus videntur ignominioſi eſſe: nam ad illos tantum ex relativi virtute, quod ibi eſt, & de quo mei alibi tractant, credo reſtringendam *Sabini, Caſſii, Ulpiani* & reliquorum omnium opinionem; præſertim quia indicat tale aliquid & alterum verbum, *Utile;* [1] & alias verba nimis multa ſuperflua effudiſſet Juriſconſultus, ſi omnes aurigæ eximerentur nota infamiæ. Pergo in eodem capite. Tu tamen, quid admirari videris?

QUINCT. Quod meminiſſe poſſis horum, quæ nobilis ille J.C. ſcribit, tam ex ordine.

ALBER. Erudita hujus viri opera, & in quibus ego ſim ſæpe tum ad jucunditatem, tum ad utilitatem.

QUINCT. Perge itaque: forte enim & ipſe aliquid habebo, quod nunc dicam.

ALBER. Id prius audiam, ſi ſit iſtis conjunctum: nam alia ego ſum dicturus.

QUINCT. Conjunctum eſt; tu tamen tenes proculdubio.

ALBER Quid ſi teneam? an nequis propterea recenſere?

QUINCT. Ex *Manutio* [2] eſt: De his videtur agi ab Ulpiano in *dicta l. 4. qui ludis inſerviunt.*

ALBER. Exiſtimo.

QUINCT. Ait, *Cæteraque eorum miniſteria, qui certaminibus ſacris deſerviunt.*

ALBER. Ait.

QUINCT. Credo & thumelicos, & exuſticos, & hos ipſos agitatores, & athletas, & qui aquam equis ſpargebant, ſacris inſerviiſſe.

ALBER. Suſpicor ex verbo *cætera.*

[1] *In l. 9. ff. de juſt. & jur. in l. 1. C. de ſum. Trin.* [2] *Lib. de legi.*

QUINCT.

QUINCT. Omnino pertinebant illi ad ludos.

ALBER. Videtur.

QUINCT. Sed nulli sine sacrificiis ludi fuerunt; & sacrificia religionis pars sunt: quod ex *Varrone Manutius*, ut dixi, narrat. Quid concludo? unum etiam pro tuo *Accursio;* & illud in tuam sententiam; spectatam a Jurisconsultis publicam utilitatem ea communi opinione, & caussam sacram, divinamque ex omnibus illis exemplis patere, quæ sunt omnia sacrorum ac divinorum: quare tuus ille *Brissonius* recte minus concludat, alios agitatores non esse infames.

ALBER. Præsertim, si vera esset *Comensis* assertio, *Alciato* [1] commendata, quod si generi plures species addantur, illud restringatur, & coarctetur. Sed quæ pro *Accursio?*

QUINCT. Fatetur ille ingenue, nescire se, quæ illa fuerint officia Græcis illis nominibus designata. Assero ego pro glossario, *nullius utilitatis esse eam cognitionem, quoniam nec eos ludos habemus, nec ea officia hodie, & quod attinet ad determinandum, qui hujusmodi sint infames patet ibi ex definitione, ut non sint; qui certaminibus sacris deserviunt.*

ALBER. Non improbo. Ego illud præterea dicere volebam, ab Accursianis scriptum, quid sit, *Aquam aspergere.* Unde edocti? ex ipsa rei natura. Quæ *Erasmus* meliora? tractat aliquando *Alciatus,* [2] & prudenter *Brissonius* noster dicebat, plerosque nodum in scirpo quærere ibi, & existimare involucri aliquid illis verbis contineri, quod nobis antiquitatis ignoratio obscurum reddat. Eamus *ad caput undecimum;* si tractatio hæc tædium non affert.

QUINCT. Tædium adferat hæc tractatio? utinam produceres ad omnes illos quatuor libros: in iis enim ego versor auctore te. Sentiam vero ex tuo isto sermone, quid inde mihi, meisque studiis.

ALBER. Absolvo verbis duobus librum hunc. Inquit *capite undecimo*, cognosci oportere, quale illud jus antiquum, quod Justiniano displicuit *in l. ult. C. de Emancip.* & ipse explicat diserte solennitates veteres *emancipationum, manumissionumque.* Sed cur oportet? Si TRIBONIANUS sensisset ullam inde fore utilitatem, an homo *Asiaticus*, & vel in his nimius, tacuisset? Capite *duodecimo* quæ sunt, ex jure sunt. Dictorum capite proximo non aliunde petenda legitima, quam ex legibus: item & tribus, quatuorve, forte etiam *quinque ac sex* sequenti-

[1] *Lib. 1. Disp. cap. 1.* [2] *Lib. 6. Parerg. cap. 3.*

bus. Quodque eſt de *oratione Principum, & Senatusconſultis*, docuit tantumdem *Baro*, [1] ſi memini, *Bellonus* noſter certe *in libris Supputationum.*[2] Capite ultimo agit ad *l. 2 de orig. jur.* & ſequor interpretamenta, commentationesque ſuas; nec opus eſt multa corrogari ad refellendos adverſarios, ſi apertiſſime nobis ſuffragatur eadem lex, dum ait, *Deinde cum eſſet neceſſarius magiſtratus, qui haſtæ præeſſent, decemviri in litibus iudicandis ſunt conſtituti &c.* Ut ſatis conſtet *Præeſſe* non ſignificare patrocinium, conſilium, ſimilia. Percellit itaque me *Briſſonii* auctoritas, ſed ſi ad rogatum reſponderet, non frangerer; & his quidem minime loco dimoveor. Nam quid dimovear, quia ex inſtitutis populi Romani jus civile proceſſerit? imo ex *Juſtiniano* proceſſit; aut etiam ex inſtitutis duarum civitatum *Athenarum & Lacedemoniorum, Cretenſium* etiam *Ægyptiorum, Hebræorum*, [3] ex ore Dei. Et jus Canonicum eſt ex *Gothis*, ſi VALLÆ credimus, nunquam tamen dabunt Canoniſtæ, Gothice illud eſſe interpretandum. An tot cognoſcemus hiſtorias? *Balduinus* [4] proculdubio aſſerebat, qui fuit propterea ſuis ridiculo: nam & Diam hiſtoriam ille, & Diæ Hiſtoriæ templum ubique viſus eſt clamare, velle, petere. Hic attendas, *Quincte*, quod novitii iſti neceſſariam Juriſconſulto volunt omnem hiſtoriam, non ſolum Romanam, quod alii magis cauti profeſſi ſunt; & tamen caute omnino male, quia non eſt ulla hiſtoriola, ex qua ipſi aliquid non aſſumpſerint in libros ſuos; Deus ſcit quam ad jurisprudentiam aptiſſime. Quid nobis fiet? quod relinquetur tempus legitimis propriis ſtudiis, cogitationibus, exercitationibusque, ſi tot hiſtoricos debemus legere? Video quot enumeret *Bodinus* [5] hiſtoriarum ſcientiſſimus. Quæ audio? in bibliotheca nobilis cujusdam Veneti *mille ſunt & ſexcenti auctores hiſtorici.* Eos legemus? ubi vita? ubi ars noſtra? immenſum reputavit Juſtinianus opus, ſi duo librorum millia legere debuiſſemus. Ergo ſolos Romanos, ſolos ex his, qui ſint potiores. An vel iſti pauci ſunt? An cum iſtis verſabimur, ut unum aut alterum cognoſcamus juri noſtro conjunctum? Quæ hæc? Video nihil hiſtoricum recenſeri in legibus noſtris, quod incognitum diminuat quidquam de prudentia juris. Et ne diutius iſto ſermone teneamur, quid quæſo minus Jurisprudentiæ conſultum, quod *Glavei & Diomedis* permutationem *Accurſius* meus ignoraverit? lectum *Ulisſis, Atridas, Octavianum Auguſtum*, adoptionem *Tyberii & Germanici*, Divos fratres,

1 *In l. 8. ff. de tranſact.* 2 *Lib. 4. cap. 3.* 3 *In elegant.* 4 *Epiſ. Guar. ad Bald.* 5 *In fi. Meth. hiſt. Patr. Dial. 6. de conſ. hiſt.*

Patres

Patres conscriptos, Fasces, Jurisconsultorum ætates, Justinianeorum nominum rationem, titulorumve, *Gades*, hujusmodi sexcenta. Quid, quod exciderit *Bartolo*, *a Tyberio Romanorum Imperatore Tyberim fluvium appellatum? Castrensi*, ab Antonio triumviro occisum Papinianum? retulerit *Jason*, *a Numa Pompilio* dictum esse nummum? Hæc, & alia alii. Non legis in commentario altero? Erratum in his omnibus est citra Jurisprudentiæ incommodum. Inepti fieri possumus historici ex ineptis illis narrationibus: sed nos Accursium, Bartolum non legimus in eam caussam; & ego quidem, dum illos verso, intentus ad ista non sum, & vix aspicio, nisi vel duo illi commentarii me monerent, vel ridere vellem.

QUINCT. Et sane magnum habent leporem joci illi insulsissimi.

ALBER. Omnes vel *Cæsares* non sumus, vel *Cicerones* vel *Castelionei*. Non omnibus est lien adeo delicatus. Ego vel dupliciter ridere possum. Ista tamen minime ad rem; minime afficimus juris scientiam, ut ut jocemur, quid quid narremus tale. Romani fatui congressum cum Græco sapiente recenseamus licet ex *Accursio; Æneæ & Romuli* eadem navi in Italiam advenientium ex *Odofredo*, eorumque deliberationem de urbe Romana ædificanda, & deliberationis quoque rationem illam, quia bonum vinum eo loci nasceretur, ut bonum etiam fuerit manere. Quid mali? quid ex hoc eodem *Odofredo*, si prophetæ Ninivitis narramus historiam? si de duodecim dicamus tabulis? si alia plura? nemo credit, si stultus non sit, & nullum detrimentum legibus, & ridetur.

QUINCT Tu tentas persuadere, joci causa ineptisse *Accursios* istos tuos, ego ignaviæ adscribo.

ALBER. Ut lubet. Pessime versati fuerunt in historiis. Sed *Zasius* [1] alterum de *Accursio* credit, monetque; licet & ferat ægerrime, quoniam *Odofredo* exstiterit occasio ineptiendi magis. Qua in re nec *Zasius* satis novit *Odofredi* mores, qui opinetur, ab eo jocose etiam non scriptas hujusmodi fuisse nugas. An verum non dico? probantur mea verba satis, si illa *Odofredi* præfatio legatur, quam habet de fabula & historia antequam *Æneæ* illud & *Romuli* factum enarret. Quid & ex illis ad *l. imperium? Meri imperii etymologiam a bonis quærendam potatoribus, &c.* Considera etiam, quod interpretes illi in hoc unum

1 *In l. 2. ff. de orig. jur.*

intenti, ut jus explicarent, cætera quæque curarunt omnino nihil. Satis habuit *Accursius*, si qualem qualem illius permutationis speciem apponeret, quæ verbis legis conveniret. Puerilia illa *in l. 1. in § casum. de postul.* ad facti propositi designationem sunt, & sunt aptissima, falsa sint ex historiis. Concludo. Stultissimi historici sunt veteres interpretes, joci ipsorum ineptissimi, sed ex his haud imperitiores juris interpretes.

QUINCT. Esto in his, quæ recensuisti, nullam fecerit Jurisprudentia jacturam, at magnam ex aliis, suspicor vehementer, ne accipiat. Cur enim ipsi illi antiqui consulti fuissent tam diligentes historiarum observatores? longissimas etiam scripsere historias.

ALBER. Qui isti consulti historiographi?

QUINCT. POMPONIUS. Si ejus est *l. 2. ff. de orig. jur.* aut tuus *Tribonianus*, cui illam adjudicat *Hottomannus*. [1] ARCHADIUS etiam, cujus est *l. uni. ff. de off. præf. præt.* ULPIANUS, cujus est itidem *l. uni. ff. de off. quæst.* non est opus, alia multa in hoc argumentum ex Codice quoque, & Institutionibus, Novellis producere.

ALBER. Non est opus. Quid habent commune ista cum studiis recentiorum? Ex ipsis libris juris constabant ea omnia: tractationes novitiorum unde accitæ? ex *Marcellinis* quibusdam, *Apuleis*, *Sidoniis*, *Symmachis*, cæteris talibus. Nulla igitur temporis jactura cum studio auctorum propriæ artis, maxima cum his aliis. Quæ etiam antiquorum diligentia? quod studium historiarum? POMPONIUS scripsit, missos decemviros in Græciam, qui leges describerent ab illis civitatibus. Ait, leges in eboreis scriptas tabulis. Quod utrunque falsum ex *Livio*, aliisque videri potest, ut ajunt: si in proposito aliis credere malumus, quam juris studioso, & consultissimo. Sed audi, magnum hoc facinus, quod *Æreis* legendum sit, non *Eboreis* in dicta *l. 2.* adscribit *Turnebus* [2] sibi, & tamen antequam ipse nasceretur, erat illa lectionis varietas adnotata margini. Ille idem dicit, *Superbum Demarati Corinthii* filium; & fuit nepos, si *Zasius*, *Budeus*, *Alciatus* docent, quod est verius. Idem tradit, missum ad Cartaginenses *Q. Mutium*, quod de *Q. Fabio* narrant historici, & *Zasius*. Quid ad hæc? Credendum, ait *Alciatus*, [3] auctores alios sequutum POMPONIUM, aut neglectum id, & incidenter, quod ad historiam attinet, dictum: ideoque dissimulatione quadam transmittendum esse; qualia multa etiam Ciceroni imputantur a *Gellio*, *Politiano*, *Grammati-*

[1] *In comm. ad tit. de jur. nat. in Inst.* [2] *Lib. 30. Adv. cap. 35.*
[3] *Lib. 4. cap. 17. Parerg.*

mati-

maticisque. Quid ad illa *Ulpiani? Conjurationem Catilinæ Julia detexit.* [1] Vel *Angelus* ex Sallustio vidit verborum falsitatem. *Adrianum* vocat, in fragmentis de legatis, [2] quem, opinor, *Cujacius* Marcum rectius autumat. Alibi etiam appellat *Domitiam Neronis* filiam, quæ amita fuit, & ante *Lipsium* monuit *Alciatus.* [3] Debemus hoc profecto recentioribus interpretibus, quod ad tales ire hodie non debemus, qui quidquid istud sit, nobis historica explicent, & hujusmodi similia legum nostrarum: nihil est, si non vocati accesserint. Quid enim TURNEBUS, LIPSIUS hic? quid ut obiter moneam, MERCURIALIS medicus? notat quidem CUJACIUM [4] nostrum, quod *Camum* explicaverit recte minus, & de *Acinaticio* prorsus tacuerit: at an illorum potuum historias non docuit *Alciatus* [5] ex eodem, quo *Mercurialis, Cassiodori* loco? docuit & quod habet medicus de archiatro, & alia. Novos itaque invisas, *Quincte*, nec oportebit varia, multa, ingentia aliorum opera ad hæc scrutari; quæque enim vix millenis chartis notabis in istis, ea in libris recentiorum habes eleganter digesta. Redeo ad lineas. Ea igitur fuit veterum consultorum diligentia, studiumque historiarum. Videbis aliquando vel minutissima quæque ab illis legum conditoribus explicata, ad historias ne digito quidem admoto, vel ad eas, quæ cæteris fuerint adjunctæ, & admixtæ quæstionibus. Placuit scilicet his locum relinquere, [6] si forte ipsum infeliciter occupassent glossographi. Jurisconsultus ANTIPATER haud bene audit in jure ipso, ut qui fuisse videatur historiis nimis deditus. Fallor, an quandoque ridet *Accursius* ROLANDUM quemdam, & alterum suum amicum historiis etiam addictos nimium? Certe *Angelus Aretinus* [7] palam affirmat, nullius utilitatis esse historicas quæstiones.

QUINCT. Hoc ego pati non possum. An non oportet discere historias ullas?

ALBER. Nullas, quas ex aliis auctoribus petamus.

QUINCT. Clamant profecto omnes adversum te. GRIBALDUS vel solerti studio cognitionem historiarum tentandam affirmat, & ad perfectam legum intelligentiam docet esse omnino necessariam, commonstratis erratis tuorum gravissimis, qui historias non tenuere. Quem habes a tuis partibus?

ALBER. Si rationes habeo, an non sunt rationes satis? Habeo ju-

[1] *L. 8. ff. ad leg. Jul. Majest.* [2] *l. 3. ff. de cond. causa dat.* [3] *Lib. 4 Parerg. cap. 17.*
[4] *Lib. 5. Var. lect. cap. 1.* [5] *Lib. 1. Præterm. Ad tit. Cod. de com. & arch. lib. 12.*
[6] *In l. 20. §. 6. ff. de pet. hered.* [7] *Ad tit. Inst. de legat.*

ris

ris interpretes omnes doctiores sine ullis historiis. Quid mihi *Gribaldum* commemoras? qui illo toto capite cum omnibus suis exemplis tam docet, ab *Accursio, Bartolo, Baldo, & Castrense* in juris decisionibus erratum propter ignorantiam ætatum Cæsarum, prudentumque, quam in his fuerit, quæ modo ego recensui. Quæ etiam primi illi tres dicunt, & perridicula sunt? An *Jabolenus* a *Neratio*, & *a Jaboleno Paulus* non citatur? [1] certe in illo contextu. Compilatores eo modo temporum rationem inverterunt? Si apposite ad jus nostrum, quid quæram ulterius? si Compilatores, citatos juniores a prædefunctis, voluere, quid nos contra? videlicet, ut historiæ suam fidem adstruamus? Tantum *de l. si is qui pro emptore 15. ff. de usurp. & usucap.* An etiam excusari non potest, quod dicunt *ad l. precibus?* juris certi eam quæstionem fuisse, ajunt ibi imperatores. Ignorasset *Papinianus?* De *Castrense* quid dicam? indignus est vel erroris deprecatione: quoniam & *ex l. 2. ff. de orig. jur.* & ex aliis multis locis juris nostri videre apertissime potuit, longe, post *Antonii* triumviri tempora vixisse *Papinianum.* At ex ista ignorantia fœdum erratum illud *Accursii* notat & AUGUSTINUS, [2] quod scilicet testatorem sæpe, sæpe Jurisconsultum *Plautium* ille appellet, & idem est. Nullum erratum propter ignoratam historiam; novit enim hominem jurisconsultum *Accursius.* Singula quid sectamur?

QUINCT. Ego unum aut alterum proponam, si placet, quibus ostendam, peccatum graviter in jure a tuis, quia historias non cognoverint; & has cognosci non posse ex libris legum.

ALBER. Placet etiam plura audire.

QUINCT. Quid igitur, cum a *Triticio* prætore, scribit Accursius, *Triticiariam* esse condictionem? erratum ad jurisprudentiam & est maximum, & veritas illius quæstionis haberi nequit ex ipso legum volumine: habetur ex aliis auctoribus; perbelle ex interpretibus Græcis. Sentin ex hoc uno tres tuas nutari opiniones?

ALBER. Miror ego, quid in mentem venerit HOTTOMANNO, [3] dum reprehenderet hac in re glossatorem; quoniam *Accursius* non scripsit, quod iste refert. Non dicit *Accursius*, quod a *Triticio* prætore fuerit illa actio, sed, quod sicut a Publicio Publiciana, id est a suo auctore, sic Triticaria ab aliquo Triticio dicta sit ejus latore. An istum asserit Prætorem? nihil tale; nec infertur ex suis verbis magis, quam ut *Julius Juliæ* legis auctor fuisse censeatur prætor, si quemadmodum a *Pu-*

1 *l. 60. ff. de acq. vel. omit. hered.*
2 *Lib. 1. Em. cap. 6.* 3 *In comment.*

blicio

blicio Publiciana nomen habet, a *Julio* pariter *Juliam* nominari diceremus.

QUINCT. Et tamen verum non eſt, ab aliquo *Triticio* nuncupatam.

ALBER. Quid certum magis in ſententia *Cujacii*, vel *Hottomanni*, [1] ille ab hoc refutatur. Tu videris, quàm tenues ſint alterius conjecturæ, ne dicam rationes. Age, ad illam rubricam legas, quæ illos contra eruditiſſimus, clariſſimusque *Donellus* latiſſime diſputat. Ridet præſertim, quod a tritico Triticiaria appelletur, & nugatoriam, & ineptam, & abſurdam eam opinionem vocat. Quid de *Græcis* commentis? alias etiam retuli. Quid ipſe? manet cum *Accurſio*, & neceſſario manendum dicit, non modo probabiliter.

QUINCT. Ain? & quas rationes ad illam ſententiam aſſerendam explicat?

ALBER. Nullam prorſus firmam, aut non memini.

QUINCT. Tantum itaque, quantum eſt nihil.

ALBER. Falſas opiniones certiſſimis argumentis confutaſſe, nihili?

QUINCT. *Donellus* ſcribitne, ullius utilitatis eſſe iſtam inquiſitionem?

ALBER. Scribit: nos tamen docet, niſi illud, quod agitur ea in re veterum Juriſconſultorum exiſtimatio, & dignitas juris: ne quid imperite, aut inepte in hoc nomine imponendo factum putetur: alia enim quæ defert, noſcuntur ex adſcriptis legibus, ut non ſit opus a nominis etymologia pendere.

QUINCT. Eſt igitur aliqua utilitas: verum autem non conſtat ex libris juris.

ALBER. An putas notam aliquam inuri poſſe Juriſconſultis, ſi diceretur, anxios fuiſſe minime in iſtis nominibus deducendis? quid igitur de definitionibus? Succurrit, quod eſt *Galeno* [2] relatum audivi, relinquenda hæc illis eſſe, qui corporis ſimul & animi ſanitatem pro nihilo ducunt, veros medicos de ipſis non magnopere laborare. Tantundem dico in re noſtra; & late dixi ante tres dies. Quæ hic ego recenſere poſſum & ex *Alciato*, & ex *Viglio* [3] de iſta nominum deductione? Sed refutata eſt quæque inepta explicatio argumentis *Donelli*: & hæc unde petita? profecto ex jure. Satis itaque juris noſtri libri ſunt, ut ſarcta

[1] *In Parerg.* [2] *Lib. 2. de alim. fac.* [3] *Vigl. Inſt. de teſt. in prin.*

tecta asservetur dignitas consultorum veterum. At non etiam, ut veritas rei elucescat? vides in *Cujacio & Hottomanno* quid ex aliis auctoribus comportetur. Quid si quoque potest vel *Accursii* sententia ex libris nostris confirmari, vel alia & quarta proferri? Si interim non potest, nec fit Jurisconsultis injuria, nec detrimentum juri causatur.

QUINCT. Immo: si tenemus opinionem *Accursii*, qui prætoriam actionem eam facit.

ALBER. Non facit; dixi. Verum faciat: an & prætoriæ actiones quædam non obtinent naturam civilium? [1] ex diverso, an edicta nequeunt in vim constitutionum transferri, & servent naturam suam? utrunque notatur. [2] Et de ista *Triticiaria* cautum erat, quod esset civilis actio, sit vel a prætore, vel a quovis alio introducta. Addo, obligationes esse a jure gentium, actiones a civili. Quid argutamur? sive *Accursius* dixerit, sive non dixerit, quod refert *Hottomannus*, is proculdubio non juste agit contra optimum suum: sic enim solet *Accursium* appellare. Satisne factum?

QUINCT. Cogitabo. Sed habeo alterum, quod opponam, & sino te in sermone progredi. *Accursius* ex ista inscitia perperam interpretatur *l. 1. de ritu nupt.* nam *Modestino* ibi divini juris communicationem dicit esse communicationem religionis, ut Judeus Judeæ, Christiana Christiano nubere debeat. Id stare nequit, quoniam *Modestinus*, veteresque Jurisconsulti ethnici homines non potuerint ea de re cogitare: ex historiis autem res tota planissima est. Hujusmodi movet *Connanus* [3].

ALBER. Et sunt sane peracuta. At hos *Connanicos*, rogo, ut si quando glossarius sapit, ipsi in eundem non sæviant: nam & tunc non abstinent, sed casu potius, quam judicio *Accursium* recte conjectare, clamitas. Nos & ista videamus. Dicere soleo, *mi frater*, Justiniani unius esse omnes leges, quot quot in Digestis, in Codice, in Novellis, in Institutionibus leguntur: ipse enim dicit Cæsar, [4] *omnia nostra facimus, hanc sanctionem totam nostram esse volumus. Sanctionem omnem non divisimus in alias & alias conditorum partes. Quidquid scriptum est, hoc nostrum appareat, & ex nostra voluntate compositum.* Justiniano asseruntur ex titulo libri illi omnes. Dum igitur *Connanus* [5] ex *Alciato* doctus notat *Accursium*, plane agit indocte, & leges antiquis Romanis interpretatur ex *Modestini* sententia, qui tum temporis non loquebatur, non iis, quibus positæ sunt, non ad mentem ejus, qui posuit, Justiniani

[1] *Inst. de perp. & temp. act.* [2] *In tit. Inst. de just. & jur.* [3] *In tit. de sponsal.* [4] *In const. Deo auctore & in const. Tanta.* [5] *Lib. 5. Parerg. cap. 25.*

prin-

principis Christianissimi, & illud ipsum, quod scribit *Accursius* clarissime prohibentis legibus suis, quas & glossarius recitat. Tollamus ex eo responso *Modestini* nomen, quod solum ad honorem antiquitatis servatum est, ut idem asserit *Justinianus*, & quid, obsecro, nos morabitur, quin verissimam Accursii interpretationem agnoscamus, falsissimum historici hujus novitii commentum? certe sacra illa Romana ethnica recesserant jam e medio. Quid magis absurdum, quam si diceremus, *Justinianum* ad sacra illa respexisse? quid magis ineptum, aut monstrosum, quam si cujusquam orationem, qui nunc loquatur, puta *Longolii*, qui epistolas suas ex Cicerone confecit ad verbum, quoniam phrasibus Ciceronianis utatur, vellemus ad mentem Ciceronis exponere? Dii boni, quam informe monstrum Justinianus, si ex sententia tam multorum diceret? non *Proteus* abiit in tot formas, non est *Stellio* tot distinctus maculis, ut multiplex esset nobis iste Imperator. Ergo, quæ *Connani* historica commentatio? ego & in novis his interpretibus, & in meis etiam illis antiquis haudquaquam probo propter hanc eandem rationem, quod dicere solent, a veteribus jurisconsultis nihil cogitatum de his, quæ in Codice postea scripta sunt: Quid enim nunc nobis cum *Labeonibus*, *Scævolis*, *Papinianis*, cæterisque, & cogitatis ipsorum? Justiniani opus totum est; de istius sententia agi oportet solum: maxime quia *Pandectarum* [1] compositores, ut *Duarenus* scribit, adjecerunt, detraxeruntque tam multa veterum scriptis, ut quæ fuerit eorum sententia certo cognoscere non possimus. Dixerim aliquid præterea. Lex semper loquitur, [2] *Quincte*, & ipsa est norma sapientissima, quæ tempora, quæ mores observat diligentissime Quid ergo, si & illud tento, non ex ætate Justiniani Cæsaris accipiendas suas leges, sed apte ex hac nostra? certe ita mihi suasum est, & placent maxime mei interpretes, qui ad sua tempora accommodarunt leges Justiniani: nam dubium non est, quod si ille hodie viveret, nec faceret omnino aliter. Sentis ergo, quam ipse a novitiis absim. Sed cum *Justiniano* immoremur: ad cujus mentem si leges suas accipimus, an non multæ recentiorum interpretationes historicæ corruunt? quæ Alciati illa *ad l. ejus qui de testa? damnatos ad ferrum*, exponit *Accursius* esse, qui capite sunt detruncandi; *Alciatus* [3] ex historiis refert ad *ludum gladiatorium*, & puto non aliter sensisse *Cajum*: [4] sed quia ludus ille tam ante Justinianum erat abolitus, quis sensum admittet *Alciateum?* quis non excipiet *Accursianum?* Quis juste

[1] *In Præf. Dig. cap. 3.* [2] *l. 5. C. de haert.* [3] *Lib. 1. Parerg. cap. 23.*
[4] *l. 1. C. de gladiator.*

con-

conqueri putet eundem *Alciatum* [1] de meis, & commentariis ipsorum *ad l. non puto. de ju. fis.* si portio hæc est Justinianei juris, non Trajaniani, aut Antoniniani? ille idem *Connanus* [2] notat glossatorem, quod *in l. 18 de adopt.* alibique servum publicum interpretetur tabellionem, & rationem adducit, quia servus imo poterat illo tabellionis munere fungi ante *Arcadii* imperatoris tempora, quando *l. 18 scribebatur;* igitur accipi ipsam de servo oportere, quemadmodum loquitur. Sed euge *Connane*, post *Arcadium* legem illam posuit *Justinianus*, & *Arcadii* legem quoque: evanidum ergo tuum historicum argumentum contra certam *Accursii* explicationem. At BRISSONIUS [3] etiam, legitimum luctus tempus in Jurisconsultorum scriptis spatium *decem mensium* interpretandum affirmat; quoniam annus fuerit primum statutus *ex l. 1. de sec. nupt. in Cod. Theod.* ego historiam non quæro; certe juris interpretatio ex jam dictis non subsistet. Quid sexcenta hujusmodi referam ex novitiorum libris? An unquam legisti *Valentis* constitutionem *libro decimo Codicis*, in titulo de *decurionibus?*

QUINCT. Legi. Et sane facis mihi rem gratissimam, si tuam sententiam dices ad ipsam, & ad alteram legem, quæ est in Digestis eodem titulo de *decurionibus*, puto, tertia.

ALBER. Versamur non in alio argumento, & libenter tracto. *Alciatus* [4] vult prorsus, deceptos meos in illarum legum interpretatione ex historiarum ignorantia. Nescio, an non omnes *Alciato* novitii sui adstipulentur. *Augustinus, & Ferrettus* [5] alia contra tractant; sed de historico intellectu nihil movent, si recte memini. Omnes loquuntur minimo cum judicio, qui *l. generaliter 54* de Christianis accipiunt, & *l. quidam ignaviæ 26.* de eremitis & monachis.

QUINCT. Sed historiæ urgent omnino: nam Christianis illud indultum ab *Antonino* volunt; in monachos alterum sancitum a *Valente* imperatore. Facit, quod *Ulpiani* lex illa est in Pandectis, [6] qui libros septem conscripsisse narratur de Christianis torquendis, quorum religionem ibi appellet superstitionem Judaicam: ne quid præterea ex *Alciato* referam, alibi quoque religionem nostram eo nomine solitam nuncupari.

ALBER. Hæc ultima *Ferrettus* tollit, dum adversus *Alciatum* disputat. Prima ex meo illo argumento etiam cadunt. Justiniani utraque lex. Hic loquitur, non *Ulpianus*, & dicit, quam tantopere extollit,

[1] *Lib. 6. cap. 8. Parerg.* [2] *Lib. 2. cap. 2.* [3] *Lib. sing. de Im. conn. pag. pen.* [4] *A. lib. sing. ad Mod.* [5] *F. in præf. ad Tac.* [6] *Bod. meth. hist. cap. 4.*

suam

ſuam religionem ſuperſtitionem Judaicam? Sed tu etiam videas, quæ *Alciatus* tractat *libro ſexto Parergon capite decimoſexto:* nam alios quoque ſcriptores videbis, qui aliena inverterint, & arbitratu ſuo ad ſuum ſenſum transtulerint. An tantum modo non fecerit Juſtinianus? Quid notat etiam *Cujacius* [1] de interprete ſententiarum Pauli? quæ ſcilicet iſte de albo prætoris ſcripſerat, relata ab interprete ad album Curiæ. An improbatur? Quid rurſum *Alciatus?* [2] quod fuerit olim quidem matrimonii ſpecies, qua uxor in manum viri conveniebat, ſed cum exoleverit, ſubſtitutum merito a noſtratibus *Matrimonium* pro dictione, *manum, in l. ex eo. 121. §. 1. ff. de verb. oblig.* Quid iterum quoque? tu videris *caput 23. lib. 22. Parerg.* nimius enim eſſem, ſi hæc exempla refero. Alibi ſic concludit generaliter: [3] Morem eſſe prudentum virorum a præſcriptis certisque formulis recedere, ut ſe tempori accommodent: auctorum mentem alio trahere, non quidem imperitia, ſed judicio eandem ob cauſſam. Eja igitur ex recentiorum hiſtoriis legem ponamus, qua honorum portæ Chriſtianis hominibus pateant, ipſo imperatore Chriſtiano, Orbe Romano ad Chriſti fidem converſo. An non tibi ridicula videretur conſtitutio, ſi Turca lege caveret, Turcis hominibus dignitates dari poſſe? & ridiculum iſti memoriarum periti nobis exhibent Juſtinianum. Quod plane pertinet *ad l. quidam ignaviæ.* Et ipſe *Alciatus* [4] nobiſcum eſt; ac *Bartoli* interpretationem recipiendam putat, ne quid videatur in jure tam impium, etſi legislatoris primi mens, *Valentis* ſcilicet, alia fuerit.

QUINCT. Hoc Alciati interpretamentum videtur adſtruere prorſus tuam ſententiam, quam & probare modo quodam ipſe incipio: nec enim aliud, quod petam habeo; & de his legibus erat quod volebam interrogare. Tu igitur, ſi quæ reſtant, ut placet, pergas.

ALBER. At quid diverſum? Hiſtoriis, dicimus, non debere juriſconſultum noſtrum vacare; & hucusque oſtenſum eſt, eas vel inutiles, vel damno eſſe: multis enim exemplis, quæ, ut capita *Meduſea*, adverſus nos explicant recentiores, tute animadvertiſti, perfici nihil pro hiſtoricis hiſce conſultis. Sed lege *Alciati* annotatiunculas *in tres poſteriores libros Codicis,* & legeris, quid juriſconſulto ſcire proſit, *Antiochia* dicatur *Niſibis* Barbarico ſermone, nec ne; ſcire variam lectionem nominum earum Provinciarum, de quibus agitur in *l. 2. C. de mil. veſt.* Chimeliam, vel Thymeleam, vel Cyreneam legamus *in l. 7. C. de*

[1] *Lib. 1. ſent. Paul. tit. 13.* [2] *Lib. 11. Parerg. cap. 7.* [3] *Lib. 9. parerg. cap. 6.* [4] *Lib. 3. Diſpunc. cap. 2.*

num. astuar. Myſiam an Mœſiam alibi. Lympheis an Nympheis. Ciʒicanici an Ciziceni vel Cioceni ſive etiam Zoxeni. Comanenſium an Comagenſium. Anatenſium vel Amaſtrienſium aut etiam Ariaratenſium. Amaſenorum Helenoponti vel Amaſinorum Helleſponti. Eliocæſarienſium vel *æ* prima diphtongo Æliocæſarienſium aut Diocæſarienſium. Sed ego ſtultus, qui memoriam tero dum hæc recenſeo. Quid refert, *Sigisbuldi* vel *Sigisvulti*, legatur alibi? Cur illa ſollicitudo, an debeat eſſe *in l. omnes fundi. de fun. patr.* Osdrocenam vel Osdroenam aut Oſroinam ſive Oſenam Oſiœniamve, vel etiam Oſyheniam vel Oſtroenam? [1] quæ hæc? quæ illa? ſcribi ne debeat *in l. 1. de poſt. C.* Affraniam an Calphurniam. Spondophorum alibi an Splendophorum. Pantonius vel Pannonius vel P. Antonius in l. 86. ff. de acq. hered. Pacumevius an Pactulejus in l. ult. ff. de her. inſt. Innumera prætereo. [2] Ad illos libros Codicis alii quoque ſcripſere belli novitii, nihil enim dico de *Pennenſi & Plateano* doctis veteribus, ſed libet cum homine Italo rem egiſſe Nam putas contra alios deeſt quod dicam? cum uno *Contio* dies & dies poſſem immorari. Quæ illa etiam *Auguſtini? Ulpianus* dicatur an *Vulpianus. Verus* an *Severus. Areſcuſa* vel *Arethuſa*. *Cajus* vel *Gajus*, cum ſimilibus. Ridet enim *Galenus* [3] & medicos hujus claſſis, qui *Hippocratem* interpretantes diſputabant curioſe eodem modo de *Sileno* quodam, num in *Platamone* habitaret, ut ſcribebat *Hippocrates*: & num *Platamone* ſcribendum eſſet, vel potius *Platanone*. Verum, & quæ illa Galli? [4] ſit ne Hieroniano vel Hermoniano aut Hieronimiano, ſive Heronimiano an Herminiano alibi. An Hæmo monte vel Hæmimonto. Et apud Hilarium quoque num Eminonto vel Emimunto aut etiam Æmimonto. Ne ſtomachemur. Ait, ad jus civile iſta non pertinere: tractat tamen & obſervat ipſe natus in antiquum ſplendorem jurisprudentiæ reſtituendum; & hic ille eſt fulgor, fieri plane *Coſmographus*. Jucundum eſt hæc ſcire, fateor, ſed operæ pretium non eſt; & dum tot hiſtoricos, geographosque percurrimus, multas etiam optimas prodigere horas oportet, optime poſituros in ipſis ſtudiis ampliſſimæ noſtræ facultatis. Agant, oſtendant iſti conſultiſſimi hiſtoriarum, non plura ſupereſſe ſibi in jure minus comperta, quam cognita in hiſtoriis habeant; & ſum cum ipſis.

1 *Lib. 2. Parer. cap. 36. & lib. 12. cap. 5.* 2 *Lib. 4. Diſpunc. cap. 1.*
3 *Bot. de Med. & agri mun.* 4 *Cuja. lib. 1. cap. 25. Obſ. cap. 26. co. lib.*

QUINCT.

QUINCT. Libentissime ista audivi. Quod tamen de *annotationibus recentiorum* ad tres illos Codicis libros postremos asserere videris, illud ego nescio quam procedat recte; quoniam (si verum dicitur) sine novitiis istis, *Alciato*, *Pyrrho*, *Cujacio*, *Contio* vel nulli possunt esse libri illi: tui, vel nihil, vel pleraque omnia inepte.

ALBER. Capita hydræ sunt præ manibus: sed brevitas compensabit omnia. Quæ in novissimis tribus libris Codicis leguntur, magna ex parte non intelligi, referunt ex *Budeo*, [1] quidam, auctorum penuria, qui scripserint de rebus illis Græcis; nam a Græcis sumptæ. Simile nescio quid comminiscitur ad aliud propositium *Alciatus* [2] in suis *Parergis*. Et si isti non intelligunt Latinissimi, Græcissimi, historiarum consultissimi, quid meos illos non patiar eodem hærere luto? Sed immo illi quatuor recte explicarunt posteriores Codicis libros? *Pyrrhus* in suis lucubratiunculis consentit cum *Alciato* fere semper, non tamen huic probatus per omnia, nec *Alciatus* [3] *Cujacio*, neque *Cujacius Contio*, ne quid hic dicam præterea. Melius isti tamen, quam veteres, interpretantur ea sive Græca, sive quæque alia nomina paulo abstrusiora: nec est unquam negatum; imo data ipsis palma de *historicis atque etymologicis*. Quid? etiam ut doctiora in jure docuerint ad illos libros, quam veteres? nunquam evincent *Græci*, *Geographi*, *Historici*. Aliquando præterea ex *Taurello* dixi, meos interpretes non admodum curasse jus obsoletum scriptis illustrare diligentioribus, occupatos scilicet in magis utilibus. Addo nunc, fuisse *Connanum* [4] ejusdem sententiæ, cum de *agricolis* scriberet is, & *censitis*. Et hæc ita se habent. Sed quid etiam si ostendere, & ipsos novitios in suis historiis turpiter hallucinatos? quid si errata admisisse in jure nostro propter historias?

QUINCT. Hæc rogo, nam tempus superest.

ALBER. Quid quoque si ridiculas historicas eorundem quæstiones? Paucula recensebo; & faciemus finem. *Zasius* pueriliter etiam errat, dum ait, *legem Æliam & Fusiam* post Graccos interfectos latam ante Punicum bellum tertium. Falsum hoc. Falsum & quod crediderit unam esse *legem Æliam Fusiam*, quæ duæ sunt. Adi *Manutium de legibus*. [5] Lapsus est *Alciatus*, dum putat, libros *Juliani ad Minicium & Ursejum*, similesque tales esse, quales vivens Cicero ad viven-

[1] *Chass. cat. glo. mun. conf.* 14. *par.* 6. [2] *Lib.* 9. *cap.* 19. [3] *Alc. lib.* 2. *cap.* 7. *Parerg.* [4] *L.* 2. *cap.* 10. [5] *Car.* 208.

tem

tem fratrem ſcribebat, & erant illi commentaria ad ſcripta defunctorum dudum. Conſule AUGUSTINUM *in ſuis Opinionibus.* [1] Sed an majus erratum *Budei* non eſt, qui ait, prætorem ſolum urbanum, & non alium, in criminalibus cauſſis quæſiſſe; [2] eumque nomine commutato judicem quæſtionis dictum eſſe. Hæc ne vera? ſatis manifeſtus error: inquit *Manutius.* An Divos fratres cognovit? Unum *Cujacii* memini. [3] Scripſit *Hortenſiam* legem ante *Horatiam* latam. Quæ movet argumenta, opinor contra *Manutium*, in hiſtorica tractatione? negat lege Romuli, adulterium privato mariti & cognatorum judicio potuiſſe morte puniri; quia ſcilicet apud Halicarnaſſeum & Gellium notet, mulctam infligendi arbitrium, non mortem fuiſſe. Quid hoc eſt? Hiſtoriographi, grammatici verba ad trutinam exigit Juriſconſultorum? Sed an *Ulpianus* ita non loquitur, ut fuerit olim mulcta & capitis animadverſio? ait. *Mulctæ animadverſio hodie pecuniaria.* [4] Meminiſtin quid ex *Briſſonio* [5] indicavimus de illa dictione *hodie?* Lege Julia adulteris pœnam capitis conſtitutam negat *ex l. ſi quis viduam 5 ff. de quæſt.* optima, *ſi diis placet*, probatio, quia trecentos ferme annos poſt vixerit *Marcianus* a lege Julia, capitis illius auctor; & teneat ratiocinatio hæc. *Marciani tempore pro adulterio non erat pœna mortis. Ergo neque ante annos trecentos fuit ex lege Julia.* Taciti locus nihil me movet, quem citat, quia ſtare poſſit Tiberii inclementia & tamen *Aquiliam adulterii* delatam damnatamque *lege Julia* punirit ipſe exilio: nam ſi (ut ſcribit *Cujacius*) infinitis præſcriptionibus *lex Julia* eludebatur, quid nequiit *Aquilia* delata adulterii, (noto quod non dicit *convictam*,) leviſſima aliqua pœna ex lege Julia punita eſſe? & quoniam ibi verſamur & noſtris inſultat, en accipe *Cujacii* plagium. *Alciati* [6] enim eſt & quod pro adulterio non fuerit olim pœna ſanguinis; & ratio quoque, cur hodie facto capitali crimine non liceat de ipſo transactione paciſci. Credit alienius a vero nihil eſſe, quam quod eadem *lege Julia* ſtuprum inviolentum quinquennali relegatione fuerit coercitum. Quam habet rationem? tractat forte alibi: & nos cum ipſo videbimus. Obiter dignius id, cur ad tempus fieri poteſt relegatio, non poteſt ulla capitis deminutio? quia ratio earum ſit diverſa a relegatione: non enim per rerum naturam fieri poteſt, ut ad tempus quis ſit vel deſinat eſſe filius: & ideo nec ad tempus eſt adoptio vel emancipatio. Subſtantiæ etiam matrimonii repugnat temporaria

[1] *L. 4. cap. 4.* [2] *Aug. ad Med. car. 259.* [3] *L. 6. Obſ. cap. 25.* [4] *L. 131. ff. de verb. ſing.* [5] *Et lib. 6. Obſ. cap. 11.* [6] *Lib. 5. cap. 9. Paradox.*

in

in manum conventio, ut nec ista admissa fuerit. Deportatio, Damnatio in metallum, mortis civilia genera, nec ad tempus permitti valuit, quia nec naturalis ad tempus mors est. Quid commune cum his relegatio? Hæc & reliqua fuerant ejus loci; digna sunt Jurisconsulto. Quod de ambitu controvertitur, & his est conjunctum rationibus, nunc apud me non determino. Facti fides obtinebit. Quid præterea? Ridet maxime, quod auctor ille putaverit, *donationem* fieri potuisse re non tradita. At si non probat contrarium, quid cachinnis solvitur? Ego cum meis puto, donationem & a promissione incipere posse. Verum & *Cujacius* ponit, dicit tamen, nec rei traditæ, ante orationem *Severi*, mulierem habuisse vindicationem. Sed istud quid contra illa verba? *Lex Ælia jubet, ut rei a marito donatæ nec traditæ vindicatio non sit mulieri.* An dicunt, quod rei traditæ sit vindicatio? non intelligo. Sunt & alia: quæ omnia in *Anticujacio* illo plenius: & in præsentia satis per indicem. Immo quoniam in longum nimis jam progreditur sermo noster, facio etiam cum isto finem. Audio a *Bodino*, [1] *Hottomannum* in historiis notari. Ego & de *responsis* dixi. De uno nunc dubito, quod *Odofredum* afferat *Azonis* & *Accursii* præceptorem: & nec primus *Odofredus* fuit illis præceptor, qui expertus est *Accursium* præpotentem collegam, & secundus post illos vixit. Res est nullius pretii, ipse tamen docet in *commentario de verbis juris*. Mihi stat ratio, cur notem. Quid errores *Holoandri in Catalogo Consulum* memorem? vix in eo aliquid immutare potuit, nam *Cassiodoro* vindicatur, & tamen plura habet errata, quæ alii adnotarunt. [2] Errata historica Deorum minorum gentium *Rivallii, Labitti, Rutilii, Russardi*, nec indico, quæ apud *Contium* sunt. Videamus quæ propter historias mala commenta in ipso jure admittantur. Legitimis tractationibus historicas velle commentationes admiscere, incommodum mihi videtur, *Quincte.* An cogunt? an urgent? an movent? nihil istorum hodie, quando peraguntur omnia ex jure scripto. Sed, ut posteriora capita sinamus, quæ *Rhetoris* sunt potius, quam interpretis nostri: quid de primo dicimus? In eo ego reprehendo novitios, qui determinare velint quæstiones juris non quidem ex jure solum, sed etiam ex historiis. Id autem an non est? adsit unus modo *Hottomannus*. Condemnat imperitiæ *Tribonianum*, quod in Institutionibus scriptum sit, *Plebiscitum est, quod plebs plebejo magistratu interro-*

[1] *In lib. de reb.* [2] *Alc. cap. 2. lib. 5. Parerg.*

gante, veluti Tribuno, constituebat. Ait enim, non alios præter *Tribunos* rogare solitos plebiscita, & ex ea dictione, *veluti*, diversum significari. Quid hic? historiis intentus, quas & ex *Manutio* [1] habuissemus, parum est solicitus, an illa vox, in eo uno exemplo consistens, quandoque exigat ultra nihil. Quid subdit ad *Senatusconsultum?* obtusius nihil dici potuisse, quam quod propter civium copiam populi potestas ad Senatum sit translata. Ita adversus jus propter historiam. At rogo, fuerint senatusconsulta ante Cæsares, fuerunt. Quid ergo dicit *Hottomannus?* Cæsarum astutia factum est, ut populus plane omnem auctoritatem amitteret: Senatus tamen consulta etiam mox a latione legum *duodecim tabularum* habita. Verum dum dicit contra §. *ex non scripto.* Et vers. *& non ineleganter.* An non acuitur nimis ab historiarum peritia? Imo elegans ea partitio *Hottomanne,* quia Romana Civitas, illis constituta legibus scriptis & non scriptis, statum Athenarum & Lacedemonis repræsentaret. Et scriptum & non scriptum jus suum Romanorum; scripto tamen Athenienses repræsentati. Lacedemonii non scripto, ut qui ea *magis,* quæ pro legibus observarent, memoriæ mandarent. Illud etiam adverbium lege, & non erit ibi nodus in hoc scirpo. Quæ ad *Servitutis* definitionem? movet unum ex historiis, quod prosequor; alterum mitto.

QUINCT. Imo & alterum, quod est conjunctum.

ALBER. Utrumque dico. *Servitus est constitutio jurisgentium.* Est quædam servitus juris civilis, inquit *Hottomannus.* At ipsum nomen & jus servitutis totum est jurisgentium, etsi hæc vel illa species sit a civili adjecta. Historicum est, quia & filii sunt sub alieno dominio, patris scilicet, qui vitæ necisque potestatem in eos habuit, & ii tamen non sunt servi. Sed an patriæ potestas est juris gentium? an est contra naturam? an dominio patris subjici dicuntur filii? transversum historia rapit: recurrit enim ad nescio quæ tempora, quando patris fera erat in filios potestas. Quid præterea ex *Livio & Dionysio* movet contra generalem sanctionem §. *fin. Inst. de ing.?* itane legitima statuemus dogmata ex historiis? sed videat ne inepta, ne iniqua multa. Historia uniuscujusque, facta, dicta recenset: unusquisque erit nobis ex historia legislator? qui igitur ficuum medietatem emit, secabit singulos. Nam Antiochi naves secuit Fabius. [2] In proposito lex erit vox illa inimica? *servum serva natum.* An ratio, quod

[1] *In lib. de leg. car. 256.* [2] *Jas. in l. 12. ff. de reb. cred.*

matris

matris calamitas ventri nocere non debeat, consonat melius, civili servituti? totum diversum videtur ex verbo, *Calamitas.*

QUINCT. An ergo fuerit liber, qui ante captivitatem conceptus est?

ALBER. Propter illas historias non vereor, liberum affirmare. Ex jure etiam opinarer liberum: quæ enim ratio diversitatis inter servam factam jure gentium, & factam jure civili, cur in ista tueamur & *Marciani* & Imperatoris generalem determinationem? Nascuntur ex ancillis nostris servi, si ventrem nunquam gessere liberum. Si alias non dimittitur, in servitute esse dicetur, quod nihil officit, non servus: & tantum uno libertatis favore adversus omnes regulas juris. Sed ista, cum plus otii: & unum adhuc dico contra *Hottomannum*, & ad finem totius orationis propero. Clarissimus iste vir negat, *fœminarum tutelam* comprehendi in definitione ex *Servio* relata, quia illæ in perpetua fuerint *tutela* sub ætatem *Servii*, ego dixi, Justinianum auctorem asserendum hujus definitionis; ut perperam ad præteritas ætates recurratur. Age vero, negabit nemo, quod propter ætatis infirmitatem præcipue tutela detur etiam ipsis fœminis; & indicat satis *Ulpianus*, [1] qui dixit, quod masculis solum propter ætatis infirmitatem, fœminis etiam propter sexus tutores darentur. Satis igitur & fœminarum tutelam continet *Servii* definitio; quæ præcipuam causam notat. Adde, quod in ea definitione causa, propter quam tutela est introducta, disponitur, nec quidquam dicebat *Servius*, quomodo finiretur. Tandem, an lata non erat differentia inter *mulierum & pupillorum* [2] tutores? certe docet elegans *Brissonius* alicubi ex ipso eodem *Ulpiano ac Cicerone.* Illa fœminarum tutela abrogata erat; ista pupillorum, pupillarumque manebat; ista definebatur & ex *Servio* recte. Quæ igitur istæ tricæ *Hottomanni* ex historiis? Jam igitur historiis insudemus, istas argutationes auditoribus nostris exhibeamus, & consultoribus. Non adstipulor *Alciato* [3] omnium recentiorum longe doctissimo, qui meos interpretes deceptos in plerisque clamat ex historiarum ignorantia, & illam cognitionem plane necessariam jurisconsulto opinatur: nam quæ tractavimus, ipsa contrarium docuere. Eat ipse, & ex historiis asserat ac *Dione*, permissum lege Falcidia quartam partem retinere, reliquum omittere gravatos posse. Asserat rerum medietatem, ex *Eusebio*, pluribus quatuor hæredibus onere legato-

[1] *In frag. Jo. ab Hott. cita.* [2] *De rit. nup. car.* 14. [3] *In l.* 26. *C. de decur.*

rum prægravatis; & obtinebit, postquam mei errarunt, nec ridebitur. [1] Ipse hæc falsa notavit alibi. Nos ridiculam unam & alteram historicam quæstionem recenseamus. *Cur ea nomina usurpantur, Titius, Mevius, Sejus, semper ubi liberæ personæ factum recensetur in legibus nostris? illa, Stichus, Pamphilius, Eros*, ubi de servo agitur?

QUINCT. An latet aliquod mysterium? scio, a *Cicerone* [2] ridebimini.

ALBER. *Alciatus* ridebitur, qui hac de re, & tanto mysterio disserit toto capite *vigesimo sexto libri primi Parergon*. Satis sit commonstrasse locum. Qui fit, hæc est altera, ut tam crebra apud Jurisconsultos sit mentio ejus conditionis? *Si in Capitolium adscenderit.*

QUINCT. Et hoc ignoro.

ALBER. Quia *Capitolinæ* arcis solum præaltum, ut adscendendum fuerit: & illud ex Horatio, Tacito, aliis constat. Ita *Duarenus.* [3]

QUINCT. Profecto mihi ridiculum videtur istud: an enim in *Aventinum*, in *Palatinum* non adscendebatur?

ALBER. Quæ inter has est dissimilitudo, & eam, quam *Odofredus* [4] recitat, petiisse a se magnum quendam philosophum in artibus, *cur plures leges in uno essent, quam in altero titulo?*

QUINCT. Sane inepta. Vide tamen, non persuadeor. Dii boni, sine historiis intelligemus, titulos, qui de officio hujus & illius magistratus compositi sunt?

ALBER. Intelligemus, si satis est intelligere, quod quæratur ex jure nostro. Cum RODULFIUS meus, annis abhinc tredecim, *Perusii* interpretaretur titulum, *de officio ejus, cui mandata est jurisdictio*, nimisque multa pro facundia & eruditione sua incredibili diceret ex omnibus auctoribus, de *magistratibus* omnibus, nos eum non tulimus in illis historicis tractationibus post alteram lectionem versari, sed ita clamoribus, ac strepitu dicentem virum divinum interturbavimus, ut vel in medio historiarum cursu expresserimus ab ejus ore tandem *& ideo Bartolus* &c. nam & nos pacati ad eam vocem legitimæ orationis conticuimus, & ipse ad jus perrexit interpretandum, quo utimur. Quid si audissemus *Baronem?* [5] tot breviter ex *Cicerone* colligit auctoritates in hæc argumenta, ut majora folia quatuor impleat fere, ex similibus adhuc duo.

1 *Lib. 5. Parerg. cap. 24.* 2 *In orat. pro Mu.* 3 *Duar. cap. 15. lib. 1. Disp. ann.*
4 *Ad l. non omnium.* 5 *In Disp. de jur. & imper.*

Vereor,

Vereor, ut audiſſet ab illis quadringentis ſummam contumeliam, *Pædagogi foras.*

QUINCT. Et ſumus inſolentes nos Itali ſtudioſi cum præceptoribus noſtris.

ALBER. Itali ſtudioſi colunt maxime doctores ſuos, ſed non admirantur: non enim ſolent ad ſcholas unquam aſcendere, niſi prius meditati, &articulo, qui diſputandus eſt, diligenter præviſo, & ſententiis, & rationibus auctorum examinatis. Quid opinaris? non illi nobis imponunt, non aliena pro ſuis venditant, non alia pro aliis exhibent. Quid alibi fiet, ubi nemo præterea cognoſcitur interpres, niſi ipſe magiſter? is quid non ſuadebit jus eſſe in illis hiſtoriis totum? quid illa non approbaverit *Baro?* quid adverſarius ſuus *Duarenus* ſua non vendiderit ſingulari pretio, a titulo *de ſenatoribus* usque ad titulum de *jurisdictione?* ego iſta legi. Quid habent? unum aut alterum, quod juris ſit, nec verba legum recenſeantur. Totus ille tractus eſt *de magiſtratibus.* Age, vide iſtos recentiores, tum conferas utilitatem, cum ea, quæ ex antiquioribus conſtabit. Habes de hiſtoriis.

ALBERICI GENTILIS
DE
JURIS INTERPRETIBUS DIALOGUS SEXTUS.
ANTIPATER.
COLLOCUTORES.

ALBERICUS. QUINCTUS.

ARGUMENTUM.

Collatio gloſſatorum & juniorum JCtorum: difficultas & prolixitas ſtudii juridici ex mente juniorum Jureconſultorum: vituperandi antiquiſſimos Jureconſultos mos. De Triboniano & Juſtiniano relationes Procopii. Celeritas nonnullorum ſcriptorum in ſcribendis libris. De Ordine in libris juris obſervato. De Antinomiis: de inconſtantia juris Juſtinianei: de ineptis in jure Juſtinianeo: de Emendationibus textus in libris juris civilis: de Cujacii ſcriptis: de reſtituendis nonnullis Juſtiniani conſtitutionibus.

ALBERICUS.

AT sint veteres interpretes plebei, nocui, inepti, sophistæ, barbari, suum cibus, bonarum omnium artium imperiti, serviliter, sordide nostram tractantes disciplinam, rixantes de lana caprina, sycophantæ, vitiligatores, pestes ingeniorum, lacunæ, sentinæ fœdissimæ, tortores, carnifices studiosorum, rabulæ, præstigiatores, ad aratrum nati, non bene de mente constituti, cum reliquis omnibus, quæ in illos novitii solent detonare. Et nos præsertim *Itali* tales simus, quibus lex legum & Dominus dominantium, dicit: Deliri estis, miseri, non intelligentes quid loquamini, blaterones, desipientes, improbi, ambitiosi, avari. Nihil verum non sit. Proh dolor. Nescio, quæ Cœli iniquitate pro *Scævola*, *Ulpiano*, *Paulo*, *Papiniano Azonem*, *Accursium*, *Bartolum*, *Baldum*, plus minus exoticæ linguæ homines ferre cogimur, ut *Diomedis* hercle arma & *Glauci* non dispari magis pretio æstimata sint. [1] Quanto felicius *Cassianis* & *Proculianis* contigit, quod viros in omni doctrina clarissimos sunt secuti: nos comparatione ad veteres illos & volutamur barbarie, & vix umbras sequimur. Justæ hæ recentiorum querelæ. [2] Quid agemus? *Legibus latis* ait Pomponius *cœpit, ut naturaliter evenire solet, ut interpretatio desideraret prudentium auctoritatem.* [3] Leges a *Justiniano* habemus. An hæ satis sine interpretibus? id *Justinianus* maxime voluit: cui tamen & verbis & factis contradicitur ab omnibus palam veteribus, & recentioribus, ut non sit opus, de re ista disputare. De interpretibus ipsis tractatur solum; & meliores quæruntur. BARTOLUS, BALDUS, ALEXANDER, JASON, similes non placent; fuit tempus, cum in pretio essent; nunc non debent æstimari tantillum quidem. Recte: at quos illis substituemus? Plebs Campana jam jam novum electura senatum, pertæsa scilicet veterem, quid egit? cum novus senator in veteris locum esset subrogandus, primo silentium erat inopia potioris subjiciundi: Deinde, cum aliquis omissa verecundia quempiam nominasset, multo major extemplo clamor oriebatur; cum alii negarent nosse, alii nunc probra, nunc humilitatem, sordidamque inopiam, & pudendæ artis aut quæstus genus objicerent. Hoc multo magis in secundo ac tertio Senatore factum est; ut ipsius pœnitere homines appareret, quem autem in ejus substituerent locum deesse. Ita homines dilabi. Ita prior senatus retentus. Doctissima historia; & quæ maxime valere possit ad rem, de qua agimus. Tu tamen longioris ser-

1 *Monta. ad proe. Inst.* 2 *Zas. in l. 2. ff. de orig. jur.* 3 *l. 2. ff. de orig. jur.*

monis

monis initium, quam putes, detulisti: volvendi essent præterea libri cum aliorum, tum in primis *Cujacii*, de quo rogas in primis. Vidi quædam, sed incivile est de hominis lucubrationibus judicium ferre, & has omnes non perspexisse. In eum quoque campum delapsus sum pluries hisce diebus per oblatas disputationum occasiones. Quid adhuc de novitiis interpretibus dicam?

QUINCT. Quod restat, ad relatæ historiæ formam.

ALBER. Si tibi placet, extremo etiam isto labore defungamur: & tu interim cogita, quid sit respondendum, si aliqui nos Jurisconsultorum censores dicent, ut medicum illum censorem medicorum scripsere.

QUINCT Si tu more nostro Italico, minime scilicet agresti & vehementi, [1] minime aspere & barbare, sed modeste & graviter in hac tractatione versaberis, quid est, cur verearis ullam reprehensionem?

ALBER. Ab illis maxime, qui, ut audisti, vel in Italos plane acuunt stilum. Si quid excidit superioribus diebus, quod nescio an in ipsos factum sit doctores, justissime condonabitur justissimæ rei indignationi. Nunc, quod petis, quasi in *Theatro* veritatis, sub oculis sapientum, sine plebeis rixis, sine sordidis irrisionibus, stolidis scurrilitatibus rem totam ponamus. Aliorum ista linguis sinamus. Proh mores, proh tempora. Inter doctos viros vetustis moribus receptum dicebatur, [2] ut si a scriptoribus recedendum fuerat, res ipsa in disceptationem veniret, conviciis parceretur. Id utinam eloquentes isti viri tam servarent, quam debent ad omnem modestiam esse compositi ex ipso eloquentis munere, quod viri boni esse narratur. Barbaram juris tractandi rationem clamat *Hottomannus*, [3] si in personas, non in res dicatur: oblitus tamen & ipse sui est; quod recensui: & *Cujacius*, credo, nunquam illud cogitavit. Ecquid tantum Itali meruere jurisconsulti? quia subtiles appellent Ultramontanos?

QUINCT. Nollem, in hæc te diffunderes. Italici pectoris erit ad ipsa minime commoveri, immo ne aspicere quidem, aut penitus contemnere. Aggredere illud Senatorii ordinis examen.

ALBER. Juris studiosis multæ ex novitiorum interpretum commentationibus remoræ sunt, quominus & velint & possint cognoscere jus civile. Quæ enim illa de legum nostrarum compositoribus? Quæ de ipsa compositione? quæ de tam multis antinomiis, superfluis, mancis, ineptis? Quis jurisconsultus futurus imo statim non aversabitur jus

1 *Erasm. in princ. Suc. anat. con. Montat.*
2 *Zas. in dis. anti. ad Cant.*
3 *In l. frater a fratre. con. Cuju.*

civile,

civile, si occupari illud videat pene universum ex istorum libris in verbis & historiis explicandis? si totum fere audiat personari *Tullii*, *Sallustii*, *Livii*, *Plauti*, *Terentii*, *Virgilii*, *Plutarchi*, *Dionis*, *Herodoti*, & similium nomina? credetne ex ephebis excessisse? Quid fiet cum veterano? is ad vitam civilem & forum conferri nihil viderit a novitiis nostris: plagia enim cognoscet, exilitatem ridebit, fastum aversabitur. An sum maledicus? Sed eum, qui nocentem infamavit, non esse bonum æquum ob eam rem condemnari, scribit *Paulus*. [1] Ni modo probem hæc omnia, pœnas Edicti dabo, aut cujus cujus legis severioris. *A cane non magno sæpe tenetur aper*, dicere solebat *Picus*. [2] Qui ad libros commentaria, aut simile quidpiam scribunt, *Quincte*, solent hi de auctoribus ita præfari, ut lectores urgeant potius ad opus inspiciendum, quam ut a lectione deterreant. Nostris ipsis novitiis juris interpretibus, contrarium visum est. Libris *Baronis*, *Hottomanni*, & aliorum quorundam prolatis in medium, de veritate judicetur. *Justinianum*, *Tribonianum*, reliquos compositores juris nostri proscindunt omni contumeliarum genere passim. Ignavus, analphabitus imperator: imperitus, ordinis expers, male de nobis meritus, stultus, ambitiosus, ignarissimum animal Latinæ linguæ, omnium Deorum contemptor, & præsertim a fide Christi abhorrens *Tribonianus* ille operis architectus. Credebas ullis pepercisse novitios? sed attende; nam & contra *Paulos*, *Cajos*, *Ulpianos* audies eos. Ista tamen ab *Alciato* ipsorum parente non didicerunt recentiores: nam confictas in Justinianum fabulas non uno argumento is diluit in suis *Parergis*; [3] aitque altero loco, *Procopio*, & id genus Grammaticis, a quibus novitii toti pendent, credere haudquaquam oportere; infensos enim fuisse istiusmodi homines Christianissimo imperatori, eique propterea obtrectare insanumque & illiteratum appellare, & tamen digniorem *Justiniano* nunquam ad imperium assumptum, ipsi tamen athei & infideles ferre nullo modo potentes. An vel *Tribonianus* notatorum criminum reus? an impius in nostram religionem? sanctissimæ, quas multas dictavit, constitutiones contrarium docent. *Zasius* [4] certe vel hoc uno argumento tuetur pii viri existimationem. Leges pretio fixit & refixit, Suidæ testimonio? leges pretio non fixit, nec refixit, *Procopii* testimonio, ut ut fuerit avarus: id non disputabo, nam color alioqui omnis *Suidæ* mendacio detergeretur. Nos tamen

1 *l. 18. ff. de injur.* 2 *Alc. lib. 4. de verb. sig.* 3 *Cap. 24. l. 4. & cap. 2. lib. 5.* 4 *in l. 2. ff. de orig. jur.*

miseros

miseros, si Grammaticis istis credamus, Rhetoribus, Oratoribus, ait *Alciatus*, [1] & tertio asserit, pro Triboniano contraria *Suidæ* testimonia apud graviores reperiri.

QUINCT. Si ita est. Vere itaque *Patricius* noster, ut mihi quidem videtur, historiis omnibus fidem abrogat; postquam semper hoc factum est, fiatque semper, ut non minus ipsæ invicem, quam horologia dissidere soleant; rerum veritas aut non cognoscatur, aut innumeris de caussis prodatur.

ALBER. Quid igitur, missis historicis omnibus, nos non metimur ex operibus sive *Tribonianum*, sive *Justinianum*, sive alium quemcunque? Sed tamen doctissimum sui seculi etiam historiæ dicunt *Tribonianum*.

QUINCT. At quale illud seculum? monoculus scilicet (quod vulgo usurpatur) inter cæcos.

ALBER. Non illud *Suidas* ipse dixerit. Ego quidem facile assentior, hominem hunc splendore quodam & majestate conferendum non esse *Julianis*, *Neratiis*, *Marcellis*; sed negare illum peritissimum juris civilis, & hominem prudentissimum, hoc profecto summæ est impudentiæ, si quas ex ipso leges habemus, ex ipso eas habere nos confitebimur. Quid enim non munitum ratione descripsit? quot, rogo, antiqui juris altercationes justis argumentis diremit, justis sententiis composuit? quas nugas, unde a *Cicerone* ridebamur, non sustulit? quid si hic esset locus examinandi vel unam? en ergo, ut adversus malevolos suos munierit se egregiis monumentis *Tribonianus*, adversus illas vociferationes quoque, quod non *Pompejus*, non *Cæsar*, non *Cicero*, non alii eo felicissimo seculo tantum aggredi opus tentarint, quantum *Græculi* isti, iste panurgus temerario & infelici conatu in summo bonarum artium interitu ausi sunt. [2] Et quæ ista? an propria operis difficultate, aut *Pompejus*, aut *Cæsar*, aut *Cicero* perterriti fuerunt, vel aliis caussis, quas sciunt omnes, retenti sunt? quid etiam? an tempora meliora sub illis quam sub *Justiniano* Cæsare? certe: nam illo felicissimo seculo fuit *Julianus*, *Papinianus*, *Sabinus*, *Celsus*, *Pomponius*, *Cajus*, *Ulpianus*, *Paulus*, similes plurimi; ex quorum scriptis compositum jus habemus. An istis comparabuntur antiquiores? Comparentur. An ex istis summam accessionem non habet scientia civilis? quo igitur tempore facilior juris compositio? Quid præterea? Vitio vertunt, quod tribus an-

[1] *Lib. 3. Dispun. cap. 2.* [2] *Hott. Fa. Reub.*

nis *libros sex & sexaginta* (tot enim sunt Digestorum, Codicis, & Institutionum) [1] voluerint decemviri illi conficere. Possum aliquid ex *Barone* afferre; verum libet simpliciter respondere, nullam temeritatis notam istos incurrere, aut justam aliquam reprehensionem, si tribus annis viri doctissimi, versatissimi in jure, aptum quod erat, tantum ex alienis laboribus desumpsere. An putamus, eo temporis primum demandati a *Justiniano* operis legisse veterum consultorum libros? juris difficultates, vitia considerasse? ratio dictat, ut fuerit opus totum ante imaginatum & delineatum quasi, quam ex præcepto Imperatoris fuisset assumptum: nec enim rem intentatam, incompertam, non expectatam jussisset iste. Quæ igitur audacia? jam venit in mentem. *Alciatus* an quindecim diebus non scripsit in *tres illos difficiles libros Codicis?* [2] an non octo diebus *Gribaldus* libellum suum de ratione studendi? *Duarenus* an non etiam septem (unde & nomen) suum Heptameron? alia exempla alias, & majoris equidem momenti. Quis nonum premit in annum? ne ipsi quidem Poetæ, qui non solum vincere debent, sed etiam cum voluptate victi penitus debent. Meministin' quod admirabilem hymnum in Bacchum horis vix duabus inter infinitas occupationes confecit *Scaliger?* forte etiam aliud verba *Horatii* sonant, & alium sensum suscipiunt: ego enim ad rem legisse aliquid apud *Alciatum* [3] scio; non tamen eo delabor.

QUINCT. Tu negotium facile asseris, quod desperatum vocavit ipsemet Imperator, & infinitum.

ALBER. Ego facile non dixerim, sed arduum immo fuisse judico: si tamen onus inter decem est partitum, quid erit etiam impossibile? Succurrit aliud, atque aliud. Duobus, tribusve [4] mensibus an non possunt ab unoquoque cum fructu legi sexaginta sex illi libri? dicit *Duarenus*. *Cujacius* quot libros Codicis est interpretatus pauculis mensibus, si sui auditores vera renunciant? quod ex decreto senatus Biturigensis *Baro*, collegæque? Vide, quid tandem censeo. Sicut ex antiquis consultis alii hos, alii illos habebant auctores præ manibus, & de *Justo* diximus, qui Divorum fratrum constitutiones collegit, ita proculdubio & cum decemviris illis accidit, ut nec plane difficile fuerit, ex notissimis libris sententias commodas quemque in demandatum opus quasi symbolum suum conferre.

QUINCT. Hæc satis placent, sed.

[1] *In prin. comm. ad Pand.* [2] *In ep. dedic. in ep. ad Tholo. in ep. ad Paris.* [3] *In Hyper. c. 4.* [4] *lib. 9. parerg. cap. 6.* [5] *Duar. in ep. ad Guil.*

ALBER.

ALBER. Sed magis, si examinemus etiam certa quædam capita.

QUINCT. Maxime.

ALBER. Et tu illud memineris, cur de istis in præsentia disputemus.

QUINCT. Ut scilicet injuste a novitiis factum probetur, similes afferendo remoras.

ALBER. Probe: & ostendimus, ni fallor, quantum attinet ad compositores; & fiet etiam nunc planius. *Ordinis*, clamitant, *Tribonianum* non modo imperitum, sed expertem etiam. *Connanus* & illud credit, & novum ordinem tentat. At non omnes *novitii in re* isthac conspirant adversus juris compositores; quod bene est. *Duarenus* [1] miris modis laudat ordinem Digestorum, & in hos valde invehit, qui alium ordinem secuti sunt: dicit insanisse, delirasse. *Viglius* [2] scribit, quod factæ sint *Institutiones* ordine & elegantia incredibili. Laudat hos eosdem libros Institutionum *Duarenus*, [3] laudat maxime Cujacius, comptiores dicit, pulcherrimos, nitidissimos, conditos ordine & arte tanta, quanta vix ullus poterit unquam conficere: docet *Hopperus*, [4] compositos secundum artis ordinem, prout ad rerum ordinem facti sunt libri Codicis, ex perpetui Edicti regula Pandectæ sunt efformatæ. Quid aliunde conquiram plures? quid inanem gloriolam ex alienis laboribus captem, si ista probarem latius? non tamen omitto unum. Partitionem librorum Institutionum vituperat *Hottomannus*, & libri quarti principium omnino statuit a titulo *de actionibus*. *Balduino* [5] opinio fuit, qui habuit ex libro quodam maris Balthici.

QUINCT. Quid tu contra dices?

ALBER. Titulos, qui *de obligationibus ex delicto* sunt, & ex *quasi delicto*, separatæ cujusdam esse naturæ a reliquis præcedentibus, ut merito sint rejecti in separatum quendam locum.

QUINCT. Quomodo illud?

ALBER. Sunt quidem ex delicto & quasi delicto obligationes; nam finitione, & divisione obligationis complectuntur; sed tamen ex diversis & pene contrariis caussis procedunt. Quia ex voluntate priores, contra voluntatem aliæ sunt.

QUINCT. Audivi, quod pœnæ videtur se obligare delinquens.

ALBER. Illud ex juris dispositione fit, nullo modo ex delinquentis

1 *Lib.* 1. *Disp. ann. cap.* 55. 2 *In præ. Græ. in Theoph.* 3 *Lib.* 11. *Obs. cap.* 31.
4 *Lib.* 3. *de jur. art.* 5 *Baldain. in prolegom.*

tis consensu; & præstet mihi argumentum, quod dicitur *de obligatione ex re judicata,* ut ea quidem nequaquam sit a damnati voluntate, sed quia jus ita suam, suorumque administrorum firmet auctoritatem.

QUINCT. Quoniam igitur alterius naturæ protinus sunt illæ obligationes ex delicto, sunt etiam quasi sejunctæ a reliquarum tractatione?

ALBER. Ita; & propterea etiam ille præpositus titulus *quibus modis tollitur obligatio,* quasi obligationum tractatui finis impositus fuerit.

QUINCT. Et definitio & divisio communicata tanquam æquivocis, & in genere fuerit aliis ex delicto, & quasi.

ALBER. Certe.

QUINCT. Melius tamen cum obligationibus, quam cum actionibus fuissent.

ALBER. Immo cum actionibus; quia ut hæ producuntur a jure ipso, ita illæ etiam obligationes.

QUINCT. Igitur alio eamus, si de *ordine* satis.

ALBER. Satis, ut mihi quidem videtur: nam voces illas incertas flocci facio, Græculos hosce compositores deformi membrorum transpositione monstrum nobis confecisse. Iste etiam Hippocratis aphorismorum libros non exciperet aliter, aut Deam Crotoniatum. Sequitur locus de *antinomiis.* [1] Ait *Fajus,* mercatum quasi Græca fide Justinianum a suis compilatoribus, credidisse *nullas antimonias esse in jure suo;* credidisse veteres interpretes homines minime malos, imo in his solvendis exquisite anxios. An præterea aliquid? ignavum putat quod nostrorum majorum simplicitati acquiescamus, nimio studio contradicendi *Vallæ* atque *Budeo:* infantium tempora dicit ætatem veterum: nimiam horum religionem contemnit. An *Fajus* solus? clamat BARO, [2] operam perdere & oleum, qui aliquot Pandectarum nodos sine gladio dissolvere conantur. *Hottomannus* [3] incusat etiam durius, quod sui potius acumen ostentare, quam lectorum studiis consulere velle videantur. *Cujacius,* [4] operam omnimode ludere, scribit. *Primum* terriculamentum ab artificum personis, & festinato opere. *Secundum* ab incomposita compositione. *Tertium* hoc a pugnantibus sententiis est. Nullam non admovent machinam, qua Ephesinum istud templum demoliri possint, & sunt tamen custodiæ ipsius jurati.

QUINCT. Si vera dicunt.

[1] *Faj. ad Comm. Conn.* [2] *In prin. comm. ad Pand.* [3] *In §. 1. Inst. de his qui tut. test.*
[4] *Lib. 3. Sent. Pau. tit. 6.*

ALBER.

ALBER. Si vera dicunt, non reprehendo; at hæc non minus falsa, quam fuerint priora.

QUINCT. De istis antinomiis nec Justinianus ipse audet tantum affirmare.

ALBER. Dum plane id non affirmat Justinianus, prudenter quidem, ut omnia: quoniam justa fuerit timoris caussa, opus maximum, humanæ imbecillitas naturæ, res minime vocata in experimentum, minime tractata. At nos post tot secula, tot examina præclarissimorum virorum, totque forenses subtilissimas discussiones non asseremus audacter? maxime si isti *antinomopei* nullam ostendunt excitantve pugnam, quam nos sedare non valeamus. Quid ille ait, concordias istas tentari nimio studio contradicendi & *Vallæ*, & *Budæo*? miror hominem, qui de hoc *Budæo* aut in suo *Connano* non legit, aut fidem lectis non habuit. Scribit *Connanus*, [1] *Budæum* sibi narrare solitum, proposuisse se hanc legum quarundam repugnantiam, doctorum hominum ingenia potius ut excitaret, quam quod desperaret fieri posse, ut concordarent. Quid *Cujacius*? [2] *antinomiæ*, ait, *non sunt, quas Budæus antinomias esse judicat*. Verba facit de duabus præcipue, & *Accursii* solutionem ad earum unam adfirmat vero veriorem esse: cæteris, inquit, nullæ sunt explicatu faciliores; & videre omnes possunt. Et quidem ita se res habet. Nam quis non videt, quam in amplissimo consessu notavit [3] ad *l. quisquis C. ad leg. Jul. maj. & l. sancimus C. de pæn.* signat alicubi Duarenus. Sed quis J. C. *Budæus*, aut *Valla*? dixi alias. *Valla* est etiam ridiculus. Tenes quod ex *Zasio* referebam?

QUINCT. Ipsum tamen *Zasium* in hoc antinomiarum negotio operam, quantam maximam posuerit certe perdidisse volunt; quia scilicet nihil afferat aut verum aut novum, sed omnia & a glossis jam tradita, & ab eruditis viris partim refutata, partim explosa; ut gloriosius (etiam inquiunt) fuisset tacere, nisi forte ex adversarii dignitate, & excellentia celebritatem sibi nominis quærere voluerit. [4]

ALBER. Illa alia quæstio est. Vel ex horum voce constat, *antinomias conciliari posse*. De eo nolo nunc esse solicitus, recte quis, minusve conciliaverit in hunc diem: frigide solverit etiam *Accursius*, ubi contraria sunt difficilia, ut loquitur *Zasius* [5] hic.

QUINCT. *An igitur calumnia fuerit in istum dicta, aut imposturam exercet Zasius?*

[1] *Lib. 5. cap. 4.* [2] *Lib. 8. Obs. cap. 9.* [3] *D. lib. 2. disp. c. 24.* [4] *Conn. lib. 4. cap. 13.* [5] *In l. 41. ff. de re. jud.*

ALBER. Alii videant. Illud certe ridiculum eſt, ut ex adverſarii ſplendore voluerit *Zaſius* innoteſcere, quaſi in civili ſchola non præſtet ipſe mille *Budæis*. At quid facies iſtis hominibus, qui populares ſuos agnoſcunt ſolos? *Portius* etiam noſter ſuppilavit *Budæi* libros de aſſe, non *Portii Budæus*, & tantum aſſerit ſcriptor *Gallus*. [1] Tempus tamen eſt ut recentiorum quorundam audias documenta in hoc antinomiarum negotio. Maxima juris noſtri intelligendi difficultas, (*ait Alciatus* [2]) in eo verſatur, ut ſi qua ſimul pugnare videantur reſponſa, recte concilientur. Ad eam rem induſtria opus eſt; ingenium addere, multa proſpicere, veritatem in profundo demerſam & e latibulis eruere oportet: rerum, negotiorum, cauſarum, perſonarum, conditionum, qualitatum, temporum differentiis confuſa diſtinguere, coercere effuſa, moderari generalia, caſum a caſu diſcernere, ſejungere colligata, ſeparare compacta, ſuppletiones facere, ſubauditiones, detractiones etiam, & multis id genus conjecturis ratiocinari neceſſe eſt: hoc enim juriſconſulti juſſerunt, [3] & ex reſponſis eorum apparet. Non negatur, complura in legibus offendi poſſe, quæ pugnantia primis oculis appareant, ſi tamen introſpexeris, ſi ſpicam excuſſeris, ſi ad medullam manus admoliaris, jam omnia ſibi conſonantia, concordia, & junctiſſime amica eſſe comprobabuntur. Non id obiter, aut ex incuria, ſed altisſimo conſilio legalia ſcita, quaſi inter ſeſe aliquando variarent, collecta ſunt: præviderant ſcilicet viri prudentisſimi, complures venturos eſſe, ANTIPATRO longe addictiores hiſtoriis & eloquentiæ, quorum genus ſemper infeſtum ſit nobis. His legalis philoſophiæ eminentia abſcondere voluerunt, eos ut pullos degeneres, a prudentia civili voluerunt excludere, tantum doctis viris juris interpretibus reſerata, & talibus qui multa ætate legales ſolas doctrinas verſaſſent, non alias, ſive diurnis, ſive nocturnis, ſive operis quibuſque ſuccifivis. Factum non eſt ſine ſummis exemplis. Hæc autem *Zaſii* pleraque omnia. Iterum, quid *Alciatus?* Nulla tam perfecta ſcientia, ne in divinis quidem rebus, in qua non in verborum cortice pugnantia apparere ſoleant. Teſtantur theologorum, medicorum, omnium artificum monumenta: ſed aucupari verba non oportet, quia nec ſermo cotidianus & familiaris cohærebit. An cum Germano & Italo ullus Gallus? imo *Duarenus* [4] in hæc verba. His qui non *ſatis triti* ſunt in lectione legum noſtrarum, non mirum eſt, ple-

1 *in vi. Bud.* 2 *lib. 6. Parerg. cap. 14. Zaſ. ad Cant.* 3 *l. 12. & ſeq. & l. 19. cum ſeq. ff. de legib.* 4 *cap. 3. in præf. Dig.*

raque

raque videri contraria, & pugnantia esse; cum eruditorum aliud sit judicium. Et nihil in Pandectis contrarium reperitur, si quis subtili animo diversitatis rationem excutiat. Nam esse aliquod deprehendet novum, vel occulte positum, quod apparentis dissonantiæ quærelam dissolvat, & aliam naturam inducat discordiæ fines effugientem. Homines tamen non *satis exercitati* in hac civili scientia has rationes diversitatis ægre percipiunt, *quamvis alioqui nec judicio careant, & doctrina, litterisque sint instructissimi: qui vero juris scientiam profitentur, etsi his omnibus rebus longe inferiores, propter assiduam tamen lectionem, studium, meditationem, contentionem* hoc assequuntur, ut rerum dissimilitudines facilius percipiant, & observent, vixque sit aliquid tam occultum, aut tam abditum, quod ab eisdem tandem non eruatur, & educatur in lucem. Unam istam incudem dies noctesque tundere oportet, *Quincte;* & in exordio harum disceptationum comprobavimus. Sentin *Duareni* rationum pondera? nugæ, quod a natura non sit negatum, plures artes cognoscere, si neminem cognovimus adhuc instructum pluribus.

QUINCT. At, mi frater, qui versatiores in librorum juris lectione, quam illi ipsi, qui antinomias agnoscunt?

ALBER. An æque ac *Bartolus, Accursius, Baldus, Jason,* similes, qui etiam commentariis jus universum illustrarunt? illi illud videant, ne ad phrases colligendas potius laborarint, & ad antiquitates cognoscendas, quam ut voluerint ipsum proprium justitiæ opus scrutari. Libri *Budæi* [1] testantur, & aliorum. Sed est tamen concludenda hæc tractatio instructione brevissima, ut tu possis de *antinomiis*, si quæ forte objiciantur, non inepte respondere. At quid referam novitiorum commenta, si prostant, mihi non placent, ipsi non sunt inter se concordes? Mea igitur ea est compendiosa sententia, ut quicquid non sit expresse emendatum, aut correctum, id minime dicatur pugnare. Certa, expressa verba requiro; quoniam & in hoc videam fuisse diligentem Tribonianum, ut aliquo modo semper moneret de emendatione. *Quod non mutatur, quare stare prohibetur?* & sum itaque cum *Alciato*, [2] qui veteres non tulit interpretes, quod frequenter etiam scripserint, *jus vetus a novo correctum.* Qua etiam ex re tu *Faji* illud dictum expende, *majores nostros religiosos fuisse nimis erga Justinianum, ut qui noluerint ullam admittere antinomiam; audis enim sæpissime etiam admi-*

[1] *Annot. in Pand.* [2] *Lib. 6. Parerg. cap. 14.*

sisse:

fisse: nam quid hoc aliud? & certe aliquando factum id est ab antiquis. Sed jam de antinomiis nimis multa: nam ubi privata attingimus, est nobis alius locus. Affine antinomiis est, quod dicitur de *inconstantia* [1] Justinianei juris; at si sapientis est mutare consilium in melius, quid isti simpliciter factum reprehendunt? caussam facti oportuit. An unquam vel ea non legerunt in Novellis? *Quod ferre omnia consuevit, tempus ostendit indigere legem quadam exceptione necessaria.* [2] Pergant tamen modis omnibus a studio juris nos deterrere. Superflua sunt in illis libris. Non sunt superflua. Satis ad hæc allatum causarum a Justiniano, quæ nec reprehendi, nec recusari possunt. Satis vel ab uno *Odofredo* responsum quandoque est. Alii etiam aliarum artium professores vel ob nullam aliam causam eadem reponere solent, nisi quia non sint omnia excursuri lectores; & id quidem in opere *quadruplo minori*, quam opus legum est. Adversus *Aristotelem* satis evincit *Patricius* [3] noster, & ea quæ minus repetenda esse videbantur. Qui isti sunt, quibus nulli possunt doctissimi satisfacere? Accisas nobis Pandectas dedit *Tribonianus?* Sed hæc eadem accusatio manet contra præstantissimos quosque, qui & longe plura in isto genere perpetrarunt, ut dixi, ad pullos degeneres excludendos. Non id est, mysteria habere, sed a præclara disciplina arcere eos, qui tanquam porci irruerent alias, ni similibus repagulis essent quasi coerciti; nisi jus nostrum hisce difficultatibus esset quasi obseptum. Vix est, ac ne quidem est, ut in præsentia vel grammaticorum audacia possit compesci. Non audisti *Vallam*, *Politianum*, *Budæum?* quid de rabulis dixero, & compitalibus sapientibus? isti nihil non audent, freti vel tabulis quibusdam, compendiis, methodis, epitomis juris, similibusque ipsis monstrosis operibus. Verum, ne excurramus. Centones isti habent, *Quincte*, suam perfectionem; nec integra Jurisconsultorum opera desiderare admodum debemus: ut enim inde leges essent, vetitum a Justiniano & certis rationibus vetitum: ut ad illustrandas, quæ leges sunt uteremur, nec istud valde commodum opinarer, si ex *Justiniano* cuncta accipi oportet. Credo potius controversias, Labyrinthos inexplicabiles ex illis monumentis; quoniam innumera aliter relata sint a compilatoribus, innumera translata in alium sensum. Ultimum criminationis caput de *ineptis* erat: ubi de privatis agere necesse est. Agamus cum *Hottomanno*. Inepte adjectum naturali juri, quod divina

[1] *Hott. §. fin. Inst. quib. ex caus. man. non licet.* [2] *De rest. & ea qua par. &c.*
[3] *Lib. 1. to. 4. disc. Per.*

qua-

quadam providentia firmum maneat, nam civilia etiam divina providentia constituta sunt. Quid tu respondes *Hottomanno?* [1]

QUINCT. Illa verba non referri ad constitutionem, sed ad durationem: dicit enim aperte ille paragraphus; & tunc verum est, non *ineptum*, quod jura naturalia, & gentium divina quadam providentia sunt firma, quia civilia sæpe mutari solent.

ALBER. Est igitur sensus, ut naturalia ad firmitatem constituta sint ex divina providentia, civilia ad firmitatem minime. Adde, quod in naturali minus operatur ratiocinatio nostra, in civili magis. Inepta est illa ratio, *quoniam vulgo conceptus est in tit. Inst. de ing.* quo namque referatur non habet. Potes iterum contra *Hottomannum* disputare?

QUINCT. Dicit Cæsar, eum, qui ex matre nascitur libera, & patre servo, ingenuum nasci, quemadmodum & is, qui ex incerto patre natus est; quoniam & ille, sicut iste, vulgo conceptus est.

ALBER. Probe tenes, quæ dictare soleo. Vulgo concepti dicuntur, qui patrem demonstrare non possunt, [2] aut eum habent, quem non licet, ut sunt spurii, ut is etiam ex servo & libera natus; quoniam inter hos matrimonium non sit. Cur autem improprie is dicitur talis, aut translate? filius est, quem nuptiæ demonstrant. Ergo qui nuptiis non monstratur, is est vulgo conceptus. Quod medium inter hæc duo? Verum ad emendationem illius loci, quam scribit *Hottomannus*, quid regeris?

QUINCT. Non placet, ut pro, *quoniam vulgo* legamus, *id est qui vulgo.* Nam & patres sunt, quos nuptiæ demonstrant, ut non sint incerti, quare nec ea interpretatione opus fuerit declarare illa verba, *& incerto patre.*

ALBER. Sed *Theophilus* favet *Hottomanno*, *Homerusque.*

QUINCT. *Theophilus* idem non est cum libris Institutionum: & dictum *Thelemachi* sapit Græcam scurrilitatem, honestate & majestate Romana prorsus indignum.

ALBER. Sed eadem carmina recenset etiam *Alciatus* [3] in suis *Parergis*, & ea ratione factum alicubi dicit, ut prima successio fratribus deferretur, quod hi certi sint.

QUINCT. Quid mihi cum aliis?

ALBER. *In tit qui & ex quib. caus. &c.* Nec illa verba habent, quo referantur, *quam si vindicta apud consilium*, *justa causa manumissionis ad-*

[1] *Ad §. pen. inst. de jur. nat. & c.* [2] *l. 23. ff. de stat. hom. Hott. in §. 12. Inst. de nupt.* [3] *Lib. 10. cap. 2.*

probata, fuerint manumissi. Quis ita præterea loquitur? *Non permittitur manumittere, nisi manumissi fuerint.*

QUINCT. Referuntur ea verba ad manumittendos servos, de quibus pluries illucusque dictum erat. Quid incommodi est in his verbis? *Non permittitur manumittere aliter quam hoc modo.* Tantum liquido sonant verba Justiniani: quod enim est discrimen inter hæc, *Nisi manumissi fuerint vindicta. Nisi manumittantur vindicta. Nisi manumissio fiat vindicta.* Ego non video, nisi grammatizando.

ALBER. Ridiculum quoque fuit, *ut in tit. de nupt.* apponerentur illa, *Quod ex aliis liberis &c.* Nam sua sponte intelligitur satis.

QUINCT. An idem casus non determinatur *in l. nuper. u. quam ipse producit, C. de nat. lib.? & multo magis si quis mulierem &c.* Ibi etiam ridiculum? & satis etiam absurdum dicit *Justinianus*, [1] si natis postea filiis tantum non daretur. Dubitatum tamen ea de re, & dubitatum in jure non semel de plusquam ridiculis. Sic uterque casus ejus legis refertur a *Justiniano* in Institutionibus.

ALBER. *Et tam filium alienum quis in locum nepotis adoptare potest, quam nepotem in locum filii.* Verba sunt *Justiniani*, [2] & nihil potest absurdius dici: quid enim refert, nepos sit extranei, an pronepos aut abnepos? Habes ad ista quidquam?

QUINCT. Dubitatio potuit esse propter duplicem status mutationem, ut filius *Titii*, fiat mihi adoptivus & nepos, & nepos Caji fiat mihi filius & adoptivus. Cur hic non tenet sensum *Theophili?* ait ille, si me non fallit interpres. *In locum nepotis alienum filium adoptare possum, & rursus alienum nepotem in locum filii: quoniam necesse mihi non est ordinem gradumque, qui apud patrem naturalem est, servare.*

ALBER. Ergo *Theophilus* non dicit, quod *Hottomannus* refert?

QUINCT. Quid?

ALBER. Quod cujus filium in nepotem adoptatum habeo, ejusdem nepotem in filium adoptem.

QUINCT. Videtur omnino loqui *Theophilus* de alio atque alio, qui in adoptionem tradit.

ALBER. Si dixisset, male, an non?

QUINCT. Putat *Hottomannus*, sed fallitur: nam qui pater est, si in nepotem adoptatur, fit proculdubio tanquam ex alio filio: an enim ille interpres voluisset, ut minor & filius fieret majoris, patrisque pater? Inepte omnes loquuntur, si affingere licet ineptas cuique sententias.

1 *l. 27. ff. de testam. l. 86. ff. de her. inst. l. 7. ff. de interd. & relegat.* 2 *§. 4. Inst. de adopt.*

ALBER.

ALBER. Sequitur *Hottomanni* criminatio *ad tit. de Att. tut.* quod a *Triboniano* verba quædam descripta sint ibi negligentissime: at quia nihil dicit præterea, nec ego nisi illud, *Si accusasse sufficeret, nemo non reus.* Quid tu tamen ad præcedentia? *Si pure datus sit tutor, quamdiu ex testamento nemo heres existit, tamdiu ex iisdem legibus tutor petendus est &c.* Hic locus a *Triboniano* negligentissime tractatus est, quia illum casum solum attingit, quando pupillus non est institutus, verum alter quidam extraneus.

QUINCT. Immo & quando pupillus non suus institutus est, quod lippis patet & tonsoribus, si verum est, quod in suos tantum hæreditas abeat ipso jure.

ALBER. Optime omnium recordaris: tu igitur reliqua solus; & satisfacies tibi.

QUINCT. Imperiti glossatoris, & scriptoris imperiti asserit *Hottomannus* illa verba esse, *ideo nec in tutelam. in tit. præcedenti de fid. tut.* Ego contrarium didici hoc modo. Parens tutor est legitimus emancipati filii, non quia agnatus, sed ad similitudinem patroni, quia emancipator; quæ emancipationis virtus, cum nequeat in filios transire (neque enim jus eorum fuisset) mirum non est, si nec ut agnati fiunt fratres legitimi tutores, id vero non erat ibi ponendum, quia de emancipato erat quæstio, nec tanquam transierit jus emancipationis, quoniam in potestate eorum non fuisset emancipatus; quæ erat una ratio attingenda, ut quæ sola poterat aptari in casu emancipati. Ita. Transit jus manumissionis in filios patroni, quia fuissent ipsi domini, igitur sunt legitimi tutores. Non transit jus emancipationis in filios, quia non habuissent fratrem in potestate, Ergo non sunt legitimi tutores. Quasi dixerit *Justinianus.* Unde hæc legitima fratribus tutela? ex agnatione ineptum est quærere, & ex jure aliquo transmisso, quod dicitur de filiis patroni, nec potest. Non obstat itaque ratio *Hottomanni*, quæ petitur extra rem: nec solvit vim argumenti, quod est: *Qui est neque tanquam agnatus, neque tanquam qui fuisset habiturus emancipatum in potestate, is non nanciscitur legitimam tutelam. Sed fratri emancipato neque agnatus est frater, neque in potestate illum habuisset. Ergo nec tutelam legitimam.*

ALBER. At tu de agnato addis, quod non est in contextu.

QUINCT. Illud necessario supponit textus, cum de emancipato loquatur: & non tangitur, ut res aperta nimis; etiam quia non inde cum patrono & filiis iste casus confertur, sed propter manumissionis, & emancipationis beneficium; nam est hoc in utroque legitimæ tu-

probata, fuerint manumissi. Quis ita præterea loquitur? *Non permittitur manumittere, nisi manumissi fuerint.*

QUINCT. Referuntur ea verba ad manumittendos servos, de quibus pluries illucusque dictum erat. Quid incommodi est in his verbis? *Non permittitur manumittere aliter quam hoc modo.* Tantum liquido sonant verba Justiniani: quod enim est discrimen inter hæc, *Nisi manumissi fuerint vindicta. Nisi manumittantur vindicta. Nisi manumissio fiat vindicta.* Ego non video, nisi grammatizando.

ALBER. Ridiculum quoque fuit, *ut in tit. de nupt.* apponerentur illa, *Quod ex aliis liberis &c.* Nam sua sponte intelligitur satis.

QUINCT. An idem casus non determinatur *in l. nuper. 11. quam ipse producit, C. de nat. lib.? & multo magis si quis mulierem &c.* Ibi etiam ridiculum? & satis etiam absurdum dicit *Justinianus*, [1] si natis postea filiis tantum non daretur. Dubitatum tamen ea de re, & dubitatum in jure non semel de plusquam ridiculis. Sic uterque casus ejus legis refertur a *Justiniano* in Institutionibus.

ALBER. *Et tam filium alienum quis in locum nepotis adoptare potest, quam nepotem in locum filii.* Verba sunt *Justiniani*,[2] & nihil potest absurdius dici: quid enim refert, nepos sit extranei, an pronepos aut abnepos? Habes ad ista quidquam?

QUINCT. Dubitatio potuit esse propter duplicem status mutationem, ut filius *Titii*, fiat mihi adoptivus & nepos, & nepos Caji fiat mihi filius & adoptivus. Cur hic non tenet sensum *Theophili?* ait ille, si me non fallit interpres. *In locum nepotis alienum filium adoptare possum, & rursus alienum nepotem in locum filii: quoniam necesse mihi non est ordinem gradumque, qui apud patrem naturalem est, servare.*

ALBER. Ergo *Theophilus* non dicit, quod *Hottomannus* refert?

QUINCT. Quid?

ALBER. Quod cujus filium in nepotem adoptatum habeo, ejusdem nepotem in filium adoptem.

QUINCT. Videtur omnino loqui *Theophilus* de alio atque alio, qui in adoptionem tradit.

ALBER. Si dixisset, male, an non?

QUINCT. Putat *Hottomannus*, sed fallitur: nam qui pater est, si in nepotem adoptatur, fit proculdubio tanquam ex alio filio: an enim ille interpres voluisset, ut minor & filius fieret majoris, patrisque pater? Inepte omnes loquuntur, si affingere licet ineptas cuique sententias.

1 *l. 27. ff. de testam. l. 86. ff. de her. inst. l. 7. ff. de interd. & relegat.* 2 *§. 4. Inst. de adopt.*

ALBER.

ALBER. Sequitur *Hottomanni* criminatio *ad tit. de Att. tut.* quod a *Triboniano* verba quædam descripta sint ibi negligentissime: at quia nihil dicit præterea, nec ego nisi illud, *Si accusasse sufficeret, nemo non reus.* Quid tu tamen ad præcedentia? *Si pure datus sit tutor, quamdiu ex testamento nemo heres existit, tamdiu ex iisdem legibus tutor petendus est &c.* Hic locus a *Triboniano* negligentissime tractatus est, quia illum casum solum attingit, quando pupillus non est institutus, verum alter quidam extraneus.

QUINCT. Immo & quando pupillus non suus institutus est, quod lippis patet & tonsoribus, si verum est, quod in suos tantum hæreditas abeat ipso jure.

ALBER. Optime omnium recordaris: tu igitur reliqua solus; & satisfacies tibi.

QUINCT. Imperiti glossatoris, & scriptoris imperiti asserit *Hottomannus* illa verba esse, *ideo nec in tutelam. in tit. præcedenti de fid.tut.* Ego contrarium didici hoc modo. Parens tutor est legitimus emancipati filii, non quia agnatus, sed ad similitudinem patroni, quia emancipator; quæ emancipationis virtus, cum nequeat in filios transire (neque enim jus eorum fuisset) mirum non est, si nec ut agnati fiunt fratres legitimi tutores, id vero non erat ibi ponendum, quia de emancipato erat quæstio, nec tanquam transierit jus emancipationis, quoniam in potestate eorum non fuisset emancipatus; quæ erat una ratio attingenda, ut quæ sola poterat aptari in casu emancipati. Ita. Transit jus manumissionis in filios patroni, quia fuissent ipsi domini, igitur sunt legitimi tutores. Non transit jus emancipationis in filios, quia non habuissent fratrem in potestate, Ergo non sunt legitimi tutores. Quasi dixerit *Justinianus.* Unde hæc legitima fratribus tutela? ex agnatione ineptum est quærere, & ex jure aliquo transmisso, quod dicitur de filiis patroni, nec potest. Non obstat itaque ratio *Hottomanni*, quæ petitur extra rem: nec solvit vim argumenti, quod est: *Qui est neque tanquam agnatus, neque tanquam qui fuisset habiturus emancipatum in potestate, is non nanciscitur legitimam tutelam. Sed fratri emancipato neque agnatus est frater, neque in potestate illum habuisset. Ergo nec tutelam legitimam.*

ALBER. At tu de agnato addis, quod non est in contextu.

QUINCT. Illud necessario supponit textus, cum de emancipato loquatur: & non tangitur, ut res aperta nimis; etiam quia non inde cum patrono & filiis iste casus confertur, sed propter manumissionis, & emancipationis beneficium; nam est hoc in utroque legitimæ tu-

telæ caussa, nihil aliud. Qua prudentia, ait *Hottomannus*, mentio in *tit. Inst. de auct. tut.* [1] bonorum possessionis, & hæreditatis fideicommissariæ apud eos, qui ne fando quidem ista audierunt? Morose. Poterat ne illud alio loco dici? certissimum est, non posse. Et tantum igitur, ut recte fecerit Tribonianus. *In tit. Inst quib. mod. tut. fin. in §. 1.* verba addit, *ut ingratus patrono.* Sed an solus ingratitudinis casus comprehenditur? an non potest deportari? an non ultimo supplicio affici? quid tu Wesembeci non legisti Baldum *in l. administrantes 41. ff. de excus. tut.* [2] Vere glossema, quod in antiquum librum *Hottomanni* irrepsit; forte etiam ex *Theophilo*, qui in exemplum potuit ea verba scripsisse, non ut cogeret sententiam in illum unum casum. At *ad §. 1. Inst. de curat.* unde sibi arma non fabricat contra Tribonianum? Longa hic exoritur disputatio; sed tu ita concludebas. Accipiunt puberes curatorem, invitis non datur. Cætera nihili. Verum audiamus hominem *ad §. datus 17. Inst. de exc. tut.* Hoc (inquit) in isto excusationum tractatu quorsum pertineat satis intelligere non possum. Unde suspicari libet, *servulum, cui Tribonianus harum Institutionum architectus negotium dederat, ut l. propter litem D. eo. huc transcriberet, terminum descriptionis a suo domino notatum non satis attendisse.* Nostra igitur diligentia quod ejus culpa huic loco deest, suppleamus, & quantum in nobis est de *Triboniano* bene mereamur, beneficiumque, quemadmodum humanitatis ratio postulat, pro maleficio reddamus. Quid agit? addit ex illa *l. addit & Wesembecius* voculam. Quid tu? reddebas scilicet *Balduino* istas observationes, cujus fuerunt primo, dixisti, brevem illam sententiam rectius stare, quia ea una *Tribonianus* voluerit plures excusationes præcidere. Si enim tutor datus censetur ad universum patrimonium, sequitur quod excusari nequeat, quod amplum nimis sit. Quod distractum in multis regionibus, quod tanquam ad incertum datus non valeat datio, qui casus videri potest præcipue notatus, nec non videtur sensisse doctissimus & acutissimus J.C. FABER, qui hujus versiculi argumento respondebat, & procuratorem simpliciter datum ad omnes caussas datum videri, nam dubitatio in isto articulo est ex incertitudine. Horum memini, quæ ad primum librum Institutionum scripsit *Hottomannus* contra Tribonianum.

ALBER. Credo esse etiam alia; sed ista vel nimis pro nostra disceptatione. Et quis vellet specimina hæc omnia *Tribonianismi Hottomannici* excutere? ex his, quæ sint reliqua, judicium fieri volumus.

1 *In §. neque 1.* 2 *In §. qui corporis. 3.*

Sed

Sed quanta apud illum commentarium notavimus? *viginti*, ni fallor, amplius peccata, notavimus ab eo quædam accipere *Hottomannum*, quem suus *Matago* voluit nullius pretii hominem fuisse; nec dubito, plura etiam exscripta. Quid quoque gloriatur, unum se virgulam, nescio quam, tenuisse, & nemo est priorum interpretum, qui in divisionibus capita illa, sive enunciata non ponat, non etiam notet? indico hujusmodi, ut quod sum pollicitus, tu præstitum videas. An igitur remoræ non sunt ex studiis recentiorum interpretum? falsa crimina dicunt in nostros legumlatores: unde & probra ostensa. Sed ego ad humilitatem refero id ipsum, in quo lauream quærunt recentiores, perpetuum emendandi studium. Necessarias quidem *emendationes* admitto, & in eis, quæ magis consentiunt auctoris emendati rationibus, has magis probo: at ii plerasque minime necessarias inducunt, & quæ non ad auctoris captum multæ diriguntur, sed ad alia omnia potius. *Necessarias emendationes* appello, non illas, sine quibus rei scriptæ veritas, aut scripturæ rectitudo, vel elegantia consistere non potest, etsi has quoque morosus non respuam, si absque periculo sententiarum fiant, sed eas, quæ sensum reponunt, ubi nullus est, & verbum, quod alias stultum, nullius soni erat. Legebitur in titulo *ff de pign. act.* Marciani sententia hæc. [1] *Si pecuniam debitor solverit, potest pigneratitia actione uti ad reciperandam ἀντίχρησιν.* Sic legitur in *Floro* & emendate; cum antea esset *antiphina*, quod nihil est. In plurimis similibus Græcis dictionibus. In Latinis illis. [2] *Dispondios, repudiante. Quæque. Desertum.* Aliæ multæ in jure; quæ nullius sensus sunt, nullam faciunt sententiam: & modo vix memini locorum, ubi leguntur. Istæ necessariæ sunt emendationes, quia nec sermo alias consisteret, & fatuum præsumere non debemus ullum scriptorem. At ad veritatem eundem velle reducere, id non patior justa, tritaque ratione, quia bonus quandoque dormitet Homerus; nec sunt scriptores semper sui similes, & deficiunt etiam non raro. Homines sunt. Quæ hæc est persuasio, ut credant, consensisse omnes scriptores vel in historiis, vel in alia re qualibet, recte omnes, singulosve, ubique locutos? Si igitur constructio orationis procedat, quidquid nos sensus lateat, nihil emendandum duco; sed ita dicendum cum *Augustino*, [3] *Locus obscurus, mutare tamen non oportet veterem scripturam;* a qua, ut scripsit *Turnebus*, [4] sine flagitio recedi non potest: nam nec omnia intelligimus nec intelligi omnia possunt post tot secula, & deperditas,

[1] *l. si pecuniam 33.* [2] *l. 3. ff de aur. & arg. leg. l. 10. 22. ff. eod.* [3] *Lib. 1. emend. cap. 2.* [4] *Lib. 30. Adv. cap. 35.*

aut obscuratas rerum memorias: forte alii intelligunt, intelligentve in futurum, ut nunc intelliguntur prope innumera, quæ vel avis nostris fuere incognita. Illam præterea incommoditatem habet hoc studium, quod bona ingenia ad nescio quandam desidiam manifesto perducit: statim enim ac sensum auctoris non tenemus, & rem descriptam; vitiosum clamamus locum. Dixit ille, *quæ non intelligimus, mendosa esse existimamus.* [1] Et industriolam adhibemus istam, ut, quoad fieri possit, ex iisdem caracteribus aliud verbum substituamus, unde intelligentia nobis constare possit; verius, ut auctori aliud os effingamus, quod nos non fugiat: sic natura vitiata est nostra, ut nullibi velit ignorantiam suam agnoscere, quod tamen principium sapientiæ dicitur a doctis viris. En igitur *Laurea*. Scio, assentior, nihil facilius esse, quam ut scriptura depravetur, sed non est tamen aliud depravationis argumentum, quam quæ ego dicebam. Rem oculis quasi subjiciamus. Audisti eximium togatorum *Basilicæ Parisiensis* [2] decus de *Haloandreis* correctionibus. *Budeanas* rejicit *Contius* non infrequenter. *Augustinus* probari potest ac debet, qui suas ad Florentinos libros composuit: quorum etsi non tanta sit *Alciato & Cujacio* auctoritas, quanta cogat nos penitus, est tamen, ut nisi certis argumentis reprobari citra temeritatis crimen non possit. An vero certum argumentum ex obscurissimi nominis uno aut altero libro ducemus contra illam, & vulgatam scripturam? quæ itaque *Cujacianæ* [3] pleræque omnes emendationes? addit negationem *l. apud proconsulem 17. ff. de man. vind.* ex manuscriptis, quos ipse habet. Repugnat editio Florentina, recepta, manuscripti *Contii.* Quid hic? sexcenti loci in jure civili, in quibus de particula *non* vel eximenda, vel inserenda ambigitur. [4] Amplius centum & triginta, negatione addita, vel ablata, emendat *Augustinus* in libris suis; plurimos notat etiam *Accursius*. Quid tum postea? sed esset lex legi contraria, ni addatur negatio. Ita solvuntur antinomiæ? qui iste labor? quæ illa res impossibilis? tu attendas, quod lex una denegat manumissionem apud Legatum Proconsulis. Altera ex *Vindicta* permittit; ut non sit ulla hic repugnantia. Quanto igitur rectius, si elegantem aliquam docuisset nos *Cujacius* rationem hujus exceptionis. Tu cogita; nam invenies: Sed & de illo, an in *l. imperatores. de serv. urb. præd.* causa dubitationis aliqua fuerit, ut utilis sit determinatio: nam mihi satis in præsentia, si argumenta sua refello, quibus adstruere conatur emendationum necessitatem. Pro

Aug. lib. 1. cap. 3. [2] *Duar. lib. 1. Disp. c. 59. sic Molineum.* [3] *Lib. 1. cap. 1. Obs.* [4] *Hott. in ep. ante cons.*

nulli legit ibi *Cujacius* [1] *luminum.* Magna scilicet est vocabulorum affinitas, & superest librorum suffragium. Fuit tamen amici cujusdam sui opinio. *Capite quincto libri primi observationum emendat. l. imperatores. De publica.* Sed an ignorantiæ ratio vera non est in quolibet possessore, sicut in emptore? an sensus non est apertissimus? Possessor solvit vectigalia etiam præteriti temporis, ipse tamen actionem adversus auctorem habebit, si ignoraverit vectigalia non soluta, & eo quidem exemplo, regula, forma, qua actionem a publicano patitur. sentit quam æquum, quam juri consonum interpretamentum hoc? quod suum? potest scilicet emptori non plene satisfacere: quid enim si summarie publicanus? at modo non explico. Quod suum interpretamentum? etiam coarctat verba legis: est tamen ex manuscriptis: habetque unum *Cujacius*, cui laudando ponit etiam caput, quod sequitur: sic enim & Alciatus ad suas emendationes stravit viam sibi ex simili quodam libro. Verum est illa perquam magni momenti emendatio, *ut in l. un. C. qui pro sua jurisd.* non *patientiam* sed *parientiam* legamus: glossæ tamen fuit nescio cujus, si vera monuit *Contius.* Capite septimo emendat *l. Gaurus 10. ff. de serv. urb. præd.* ne videlicet cum aliis pugnet. Dixi, dicit *Contius*, & retenta lectione posse objecta defendi. Capite decimo quid agit *ad l. si in emptione 34. ff. de contr. empt.?* perperam, ut sui opponunt margini. Siccine vero persistis in instituto? siccine componis discordias? miseri, qui in *l. veteribus de pact.* aliam viam ingressi, sudarunt tantopere. Quæ humilitas est, si hæc *Cujacii* antinomiarum solutoris non est? Sed quid habet duodecimum caput? illam, si Dis placet, consecutionem, *Quoniam in l. omnia 35. C. de episc. & cler. dicitur*, ad curam memorati viri, *certe ejus viri nomen deesse oportet*, & vir memoratus esse non potuit ex nomine officii? nec absimilis est ratio alterius emendationis, Quia humilitatem non dixero? Quod emendat capite sequenti, illud a plerisque improbatur, si notæ *Contianæ* non est mendax. An tuetur libro secundo? [2] certe quicquid sit *statio*, non est cur emendetur *l. Fulcinius. Alciatus* [3] autem præclara habet in eo statuarum argumento quandoque, & forte ad rem magis, quam sint *Cujaciana.* De locis quatuor interpunctis quid? primus emendatus debetur *libris Florentinis.* Generaliter illud, an id sit leges scire, orthographiæ insudare: laborant enim in altero *Cujacius.* | *Contiusque*; & tamen sensus non potest obscurus esse *l. communi 24. ff. de bonis libert.* utcunque recipiatur infelices illos, qui punctis, punctis geminis, sicilico puncto, comma, majoribus characteribus non modo usi non sunt unquam ullis, sed ne

[1] *Cap. 5. lib. 1. Obs.* [2] *Cap. ult.* [3] *Cap. 27. lib. 4. Parerg.*

ver-

verbum a verbo ſejunxerunt,ſyllabas communes fini præcedentis initioque ſubſequentis dictionis retinuere, imo has ſyllabas coaleſcere quandoque ſiverunt, ut unum verbum duorum fungeretur vice. Apud *Augustinum* [1] hæc legi, apud *Briſſonium*,apud ipſum *Cujacium*, exempla non infrequentia ſunt in Pandectis Florentinis. Quid ubi ad unumquodque verbum punctus apponebatur? laborem tamen iſtum non improbo ubi ex interpunctione quidquam mutetur; & periculum Aſello creari poteſt: ſed quæ illis in locis mutatio? de quarto etiam dixi in *Anticujacio*, dum ſcribo, intellectum ab eo minime, quid ſit, *Creditoris jure vendere.* Succedit caput decimumquintum. *Ridicula*. tempero mihi a relatione,etſi ipſe ſibi non temperaverit a ſcriptione,& credat omnino non aſpernanda. Sequuntur alia: ſed in his eminentiſſimi, nobilisque J. C. ſpecimen. Habent omnia ſuam ſedem. Age ſcrutemur divitiarum unam, aut alteram arculam. Fama nominis iſtorum, *Quincte*, impulſus ſi quod his octodecim menſibus mihi tempus ſuperfuit a munere docendi, quod fuit minimum, nam & publicis & privatis lectionibus tum componendis, tum recitandis ſum fere ſemper occupatus, illud ego his recentioribus dedi, & præſertim *Cujacio*, ut novas omnino divitias pararem mihi ex ipſo in ſapientia civili. Primum ejus opus *Paratitlorum* videre contigit, de quo eſt dictum; & nunc ſuperaddo, ipſum a *Weſembecio* longe ſuperatum eſſe: in hoc enim facilitas, in *Cujacio* moroſitas, ſtrigoſum quiddam atque durities, repletio quædam ex aliis auctoribus conveniens minus illi, tantuloque libello; & eſt in *Weſembecio* elegans, jucunda, nobilis etiam, totaque legitima diſpoſitio. Quid ſecundum? Africanum adii: ita tamen offenſus a principio ſum, ut non legerim niſi hoc unum. Quid nobis ex ſuo notat? an *Accurſius*, *Jaſon*, & alii doctius, plenius non docuerunt illa omnia. Quæ ſcire debet hæres? an non ſuo loco illi, iſte protinus alieno? At Cujacius tritam diſtinctionem, *Teſtati* & *inteſtati*, non habet: ſed aliam, *legis* ſcilicet & *teſtamenti*. *Viglii* tamen eſt. *Cujacii* eſt mutatio cujusdam negationis: non enim poterat componere *l. multum 21. ff. de cond. & dem. cum l. ſi quis extraneus. 21. §. ult. ff. de acq. hered.* niſi loco ſuo motam negandi particulam adſcripſiſſet affirmantivæ orationi. Magnæ igitur divitiæ conſtabunt ex eo opere, in quo pereunt majorum theſauri; ipſe nihil habet, quod inopiam non teſtetur. Notæ quid aliud in *Inſtitutiones?* ſed interprete non indiget nitidiſſimus libellus: [2] inſcitia ſuperiorum commentariorum vel has notas extorſit; audacia poſteriorum abutitur lenitudine Jacobea. Quid ait? non ſi quater ipſe totus conſurgat, *Fabro* veteri interpreti pilum move-

[1] *Aug. lib. 1. emend. c. 9. l. 2. c. 1. &c. B. l. Parerg. C. l. 2. Obſ. c. 4.* [2] *Lib. 11. Obſ. c. 38.*

bit.

bit. An novis? an *Hottomanno?* is vel in eo uno opere plus præstitit omnino, quam in suis omnibus *Cujacius* præstare possit. Quas refutare soleo *Hottomanni* in Tribonianum objectiones, hæ mihi probant maxime *Hottomanni* opus; nam ingenium alacer excitatur ab illis, extimulatur, ut legibus accurrat, patrocinium his præstet, quos non nisi turpiter deserere potest: hinc vero, ex ista lucta (*Dii boni*) quam admirabiles fructus, proventusque quid evexit aliud ad summum fastigium *Bartolum*, [1] nisi præceptoris *Cyni* oppositiones insolutæ? Sed *Cujacius* quod non potest, id nec opus esse prudentissime contendit. Venio ad libros *Observationum*, qui videntur esse tanquam flosculi omnium lucubrationum suarum; nec enim aliarum nisi chartas volvebam semel. In illis libris maximam partem faciunt emendationes, & quasdam earum vidimus modo. Quid præterea? librariam plerunque operam præstat, exscribendo paginas ex *Basilicis*, & aliis aliarum artium auctoribus. *Isidorum* emendat & *Ciceronem*. Verbum *sequioris & secius* declarat, quia ex Lexicis intelligere non potuissemus, aut totidem ferme & iisdem testibus ex Barone *in illa l. 8. ff. de transact.* non habuimus antea. *Accursii* non fuit illa diversitatis ratio inter *ædium & usus fructus* legatum, quam dicit *Cujacius* [2] capite septimo in fine. Quantus hic? at illa utilitatis plena, quæ scribit capite nono de *Fufidio, Phuphidioque* utilissima, quæ tradit capite undecimo: nam ex jure, quod extat, quæstionem illam non possumus determinare, ut fuerit opus constitutionem nondum visam in lucem trahere: ex hac scilicet definitio stabit; ut & ex multis, quas in decimam collationem comportat *Contius*.

QUINCT. Sed dicitur, hic verbum interpono, plures hujusmodi constitutiones fuisse *Azoni, Accursio, Alberico*, quæ communiter non habentur: Justinianum condidisse earum septuaginta & centum. Quid improbatur, si & quæ Codici desunt, restituuntur?

ALBER. Quas adjecit *Contius*, [3] hæ nec sunt omnes *Justiniani*, si volumus ipsimet assentiri. Scimus a typographo *Gallo* falsam plane suppositam. Verum reficimur ex historia *Niconis, Sampsonis, ac Zotici*, quæ est cap. 12. ut etiam ex relatione verborum *Ambrosii* atque Sidonii capite proximo, si me non fallit memoria. *Capite septimodecimo* est quædam distinctio, post præmissa, & urgia. Omnia quæ? videris *Alciatum libro tertio Parergon*, [4] & hominis miseriam agnosces. *Caput decimumoctavum* pulchrum est. *Cujacius* in eo non est totus ANTIPATER, nam diu, multumque dubitavit de *S. C. Syllaniano*, quo tempore factum sit.

[1] *In vita Bart.* [2] *In l. 15. §. 6. ff. de usufr.* [3] *In ind. Const. non. Alc. lib. 6. Parerg. cap. 29.* [4] *cap. 24.*

Non est totus ANTIPATER sequenti capite cum *Strabone, Dione, Spartiano, Plinio:* vigesimo etiam cum *Symmacho, & Isidoro, & Cod. Theodos.* vigesimoprimo cum *Livio, Cicerone, Gellio, Sexto Pompejo, Plauto, atque Polybio:* nam quæ juris sunt, ea sine istis auctoribus non erant cognita. Dicam de omnibus? Sed *Anticujaciorum* materia hæc. Quid tento? antiquorum sententias antiquis reddo, & a *Cujacio* [1] vendico; doceo quæ, quantave sua sint. An legatum in extranei voluntatem transferri possit; magna (ait) quæstio est, sed omissis interpretum traditionibus &c. Tu vide meos interpretes *ad l. captatorias 70. ff. de her. inst. & ad l. captatoriæ 64. de leg. 1.* & si Cujacius quidquam ex se dicit, mentiar ego in æternum. Mentiar si *Cyni & Jasonis* non sunt, quæ dicuntur adversus illam expositionem, remittitur. *1. conceditur, in l. quotiens 2. C. de præc. imp. off.* [2] Mentiar, si Baldo non vindicabitur ratio solutionis ad *l. pen. C. de pa. si Jasoni* ipsa solutio. At ex Cassiodoro multas ipse apponit lineas multarum margaritarum. Mentiar, si eidem Jasoni non restituo pleraque omnia, quæ scribit Cujacius *cap. 11. lib. 2. Obs.* Accursio reliquis, & illis ipsis commentariis *ad §. Callimachus*. De quo agitur: sed & aliquid Parergis *Alciati.* Sinimus *Cujacio*, [3] quæ ex *Tertulliano* docet, & *Plutarcho:* quæ ex *Catone* alibi & *Arnobio.* Quanta vero Cosmographica, & historica in cap. 13. ille tamen adolescens, qui scit, an voluerit homini dicere, quod a nobis audiret, aliena esse pleraque, quæ sua facit? [4] Quæ de pactis rarissima? [5] *Jason* scilicet non dixit in §. *quin immo & in §. ideo l.* jurisgentium. Nec *Baro.* [6] Quæ de diebus continuis, & utilibus, annoque utili sublare? [7] nemo videlicet tenet *Accursianus.* Sed *l. 2. ff. de re. cred.* male usque ad Cujacium a Latinis accepta: ipse initium ad eum, qui per Deum pejerat, referendum putat. Audi vel Bartolum, *primo loquitur de eo, qui juravit per Deum &c.* Qui igitur isti Latini, qui referunt ad eum, qui pejerat per Principem? [8] Imo sunt. *Duarenus est,* in *disputationibus anniversariis lib. 2 cap. 37.* Jam intelligo Cujacium. Ait, *Latini interpretes usque adhuc 1. Duarenus. Non probo consentientem fere vocem omnium.* 1. Bartoli unius, & Duareni. Et est ipse beatissimus in ea quæstione, *an in emptorem transeat jus adcrescendi:* nam *l. 2. §. 1. ff. de her. vend.* nemo produxerat. Ipse cur non refellit Jasonis solutionem? cur sibi adscribit Comensis interpretamentum *ad l. si totam 83. ff. de acq. hered.* cur Salyceti considerationem *ad l. 4. ff. si quis omiss. caus. test.?* Proponit Paradoxum eo capite, quod est receptissimum: & suum nihil docet. Quid vero alibi *de l. sed & si quid. 15. ff. de evict.* [9] tui te

[1] *Lib. 2. Obs. cap. 2.* [2] *cap. 110. lib. 2. Obs.* [3] *Lib. 10. cap. 19.* [4] *cap. 12.* [5] *cap. 15.* [6] *cap. 18.* [7] *cap. 19.* [8] *cap. 13. lib. 12.* [9] *cap. 20. lib. 1.*

depre-

deprehenderunt. CONTIUS illam emendationem *Odofredo* vindicat. Nihil dico *de capite vigesimo primo libri primi Observationum*. Sed in sequenti plane facit injuriam *Accursio* suo, qui imo non ignoravit, quæ ipse putat non intellecta: ait enim *facit l. Divo. &c.* Quam in magistratu interpretes accipiunt, non in privato. Amandat nos Accursius *& ad l. metum 9. ff. quod met. caus.* eam videamus; ne quid præterea hic de exemplari depravato interponam. Finem etiam facio Cujacianis: nam hæc etiam nimis multa pro instituto. Vidisti inopiam, & genus pudendæ artis? quid enim aliud plagia hæc tam aperta, & illa confidentia? En, *Quincte*, detectum est novæ dominationis arcanum. Veteres interpretes excutiendi de manibus, ne plagia deprehendantur recentiorum, ne humilitas, & inopia detegatur, si summa antiquiorum documenta admoveantur. Quid possum ad *Duarenum*? [1] An Accursius *Caji* epigraphen non agnoscit *l. qui neque sequantur. 48. ff. de verb. sig.*? an illas interpretationes non habet, quas tradit *Duarenus*? Redde *Alciato* quod de peregrinis & peregrinitate doces *Duarene* ab interpretibus non animadversum, ut scribis, redde *Alciato* [2] intellectum *l. Mevio. 41 ff. de leg. 2* nam ejus est, qui qui sit, & est aliquis in lege omnium difficillima, quamque nec subtilis Bellapertica percepit, & octies est interpretatus. Redde quod tractas de Kalendario [3] cui? *Accursio, Jasonique*, cujus totum est *ad l. divortio. sol. matr.* [4] Accursio suam famam redde, nam is Pomponii distinctionem *vidit in l. 1. ff. de acq. quot. & æst.* [5] & socors tua est calumniæ. Redde & glossario & cæteris ferme omnibus imminutam per te æstimationem, dum scribis de civili & criminali judicio, quæ receptissima jamdudum sunt, [6] & tua facis, & alia vis illis affingere. Et tu adversus plagiarios scripsisti epistolam? [7] nulla te cautio ab his liberabit, ex tam multis, quas pro plagiariis adhibes. *Duarenus* fere nullibi auctor est. Verum est. Auctores non nominat, ut juvenes abstineantur ab eorum lectione, quæ non multum prodesset: sed ferenda haudquaquam charitas. Texo nunc opus laboriosum. [7] quod tamen requiritur. Non tamen cum *Duareno* sum amplius: nam quando finis?

QUINCT. Imo credam tibi hæc eadem de reliquis: sed ubi sensus communis? tu profecto ex Zasio, Bellono, Gribaldo narrabas quandoque, sic ingenia concurrere solere.


ALBER. Rarior prorsus iste concursus. Interim non habent fere aliud novitii, quam dicta veterum, si de jure ipso quæratur. Sermo-

[1] *Cap. 1. lib. 1. Disp. lib. 1. Parerg. c. 14. & 15.* [2] *Alciat. lib. 7. Parerg. c. 9. D. c. 13. lib. 2. Hep.* [3] *D. cap. 9.* [4] *D. ad tit. ff. de reb. cred. c. 3.* [5] *D. c. 52. lib. 1. Disp.* [6] *D. c. 35. lib. eo.* [7] *Ad Balduin.* [8] *In adm. ad lect. ante tract. de Jurisd.*

nis enim puritatem, historiasque damus ipsis, & propterea etiam nomen ANTIPATRORUM. Mallent fortasse *Labeones* esse: quod nec defero, nec vehementer denegarim: ANTIPATRO tamen adjunguntur melius ex his, quæ dicta sunt, & maxime quod tam declamant pulcherrime in Accursianos, in Tribonianeos, in veteres ipsos jurisconsultos. Non audisti? CONNANUS, DUARENUS,[1] HOTTOMANNUS dicunt in PAULOS, ULPIANOS, POMPONIOS, reliquos, maxime vero BARO.[2] Hic tales, qualis ANTIPATER, apud Gallos esse Jurisconsultos scribebat. An ipse eo sermone non continetur, aliique majoris nominis? *vidimus*. Ait, *non magnopere humanioribus opus fore Ulpiani, vel Pauli commentariis, si leges ipsæ, vel Edicta salva essent, & non* ANTIPATRISSAT? Inepta sunt *Baroni* illa verba in *l. 1. de ven. insp. Quamvis sit manifestissimum Edictum Prætoris, attamen non est negligenda interpretatio ejus.* Quid nobis cum suis studiis humanioribus? meministin POLITIANUM, VALLAM, HALOANDRUM, BUDÆUM? Cur non essent nobis illi jurisconsulti necessarii? siccine gratiam refers? dicit, quia neque *Ulpiani, aut Pauli* munus ab eo diversum videretur, quod *Bartolus & Baldus* obiverunt; & a *Cicerone Ulpianus* audiret ac *Paulus*, quod vitio dabatur prioribus consultis de cognitione una in infinitam dispartita. BARO non est ANTIPATER? nemo magis: nam & rhetoricatur egregie, & inservit bellissime eloquentium parenti: non tamen in his finis; quia & mediocris eruditionis, prudentiæque viris tantum quisque vindicare potest, quantum a summis illis habemus. Tu quid cessas CUJACI?[3] ubi mediatum abs te tamdiu opus ac propemodum adfectum contra istos maledicos? contra istos, qui (ut ais) ore etiam effuso in veterum Jurisconsultorum doctrinam singularem ac prope divinam nervos eloquentiæ totos extendunt. Huc tuam eruditionem voco: age, ostende, quod polliceris, nihil aliud quam scabiem & ulcus esse, quid quid isti attigerint omnes. Tu esto cum antiquis, invisas etiam novos hosce ANTIPATROS.

[1] *D. c. 58. lib. 1. Disp. H. ad tit. de jurejur.* [2] *Ad tit. quod quis jur.* [3] *lib. 11. Obs. c. 38.*

2229



INDEX

INDEX.

A.

Abbas Monacensis alias Abbas Panormitanus f recentior dictus, Juris Canonici interpres, Concilio Basiliensi interfuit 355. 421. 442. vide Tudiscus.
Aberdoniensis Academia 394
Academiæ plures in Europa erectæ 385. Angliæ 394. Galliæ 391. Germaniæ 389. Hispaniæ 393 Italiæ 387. Poloniæ 391. Scotiæ 394. Siciliæ 389
Academica Villa Ciceronis 1
Accolti, vide Acoltus.
Accursiani qui dicantur 582
Accursius Florentinus, Glossarum collector & author 81. 119. Martini adversarius, sibi aliquando contrarius. Advocatorum Idolum, Philosophus & ultimus Glossator 119 120. 121. 402. 440. ejus filii & filia, quæ Bononiæ jus publice professa est 120. 121. 503. 521. an græcam linguam calluerit 587
Accursius, Regiensis, Legum Professor 121. 129
Achilles Senensis, nobilis & Juris Interpres 444
Acoltus, *Benedictus*, Cardinalis 203
Acoltus, *Franciscus*, Aretinus, ejus Præceptores, acumen in respondendo, discipuli, commendatio vitæ modestæ, & indignatio 200. seq. 464
Acorumbonus, *Fabius*, Eugubinus, ejus studia, professiones, & munera 292
Actioguidus, *Mattagnanus*, Bononiensis 158
Admonitoria, quæ dicantur 84
Adulterii pœna 632
Advocati, eorum origo & officium, cur sic dicti, & in quo ab oratoribus differunt 15. Togati vocantur 16. 78. eorum nomina, numerus, Matricula, & requisita 16. 17. 78
Advocati Fisci, eorum salaria, officium, & privilegia 17. 18. Clarissimi vocabantur 19
Advocatiæ Beneficium, quid sit 79
Advocatorum Consistorialium munus, officium & numerus 79
Adurnus, *Raphael*, Genuensis 197
Ægidius Bononiensis, Juris Pontificii Interpres 327
Ælia gens 21
Afer, *Fulgentius*, Ruspensis Episcopus, Apostolorum Patrumque Decreta perstrinxit 314
Afflictus, *Matthæus*, Neapolitanus, quinque Regum Consiliarius, decisiones Neapolitanas edidit, ejus obitus & epitaphium 206. 207
Africanus, *Sex. Cæcilius*, JCtus, ejus origo & scripta, non confundendus cum Julio Africano 48. 441
Alanus, Iphonis Nepos Juris interpres, 131. Decretalium Compilator 324
Alaricus, Gothorum Rex, Constitutiones Imperatorum in octo libros collegit 80
Albanus, *Hieronymus*, Bergomensis, JCtus, Reip. Venetæ Collateralis, Cardinalis 297
Albericus, *Christophorus*, Papiensis 246. 457
Albericus a Porta Ravennate, ejus doctrina, fama, corrupti mores 110
Albericus Rolata, vide Rosata.
Albergottus, *Franciscus*, Aretinus 164. 506
Albernotius, *Egidius*, Cardinalis, Hispanorum Collegium Bononiæ instituit 251
Alberthistus, *Marius Salomonius*, Eques Romanus 248
Albertus, Odofredi filius 126
Alciatei, qui sic dicti 582
Alciatus, *Andreas*, Mediolanensis, studium latini & græci sermonis apud JCtos promovit 279. 280. 530. variæ ejus professiones, & modus breviter respondendi 280. 281. 443. an eum in Studio Juris imitari utile sit 540. seq. de ejus scripto: Verborum & Historiarum ex Accursiis & Bartolis Commentarii duo 568
Alciatus, *Franciscus*, JCtus, Episcopus & postea Cardinalis 281
Alda, Francisci Bradioli Filia, Modesti Polentini uxor 207. 208
Aldobrandinus, *Sylvester*, Florentinus, Juris interpres, Advocatus Consistorialis & Fisci Romæ 307 ejus filius *Joannes*, Rotæ Auditor & Cardinalis ibid. ejus scripta & epitaphium 308

Alexander, Angeli Filius 169
Alexander ab Alexandro, Neapolitanus studiis humanioribus, Juri & Praxi invigilavit 219
Alexander Tartagnus, s. de Tartagnis, vide Tartagnus.
Alexandrina Academia 386
Alexandrinus, *Nicolaus*, Bartoli gener, JCtus 525
ab Alexandris, *Christophorus*, Patavinus 458
Alvarotus, Patavinus, JCtus 203. ejus filii Jacobus & Petrus, Alvaroti 204. 459. 486. ejusque Nepotes ex Jacobo, Comes & Franciscus utriusque Juris Interpretes, ibid. 469
Alvarotus ab Alvarotis, Patavinus JCtus 445
Alvarotus, Jacobus, Comitis filius, Juris Pontificii interpres & Consiliarius Ferrariensis 372. ejus filii 373. 508
Ambiguitas in sermone, quomodo interpretanda 87
de Anania *Joannes*, Bononiensis, Juris Pontificii interpres & Theologus 358. 424. 471. 509
Anatolius, Cos. & Comes privatarum rerum, Pandectarum compilator, Antecessor, ejus origo & mors miseranda 64
Ancarus, *Petrus*, jus pontificium Ferrariæ docuit 176
Ancharanum Collegium 346
Ancharanus, *Petrus*, Juris Pontificii Interpres 316. 419. 487. 507
Ancharanus Ray, vulgo le petit Pape dictus 263
Andegaviensis Academia fundata 392
Andreæ, *Joannes*, Bononiensis, in Jure Pontificio celebris 138. 335. occasio nominis, præceptores, scripta, plagia 335. seq. 405. 470. 505. 511. 523. censura in eum 496
S. Andreæ Academia Scotiæ 394
Andreas Siculus, vulgo Barbacia dictus, JCtus 439. 526. 529.
Andreotus Mainus, Jasonis pater, ob crimen Mediolani patratum in exilium actus 225
a S. Angelo, *Antonius*, Patavinus 173. 438
Angaranus, *Galianus*, Vicentinus, JCtus 466
Angelus Ubaldus, Baldi Frater, Perusinus, ab Urbano VI. honoratus, tenuis memoriæ sed acris ingenii, Doctor Judicum, Pater Practicæ, Opulentissimus 169. ejus obitus, filii & posteri ib. 170. 171. 418. 438
Angelus Castrensis, Pauli filius, Advocatus Consistorialis 88. Patavii docuit 212. 438
Anguissola, *Catherina*, Philippi Cassoli Uxor 172
Anguissola, *Jo.* Cesennensis, Juris Pontificii Interpres 334
Annotationes, quid sint 9
Anshelmus Lucensis, Juris Pontificii Collector 316
Antagonistæ vulgo Concurrentes, eorum officium 83. 146
Antecessores, cur JCti sic dicantur 67
Antigrapharii, qui dicantur 10
Antinomiæ quomodo solvendæ 89. 645
Antiochena Academia 385
Antiochus, Præfectus Prætorio, demum sacri Cubiculi præpositus 61
Antiquarii latine, Archeotæ græce 9
Antiquitatum cognitio an J. to utilis 615
Antonius Bernardus, Venetus, JCtus 445
Antonius Franciscus, cognomento Doctor 245. 439
S. Aper, Causidicus, Monachus, Episcopus & Sanctus 306
Apollodorus, Proconsul Africæ & Comes rerum privatarum 61
Aquilia Lex 27
Aquiliana Stipulatio 28
Aquilius, *Gallus*, Tribunus Plebis, Autor Legis Aquiliæ & aliarum sanctionum 27. 512
Archeotæ græce, Antiquarii latine 9
Ardizonus, *Jacobus*, Veronensis, JCtus 471
de Arena *Jacobus*, Parmensis, Patavii professus est & multa scripsit 135. 408. 478. 504
Aretinus, *Bonaguida*, Glossator, ejus scripta 327. 328
Aretinus, *Franciscus*, JCtus 198. 529
Aretinus, *Paulus* JCtus 198
Argentinensis Academia instituta 391
Argumenta, eorum tenor, antiquiora junioribus præmittenda 90
Arsendus, *Rainerius*, Foroliviensis, Sacri Romæ Palatii Auditor, Caroli V. Supremus Consiliarius 148. 490
Arsendus, *Arsendinus*, Rainerii filius, JCtus 438
Artes liberales Romæ tradebantur 68. earum studiosi quid observare debebant 69. cur liberales dictæ 71
Ascorindiani, nobiles Pisani 293
Assessores qui dicantur, eorumque officium 13. Salarium 14
S. Athanasius, Juris peritus fuit 306
Auditores causarum Sacri Palatii, qui dicti 326
Augustinus, *Antonius*, JCtus, Rotæ auditor, Lega-

Legatus in Britanniam & ad Ferdinandum Imp Allifanus Episcopus, inde Herdensis, postea Tarraconensis Præsul. 301. seq. ejus scripta, & epitaphium 303
Augustus, Imperator, facultatem de jure respondendi ex auctoritate Principis pendere primus statuit 6
Avinionensis Academia fundata 392
Aurelianensis Academia fundata 392
Aycardinus JCtus 203
Azo, Bononiensis, ignoravit Jus pontificium 113. multitudine Auditorum clarus, & juris tractatus in Summam redegit 114. 521. de disciplina discentium & in illos jurisdictione ibid. Henrico Cæsari familiaris fuit, ejus sententia de summo imperio 115. Veritatis tuba & Fons Legum nominatus, sine ejus summa negotia forensia olim tractari non poterant 114. 401. 437. 502. censura in eum 496
de Azognidis, *Martagnanus*, JCtus 507

B.

Baccalaurei, qui dicebantur 77
Bacillarii, qui dicebantur 77. 317
Bætica hodie Granata 95
Bagarortus, *Bertucius*, Juris interpres 245. 451
Bagarottus, Gallus 113
Baisius, *Guido*, Regiensis, Glossator & Summi Pontificis Capellanus 333. Guidonem ex fratre nepotem, & Juris Pontificii Professorem habuit ibid.
Balbus, *Jo. Franciscus*, Taurinensis. Senatus Sabaudiæ Præses, ex fratre Nicolao très nepotes celebres, Carolum, Laurentium & Gottifredum habuit, legatus ad Regem Arragoniæ 265. 475
Balduini, *Jacobus*, Bononiensis, Glossator, Prætor Genuæ 117. 474. 521
Baldus Bertolinus, JCtus 529
Baldus Novellus, Advocatus Consistorialis 221
Baldus Ubaldus, f. de Ubaldis, Perusinus, ejus præceptores, Lauream a Bartolo accepit 163. Bartoli æmulus & Lanificiorum Collegii Advocatus 164. ejus Antagonistæ & uxor 165. admodum dives, summæ autoritatis, sæpe sibi contrarius, Bartolo acutior, sed non ita veritatis amator, ad cujus honorem Ticini statutum condirum 166. 167. ejus obitus, filii & epitaphium 168. 415. 448. 525. censura in eum 495
Bandinus Pisanus, Glossator, quem alii Gandinum vocant 105
Baraterius, *Bartholomæus*, Placentinus 199
Barbatius, *Andreas* Siculus, ejus Præceptores, concurrentes matrimonium, vir ambitione perditus, parum prudens 213. 214
Barbobus, *Petrus*, cognomento Sonzinus, Jus Civile Patavii docuit 189. 485
Barchinonensis, *Raymundus*, JCtus 450
Baro, *Æguinarius*, Leonensis, Juris interpres, 443
Barotius, *Franciscus*, Venetus, Juris Pontificii Interpres 463
Bartholinus, *Baldus*, Novellus cognominatus, Advocatus Consistorialis 221
Barrholomæus. JCtus Patavinus 179
Bartholomæus Brixiensis, diebus Sabbathi disputare solitus, inde Disputationes Sabbathinæ 324. 406. 503. 522
Bartolus a Saxoferrato, ex Severorum Familia, an spurius? 153. ejus præceptores, omnium Juris Interpretum Princeps habitus 154. 506. 524. ejus autoritas, scripta, contentio cum Baldo 155. 156 Memoriæ infirmæ, Mathematicus & literarum Hebraicarum peritus, Sobrius. Legatus ad Carolum IV. Imp. missus, privilegia & Insignia ei attributa, uxor, liberi & obitus 156. 157. 158. ejus vitam describit Fichardus 412. seq. Mantua 446. seq. plagii accusatur 414. censura in eum 495
a Barulo, *Andreas*, Juris interpres 443
Barzus a Plumbino, *Benedictus*, diversis locis docuit, ejusque Epitaphium 175
Barzus, *Benedictus*, Perusinus, Ferrariæ docuit 200
Basianus. *Jo.* Cremonensis. JCtus 502
Basiliensis Academia instituta 390
Basiliensis Synodus ab Eugenio IV. indicta 355
Baverius, *M. Antonius*, Bononiensis, JCtus 262. 482
Bebius, *Jo. Franciscus*, Regiensis, Juris interpres 477
Belfortius, *Petrus*, Cardinalis, Baldi discipulus 164
a BellaPertica, *Petrus*, Sequanus, Sophista 124. 133. multa Scripta & Disputationes centum edidit 133. 408. censura in eum 497. 504. 523
Bellamera, *Ægidius*, Juris Pontificii Interpres, Auditor Rotæ, Episcopus Avenionensis 4;5 461
Bellarmatus, *M. Antonius*, Juris interpres 274
Bellen-

Bellencinus, *Bartholom.* Mutinensis, Juris pontificii interpres 367. 451. 529
Bellonus, *Nicolaus*, Casalensis, Mediolani Senator 300. 492. ejus pater *Franciscus*, Senator, decollatus ibid.
De Bellovifo. vide Beluisio.
Beltrandus. vide Bertrandus.
a Beluisio *Jacobus*, Aquensis, ubi docuerit & quæ scripserit 141 406. 475. 503. 522
Benedictus XII. Sum. Pontif. Avenioni residens 149
Bentivoli, cum Canetulis de primatu Bononiæ certabant 235 237
Berengarius, in SS. Eucharistiam blasphemus 315
Bernardus & Bernardus Major. vide Compostellanus.
Beroaldus, *Philippus*, Professor Bononiensis, Paleoti gener cujus vitam descripsit 260 261
Berous, *Augustinus*, Bononiensis, Jur. Pont. interpres 374. 455
Bertachinus *Joannes*, Firmanus, Advocatus Consistorialis 220. 529
Bertolinus, *Baldus*, JCtus 529
Bertrandus de Monte Faventino 107. Cardinalis 147
Bertucius Bagarottus, Juris interpres 245 451
Beryti Gymnasium, antiquius Constantinopolitano 67. qua methodo Jura ibi docebantur 66. 69. Berytus fit metropolis Phœniciæ. 68
Besutio, f. Besutius, *Petrus*, Taurinensis Professor 151. aliis Doctor Mediolanensis & Comes 482
Betina, Joannis Andreæ filia 339
Bidellus. homo deformis, quis fuerit 115
de Blanasco, *Joannes*, Burgundus, Juris interpres 127. 404. 473
Blancus. Patavinus, JCtus 481
a S. Blasio, *Jo Baptista*, vitas JCtorum recensuit 2. ejus reliqua scripta, obitus & Epitaphium 215. 454
Boatinus Mantuanus aliis Bovetinus, Jus Pontificium Bononiæ docuit, Archipresbyter 332. 333
Bobius, *Ubertus*, Parmensis, consilium ejus de tutela & scripta 121. 122 493
Boetius, *Nicolaus*, JCtus, Regis Galliæ Consiliarius & postea Senatus Præses 263
Bologninus, *Bartholomæus*, Juris interpres 451
Bologninus, *Ludovicus*, Bononiensis 150. ej. emendationes Pandectarum, lectiones, scripta, & munera 232. 478
Bonaccursius, Bartoli frater 158
Bonaccursius de Urbe 113
Bonaguida Aretinus, Glossator, ejus scripta 328
Bonavidius, *M. Mantua*, Patavinus, vitas JCtorum descripsit 2 435. ejus præceptores, scientia juris, promptitudo in respondendo, humanitas, & legationes quas obiit 278. 279. 376
Boncompagna familia Bononiæ vetustissima 290
Boncompagnus, *Ugo*, Juris interpres, ejus diversa munera usque ad Pontificatum, in quo Gregorius XIII dictus 290 291. Collegium Germanorum cum aliis scholis instituit 291. Decretum Gratiani & Calendarium emendat, & VII. Libri Decretalium autor 292
Bonfius, *Bernardinus*, Patavinus, Juris interpres 454
Bonifacius VIII. Sum. Pontif. Sextum Decretalium Librum edidit 334 522
Bonifacius IX. Sum. Pontifex 349
Bononiæ Gymnasium instituitur 81. 386. 388. ibi jus Civile primum explicari cœperunt Pepo & Irnerius 81. quomodo lectiones Juris institutæ fuerint 99. Gymnasium Bononiense a Friderico Imp. Patavium transfertur 136. 137. ob tumultus Guelforum & Gibellinorum evertitur 159. turbæ ibi exortæ 149. Pepuli Thadæi urbem Joanni Vice Comiti vendiderunt 174. Collegium Hispanorum ibi conditur 251
Boschus, *Corradus*, Papiensis, Juris Interpres 456
Bossianus, *Joannes*, Cremonensis, ejus familia, præceptores, elogia, composuit Compendium Novellarum 111. 400. 521
Bossius, *Ægidius*, Senator Mediolani 300
Bottonus, *Bernardus*, Parmensis, Canonicus, Sacri Palatii Quæstor, Academiæ Bononiensis Præfectus 325. 326
Bottonus, *Jacobus*, Canonicus, Decretalium Interpres 326
Boverinus Mantuanus. vide Boatinus.
Bradiolus, *Franciscus*, Juris Pontificii interpres 207
Branditius, *Jo Georgius*, Vicentinus, Juris interpres 477
Braynus, *Ludovicus*, Patavinus, Decretorum Doctor 480
a Brevio, *Franciscus*, Venetus, Rotæ Auditor & Episcopus Cenetensis 371. 463

Brigan-

Brigantius, *Bernardus*, Capellanus, ejus scripta 318
Brissonii autoritas in commendando Studio Historico 624
Brixiensis, vide Bartholomæus.
Brooardorum origo 108
de Broillo, *Jacobus*, *Ardicioni filius*, Veronensis, feudorum Compendium scripsit 123
Brunellus, *Sigismundus*, Patavinus, Juris Pontif. interpres 380. 491
Brunus, *Albertus*, Astensis, Advocatus Fisci 254
Brutus, *M. Junius*, JCtus, ejus discipuli 23
Budiensis vide Roffredus.
Bugaroti, *Bertuccius*, *Petrus* & *Antonius*, Patavini & Juris interpretes 372
Bugos, *Antonius*, Hispanus 246. 378
de Buisio, *Guido*, Archidiaconus Bononiensis, Commentator in Decretum 503
Bulgarinorum nobilis familia 239
Bulgarinus, Senensis, vir acris ingenii & absoluti judicii, Ducis Ferrariæ Consiliarius 239. 454
Bulgarus, Pisanus, f. Placentinus, Glossator, Martini adversarius, autor versionis latinæ legum Græcarum in Pandectis. Vicarius Bononiæ pro Imperatore. Os aureum dictus. Ejus sententiæ vim legis habuerunt. Liberi. Matrimonium inconsultum & obitus 103. 104. 400. 502
Burchardus, Wormatiensis Episcopus, jus pontificium XX libris complexus 315
Burdegalensis Academia instituta 393
Burgos, *Antonius*, Hispanus, Juris Pontificii Interpres 246. 378. 438
Burla, *Jo. Franciscus*, Placentinus, JCtus 455
Butigella, *Hieronymus*, Papiensis, a Venetis magno stipendio Patavium conductus 236. Senator Gratianopoli 247. 258. 455
Butigellarum Familia vetustissima, plures insignes viros habuit 258
Butrigarius, *Bartholomæus*, JCtus 142
Butrigarius *Jacobus*, Bononiensis, ejus scripta, & singularis docendi methodus 142. 412. 477
Butrius, in Jure Civili celebris 138
Butrius, *Antonius*, Bononiensis, jus pontificium Ferrariæ docuit 176. 347. 420. 437. 507. 527 censura in eum 495. 497
Buzacharenus, *Angelus*, Juris interpres 445
Buzacharenus, *Arcoanus*, Juris interpres 443
Byturigensis Academia instituta 393

C.

Cacapisti, *Gerardus*, JCtus in Feudis clarus, Mediolanensis 101
Cadomensis Academia fundata 392
Cæpola, *Bartholomæus*, Veronensis, sui temporis Summus JCtus, ingenii felicitas, Palatina Equestrique dignitate honestatus, Advocatus in Curia Romana 211. 454
Cæsaraugustana Academia 393
Cagnolus, *Hieronymus*, Vercellensis, Juris interpres, vir multæ lectionis & laboriosus 282. 458
Calderinus, *Joan.* Bononiensis, vir probus, ejus uxor & filii 340. 411. 459. 506
Calderinus, *Caspar*, Joannis filius, JCtus, Pontificis Consiliarius, ejus scripta 341. 467. 506
Calderius, *Pantaleo*, Cremensis, JCtus 263
Calefactus, *Petrus*, Pisanus, Legatus ad Carolum V. Eques & Comes factus 293
Calliavola, *Lancellotus*, Papiensis, Juris interpres 273
Calistus III. Sum. Pontifex 365
Callistratus, JCtus. Alter Romæ Senator 54
Campegius, *Bartholomæus*, JCtus, Canetulorum factionis habitus, a Consiliis Ludovici Marchionis Mantuæ 235
Campegius, *Joannes* Bartholomæi filius, JCtus, Bononiensis, quinque filios reliquit, nempe *Laurentium*, *Antonium Mariam*, *Thomam*, *Bartholomæum*, & *Marcum Antonium*, *Campegios* 236. 238. 246. 472
Campegius, *Laurentius*, Bononiensis, Joannis filius, JCtus 479
Cancellarius, quis dicatur penes Romanos & Germanos 95. 326
Candiana Academia instituta 393
Canetulorum Factio cum Bentivolis de primatu Bononiæ certabat 235. 237
a Canibus, *Joannes*, Patavinus, Juris Pontificii interpres 366
a Canibus, *Petrus*, filius Joannis Jur. interpres 366
Canis, *Dominicus*, Venetus, Jur. Pontificii interpres 366
Canis, *Jacobus*, Patavinus, JCtus 470
Canones, eorum origo, & denotatio hujus vocabuli 314
Canonicum Jus, vide Jus Pontificium.
Cantabrigiensis Academia 386. 394
Capellani, unde sic dicti 326
Capilistii olim Transagaldi vocati, ejus vocis origo 183. Jo. Franciscus, Franciscus, Gabriel,

briel, Jo. Fridericus, Barpholomæus, Capilistii, omnes Jurisconsulti & interpretes fuerunt 183. 462
Capilistius, *Anton.* Abbas & Jur. Pontificii interpres 371
Capito, *Atteius*, Tribunus Plebis, Consul, Ejus gesta in republica, & adulatio cum Tiberio Imp 34. sectæ instituendæ autor, ejus decreta scripta & obitus 35
Capitolium in octava Regione tam Romæ quam Constantinopoli 68
Capivaceus. Patavinus, Juris interpres 311
Capovacensis, *Bartholomeus*, Patavinus, JCtus 455
Capra, *Benedictus*, Perusinus, Responsa reliquit 375
a Capua, *Bartholomeus*, Neapolitanus, Protonotarius 134
Caracalla, Imp. ejus crudelitas in Æmilium Papinianum 55
Cardinales, qui Juris interpretes fuere 395. an testari possint 135. rubeo galero honestati 322. Lateranensi Ecclesiæ adscripti 329
Carduccius, *Balthasar* Florentinus, Jur. Pont. interpres 376 Mediceis infensus 377. 452
Carisius, vide Charisius
Carlinus, JCtus, Causarum Patronus Romæ 118
Carrotus, Caroli M. Tribunus Militum 183
Cassanus vide Zenzelinus.
Cassiani, unde sic dicti 40
Cassellius, JCtus 437
Cassialupus, *Jo Baptista*, Senis docuit. Advocatus in curia Romana, Filium *Antonium*, etiam Jurisconf. habuit 212 213
C. Cassius Longinus, vide Longinus
Cassolus, *Philippus*, Baldi Æmulus, Doctor Doctorum vocatus. Regiensis, Ticini docuit, Camerarius Apostolicus, ejus uxor & hæredes 172
Castellioneus, *Vincentius*, Mediolanensis, summus Canonista 319 420
Castellioneus, *Jo.* Vincentiæ Episcopus 180
Castellioneus, *Christophorus* JCtus 150. Baldi concurrens 165. 179. Mediolanensis, subtilitatum Princeps. ibid 457 518 527
Castellioneus, *Lupus*, in Jure Pontificio celebris 138. Florentinus 47. 516
a Castro, s. Castrenses, vide Paulus, Angelus, Nicolaus
Catinensis, s. Catanea Academia 189
Cato Censorinus, JCtus, ejus ortus, cur sic dictus 22
Cato, Censorini Filius, Prætor, ejusque Posteri 23
Catonorum Stemmata 23
Caturcensis, Academia fundata 392
Catus, *Ludovicus*, Ferrariensis, JCtus 456
Cavallinus, *Georgius*, Clericus Patavinus, Decretorum Doctor 467
Cavitellus, *Gillielus*, Cremonensis, jus pontificium Ferrariæ docuit 176
Causidici, qui dicti 78. religione insignes 131
Celsus, *Jubentius*, pater, Jurisconf. ejus sententia de auditu, conspiratio contra Domitianum, illi statua erecta, fit Prætor. 43
Celsus, *Jubentius*, filius, Jurisperitus, Adolescens cognominatus. Bis Cos. Scrinii Libellorum Pro Magister 44
Censuræ in diversos JCtos 494. seq. in recentiores Doctores 498
Cepola, vide Cæpola
Cerauna, Insula & Civitas Africæ 27
Cercinna, Insula & Civitas Africæ 27
Cernitus, Petrus, clarus feudorum scriptor 124
Cervotianæ glossæ 121
Cervotus, Accursii filius 121
Charisius, *Aurelius Arcadius*, Magister Libellorum, Cari & Carini Impp. Syriæ Præses 13. 59
Chasseneus, *Bartholomæus*, Heduus 262
Ciaffi, *Andreas*, Pisanus, in patria docuit 1,9. 439
Ciceronis Villa Academica 1
Cinus Sigisbuldus, seu Sinibaldus, Pistoriensis 143. in Jure civili celebris 138. jus Pontificium neglexit 144. ejus Liberi, mors & epitaphium 145. 410. 456. 505. censura in eum 495
Cinus Thebaldus, Pistoriensis 146
Circa *Bernardus*, Papiensis, Præpositus & postea Antistes Faventinus 324
Cittadinus, *Paulus*, Mediolanensis, Friburgi docuit 486
Clamyde foris in bello utebantur Romani 16
Claricius, *Bernardinus* Bononiensis. JCtus 377
Clarissimi vocabantur Advocati Fisci 18
Clarus, vide Julius Clarus.
Clemens V. Pontif Max. 158
Clemens VI. Pontif. Max. antea Cardinalis Gebennensis dictus.
Clodia, Auli Ofilii Uxor 31
Coccus, *Antonius*, Florentinus 245

Codex Hermogenianus 60
Gregorianus 60
Theodosianus 60. 61. ejus auctores ib. 518
Codicilli introducuntur 37
Cognitio Libellorum 10
Coloniensis Academia instituta 389
Columbinus, *Jacobus*, Regiensis, præcipuus ad feuda glossator 123
Comes, *Prosdocimus*, Patavinus, Juris pontificii interpres 485
Comitiva dignitas 72
Compendia Juris, eorum primus autor fuit Rogerius 106. plures compilatores 107
Complutensis Academia instituta 393
Compostellana Academia 393
Compostellanus, *Bernardus*, Decretalium Compilator 325. 503
Compostellanus, *Bernardus major*, Glossator 325
Concurrentes, qui sic dicti 83
Consiliarii qui dicantur eorumque officium 13
Constantiæ Pax 101. Synodus 350
Constantinopolitanum Gymnasium institutum & qua methodo jura in eo interpretabantur 66. 67. seq. ibi & Romæ saltim jura olim docebantur 386
Constitutiones correctoriæ 89
Consultationes quæ dicantur 11
Contarenus, *Cosmus*, Venetus, Juris Pontificii Interpres 371
Corasius, *Joan*. Tolosanus, JCtus, diversis locis docuit, & interfectus 299. 474
Corneliolus egregium Agriculturæ Opus reliquit 196
Corneus, *Petrus Philippus*, Perusinus ejus Præceptores, munera, legationes, continentia, sobrietas, matrimonium & liberi 194. seq. 426. 529
Corsetus, *Anton*. Siculus, Juris interpres 446
Cortesius Mutinensis, JCtus Ferrariensis 255
Cortusius, *Ludovicus*, Patavinus, ejus scripta, testamentum ridiculum, filii & nepotes 177. 178
Coruncanus, *Tiberius*, primus Juris Doctor 20 ejus Natales, Munera, Autoritas & Discipuli 21
Coryphæi, quinam sic dicti 515
Coscius, *Franciscus*, Senensis, Juris Pontificii interpres 374
Cottæ, *Catelliani*, Mediolanensis JCti Tractatio de Jurisperitis 511
Cavarruvias, *Didacus*, Toletanus, Juris Pontificii interpres 379
Cracoviensis Academia fundata 391
Cratinus, Comes Sacrarum Largitionum, & Consarcinator Pandectarum 65
Cravetta, *Aymo*, Savilianensis, JCtus, ejus parentes, præceptores, tenuitas corporis, matrimonium & scripta 294. 295
Cravetta, *Jo. Franciscus*, Aymonis filius, Jurisconsf. 295
Cremona, *Robertus* JCtus incertus 488
Crotus, *Joannes*, Monferratensis, JCtus Bononiensis 256. 257. 477
Cujacius, *Jacobus*, Tholosanus, ejus præceptores, adversarii, officia ingenium, diligentia & matrimonium 304. seq. ejus scripta & emendationes Juris Justinianei 654. seq.
Cumanus, *Raphael*, discipulus Christophori Castellionei 179. 488
a Cunio, *Guilielmus*, JCtus 147. 466
Curtiorum Familia Mediolani nobilissima 216
Curtius, *Franciscus*, Senior, Papiensis, Ticini docuit, Jasonis æmulus, ejus mors 216. 462
Curtius, *Franciscus*, Junior, ejus pater & fratres, Appellationum Judex Mantuæ, bonis denudatus, ejus filii æque JCti 264. 458
Curtius, *Rochus*, Ticinensis, Juris pontificii interpres, & Senator Mediolanensis 375. 388
Cynus vide Cinus.

D.

Dandalus, *Fantinus*, Venetus, Patavii docuit 353
Dandulus, *Antonius*, Venetus, Juris interpres 212. 444
Decaproti, qui dicantur, eorumque officium 75
Decianus, *Tiberius*, Utinensis, Advocatus, Prætor & tandem Professor Patavinus 283
Deciorum familiæ origo 240
Decius, *Lancelottus*, JCtus, Ticini & Pisis docuit 240. 461. 529
Decius, *Philippus*, Spurius, JCtus, ejus Concurrentes, inferorum pœnis a Sum. Pontifice subjectus, ejus ædes direptæ, Gratianopoli Senator 240. 246. seq. 427 459. 487
Decius, *Tristanus*, Lancelotti & Philippi Pater, aulicam vitam duxit 240
Declamatoriam artem an JCti callere debeant 624. seq.
Decretalium Collectio, eorumque compilatores 324. 325. Glossatores ibid.

 Decre-

Decretum Gratiani, ejus compilatio 316. 317. seq. Eugenio III. Pontifici oblatum & gratum, errores in eo 317. 318.
Definitiones, in iis JCti non observarunt præcepta dialectica 606
de Deo, *Joannes*, Hispanus, Philosophus & Juris Pontificii Interpres, ejusque scripta 335
Deta, *Elisabetha*, nobilis Florentina, Aldobrandini uxor, ex qua septem filios & filiam suscepit 307
Deusdedit, *Crescenius*, Presbyter Cardinalis, Juris Pontificii Collector. 316
Dialectices studium an JCto sit necessarium 604
Dinus Rossanius, Mugelanus, expers Juris Canonici, ejus scripta & auditores, compilator Libri Sexti Decretalium 131. 407. 460. 503. 523
Diploma Theodosii II. quod Bononiæ ostenditur, subdititium esse arguitur 81
Discalcii, *Ottonellus*, *Aloisius*, *Antonius & Ottonellus Junior*, Patavini, Juris interpretes 310
Discalcius, Aloysius, Patavinus, JCtus 444
Discentes vide Juris Studiosi.
Disputatoria ars an Juris peritis necessaria 616. seq.
Divisiones, in illis JCti non observarunt præcepta dialectica 604
Doctius, *Thomas*, Senensis, Doctor verus & veritatis dictus 190
Doctores, loco Jurisperitorum veterum successere, 4. quid ab iis exigatur, qui Doctores creandi 72. quot annis studio juris incumbere debeant 73. solennitates in creandis Doctoribus 74. examen promovendorum 75. quis habeat autoritatem creandi Doctores 76. quæ sint Insignia & Privilegia Doctorum ibid. 93. & gradus Promotionis 77. eorum officium 78. Vestitus & Habitus, ejus origo & convenientia cum sacerdotali 93. 94. seq. Doctoralis dignitatis origo 317. Doctores in Jure Canonico clari 341. vide plura sub voc. Juris Consulti & Juris Interpretes.
Doctus, *Paulus*, Patavinus, Jur. Pontificii interpres 353. 486
Dolana Academia 393
Donationis natura sine traditione 631
Dorna, *Bernardus*, primo JCtus, postea Monachus 126
Dorotheus, Quæstor Palatii compilator Juris Civilis 64. 519
Duacensis Academia instituta 391
Dulcius, *Vincentius*, Venetus, Juris Pontificii Interpres 377
Dupondii, Legum Auditores, cur ita vocabantur 66
Durantus, *Guilielmus*, ex Duranda familia, aureum speculum & alia scripta edidit, causarum Auditor, Patrimonio Petri præfuit, Pontificis Quæstor & Legatus, Episcopus Mimatensis, & vulgo *Speculator* dictus 330. seq. 406. 467. 503. 522
Dynus, vide Dinus.

E.

Edictum perpetuum Salvius Julianus collegit 12
Eloquentiæ Studium Veterum JCtorum 624
Enciclopædia, an JCti eam affectare debeant 546. seq. 559. seq.
Epidemetici, qui dicantur 19
Epigenius, Comes & Magister Memoriæ 62
Episcopi, quinam Juris interpretes fuerunt 394
Epistolarum libris Jurisperitorum responsa continebantur 7. earum scrinium, ejus Magister & officium 11
Erphordiensis Academia instituta 390
Eudoxius JCtus sub Theodosio minore, Præfectus Prætorio 63
Eugenius III. Sum. Pont. ei Decretum Gratiani offertur 317
Extravagantium origo 340

F.

Faber, *Joannes*, Burdegalensis 147. 472
Fabianus de Monte S. Savini, Advocatus Consistorialis 259
Facii, *Franciscus*, *Augustinus* & *Pompejus*, Patavini & Juris interpretes 372
Factor, *Nicolaus*, Minoritarum Ordinis, miraculis clarus 302
a Fano, f. Fanensis, *Martinus*, ejusque scripta 127. 128. 482
Fantucius, *Joannes*, in Clementinas nonnulla scripta compilavit 346
Fasolus, *Joannes*, Pisanus, Archiepiscopus Ebrodunensis 124. 472
Fatius, *Augustinus*, Patavinus, Jus pontificium docuit 446
Fatius, *Franciscus*, Patavinus, Juris Pontificii Interpres 463

Felinus

Felinus Sandeus, Juris Pontificii interpres, 368. 426. 461
Feretus vide Ferretus.
Ferox, *Titus Aulius*, Curator riparum Tiberis & Cloacarum 46
Ferrariæ Academia instituta 176. 388
Ferrarius, *Jo. Petrus*, Papiensis, Practicam Papiensem composuit 174 477
Ferretorum familia nobilis & pervetusta 276
Ferretus, *Æmilius*, Juris peritus, ejus illustres functiones, ingenium humanum liberalitas & facundia 276. 277. 441
Ferretus, *Jo. Baptista*, Juris Pontificii Interpres 377
Fichardus, *Joannes*, JCtus, vitas recentiorum JCtorum descripsit 2. 399. Francofurtensis, Advocatus & Syndicus patriæ 298
Firmana Academia instituitur 389
Florentina Academia instituta 146. 159
Florentius, JCtus, quo tempore vixit, & quæ scripta reliquit 59
Florianus vide S. Petro.
Fontana Ugolinus, JCtus 136
Formaginus, *Thomas*, Bononiensis 146. 152
Francfordiensis Academia fundata 390
Franciscus, Accursii Filius 120. 124 130
Franciscus, *Antonius*, Doctor cognominatus 245. 419. 375
Franciscus, Baldi Filius 168
Franciscus, *Dionysius*, Venetus, Juris interpres 371. 461
Franciscus a Doctoribus, *Antonius*, Patavinus, Juris Pontificii interpres 220. 245. 439. 375
Franciscus, *Mattheus*. Florentiæ Capitaneus, & Judex Appellationis 191
Franciscus Parmensis, Juris interpres 256
Franciscus, Tigrini filius, Pisanus, plura sed confuse scripsit 139. 464. 525
Franciscus Vercellensis, Juris Pontificii Interpres 328
Francus, *Philippus*, Perusinus, Jus Pontificium in patria docuit 367
ex Freschis, *Paulus*, JCtus 485
Friburgensis Academia fundata 254. 390
Fridericus Ænobarbus Imp. ei in Italiam venienti Dertonenses & Cremonenses, portas occluserunt, Longobardis sex mensibus tantum imperavit, nonnullasque leges in gratiam Martini constituit. Galliam subalpinam subegit 101. 102
Fridericus II. Ænobarbi Filius, Bononiensibus infensus; eorum Gymnasium transtulit Patavium 136
Frisius, *Vincentius Herculanus*, Perusinus, JCtus 493
Fulgentius Afer, vide Afer.
Fulgosius, *Raphael*, Placentinus Castellionei discipulus 179. 181. Constantiæ Synodo interfuit, ejus Concurrentes, mors & Epitaphium 182. 420. 508
Funxius, *Georgius*, JCtus Constantiensis 253
Furiosus, *Nicolaus*, ejus Glossæ & Epitaphium 111. 112

G.

Galeotti, *Albertus*, filius Parmensis 127
Galliaula, *Lancelotus*, Papiensis, JCtus 479
Gallina, *Camillus*, Papiensis, JCtus 304
Gambilionus, *Angelus*, ejus præceptores & fata Nursiæ perpessa 199
Gammarus, *Petrus Andreas*, Bononiensis, JCtus 238. 375. 444
Gammarus, *Bernardinus Claricinus*, Bononiensis Juris interpres 452
Gandinus, *Albertus*, Aretinus, Assessoris maleficiorum officio semper functus, ejusque scripta 133. 134
Garsias, Hispanus, Decretalium interpres & Glossator 328. 503. 522
Garzo, *Joannes*, Venetus, Juris Pontificii interpres 353
de Gazalupis, *Jo. Baptistæ*, Historia Interpretum & Glossatorum Juris 501. seq.
Gazatus, *Martinus*, Laudensis, ejus scripta 196
a S. Geminiano, *Antonius*, Juris pontificii interpres 354
a S. Geminiano, *Dominicus*, JCtus 508. 528
a S Geminiano, *Nellus*, Advocatus Florentiæ, ejus scripta 354. 483
Gentilis, *Alberici*, Dialogi de Juris Interpretibus 537
Genuensis populus ad libertatem adspirat 197
Genzelinus vide Zenzelinus.
a S. Georgio, *Jacobinus*, JCtus Taurini 265. 476
a S Georgio, *Jo. Antonius*, Placentinus, Cardinalis 373. 530
a S. Georgius, *Joannes*, Bononiensis, Juris Pontificii interpres 343
S Germanus, Episcopus Altiosiodorensis, sanctus 396
Germonius, *Anastasius*, Taurinensis, Juris Pontificii Interpres, ejus scientia canonum, & in peragendis negotiis prudentia, legationes & munera, septimam Decretalium Collectionem composuit 382. seq.

Gibellina factio 149
Gilibertus, Decretalium Compilator 324
Glabrio, *Manius*, Consul. 27
Glascoviensis Academia 394
Gloria, *Bartholomeus*, Patavinus 151
Glossæ, earum origo 81 eas Accursius in unum collegit 82. ratio eas interpretandi ibid de earum lectione 92 contradictionibus & obscuritate 120
Glossator *Jo.* Juris Civilis & Pontificii Interpres 476
Glossator, *Martinus*, Bononiensis, Gosianus cognominatus 481. vide Martinus Gosia,
Glossatorum exempla, qui linguam latinam pure scripsere 566. sententia pro Glossatoribus, in cognitione latinæ linguæ 584. de eorum sophismatibus 615. 619. eorum errores Historici 631. Collatio Glossatorum cum JCtis recentioribus 638. seq.
Gofredus Tranensis Juris Pontificii Interpres Subdiaconus & Capellanus 327
Gomesius, f. Gomez, *Ludovicus*, Hispanus, Juris Pontificii Interpres, Rotæ Auditor 378. 480
Gorzias, *Fortunius*, Hispanus Cantaber 251
Gosiani, unde sic dicti 481
Gozadinus, *Ludovicus*, Bononiensis, Juris interpres 269. 478
Gracchus, *Tiberius*, Reipublicæ Oppressor, occisus 24
Græca Lingua, an ejus peritia in JCto requiratur 586. seq. an eam calluerint JCti antiqui 596
Græcas leges in Corpore Juris quis in Latinum transtulerit 594
Græcum est, non potest legi, proverbium 588
Granatensis Academia 393
Gratianus, Hetruscus, Monachus Classensis, 316. Clusinæ Ecclesiæ Præfectus, Decreti compilator 317. 519. ejus errores in Decreto, mors & Epitaphium 318
Gregorianus Codex 60
Gregorius, Præfectus Prætorio sub Constantino. Alius fuit V. C. Præfectus Annonæ, Proconsul Africæ, & Codicis Gregoriani Compilator 60
Gregorius Presbyter, Juris Pontificii Collector 316
Gregorius IX. Sum. Pontif. patria Anagninus, ex familia Comitum, Decretales edidit 325. 521
Gregorius X. Sum. Pont. 330
Gregorius XI. Sum. Pont. Avenione sedem retulit Romam 161. 164. 344
Gregorius XIII. Sum. Pontifex, ex Familia Boncompagna, emendat Decretum Gratiani & Calendarium, autor VII. Libri Decretalium 190. seq. vid Boncompagnus.
Gregorius XIV. antea Nicolaus Szondratus dictus 274
Griphovaldensis Academia fundata 390
Gualterius, *Siccus*, Ticini floruit 192
Guarnerius, vide Irnerius.
Guideloccius, *Albertus*, Perusinus 169
a Gurgo, *Galeacius*, Vicentinus, JCtus 467
Gygas, *Hieronymus*, Causarum Patronus Venetiis 378

H.

Hafniensis Academia instituta 391
Harculanus Frisius, *Vincentius*, Perusinus, JCtus 493
Heidelbergensis Academia instituta 389
Henricus VIII. Rex Angliæ, ejus divortium cum Catherina Hispanica, & inde exorta causa coram Julio II. Pontifice Max. ventilatur 267
Henricus Hebredinensis, vide Hostiensis.
Hermogenianus, Præfectus prætorio, an differat ab Hermogene, & autor sit Codicis Hermogeniani 60
Hieronymus Justus, vide Justus.
Hieronymus Paulus, vide Paulus.
Hippolytus Marsilius, Bononiensis 233. 469
Hispalensis, vide Isidorus.
Hispalensis Academia 393
Hispanorum Collegium Bononiæ a Cardinali Albernotio conditum 251
Historiæ studium an JCto necessarium 624. sq. Errores Historici Glossatorum 631. seq.
Homodeus, f. de Homodeis, *Signorinus*, Mediolanensis, Eques & Comes Palatinus 150. 491. 507. 525. censura in eum 497
Hostiensis, *Henricus*, Juris Pontificii Interpres, Bononiæ Legatus, Cardinalis, ejus prærogativa 329. 406. 468. 503. 522
Hugo Catalaunus, Juris Pontificii Compilator 316
Hugutio, alias Hugo Vercellis, Decreti Glossator 319

I.

Jabolenus, *Priscus*, JCtus, erudiit Salvum Julianum & multa scripsit 42. 514
Jacobinus a S. Georgio, JCtus Taurini 265. 476
Jacobus Antiquus, Glossator, Bononiensis 105. Al-

105. Alter Jacobus Bandini cognominatus ibid.
Jacobus a Ravanis vide Ravanis
Jason Mainus, f de Maino, Mediolanensis ex concubina natus 225. ejus Præceptores, amplissima munera, scripta, cœlibatus, simultas cum Philippo Decio & Francisco Curtio, equestri & Palatina dignitate honestatus, ejus obitus & Epitaphium 226. sq. Piopera Castello a Ludovico XII. Galliæ Rege donatus sed iterum privatus 227. 228. 427. 478. 510. censura in eum 498
Ilerdensis Academia 393
Illustris dignitas, uni ex Advocatis Constantinopoli dabatur 20
Imola, *Joannes*. ejus Præceptores, Bononiensem Academiam restauravit 185. etymologia vocis Imolæ ibid. 410
Imola, *Alexander*, JCtus 528
Imperator, an habeat potestatem creandi Doctores in terris Ecclesiæ, & Juris Pontificii 76. de ejus juribus inter JCtos disceptatur 101
Imperium occidentale a Vandalis aliisque Gentibus opprimitur 80
Ingolstadiensis Academia fundata 390
Innocentius II. Sum. Pont. sub eo Pandectæ inventæ 80
Innocentius IV. Sum. Pont. prius Synibaldus Fliscus vocatus, Genuensis, Fridericum II. imperio privat, multa scripsit 320. seq 404. 476. 503. 521. censura in eum 496
Interpretatio legis, quid sit, & quomodo fiat 84. de etymologica & analogica interpretatione 580
Joannes XXII. Sum Pont. Aquitanus Caturriensis, autor Extravagantium 340. Clementinarum 523. antea Jacobus Cartucensis vocatus ibid.
Joannes XXIII. Sum. Pont. antea Balthasar Cossius dicebatur 350
Joannes de Deo, Hispanus 222
Ipho aliis Ivo, Britannus, inter divos relatus, miraculis clarus, ejusque munera ecclesiastica 131 407
Irnerius, Bononiæ Juris Interpres, primus Glossator, Lumen Legum vocatus 81. Mediolanensis, corrupte Guarnerius dictus, Lucerna juris cognominatus 97. ejus errores circa Authenticas ibid. Formularium composuit 99. ejus mors 100. plura vide 399. 471. 501. 520.
Isernias, vide Rampinus
Isidorus, Antecessor 65
Isidorus Hispalensis, Antistes, Roman. Pontificum Epistolas & Conciliorum Acta collegit. 315
Isolanus, *Jacobus*, Bononiensis, Cardinalis 134. 174
Itali JCti recensentur 545
Judices olim Doctores dicebantur 71. eorum ætas 79
Judices Pedanei Jurisperiti, eorumque officium, cur & unde sic dicti 14
Julianus, *Salvius*, Mediolanensis, Prætor & bis Cos. diversarum provinciarum rector, edicti perpetui ordinator, Salviani interdicti auctor, Exercituum præfectus, ejus mors & memorabiles Sententiæ 46. 47. 491. 513
Julius Clarus, Alexandrinus, Juris interpres, ejus parentes & diversa munera 256
Ivo, vide Ipho
Ivo Carnotensis, Antistes, amplissimum Decretorum volumen concinnavit 315
Juris Consulti, in quo loco jus olim docuerunt 20. 66. eorum occupationes 21. quando Responsa a se edita signare cœperunt 7 an ex lectione JCtorum veterum plus utilitatis hauriri queat quam recentiorum 540. sq. Ciceronis descriptio JCti 546 an JCti aliis disciplinis & scientiis immorari queant 541. seq. tempora JCtorum bifariam distribuuntur 554. an linguæ latinæ cognitione exquisitiori carere possint 564. de eorum Polygraphia 569. divisio in Accursianos & Alciateos 582. an JCti antiqui calluerint linguam græcam 596. an iis Dialectices studium sit necessarium 604. rationes absque necessitate cumularunt 615 de lana caprina quæstiones moverunt 619. 631 eorum errores historici 631. seq. collatio veterum & recentiorum JCtorum 638 seq.
Juris Interpretes quibus in locis, quo ordine & qua methodo olim docebant 20. 66 82. 346 eorum numerus & variæ appellationes ib 67 salarium 68. immunitas, honores & tituli 69. 70. eorum modus interpretandi 69 eorum prolixitas est nociva 82. corruptus docendi mos 83. certamina & æmulatio 83. eorum numerus crescit 146. quinam fuerunt Principes, Monachi, Episcopi Cardinales, Pontifices Maximi & Sancti 194. seq. plurium JCtorum nomina qui floruerunt in Jure Civili 509 seq in Jure Canonico 341. descriptio Juris interpretis 547. 533

Jurisperitorum origo & auctoritas 4. 7. eorum responsa a populo observata ex consuetudine vim legis obtinebant 5. eorum modus respondendi 6. Principum consilio erant 7. eorum volumina 7
Jurisprudentia media, quæ sic dicta 5
Juris studiosi officio Assessorum fungebantur 13 eorum variæ appellationes 66. quot annis studio juris incumbere debebant 73. eorum officium circa lectionem librorum & auscultationem Doctorum 91. de eorum privata applicatione, methodo studendi, lectione glossatorum & annotandis 92. 93. an plus utilitatis capiant ex lectione JCtorum Veterum, quam recentiorum 540 seq. an studium multarum linguarum iis utile 597. seq. eorum conditio in Italia 637
Jus Civile, ejus origo 4. auctoritas 5. derogavit Legi XII. Tabularum 5. jure Pontificio minus dignum, tamen vetustius 3. Noviter repertum sub Lothario II. & Bononiæ primum explicari cœpit 80. 81. nullibi, Roma & Constantinopoli exceptis, olim Jura docebantur 186 ejus fata 517. Juris Civilis studium est amplissimum 550. 642. de ordine in libris Juris Justinianei 643. de inconstantia, ineptis & emendatione ejus 648. seq. de restituendis Constitutionibus Juris Justinianei 657
Jus Pontificium, Cini judicium de eo 144. ejus origo & progressus 314. sq.
Justiniani novi, legum Auditores a Justiniano vocati 66
Justinianus, cavillatio & relatio Procopii de eo 610
Justus, *Hieronymus*, Patavinus, Jus Pontificium docuit 377. 469

L.

Labeo, *Antistius*, Filius Antistii Labeonis, contendit cum Capitone, Stoicæ Philosophiæ addictus est 35. 36. ejus scripta & autoritas 37. 443
Lambertacius. *Jo. Ludovicus*, Patavinus eloquentia insignis, ejus Epitaphium 173. 475
Lampugnanus, JCtus, tumultui Mediolanensi se immiscuit 196 197
Landucia, Baldi Uxor 165
Lanfranchinus Tranensis, de Jure Patronatus scripsit 327
Lanfrancus de Oriano, Juris Pontificii interpres 358
Lappus, *Castilionellus*, Florentinus, Advocatus Consistorialis 343
Lappus, *Tuctus*, Podiebonizus Florentinus, Abbas, super sexto Decretalium & Clementinis scripsit 342
Laterculum minus, quas dignitates continebat 8. quas vero, Laterculum majus 9
Latinæ linguæ cognitio, an ad studium Juris aliquid conferat 565
Laudensis, *Martinus*, JCtus 482
Lauratius, *Bartholomæus*, Patavinus, Juris interpres 452
Laurentius Cremensis, Canonista & in Decretum Gratiani Glossator 319
Lauverinus, *Jodocus*, Juris interpres Tholosanus 510
Leazarus, *Paulus*, Bononiensis, in Jure Pontificio emicuit, multaque scripsit 341. 484
Lectio Veterum JCtorum; an plus utilitatis afferat, quam recentiorum 540. seq.
Lectiones variantes 629
Legati erga Proconsulem, eorumque officium 13
a Lege, *Baptista*, Venetus, Juris Pontificii interpres 366
de Legnano, vide Lignano.
Legum Interpretes, vide Juris Interpretes.
Lemonia Tribus 30
S. Leonardo, *Antonius*. Patavinus, JCtus 443
Leonia Gens, Patavii nobilis, plures JCtos protulit 306
Leonius, *Paulus*, Patavinus, Justitiæ Consiliarius Ferrariæ 306
Leonissa, *Jacobus*. Patavinus, Nuntius Apostolicus ad Regem Rom. Quæstor & Capellanus 366. 470
Leonissa, *Jo.* Patavinus, Juris interpres 473
Leontius Annicius dictus, Præfectus Prætorio, Urbi Quæstor & Cos. *Alter* Urbi Constantinopoli Præfectus, Comes primi Ordinis. *Tertius* Præfectus Prætorio, Illyrici Rector & Cos. 63
Leonus, *Antonius*, Patavinus, JCtus 445
Libellenses qui sic dicti 11
Libellorum Scrinium 9. ejus Magister ibid. in eo quot viri militabant 11. eorum usus permansit ibid.
Licentiati qui dicantur 77
Licinia Lex. quam tulit Q. Mutius, Reipubl. Rom. perniciosa 26
Licinius, Præses Provinciæ 13
P. Licinius Crassus, JCtus 24

a Ligna-

a Lignano, *Joannes*, Mediolanensis. Juris Pontificii Interpres 343. seq. 478 516
a Limena, *Prosdocimus*, Sacerdos 357
Linguarum multarum studium an Juris peritis utile? 597. seq.
Lipsiæ Academia instituitur 160 173. 390
Loazes, *Ferdinandus*, Hispanus, Juris Interpres 463
Logica, vide Dialectica.
Longinus, *Cajus Cassius*, Consul & Syriæ Præfectus, ad Puteolanorum seditionem comprimendam eligitur, in exilium agitur & inde revocatur, est autor sectæ Cassianorum 40
Longinus, *Cajus*, Prætor, ex ordine Equestri 41
Lotharius II. sub ejus imperio Pandectæ inventæ 80
Lotharius, Cremonensis, Azonis æmulus, intemperans 116
Lovaniensis Academia instituta 390
Lucilius, *Balbus* Jus docuit 28
Lugdunensis Academia instituta 391
λύται, Legum Auditores, cur sic dicti 66
Lyus, *Antonius*, Patav, Clarissimus JCtus 118

M.

Macer, *Æmilius*, Præfectus Provinciæ 13. 58
Maceratensis Academia 389
Magistratus, lex loquens, & viva vox Juris Civilis vocatur 91
Magistri, sic JCti nominati 67
Magistri Scriniorum Memoriæ, Libellorum, Epistolarum & Dispositionum 8. 9. seq.
Magistri titulo Professores honorabantur 320
Mainus, vide Andreotus & Jason.
Majoricana Academia 393
Malchiostrius, *Franciscus*, Parmensis 231
a Malavoltis, *Ubaldinus*, Advocatus celebris 493
Malegonella *Antonius* Advocat. eximius 245
de Maliciis, *Ludovicus*, Patavinus, Juris pontificii interpres 357
Malmignatus, *Gaspar*, JCtus 467
Malumbræ, *Nicolaus*, ejus Epitaphium 141
Malumbræ, *Ricardus*, Cremonensis, invidia æmulorum pravæ religionis apud Clementem V. insimulatus. Equestri & palatina dignitate donatus, perspicuus & facilis in docendo 140. 408 489. 504. cens in eum 497
Mandelbertus, *Ægidius*, Cremonensis 148
Mandellus, Jacobus, Patritius Albensis, JCtus diversis locis docuit 297
Manlius, JCtus, ejus judicium in filium 24
Mantica, *Franciscus*, Forojuliensis, Auditor Rotæ & Cardinalis 308
Mantua, *Marcus*, vide Bonavidius
Maranta. *Robertus*, Venusinus, Salerni & in Sicilia docuit ejus scripta 259. 489
Marcæ argenti quid continebant 109
Marcellorum Venetorum origo 2.7
Marcellus, *Ulpius*, JCtus, in Consilio Antonini Pii fuit, & quædam scripsit 50
Marcus Mantua, vide Bonavidius.
Marius Salimonius, vide Salimonius.
Marsilius, *Hippolytus*, Bononiensis 233. 469
Martianus, *Ælius*, Bæticæ proconsul 12. ejus scripta 50. 514
Martinus IV. Sum. Pont. 331
Martinus V. Sum. Pont antea Otho Columna dictus 351
Martinus Gosia, Glossator. Cæsari addictus, de juribus Imperii pronunciat, ejus controversia cum Bulgaro & mors crudelis 100. seq. 400 481. censura in eum 496
Martinus Laudensis. JCtus 482
Martyrius, Comes & Quæstor Theodosii 61
Massilia olim disciplinis & linguis floruit 385
Massiliensis Academia instituta 393
Matricula Advocatorum, unde nomen deducerit 16
Matarellus, s. de Materellis, *Nicolaus*, Mutinensis 146. 482. 505. censura in eum 497
Mattesilanus, *Petrus*, Bononiensis 180
Mattesilanus, *Mattheus*, JCtus 180. 528
Mattheacius, Angelus JCtus 310
Mattheus Franciscus Florentiæ Capitaneus 191
Mauricianus, *Julius*, JCtus, quando vixerit & quæ scripferit 50
Maurocenus, *Petrus*, Venetus, Cardinalis 353. 485. 508
Maximinus Quæstor Palatii & Comes sacrarum Largitionum 61
Maximus, *Cornelius* JCtus 30
Maximus, *Rutilius*, JCtus 30
Medices, *Ansuinus*, Florentinus, Juris interpres 446
Medina, *Pileus*, JCtus, Brocardicorum autor 484
Mediolanensis populus ad libert. adspirat 197
Memoriæ Scrinium 8
Memoriales, qui dicantur 9
Menander, Arrius, JCtus 56
Menochius, *Jacobus*, Papiensis, Juris interpres, ejus munera & scripta 309
Messana, vetus Academia 389
Messius Rusticus JCtus, Alvei Tiberis & Cloacarum Curator 54
Metata & Metatores quid sint 19
Methodus studendi Jura a Justiniano præscri-

pta 66. interpretandi Leges 84 contrarias leges conciliandi 83. quæstiones tractandi 90
Michael, *Augustinus*, Venetus, Archipresbyter 357
Milantia. Jo. Andreæ uxor 358
Miliaria gens clarissima in Foro Julii 207
Miliarius, *Michael*, Juris interpres 207
a S. Miniato, *Recuperus*, JCtus 488
Miraculum D. Nicolai 144
Modestinus, *Herennius*, Præses Dalmatiæ 13. in Alexandri Imp. Consilio fuit, carmine delectatus, scripta reliquit 58
Moguntina Academia instituta 390
Monachi, qui Juris interpretes fuerunt 394
Monachus, *Jo.* Cistercienfis, genere Heduus, Glossator, Cardinalis 334 524
Monspessulana Academia instituta 392
de Monte Albano, *Nepos*, Juris Interpres 327
de Monte Faventino, *Bertrandus*, JCtus, Cardinalis 107. 147. 453
de Monte S Savini, *Fabianus*, Advocatus Consistorialis 259
a Monte Sperello, *Joannes*. JCtus 191
Mophæ *Matthæi Gribaldi*, JCti Cheriani Catalogus aliquot Interpretum Juris Civilis 5.1
Mors secunda, secundum Homerum & Platonem, quæ dicatur 2
Mugellanus vide Dinus.
Mulertus, *Gerardus*, Caroli V. Consiliarius 126
Mussatus, *Jo. Franciscus*, Patavinus, JCtus 475
Mutia Lex, quam condidit Q. Mutius 26
Mutinensis, *Cortesius*, JCtus Ferrariensis 255
Mutinensis. *Nicolaus*, JCtus 524
P. Mutius, Tribun Plebis, Prætor & Consul 23
P. Mutius Scævola, Conf. & Pontif. Max. 23. antiquissimus Juris interpres 386. 512. 541
Q. Mutius Scævola, JCtus 24. 27. Publii filius, jus civile primus ordinavit 26

N.

Natalis, *M Minutius*, Proconsul Africæ & Mysiæ inferioris Præses, fuit idololatra, & Augur 42
Nattarum Familia celebris, insignes JCtos habuit, *Secundinum*, *Henriettum Jo. Baptistam*, *Georgium* 234. eorum Genealogia 235
Navarrus. *Martinus*, Hispanus, Theologus & Juris Pontificii Interpres 378
Neapolitana Academia instituta 388
Neptunus, *Antonius Corsetus*, Siculus, Juris Pontificii interpres 375
Neratia Labeonis uxor 45
Neratius, *Priscus*, ejus Consulatus & scripta 45
Nerva, *Coccejus, pater*, Consul. & ejus fata 38
Nerva, *Coccejus filius*, miro ingenii felicitate fuit, a Nerone triumphalia ornamenta accepit, ejus libri & argutia 39
Nevizanus, *Joan.* Astensis, Juris interpres, cœlebs, filium naturalem *Franciscum* æque JCtum habuit 265
Nevus, *Alexander*, Vicentinus, Jur. Pontificii interpres 366. 444
Nicellus, *Christophorus*, Placentinus, Senatui Ducis Sabaudiæ præfuit, Filios Antonium & Jo. Ludovicum, reliquit 204 205
Nicolaus Alexandr. Bartoli Gener. JCtus 525
Nicolaus Castrensis, Angeli Filius, Canonicus Patavinus & JCtus 188
Nicolaus Siculus, vide Panormitanus.
Niconitius, *Franciscus*, JCtus 454
a Novaria, *Bartholomæus*, JCtus 147
Novellæ, quis eas in Latinum transtulerit 594
Novi Justiniani, Legum Auditores, qui sic dicti 66

O.

Obertus, ab Horto, Feudorum Autor celeberrimus 101
Obscuriora quomodo interpretanda 84
ab Ocha, vide Salviolus.
Odofredus, *Bononiensis*, Philosophus & Juris interpres multa scripsit 125. aliis Beneventanus ib. 405. 503
Offilius, *Aulus*, JCtus, ejus discipuli, scripta & uxor 31
Oldradus de Ponte, Laudensis, Advocatus Consistorialis 138. 411. 505. 524. censura in eum 496
Onnedensis Academia 393
Optimi, qui sic dicti 4
Orbatus, *Reprendinus*, Patavinus 189
Orianus, *Paulus*, Brixiensis, Patavii docuit 230 484
de Oriano, *Lanfrancus*, Juris Pontificii interpres 358
Orsatus, *Antonius*, Patavinus 212. 262. 438
Orsatus, *Gaspar*, Patavinus, JCtus 466
Orsatus, *Turchetus*, Patavii docuit 212
ab Orto, *Obertus*, Mediolanensis, JCtus 483. 519
Oscana Academia 393
Osolettus, *Gabriel*, Mutinensis 151, 466
Ossunensis Academia instituta 393
Orthofredus, vide Odofredus
Otto, de ordine Judiciorum scripsit 107
Otto Papiensis, Glossator 102
Oxoniensis Academia 386. 394
Ozerius, *Jo. Franciscus*, Tolentinus JCtus 474

P.

Palatensis, *Jo.* Doctor Senensis 471
Paleæ in Decreto Gratiani, unde sic dictæ 317. 520
Paleotus, *Vincentius*, Bononiæ docuit 198. 260 - de ejus filiis & nepotibus, inter quos claruere duo Camilli. Alexander & Gabriel, Paleoti 260. ejus vitam descripsit gener Beroaldus 261
Pallatiolus, *Laurus*, Patavinus 189
Palliarensis, *Jacobus*, primus Jus Civile Senis docuit, ejus laus & obitus 159. 160
Pancirolus. *Albertus*, Regiensis, JCtus, veritaris studiosus, & patriæ addictus 283. 284. ejus Pater *Guido Jo.* Pancirolus, vir integerrimus 283
Pancirolus, *Guido*, Francisci Veggii Concurrens 404
Pandectæ Florentinæ inventæ & Pisanis donatæ 80. 96. quo loco inventæ fuerint, & cur Pisanæ dictæ 97. JCti, ex quorum responsis collatæ sunt 517
Panormitanus, vide Tudiscus.
Panraleo, Cremensium tutelaris 261
Pantaleo Calderius, Cremensis, JCtus 263
Papæ, *Guido*, Allobrox, JCtus, Legatus ad Nicolaum V. & Regem Carolum IV. Senator Gratianopolitanus 370. 467
Papafava, *Alexander*, Patavinus, Juris interpres 445
Papafava, *Franciscus*, Patavinus, Juris interpres 466
Papafava, *Marsilius*, Patavinus, JCtus 481
Papinianistæ, qui sic dicantur 66. 515
Papinianus *Æmilius*, JCtus, ejus munera, scripta elogia & mors 54. 55. 441. 514
Papirius Justus, JCtus, Præses Provinciæ 13. 53
Papirius Valens, Syriæ Præfectus 13
Papius, *Jo. Angelus*, Salernitanus, Juris interpres & vir eloquentissimus 272
Paratitla, quæ dicantur 84
Parisetus, *Hieronymus*, Regiensis, ejus ortus, legationes, ingenium & morum integritas, amicitia cum Jo. Morono Cardinali 380. 381
Paris de Puteo, Neapolitanus 205
Parisiensis Academia fundata 391
Parisius, *Petrus Paulus*, Consentinus, JCtus, Auditor Cameræ Apostol. Cardinalis 257. 267
Parlamenti Delphinatus institutio 370. 486
Parma *Franciscus*, Juris interpres 463
Parmensis Academia instituitur 389
Parpaleæ stirpis septem germani Fratres 249. Thomas Parpalea 492
Pasinus, *Ottonellus*, Juris Pontif. interpres 371
Passagerius, *Rolandinus*, summam artis Notariæ scripsit 126
Patavium, eo Gymnasium Bononiense a Friderico Imp. translatum 136. seq. restauratum 148. 388.
Paternus Tarruntenus, JCtus, occiditur 48
Patricius, Quæstor, Antecessor, Magister Officiorum 62. Alter fuit Leontii filius, Provinciæ Præfectus 63
Patronus, nomen Jurisperiti antiquam habet originem, vide Advocati.
Pavinus, *Jo. Franciscus*, Gallus, Glossator in Extravagantes 340. 371. Theologiæ & Juris utriusque Doctor 475
Paulus III Sum. Pontifex 277
Paulus IV. Sum. Pontifex 381
Paulus, *Julius*, JCtus Patavinus, Præfectus Prætorio Alexandri Imp. 8. Magister Libellorum 10. Papiniani Præfecti Prætorio Assessor 13. 57. ferme ad LXX. Volumina reliquit 57. 515
Paulus, *Hieronymus*, Berchionensis, Vicecector & magnus Practicus Romæ 468
Paulus Castrensis, Juris interpres acutissimus, Zabarellæ Cardinalis Assessor, Florentiæ Vicarius, ejus scripta, de eo proverbium: Si Bartolus non fuisset ejus locum Paulus tenuisset 186. 187. 420. 483. 508. 527. ejus Epitaphium & Effigies in Prætorio posita 188. 189
Paulus Doctus, vide Doctus.
Paulus Ungarus, Decretalium interpres 325
Pedanei Judices, Jurisperiti, eorumque officium, cur & unde sic dicti 14
Pegasianum Senatusconsultum 42
Pegasus, Jurisperitus, Urbi Præfectus autor Senatusconsulti Pegasiani 42
Pellina, Perusina, Bonarelli filia, Bartoli uxor 157
a Pena. *Laurentius*, Bononiensis, Juris Pontificii Interpres 343
Penna *Lucas de*, Tolosanus, Jus Civile professus 184
a Pennafort, *Raimundus*, Barcinonensis, Magister Ordinis Prædicatorum, inter Sanctos relatus, Decretalium Compilator 325
Pepuli Thadæi, fratres, urbem Bononiensem Joanni Vicecomiti vendiderunt 174
Pepulus, *Romeus*, Bononiensis, velut Patriæ Princeps, dives, expulsus, Gibellinos opprimit 149
Pepulus, *Thadæus*, Romæi filius, Bononiæ prin-

cipatum obtinet, Sapientiæ & justitiæ studiosus, primo Pontificia postea Cæsaris partes secutus 149. 150. 394
Pepus, *Franciscus*, Florentinus, Iuris Interpres 466
Perillius, *Angelus*, Perusinus 190
Perusina Academia instituta 141. 188
a S. Petro, *Joannes*, ICtus 184
a S. Petro, *Florianus*, Bononiensis, ICtus 180. 184 465
Petronus, s. de Petronibus, *Ricardus*, Senensis, Cardinalis & Vicecancellarius Rom. Ecclesiæ, Compilator Sexti Decretalium, ejusque testamentum 134. 135 504. 522
Petrucius, *Benedictus*, Senensis, Ius Civile docuit 176
Petrucius, *Fridericus*, Bononiensis, Iuris Pontificii Interpres 342. 465. 506
Petrus a Bella Pertica, Sophista 124. 133. 408
Petrus Paulus Parisius, vide Parisius.
Petrus Ubaldus, vide Ubaldus.
Philippa, Vincentii Paleoti filia, Beroaldi Uxor 260
Philippus Cassolus, vide Cassolus.
S. Philogonius, Causarum Patronus fuit 396
Phœnicem, librum de memoria artificiali edidit Petrus Franciscus Ravenna 251
Piccolomineus, *Nicolaus*, Ius pontificium docuit, Episcopus & Nuntius ad Hispanos 374
Picus, *Paulus*, Papiensis, ICtus 485
P gna, Iacobus, Ius pontificium Ferrariæ docuit 176
Pileus, ICtus, glossas in feudorum librum composuit 520
Pinellorum familia, Genuæ nobilissima, multos senatores & Duces protulit 312
Pinellus, *Arrius*, Lusitanus, Iuris Pontificii Interpres 379
Pinellus, *Dominicus*, Genuensis, Iuris interpres, utriusque signaturæ Referendarius, Commissarius Apostolicus, Cameræ Apostolicæ Clericus, in Hispania nuncius, aliaque ejus munera usque ad Cardinalem 312. seq.
Pisana Academia instituitur 188
Pius II. Sum. Pontif. prius Æneas Sylvius Picolomineus dictus 359
Pius IV. Summus Pontif. 380. 381
Placentinus, genere Gallus, Glossator, Gymnasium Montis Pessulanum instituit, nimis gloriæ appetens 107. 108. 400
Placentius, *Franciscus*, Cremensis 196
Placiola, *Rolandus*, Patavii docuit & in feuda scripsit 136. 481
Plateus, *Joan.* Bononiensis, ICtus 220
Plebeji, qui dicantur 542
Pleone, *Joannes*, Ariminensis 141
Plotus, *Jo. Baptista*, Novariensis, Iuris peritus, ejus uxor & tres filii 288
a Plumbino, *Benedictus*, Ferrariensis 143. 526
Poggettus, *Bertrandus*, bellum pro Ecclesia in Italia gerit 149
Pogliarensis, *Jo.* Iuris interpres 473
Polentonus, *Modestus*, Patavinus, ICtus, legationibus functus, Equestri dignitate donatus 208. 481
Politius, *Lancellotus*, Senensis, Iuris interpres, Archipræsul Consentinus 272. 273. 480
Polygraphia ICtorum 569
Pomponius, *Sextus*, ICtus, autor Enchiridii, an in Alexandri consilio fuerit 49
Pontanus, *Gulielmus*, Papiensis, Iuris interpres 261
Pontanus, *Ludovicus*, Spoletanus, Protonotarius, Legatus ad Concilium Basileense, mors & Epitaphia 191. seq. 422. 479
a Ponte, *Aloysius*, Patavinus, Iur. Pontificii interpres 372
de Ponte, *Dominicus*, Iuris Pontificii interpres 357
de Ponte, *Oldradus*, Advocatus Consistorialis 138
Pontifex maximus, quis olim dicebatur 6. eum jurisperitum esse oportebat ejusque officium ibid.
Pontifex maximus, simul atque creatus est Papa, statim utriusque Iuris fit Doctor 93
Pontifices maximi, qui fuerunt Iuris interpretes, & Doctores 395
Pontificium jus in non paucis a Cæsareo differt 5
Porcellinus, *Antonius*, Patavinus ICtus 442
Porcellinus, *Franciscus*, ICtus Patavinus 189. 462
Porcius, *Jo. Christophorus*, Papiensis 198
a Porta Ravennate, vide Albericus & Ugolinus
Portus, *Joannes*, Vicentinus 190
Prædicatorum ordinis, qui fuerunt Iuris interpretes 394
Præfecti Prætorio, eorum officium & autoritas 8
Præsides Provinciarum, erant ICti, eorumque munus 18
Prævidellus, vide Prividellus.
Pragensis Academia, ejusque fatum 160. 189
a Prato, *Antonius*, Galliæ Cancellarius 199
a Prato Veteri, *Anton.* Florentinus 198
a Prato Veteri, *Joan.* Florentinus, ejus filius *Marcus*, & ex eo Nepotes 212. 438
a Presbyteris, *Antonius*, Iuris Pontif. Interpres 346
Primicerius Notariorum laterculo majori præerat 9
Principes ad preces cujuscunque privati rescribebant, modo non sit servus 21. in consilio jurisperitos habebant 7
Principes, qui fuerunt Doctores 394
Prividellus, *Hieronymus*, Regiensis, Henrici VIII. Regis Angliæ causam duxit 267. 268. 484
Priulus, *Georgius*, Venetus, Iur. Pontificii interpres 366
Procopius, Magister Militum 62
Proculiani, unde sic dicti 19
Proculus, Præfectus Provinciæ 13
Proculus, Prætor, differt a Licinio Proculo, & Epistolarum libros reliquit 19
Professores, eorum Conditio apud Romanos, & reditus, vide Iuris Consulti, Iuris Interpretes. 385
Πρωτὸ ὕτας, qui sic dicti 67
Pronunciatio docentia, quomodo esse debeat 91
Proreda, *Gulielmus*, Anglus, Oxoniæ Professor 327
Prosdocimus a Limena, sacerdos 317
Prosdocimus Comes, Patavinus, Iur. Pontificii interpres 485
Provincialis, *Stephanus*, Iuris Pontificii Interpres 340
Publicius, JCtus, forte actionis publicianæ autor 33
Purpuratus, *Jo. Franciscus*, Pinerolius Taurinensis, JCtus & in senatu Sabaudiæ Præses 476
Putei, unde originem traxerunt, Alexandria expulsi 205. & quinam illustres viri ex hac gente prodiere 205. 206
Puteus, *Jacobus*, Alexandrinus 189. 473
Pyleus, ejus patria, quæstiones Sabbathinæ, munera & scripta 109, 110

Q.

Quadrivium quid 71
Quæstiones, quomodo tractandæ 90
Quæstores Candidati, qui postea Palatii dicti, eorum officium & auctoritas 7
Quintus Septimius Florens Tertullianus, Carthaginensis, vir in græcis & latinis literis eruditissimus, JCtus, Philosophus, Ethnicus, Christianus, Montanista 53. 54

R.

S. Raimundus, jus Bononiæ docuit 396
Raimundus, *Benedictus*, filius Raphaelis Cumani, Juris interpres 454
Raimundus Barchinonensis, JCtus, cujus opera Gregorius IX. Decretales edidit 490 521
Rampinus, *Andreas*, alias Iserniaa, Regni Neapolitani & Reginæ Joannæ XI. Consiliarius. Jurisconsultorum Evangelista & auriga in feudis dictus, ejus scripta & uxor 162. 441. 524
Ramponus, *Franciscus*, JCtus 143. 462
Ramponus, *Lambertinus*, Bononiensis 142. 479
Raphael Comensis, s. Cumanus, Juris interpres 420. 508
Raphael Fulgosius, Placentinus, Juris interpres 179. seq. 420
Ravamscus, *Jacobus*, JCtus 470
a Ravania, s. de Ravenna, *Jacobus*, Lotharingus, ejus disputatio cum Accursii filio 124 Theologiæ Magister, & Episcopus Verdunensis 504. 522
Ravennas, *Petrus Franciscus*, s. *Thomasius*, omnes artificiali memoria superavit 215. 250. librum de memoria edidit 251. 486
Ravennas, *Vincentius*, Petri Filius, Jurisperitus 251
Ray, *Anchoranus*, vulgo le petit Pape dictus 263
Raymundus, vide Raimundus.
Rebuffus, *Jacobus*, JCtus, in Monte Pessulano docuit 264
Regiomontana Academia instituta 391
Reinerius de Foro Livii, Juris interpres 412
Reprandus, *Michael*, Marosticensis, Jus civile docuit 176
Responsa prudentum, eorum Origo & auctoritas 4. 6. 618. vocantur Jus Civile 4. 6. quomodo dabantur 5. 6. quando ea signari cœperunt. 7
Rhemensis Academia instituta 393
Rhetores, qui olim sic dicti 15
Rhetoricum studium Veterum JCtorum 624. seq. an illud JCtis necessarium ibid.
Ricardina villa 320
Riccius, Joannes, Florentiæ docuit 170
Richardus, Episcopus Cicestrensis in Anglia 320
a Rido, *Daniel*, Patavinus, JCtus 460
Riminaldorum Progenies 217
Riminaldus, *Jo. Maria*, Ferrariensis, ejus Concurrentes, Uxor & liberi, in responsis & præstando patrocinio valuit 217. 218. 426. 529
Riminaldus, *Jo. ...binus*, Jo. Mariæ Riminaldi Filius, in docendo & patrocinando excelluit, vita splendidus, ejus uxor & filii 218. 219
a Ripa, *Jo. Franciscus*, Papiensis, JCtus, ejus stirps, statura, munera & scripta 266. 476
Rodolphus, *Laurentius*, Florentinus, Juris Pontificii interpres. Legatus ad Venetos 353. 480
Roffredus Beneventanus, Beneventanus, ejus præceptores, scripta, imprimis tractatus de Formulis Libellorum, in Aula Friderici II. Imp. primarius Judex fuit 118. 402. 502
Rogerius, primus in Infortiatum Glossator, & autor primi compendii Juridici 106
Roglerius, JCtus, paratitla conscripsit 521
Rolandinus Passagerius 126
Rolandinus Romanicensis 130
Romæ, Gymnasium, qua methodo ibi jura docebantur 66. 67. seq. ob Longobardorum invasionem intermissum & restitutum 96. 387. 388. ibi & Constantinopoli saltim jura olim docebantur 386
Romanus, alias Ludovicus Pontanus dictus, Spoletinus, Iuris interpres, Synodo Basiliensi interfuit 422
Romani domi in pace Toga, foris vero in bello Clamyde utebantur 16
Rosanus, *Abbas*, Concurrens Philippi Decii 244
Rosata, *Albericus*, Ricardi Malumbræ Discipulus 140. Bergomensis, causarum Patronus Mediolani, Legatus ad Pont. Benedictum XII. ejus scripta, obitus & epitaphium 152. 153. 414. 440. 506. 525
Rosellus, *Antonius*, Aretinus, ejus familia, legationes & honores, desiderium Cardinalitiæ dignitatis 361. 444
Rosellus, *Jacobus*, Prætor Cæsennæ 364
Rosellus, *Jo. Baptista*, Iuris interpres 363. 469
Rossanius, *Dinus*, Mugellanus, ejus scripta & auditores, autor sexti Decretalium Libri, animi mœrore laborat 138 407
Rosia, *Magdalena*, Cujacii uxor 305
Rostochiensis Academia instituta 390
Rotharius, Rex Longobardorum, edictum promulgat 80
Rubeus, *Jo. Antonius*, Alexandrinus, ejus contentio cum Socino 270. diversis locis docuit, ejus mors & epitaphium 275. 446
Rubeus, *Vincentius*, Patavinus, ICtus 492
Ruffinus, Præses Provinciæ 13
Rufinus, *Licinius*, ICtus, quo tempore vixit & quæ scripta reliquit 59
Rufus, *Rutilius*, Consul, egregius miles, Siciliam liberat, ejus exilium, præclare gesta & studium justitiæ 24
Ruinus, *Carolus*, Regiensis 246. 255. ejus munera, scripta, uxores & liberi, amplas opes comparavit 256. 456

S.

Sabiniani, cur sic dicti 35. 38
Saccus, Cato, Papiensis 189. 458
Saccus Gualterius, Ticini floruit 190
Sachus, vide Saccus.
Sabinus, *Cassius*, Præfectus Provinciæ 13
Sabinus, *Cælius*, scripsit de pileatis servis, ejus autoritas 48
Sabinus, *Fabius*, consularis & præfectus Urbi 517
Sabinus, *Massurius*, primus jus respondendi obtinet, ejus scripta, differt a Sabino Consulari, est autor Sabinianorum 37 38. 513
Sadoletus, *Joan.* Mutinensis, Iacobi Cardinalis pater 215. ejus scientia Iuris, filii celebres Iulius & Iacobus, Epitaphium 231. 477
Sala, *Benedictus*, Patavinus, ICtus 454
Salaminius, ultimus sui temporis Antecessor 65

Salernitana Academia instituta 389
Salernus, *Julius*, Ticinensis, Iuris interpres 304
Salicetus, *Bartholomaeus*, Bononiensis, Ricardi ex fratre nepos, primus Ferrariae jus civile docuit 176. 418. 450. 526. censura in eum 497
Salicetus, *Ricardus*, in Iure Civ. celebris 138. Legatus Bononiensium ad Florentinos 174. de Gente Saliceta ibid. 450. 526
Salicetus, *Jacobus*, ICtus, Responsum reliquit 177
Salimonius, *Marius*, Albertischus, Eques Romanus & Advocatus Consistorialis 429
Salmanticensis Academia 393
Salvanus, Bononiensis, jus Canonicum docuit 174
Salvianum interdictum, à Salvio Iuliano introductum 45
Salviolus, *Vincentius*, ab Ocha alias appellatus, Bononiensis, ICtus 492
Salvius Iulianus Edictum perpetuum collegit, & causas liberales aliasque terminavit 12. ejus Magistratus & scripta 46.491. 513
Sancti, qui Iuris interpretes fuere. 396
Sandeus, *Felinus*, Iur. Pontificii Interpres 368. 426. 330
Sapientes, qui dicti 3
a Sardis, *Ludovicus*, Ferrariensis, Bononiae docuit 174
Saturnini, qui vocantur, 52
Saturninus, *Claudius*, Praetor, confunditur cum Venulejo Saturnino, & desideratur in Indice ICtorum 51
a Saxoferrato, vide *Bartolus*.
Saxonia, *Petrus*. incertus ICtus 486
Scaevola, *Cerbidius*, ICtus, ejus scripta, sententiae & auctoritas 51. 514
Scaevola, *P. Mutius*, Conf. Pontif. Max. 23. antiquissimus Iuris interpres 386. 512. 541
Scaevola, *Q. Mutius*, Iurisconf. 24
a Scalis, *Federicus*, Bononiensis, ICtus 465
Scarameus, *Daniel*, ICtus Astensis 123
Schisma de eligendo Pontifice 161
Scimitatia, quid denotet 377
P. Scipio Nasica, optimus dictus 4
Scriniarii quid sint 9
Scriniorum Memoriae, Libellorum, epistolarum, & dispositionum Magistri & eorum officia 8. 9. seq. 9
Scrinium Memoriae 8. Libellorum 393
Sepuensana Academia
Seissellus, *Claudius*, ab Aquis Allobrox, Iuris Interpres, Magister libellorum Regis Galliae, Episcopus Massiliensis, Archipraesul Taurinensis 249. 459
Semeca, *Joannes*, Teutonicus, judicium de ejus scriptis, ejus appellatio ad Concilium Generale & ideo in bannum declaratus 323
Sempronius, Iurisperitus, primus ac nemo post, nec ante eum σοφὸς dictus 4
Senensis Academia instituitur 159. 342. 388
Servi pileati 41
Servius Sulpitius, vide Sulpitius.
Sfondratus, vide Szondratus.
Sichardus, *Jo.* Bischoffsheimensis Francus, Juris interpres, ejus studia, uxor, diversis locis docuit 285. postremo Tubingae 286. in edendis veteris Jurisprudentiae fragmentis diligens 285
Siculus, *Andreas*, vulgo Barbacia dictus, Juris interpres 439
Sigisbaldus, vide Cinus.
Signorolus, vide Homodeus.
Silimani, vide Syllimani.
Sillanianus, *Martinus*, Juris interpres 482
Sinibaldus, vide Cinus.
Sixtus V. Sum. Pontifex 118
Socinus, *Alexander*, Senensis, Mariani Junioris nitus, Juris interpres 445
Socinus, *Bartholomaeus*, Senensis, Mariani filius, ejus Praeceptores, ingenium & scripta, & Matrimonium, Patavii, Pistorii, Ferrariae & Bononiae Jus docuit. Vir hilari fronte, facetus. Alter Papinianus dictus. Splendidus in victu, ludo deditus, & Advocatus Consistorialis 221. seq. 453. 529
Socinus, *Marianus*, Senior, Senensis, ejus praeclarae animi & ingenii dotes, munera, dicteria & vitae descriptio 358. seq.
Socinus, *Marianus*, Junior, Senensis, ejus praeceptores, uxor & liberi 269. 278. Legatus ad Florentinos & ad Leonem X. Pontif. 270. ejus contentiones & mors 271. seq. 481. censura in eum 494
Socinus, *Celsus*, Mariani filius, JCtus 272
Soderinus, *Franciscus*, JCtus, Episcopus Volaterranus, postea Cardinalis 241
Sonzinus, vide Barbobus. 1
Sophistae, qui dicentur 542
Speculator, vide Durantus.
Sperantius, Comes Consistorii Principis 52
Spinella, *Bartholomaea*, Nicolai Spinelli filia, Joannis Ursini uxor, & Jordani Ursini Cardinalis mater 162
Spinellorum Collegium institutum 162
Spinellus, *Nicolaus*, Neapolitanus, Siciliae Cancellarius 161. ejus liberi 162. 488
Sportulae, unde sic dictae 19. 73. solvuntur a noviter creando Doctore Collegio JCtorum 73
Stagnatus, *Paulus*, Siculus 241
a Stagno, *Petrus*, Juris Pontificii Interpres 340
Stephanus, *Jacobus Antonius*, Patavinus, JCtus, Malitia cognominatus 330
Stephanus Provincialis, Juris Pontificii Interpres 340
Strotius, *Robertus*, Florentinus 245
Studiosi Juris, vide Juris Studiosi.
de Sulmannis, vide Syllimani.
Sulpitius, *Servius*, ejus occasio discendi jus, discipuli, officia, elogia & obitus 28. 29. ejus filia Aelio Tuberoni nupsit 32
Summa, sic vocatur Compendium Juris 107
Summates, qui dicebantur 74
Suzaria olim Regiensium, nunc Mantuanorum Castellum 128
Suzarius *Guido*, ICtus, lautissimum ejus stipend. Regii 128
Suzarius, *Petrus*, filius 129
Syllimani, alias de Sulmannis, *Martinus*, Filius, Bononiensis 128. 408. 481
Sylvaticus, *Bartholomaeus*, Patavinus, Juris interpres, Reip. Venetae Consiliarius, ejusque filii celebres 311. 312
Synibaldus Fliscus, Genuensis, postea Innocentius IV. Pont. Max. acta cum Friderico II. Imper. ejusque scripta 320. seq. 404.

Scon-

Sfondratus, *Jo. Baptista*, Cremonensis, Ludovici Mauri Mediolani Ducis Senator 252
Sfondratus, *Franciscus*, Jo. Baptistæ filius, JCtus, Mediolani Senator, Baro & Comes a Carolo V. creatus, Senatum Moderator, in Germaniam Legatus, Cremonæ Episcopus & Cardinalis, ejus uxor & filii 274. 464
Sfondratus, *Nicolaus*, Francisci filius, postea Pontif. Max. Gregorius XIV. dictus 274

T.

Tancredus a Corneto, Hetruscus, Bononiæ Archidiaconus & Decreti Glossator 319
Tartagnus, *Alexander*, Imolensis, ejus præceptores, officia, & contentio cum Cœpola, 208. uxor & liberi 209. ejus Nepos etiam Alexander dictus, JCtus ibid. posteri 210 425. 439.
Tartagnus, *Antonius*, Alexandri Filius, JCtus sed infirmæ valetudinis 209
Taruntenus Paternus, Præfectus Provinciæ 13
Taurinensis Academia instituitur 358
Terentius Clemens, JCtus, quædam scripsit 62
Tertullianus, *Quintus Septimus Florens*, Carthaginensis, JCtus, ejus scientia, scripta, Christianam religionem amplectitur & delabitur ad Montani dogma 53. 54
Testa, vide Trebatius.
Testamentum ridiculum Ludovici Cottusii 178
Teutonicus, *Joannes*, Decreti Glossator 319
Thadæus, vide Pepulus & Thadæus.
Thalelæus, JCtus 65
Thebaldus, *Cinus*, Pistoriensis 146
Theodorus, Præfectus Prætorio, Magister militum, Præfectus Orientis & Urbis Constantinopolis 62. 65
Theodosianus Codex 61
Theodosius minor se etiam servorum libellos supplices admissurum statuit 11. Codicem Theodosianum componere jussit 61. 518. Bononiæ Gymnasium ab eo institutum 81
Theodosius Magnus, quot Juris Interpretes, Rhetores, Grammaticos, Philosophos & Dialecticos Constantinopoli instituit 386
Theophili Institutiones edidit Viglius Zuichemus 287
Theophilus, Magister, Comes sacri Consistorii, Institutionum & Codicis Justinianei Compilator, nec non Pandectarum Consarcinator 64. ejus Institutiones commendantur 92. 519
Ticinensis Academia, a Carolo Magno instituta, & bellorum injuria intermissa, a Galeacio Vicecomite restituta 171. 388. qui professores ibi claruerunt 172
Tigrini, vide Franciscus.
Togæ descriptio 16
Togati, cur Advocati sic dicti 16
Toletana Academia 393
Tolosana Academia 392
Torniella familia Novariæ nobilissima 288
Torniellus, *Hieronymus*, Novariensis, Juris interpres, Ducis Sabaudiæ Senator 289. 304
Tortus, *Hieronymus*, Papiensis, Ticini docuit 198. 468
Tortus, *Jacobus*, Papiensis 207
Transegaldi olim Capilistii vocati 183
C. Trebatius Testa, Eques & JCtus, Ciceronis Cæsaris & Augusti familiaris 31. 513
Tribonianus, compilator Juris Civilis 64. natione Græcus, nullius religionis, doctrina & ingenio nemini secundus, sed avarus & blandus 519. 640
Trivium quid 73
Tryphoninus, *Claudius*, Syriæ Præfectus 13. 54
Tubero, *Q. Ælius*, JCtus, Patricius, Orator, partibus Pompeji addictus, Labeonis præceptor, Stoicus, Dialecticus & Historiographus 32. ejus scripta, elogia & matrimonium ibid.
Tubingensis Academia instituta 390
Tudiscus, *Nicolaus*, Catanensis, Juris Pontificii Interpres, Legatus a Pontifice ad Concilium Basilieńse, ejusque avaritia & acta in Concilio, Abbas Panormitanus vulgo dictus 355. seq. 421. 442. 508. censura in eum 495
Turchetus, *Antonius*, Patavinus, JCtus 438
a Turre Cremata, *Joannes*, Hispanus, Theologus & Juris interpres 364
Tuscianus, *Tuscius*, an idem cum Fusciano 47
de Tyno, *Guilelmus*, Doctor ultramontanus 504

V.

Valens, *Aburnius*, ICtus, libros de fideicommissis scripsit 45
Valens, *Papirius*, Syriæ & aliis provinciis præfuit 13
Valens, *Salvius*, ICtus in consilio Antonii Pii fuit 49
Valentina Academia 393
Varus, *P. Alfenus*, Consul, Digestorum libros scripsit & Servii Sulpitii auditor fuit 33
Ubalda gens, Iurium alumna fuisse videtur ejusque genealogia 171. de Ubaldis ICtis 507
Ubaldinus, vide a Malavoltis.
Ubaldus, vide Baldus.
Ubaldus, vide Angelus.
Ubaldus, *Petrus*, Francisci Ubaldi Filius, jus Pontificium docuit 176. 418. 526
Ubaldus, *Matthæus*, Petri filius, ad Constantiæ Concilium Legatus missus, & a Sigismundo Imp. insignibus gentilitiis donatus 170. ejus filii & nepotes, qui omnes doctrina Iuris claruerunt 171
Ubaldus, *Franciscus*, Artium & Medicinæ Doctor, ac quorundam Castellorum Comes, felicem prolem habuit 163. 171
Veggius, *Franciscus*, Papiensis, Iuris interpres, in patria docens 304
Venulejus Saturninus, Præfectus Provinciæ 13. 58
Verba in sensu recepto accipienda 578
Verzelesius, *Ioannes*, Patavinus, Ius pontificium docuit 353
Ugo, vide Boncompagnus.
Ugo, Ferrariensis Episcopus, Glossator 325
Ugolinus a Porta Ravennate, Bononiensis, Feudorum opere clarus, quem alii Ugonem Pisanum vocant 105
Ugolinus Fontana, ICtus 136
Vicaria dignitas 70
Vicecancellarii Romani dignitas & officium 135
Vicomercatus, *Thadæus*, Mediolanensis, Iuris Pontificii Interpres 357
Victor Dulcis Feltrensis, ICtus, Patavii claruit 343
Viennensis Academia instituta 389
Vierius, *Antonius*, Iuris Interpres 274

Viglius

Viglius, vide Zuichemus.
Vignata, *Ambrosius*, Taurinensis, Iuris Pontificii interpres 376
Vincentius, *Petrus*, æmulus Philippi Decii, Romani Palatii Quæstor 240
Vinea, *Petrus*, Capuanus, Iuris Pontificii & Civilis peritus, Friderico II. Ænobarbo a secretis & epistolis fuit 32c. seq.
Visitarinus, *Camillus*, Laudensis, ICtus 456
Visontina Academia instituta 390
Ulpianus, *Domitius*, Præfectus Prætorio Alexandri Imp. 8. Magister Libellorum 10 Papiniani Præfecti Prætorio, & Prætoris Assessor 13. Christianorum inimicus, ejus scripta, munera & titulus optimi 56. 57. 460. 515
Volaterranus, *Jo. Galensis*, Decretalium compilator 124
Volusius, *Lucius*, Quæstor, ejus ætas, scripta & Auditores 30. 514
Volusius Metianus, ICtus 30. in Consilio Antonini Pii, & auctor SCti Volusiani fuit, ejusque munera & scripta 50
Uratislaviensis Academia fundata 39c
S. Urbano, *Fabius Maximus*, ICtus 137
Urbanus IV. Sum. Pontif. perampla privilegia Gymnasio Patavino concessit 136
Urbanus V. Sum. Pontif. 344
Urbanus VI. Sum. Pont. ejus tempore schisma de eligendo Pontifice exortum 161
Urbinus Paternus, f. Urbinas, *Bartholomaus*, ICtus 230. 376. 451
Ursati, *Antonius & Caspar*, Fratres, Patavini, Ius civile in patria docentes 307
Ursina, Parmensis, ex Pincarorum Familia, Caroli Ruini uxor 256
Ursinus, *Neapolio*, Cardinalis, ad sedandas turbas in Italia a Pontifice missus 158

W.

Wirizburgensis Academia instituta 390
Witenbergensis Academia instituta 390

Z.

Zabarella, *Bartholomaus*, Iuris Pontificii interpres Ecclesiæ Rom. Referendarius 35c
Zabarella, *Franciscus*, Patavinus, Iuris Pontificii interpres, Archiepiscopus Florentinus Cardinalis 149. 464. 507. 527. de aliis Zabarellis 352
Zaca, *Antonia*, uxor Ludovici Cortusii 178
Zachus, *Antonius*, Patavinus, ICtus 442
Zanechinus, *Thomas*, Vincentinus, Iur. Pont. interpres 177. 492
a Zanis, *Joannes*, Iuris Pontificii interpres 358
Zasius, *Jo. Vldricus*, Uldrici filius, ejus scripta, Iura municipalia Friburgi condidit 253. 254
Zasius, *Vldricus*, ICtus, Friburgi claruit 252. ejus munera, uxores & liberi 253. 429
Zelana, *Antonius*, Cardinalis 184
Zenobius, Baldi Filius, Tiphernis Episcopus 168
Zenonis Constitutio de Iudicibus pedaneis 24
Zenzelinus Cassanus, Gallus, aliis Genzelinus, Glossator in Extravagantes 340
Zoccus, f. Zochus, *Jacobus*, Ferrariensis, Iuris pontificii interpres 257. 470
Zucardus, *Vbertinus*, Corrigiensis, ICtus Ferrariensis 257. 493
Zuichemus, *Viglius*, Frisius, ICtus, Bruxellis in Brabantia Senator ac Senatus Præses, Canonicus, Præpositusque Ecclesiæ Gandavensis atque Cancellarius, Eques aurei velleris, Bataviæ & Geldriæ præfectus, Theophili Institutiones edidit 267

2229

FINIS.

